915358
R 2
Mag. St. Dr. III
BIBLIOTHECA UNIV. IAGELL. CRACOVIENSIS



Mag. St. Dr.
915358 III

F. III. 40.

Theol. 6902

QUÆSTIONES EXEGETICÆ

IN SACRAM SCRIPTVRAM VETERIS ET NOVI TESTAMENTI

ET EARUM ELUCIDATIONES,

Collectæ ex varijs Authoribus.

IN GRATIAM EORUM
QUIBUS DEEST COPIA INTERPRETUM,
UT IN EPITOME HABEANT,
QUOD IN VASTIS VOLUMINIBUS QUÆRERE DEBERENT.

PARS POSTERIOR

à Prophetia ISAIÆ usque ad finem
Sacræ Scripturæ.

OPERA ET STUDIO

R. P. MARTINI BRICTII
SOCIETATIS JESU
Prutheno-Varmiensis.



BRUNSBERGÆ
TYPIS COLLEGII SOCIETATIS JESU

ANNO DOMINI MDCCXXVII.

Theol. 6902

915358
II
[2]

QUÆSTIONES EXEGETICÆ IN ISAIAM PROPHETAM.

CAPUT I.

Exaggerat peccata populi, pœnam minatur, ſcil. gentis excidium. Oſtendit, quomodo per pœnitentiam DEUM placare poſſint. &c.



Quæſtio I. *Quis fuit Iſaias?* R. Fuit filius Amos, non minoris Prophetæ & fratris Amaſiæ Regis Juda, qui fuit pater Azariæ vel Oziæ regis, ſub quo cæpit prophetare Iſaias. Alij dicunt fuiſſe ſocerum Manaſſis. S. Hieron. in quæſt. in 2 Para. c 33. refert Hebræos tradere, Manaſſem fuiſſe filium filiæ Iſaiæ, vnde Manaſſis auum fuiſſe Iſaiam. Serrâ ligneâ ab impio rege Manaſſe diſſectum fuiſſe, quòd regem & principes acriùs increparet, communis eſt Hebræorum traditio, inquit Tertullianus, Hieron. Baſil. Haymo & alij. *Iſaias cujus filius.*

II. *Quid ſignificat* VISIO v. 1. R. Viſum, ſeu rem viſam, quam vidit non oculis corporis, ſed mentis & intellectûs. Prophetis enim mens ita illuminabatur à DEO; vt res etiam remotiſſimas ſeu loco, ſeu tempore, quaſi præſentes & coram ſe poſitas cernerent. Vnde prophetia illorum vocabatur viſio, & prophetæ videntes. 1. Reg 9. v. 18. *Viſio Prophetarum.*

III. *Cur ad audiendum inuocat cælum & terram?* R. Quia cùm homines rationales, putà Judæi nollent audire Deum & prophetas, hinc invocat creaturas inanimes, quæ ſemper obediunt Deo, vt grauiſſima ſit querela & exprobratio; inuocat, inquam, eas quaſi teſtes mutos & æternos, vt nimirum cælum & terra teſtes ſint tum pacti præteriti à Deo cum Judæis initi Deut. 30 19. tum præſentis Judæorum perfidiæ, qua pactum hoc violarunt; tum futuri eorum ſupplicij, vt nimirum cælum & terra non tantùm teſtes ſint, ſed & vindices creatoris ſui. Nam *pugnabit cum illo orbis terrarum contra inſenſatos.* Sap. 5. 21. *Cælum & terra invocatur.*

IV. *De quo boue & aſino loquitur* v. 3. ? R. literaliter de omnibus bobus & aſinis loqui docent S. Baſil Hieron. Cyrill & alij, quòd etſi brutum & ſtolidum animal cognouit, id eſt agnoſcere ſoleat Dominum poſſeſſorem ſuum, eiq; ſe blandum & gratum ac obſequentem exhibere arando, currum trahendo & ſimili modo; item quòd aſinus agnoſcat præſepe Domini, eſt Hypallage, id eſt, Dominum præſepis ſui, nempe ſeruit aſinus Domino ſuo ad nutum; accommodatitio ſenſu S. Aug. Amb. Origenes & alij à Leone Caſtrio contra Caluinum citati, applicant boui & aſino, qui Chriſto recèns nato in Bethlehemitico præſepi adſtiterunt, eundemq; naturali atq; ordinaria obedientia, forſan & extraordinaria ſeu miraculoſa aliqua reuerentia (vt vult S. Bonav.) agnouerunt & adorarunt. Si enim Agnus S. Franciſci flexit genu ad S. Euchariſtiam, ſi apes eandem non ſemel tutatæ ſunt, ſi aliæ feræ S Antonium, Paulum, Hilarionem, Kilianum & alios non paucos coluerunt; quidni potuerint bos & aſinus præſentem Dominum ſuum Chriſtum peculiari aliquo ſeruitio honorare? *Bos & aſinus ad præſepe.*

V. *Quis eſt ſenſus verborum* v. 5. SUPER QUO PERCUTIAM VOS VLTRA? R. *Super quo*, id eſt, ad quid, quorſum percutiam vos, cùm ſitis in malo obſtinati, ita vt non ſperem veſtri emendationem, ita Vatablus *Super quo*: id eſt, quo membro, qua corporis parte? q d. nullum inuenio in corpore veſtro membrum, in quo pateat locus nouæ plagæ, omnia enim ſunt vnum vulnus, vnus liuor & tumor. Ita S. Hieron & Nazianz. *Super quo*, id eſt, qua plaga percutiam vos, ita S. Hieron. q d. fruſtra percutiam vos deinceps: nam omne genus plagarum in vos immiſi, fruſtraq; conſumpſi, nec vllâ facti eſtis meliores. Affixi vos fame, peſte, bello, ſeruitute, & mille alijs plagis; quid reſtat, niſi vt vos abjiciam? ſic Ezech. 16. v. 42. *Auferatur zelus meus à te, nec iraſcar tibi amplius.* Quæ Dei abjectio eſt plaga omnium grauiſſima. *Obſtinati non curantur.*

VI. *Quia per caput & cor intelligitur* v 6.? R. Per caput & cor quaſi primarias corporis partes, ſynecdochicè intelliguntur cætera membra, adeoq; totum corpus politicum ſynagogæ, putà totum populum Iſraël, malè ſe habere, vitijs eſſe corruptum. *Caput & cor.*

Nam ad literam Isaiam loqui de corpore sui populi, non autem de corpore Christi in passione flagellati, & plagis vndiq; laniati (cui hæc plerique concionatores applicant) patet ex antecedent. & seqq. *Omne caput* ponitur per enallagen pro toto. Sanchez putat per *caput languidum* notari Oziam regem arrogantiâ & leprâ infamem. Sicut per cor sacerdotes: per pedes populus designatur. S Bernardus in hujus loci expositione Prælatos suo compellans sermone; Vos, inquit, estis caput populi. Si in Dei intepescatis seruitio, in virtutum studio, in diuinarum legum obseruantia; si malè affecti, si vitiorum contagio infecti sitis, corpus erit miserrimum, populusq; infelix, in eo nullus erit vigor virtutis, sanitas nulla, nulla salus. Dono verba melliflui Doctoris: Docent populos per praua exemplа ingredi vias latas, quæ deducunt ad mortem & demergunt ad profundum inferni. Dolor capitis in membra redundat. Capita populi sunt sacerdotes. Omne caput languidum, & omne cor mœrens. Languent Prælati in cupiditatibus suis. Quia ergo languor est in capitibus, mœror oboritur in cordibus. Corda sunt Ecclesiæ viri Religiosi. Hæc ille. Rumpuntur illa præ dolore corda, dum cultum DEI zelari non vident, dum perditum iri animas sentiunt, ob Prælatorum, qui sanctitate debebant & perfectione excellere, malitiam.

Prælatorũ exemplum malum.

Pœnitentia velox.

VII. *Quomodo intelligendus* v. 6. VULNUS ET LIVOR ET PLAGA TUMENS, NON EST CIRCUMLIGATA, NEC CURATA MEDICAMINE, NEC FOTA OLEO? R. Oleaster legit: *Plaga recens.* Medicorum Aphorismus est: venenata inducias non patiuntur. Peccatum quid aliud est, quàm venenum pestilentissimum? *Radix germinans fel & amaritudinem.* Deut. 29. 18. Quòd noxis se contaminent, malum est, pejus, quòd culpis immorentur. Qui recenti & calido adhuc vulneri malagma non apponunt, frigidum cùm fuerit, non curabunt. Hoc lugeo, inquit Propheta, hoc deploro. Recens cùm vulnus erat, olei parum illi medendo sufficiebat, nunc igne indiget & ferro. Peropportunè Aug Serm. 101. de temp [Quia calidis vulneribus solent medicamina celeriùs subuenire; quotiescumq; peccauerimus, non expectemus mortifera securitate vulnera ipsa putrescere, nec iterum vulnera vulneribus augeamus] Caueamus à peccatis, quin potiùs millenas oppetamus mortes, quàm vel vnico nos constupremus peccato. Quòd si ob fragilitatem humanam nos labi contingat, satagamus quantocyus, animæ vulneribus mederi, ne computrescant. Scite Chrysost Medici venenum serpens, & emanans, maxima celeritate, ne vlteriùs progrediatur, sistunt, ejus vitium incidentes Hoc autem nos quoq; faciamus, & quod in nobis est vitium, maxima celeritate reprimamus, ne vlteriùs progrediens morbum augeat Neglecta enim peccatorum vulnera sæpe majora euadunt.

Principijs obsta, sero medicina paratur
Cùm mala per longas conualuêre moras. Ovid. l 1. de remed.

Israel vmbraculum.

VIII. *Quo sensu dicitur* v 8. DERELINQUETUR FILIA SION VT VMBRACULUM &c.? R Jerusalem, quam Deus singulariter quasi filiam diligebat & protegebat, à Chaldæis & deinde à Romanis, desolabitur, fietq; deserta perinde, ac facta vindemia solet deseri & euerti vmbraculum seu teges, in quo ante vindemiam vineæ custos degebat, vt vuas & fructus à furibus & bestiis tutaretur; ita vt sicut ex vmbraculo hoc disjecto nihil supereſt præter tigna & statumina hinc inde projecta; ita ex Jerosolyma vastata & incensa præter ruinas & dispersos hinc inde sanctuarii lapides, nihil superſit antiquæ gloriæ: imò succendetur ipsa, sicut lectis & ablatis vuis & fructibus succenduntur tuguriola custodum in cucumerarijs.

Judæa vocatur Sodoma.

IX. *Cur Judæa vocatur Sodoma* v. 10. *& Principes Judæorum Principes Sodomæ?* R. Propter similitudinem scelerum. Vnde Deus Ezech. 16. v. 45. dicit: *Vno ego quia non fecit Sodoma & filiæ ejus sicut tu; vicisti eas sceleribus tuis.* Deinde quia ipsi nefando vitio Sodomiæ fuerunt obnoxij, vt patet c. 2. 6. Præterea, quia in Sodomis pauci inuenti sunt: justi, putà Loth cum suis, ita & in Judæa, tum tempore Isaiæ, tum tempore Christi. Deniq; quia Sedom vel Sodoma hebraicè, inquit Basilius, significat *declinationem.* Gomorrha *retributionem*, quæ in Judæos optimè quadrabant

Victimas Deus renuit.

X. *Cur Deus renuit victimas* v. 11. ? R. Licet in se bonæ sint, & à me institutæ, imò præceptæ, tamen vt à vobis offeruntur, mihi displicent. 1. quia impuro corde illas offertis Prov. 15 v. 8. 2do quia neglecta vera sanctitate interna, sanctitatem omnem externam in illis sacrificijs ponitis. Jer. 7 v 4. 3tiò Hæc legalia sacrificia non nisi vmbra sunt & typi sacrificij veri Eucharistici: vnde & per Christum abolita sunt & mortifera reddita Ita S. Cyprian. l. 1 contra Judæos c. 16. Addunt S. Hier. Cyril. Rup quòd vetera sacrificia per se noluerit Deus, quia ea non placuerunt illi ex opere operato, vti placent sacrificia nouæ legis, sed ex opere operantis, quod hîc deerat: erant enim ipsi operantes seu offerentes impij Addunt̃q; vetera sacrificia à Deo Judæis fuisse præscripta, quòd illa grata essent Deo, quòdq; illa Deus appeteret, sed vt per ea populum ijs occupatum auocaret a sacrificijs Gentilium & idolorum.

XI. *Quo-*

XI. *Quomodo dicuntur peccata dealbari* v. 18.? ℟. Peccata propriè non dealbantur, sed idem est, ac si dicat, vos peccatores à peccatis vestris emundabimini & dealbabimini, est metonymia, qua qualitas pro persona, cui qualitas inhæret, ponitur. Sic Lev. 14. sæpe dicitur, lepram mundari, id est, leprosum mundari à lepra. *Peccata dealbantur.*

XII. *Quo sensu dicitur* v. 22. ARGENTUM TUUM VERSUM EST IN SCORIAM? ℟. Doctrina scribarum & sacerdotum tuorum, admixtione prauarum traditionum & sceleratarum legum, & impiarum superstitionum degenerauit in fæces & sordes. ita S. Basil. Hieron. Cyrill. Qui tamen per argentum, vt & per aurum, putant ipsos quoq; scribas & sacerdotes intelligi posse, de quibus v. 25. *excoquam ad purum scoriam tuam*, id est, instar argentarij impuram hanc argenti massam igne Babylonico & Romano tamdiu liquabo & excoquam, donec purum argentum à stanno & scoria secernatur. Simile Jer 6 in fine. *Argentum versum in scoriam.*

XIII. *Quo sensu dicitur* v. 17. SION IN JUDICIO REDIMETUR? ℟. Judæi post justam satisfactionem liberabuntur è carcere Babylonico per Cyrum, nempe post 70. annos seruitutis, captiuitatis & miseriarum, quæ justâ DEI sententiâ ipsis decreta fuerunt in pœnam. Allegoricè, Ecclesia per Christum ex rigida justitia redimetur à seruitute peccati & dæmonis inquit S. Hieron. Rupertus, & passim Patres.

XIV. *Quomodo Judæi confundentur ab idolis* v. 29.? ℟. propter idola, quæ coluerunt, & in quibus sperauerunt, nec tamen ab illis juuari potuerunt. Loquitur de Judæis, qui vixerunt, non tempore Christi (quia nulli tunc Judæi colebant idola) sed tempore Isaiæ: & rursus, qui viuent tempore Antichristi. *Et super hortum, quos elegeratis.* Subaudi & *lucum & nemoribus*, in quibus lasciuè & impudicè colebatis idola vestra Beelphegor & Priapum, & alios obscœnos Deos Num. 25. v. 3. 3. Reg. 15. v. 13.

XV. *Quid per fortitudinem vestram intelligitur* v. 31.? ℟. vrbes, mœnia, arces, arma vestra, quæ putatis inuicta esse, similiter & *opus vestrum*, nempe palatia, fundi, opes, quas vobis fingitis æternas fore, erunt *vt fauilla, stippa & scintilla*, quia igni Babylonico, Romano & Antichristiano (quando ipse cum suis igne cælesti absumetur) omnia in cineres redigam.

CAPUT II.

Prædicat Ecclesiam instar altissimi montis à Christo extollendam, omnes gentes ad eam conuolaturas, & bella in pacem commutaturas. Mox ad Judæos relapsus, eorum scelera redarguit, & ob illa Judæam à Chaldæis vastandam prædicit.

QUæstio I. *Quis est mons* v. 2.? ℟. Est Ecclesia. Hæc est enim domus DEI altissima & maximè conspicua ac si in monte esset sita. Alludit tum ad veterum templa & altaria, quæ in montibus erigebantur, ibi enim sacrificabant, indeq; vocabantur excelsa; tum ad montes Sion & Moria q. d Excelsum siue altare domini, putà Ecclesia longè se attollet supra aliorum excelsorum cacumina. Hinc patet Ecclesiam Christi esse visibilem, illamq; Nouantium quæ lucem fugit, aitq; se esse inuisibilem, non Christi sed Antichristi esse Ecclesiam. Ecclesia est *in vertice montium*, quia sua altitudine, dignitate & gloria superat Judæorum montes, scilicet Sion in quo erat arx Dauidis, & Moria, in quo erectum erat templum Ad hunc montem *fluent omnes gentes* contra naturam sursum, attrahente gratia cælesti, ex omnibus orbis nationibus ascendent ea animi propensione, contentione atq; impetu, quo solent flumina è montibus in imas valles defluere. *Ecclesia mons.*

II. Quid illo hieroglyphico adumbrat Isaias: CONFLABUNT GLADIOS SUOS IN VOMERES, ET LANCEAS SUAS IN FALCES. v. 4? ℟det Tertull. l. 3. cont. Marc. cap. 21. Animorum nocentium, & linguarum infestarum, & omnis malitiæ atq; blasphemiæ ingenia conuertentur in studia modestiæ & pacis Quando ad pœnitentiam ab Apostolis & prædicatoribus annuntiatam conuolabunt; qui aliàs odio feruebant, & ira, exardescent amore; qui jurgijs & litigijs oblectabantur, ad pacis studia animum conuertent, qui discordias seminarunt, concordiæ inuigilabunt Illæ linguæ, quæ acutæ erant, mordaces, feriebant, ac more bis acutorum gladiorum lacerabant, charitatis, pacis, vtilitatis & fructûs erunt seminaria; quæ maledictionibus configebant, benedictionibus onerabunt; blasphemijs assuetus totus se diuinis occupabit laudibus; dissolutio in modestiam, fastus in humilitatem, omne deniq; vitium in virtutem mutabitur. Hic veræ pœnitentiæ fructus est. *Pœnitentia vera.*

III *Quæ lex exibat de Sion?* ℟. Non vetus sed noua; non Judaica sed Christiana, lex gratiæ, lex vitæ, lex salutis: *& verbum Domini*, putà Euangelium & Euangelij prædicatio, *de Jerusalem*: nempe, quando Apostoli & alij discipuli roborati in Pentecoste Spiritu Sancto, ex Jerusalem & Judæa prosilient in reliquas orbis partes, vt præce- *Lex de Sion.*

pto Christi obsequantur, *euntes in orbem vniuersum, docete omnes gentes.*

IV. *Quomodo judicabit gentes* scil. *DEUS Jacob*? R. Judicabit instar justi judicis, vindicis ac principis, decernens cuiq; quod suum est, & cuiq; debetur. q. d. non sinet quemquam pro placito & libito bella in alios movere, perpetuas lites & odia exercere: sed ipse per leges suas & vicarios suos componet rixas & dissidia nationum etiam ferociſſimarum, facietq; vt in vna eademq; Ecclesia, sub vnius pastoris regimine summa pace & amicitia conglutinentur. ita Tertull & Athanasius.

Pax à Christo inducta.

V. *An bellum in se est malum, & verbis illis* v 4. NON EXERCEBUNTUR VLTRA AD PRÆLIUM, *prohibitum?* R. Ita hallucinabantur Manichæi, Anabaptistæ cum Erasmo. Quia & bellum contra Turcam defensiuum Lutherus illicitum esse asseruit, eò quòd Turca sit flagellum DEi, *cui qui resistit*, inquit, *DEO resistit.* Verùm stolidè ista: quia bellum per se est actus justitiæ. Sensus ergo Prophetæ est, Christum adducturum pacem spiritualem, quam in ejus Nativitate annuntiarunt Angeli, quæ sita est in perfecto consensu cum DEO, domitis per gratiam Christi malis animorum affectibus: vnde ab ijs, quibus lex Christi curæ est, non amplius esse timenda bella injusta, qualia gesserunt olim Nemrod, Nabuchodonosor, Alexander, Cæsar, Chaldæi, Persæ, Romani, quæ malos ob fines & dominandi libidine impellenti cùm gesta fuerint, potiùs latrocinia quàm bella appellanda fuisse docet S. Aug. l. 3. de civit c 13. Quòdsi ex necessitate cogantur alteri bellum sibi injustè moventi resistere, vel armis injustè ablata recuperare, non tam bellum quærunt vel gerunt, quàm justitiam administrant, & pacem ab alijs læsam redintegrant S Hieron & Euseb. Prophetiam restringunt ad tempus nativitatis Christi, quando Jano per Augustum tertiùm clauso, altissima toto orbe pax fuit.

VI. *Quomodo dicitur DEUS projecisse populum suum* v 6. id est decreuisse abjicere, & jam cœpisse abjicere sibi rebellem? R. Destituendo illum efficaci cœlesti lumine, quo Messiam suum & DEum verum agnoscant, eiq; serviant, & necessario auxilio, quo hostibus sua sancta dissipantibus resistant. Fecit id ob varias causas. 1. quia repleti sunt vt olim, nempe diuitijs, & inde vitijs, maximè idololatriâ. 2. quia augures habuerunt. 3. quia pueris alienis adhæserunt sodomiticè, pueris in mancipia coemptis 4. *quia repleta est terra ejus equis, & innumerabiles quadrigæ ejus* contra decretum DEi Deut. 17. v. 16. *ita repleta est idolis*, coram quibus, & plebejus *homo se incurvavit*, & *vir* primarius quoq; *humiliatus est*, id est, prostratus jacuit, colens illa & adorans. Loquitur de suo tempore: nam post reditum ex Babylone numquam communi consensu adoraverunt idola Judæi, vt prædixit Tobias c. vlt. v. 8. & Rabbini testantur apud Galatinum l. 4. c 23.

VII. *De quo homine est sermo* v 22. QUIESCITE ERGO AB HOMINE? R. Rabbini recentiores id intelligunt de Nabuchodonosore q d nolite irritare tam potentem & ferocem regem Sed Orig. Hieron & alij id intelligunt de Christo. q. d. Cessate ô Judæi, à vexando, persequendo, occidendo Christo, quia licet homo sit mitis, humilis & patiens, est tamen simul excelsus dignitate, majestate & potentia, estq; etiam magnanimus & adversus scelera graviter irascitur, indignatur, & furore concitatur. Hoc est enim *Spiritum*, seu halitum *in naribus habere*, phrasi simili, qua Virgilius 3. Georg. *Collectumq; premens sub naribus ignem.*

CAPUT III.

Prædicit excidium Judæorum, non solùm per Chaldæos, sed & per Romanos. Causam excidij designat peccata tum populi, principum, item superbum fœminarum ornatum, quem cum cilicijs, funibus & caluitie commutandum prædicit.

QUæstio I. *Quid prædicit hoc cap. Isaias?* R. Quòd DEus à Judæis auferet 1. omne robur omnesq; validos milites. 2. omnem annonam, vt fame tabescant. 3 Prophetiam & prophetas. 4. senes & principes. 5 Consiliarios, 6. Architectos. 7 viros pios & spirituales; deniq; lumen S. Scripturæ, omnem religionis cultum, omnem gratiam & favorem DEi. Ex quibus fiet, vt ope DEi destituti Judæi cæci & miseri inopesq; consilij in suum exitium ruant, vtq; diro bello, fame & peste vexentur, cædantur, & in servitutem abripiantur.

II *Quo sensu dicitur* v. 6 RUINA HÆC SUB MANU TUA? R. Est hypallage, q. d. manus tua sit sub ruina hac, id est fulci Remp. nostram labantem ac desperatam ne corruat. At ille dicet: *non sum medicus*, non possum mederi tanto malo, morbus hic & infirmitas reip. meam artem, ruina hæc meas vires excedit & opes superat, non possum eam fulcire aut restituere. *Et in domo mea non est panis*, quem in populum famelicum distribuam, vt ejus fami succurram, eumq; sustentem, pro medio heb. est chobes id est, chirur-

chirurgus, qui vulnus obligat, alludit ad illud c. 1. *plaga tumens non est circumligata*, q. d Civitas hæc non tam est resp. quàm nosodochium, magis ergo indiget chirurgo, qualis ego non sum, quàm principe & gubernatore, nolite ergo me eligere principem. Vtrumq; habere debet (ex mente Hieronymi) bonus præses, & medicæ artis experientiam, qua morbis animæ medeatur, & annonæ copiam, qua subditos cibet. Accipite verba Hieron. Sicut populus, qui eum, quem comparatione sui locupletiorem intelligit, Principem habere desiderat: sic qui eligitur considerans paupertatem, & imbecillitatem suam, indignum se esse delato honore testatur, nec posse mederi vitijs, id est curare languentes, esurientibus cibum tribuere, vestire nudos, qui ipse se sustentare vix valeat. Hæc ille. Quasi ille principatu duntaxat & præfecturâ censendus sit dignus, qui totum se alienæ cupit impendere saluti Amb. Spinola non minùs militari robore (vt expeditiones in Belgio ab ipso factæ produnt) quàm sanguine vir illustrissimus; cùm regis exhaustum esset ærarium, monetam propriam impendit, ac sæpe suam argentariam supellectilem liquefactam in nummos cudi curavit, & vbi alij Duces plerumq; sua assueuerunt farcire marsupia, ille commodo Hispaniarum Coronæ invigilans partem magnam patrimonij sui in publicam regni immolauit vtilitatem. O quid non est faciendum in supremi cœlorum Regis servitium, à quo quidquid possidemus, proficiscitur? quid pauperibus, qui DEi personam gerunt, non est præstandum? *Princeps medicus & dives.*

III. *Quomodo agnitio vultus eorum respondet eis, quòd nimirum ruinam hanc hoc excidium meriti sint?* ℟ Queruntur Judæi rogantq;, quomodo tantum supplicium obvenit nobis? cur tantis malis obruimur? quod tantum peccatum nostrum hanc cladem meruit, respondet propheta, non longè eant, intueantur tantum invicem vultus suos, ibi agnoscent, scriptamq; legent causam & culpam suam, perfricta enim & explicata impudensq; frons respondebit dabitq; luculentum procacitatis & nequitiæ eorum testimonium. Nam vultus loquitur scelera alijs licet omnibus tacentibus: in vultu enim eorum videtur lascivia, arrogantia, fastus &c. facies eorum clamat eos turgere superbiâ, irâ, odio, libidine, vnde explicans subdit: *peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt.* Idem ait Jer. c. 3. *frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* Id de fœminis clarè explicat v. 16. dicens: *elevatæ sunt filiæ Sion, & ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant & plaudebant.* q. d. explicata frons illis dat procacitatis testimonium. Viros similes fuisse fœminis hic significat, nec est dubium. Scelera ergo in facie lucentia significant eos hanc cladem esse promeritos. Nota hebraismum, quo abstracta ponuntur pro concretis: *agnitio vultûs* id est, peccata agnita in vultu.

IV. *Quid est vitam gressuum tuorum dissipant* v. 22.? ℟ Vitæ tuæ rationem, statum, salutem, & felicitatem tum privatam, tum publicam. Omnem enim metam mali hostis & excidij tibi adimunt, vt securiùs obdormias in peccatis, & obruaris ab hoste imminente: dicunt enim ait Jer. c. 6. *pax pax & non erat pax.* Hæc enim est causa, cur Judæi traditi sunt Chaldæis, scil. quia, vt dicitur Thren. 2. *Prophetæ tui viderunt tibi falsa, & stulta neq; aperiebant iniquitatem tuam; vt te ad pœnitentiam provocarent.*

V. *Cur Vates dum principes & Jerosolymiticum Magistratum perstringit fœminis loquitur* v. 16. ELEVATÆ SUNT FILIÆ SION, ET AMBULAVERUNT EXTENTO COLLO &c. ℟det Fererius viris loquebatur, sed sub nomine mulierum; seniores enim & nobiliores plebis, qui ad gubernaculum acciti erant, luxu defluxerant, vt nec in ornatu, nec cultu, nec in incessu possent à fœminis discerni. Quasi dixisset Propheta, plusquam Vlyssæa metamorphosi, gestu, loquela, incessu, moribus, vestitu, in fœminas deficistis; vt non jam ampliùs virili vos nomine nuncupandos putem, sed fœmineo, idq; summo vestro probro. Rem abominandam se vidisse testatur Ezechiel c. 8. v. 14. *Mulieres* scilicet *plangentes Adonidem.* Sed nonne promiscuè tam fœminæ quàm viri Adonidem colebant? quorsum solarum ergo meminit mulierum? Ajo, tam effeminatos illos fuisse, vt sub vno mulierum nomine omnes & mares & fœminæ comprehendantur. Quod symbolicè & tropologicè S. Hieron. ait: Nos quoq; qui ad sæculi mala & bona vel contristantur: vel exultant, mulieres appellemus, molli, effœminato animo: dicamusq; eos plangere Adonidem, ea videlicet, quæ in rebus mundi putantur esse pulcherrima. Res adeo indigna viro est, vt Rex David Abneri mortem plangens, & summa imprecans Joabo mala, qui cædem patrarat, vt majus probrum illi dicere majorem non potuerit advovere miseriam, quàm illam: *Non deficiat de domo tua vir tenens fusum.* Scilicet, in tanti vindictam sceleris, inter posteros tuos viri censeantur mulieribus corruptiores, nulli alteri vtiles, quàm vt fila ad colum fœminarum more ducant. Cajet. *Vile muliebreq; exercitium ad quæritandum victum vaticinatur.* *Viri effœminati.*

CAPUT

CAPUT IV.

Docet in excidio vrbis tantam fore virorum stragem, vt pro septem vxoribus vix vnum sit reperire maritum. Mox reliquos solatur, promittens eis salutem & omnia fausta per Christum.

Sterilitas vxoru.

QUæstio I. *Cur.* v. 1. *dicitur: apprehendent septem mulieres virum vnum in die illa dicentes: panem nostrum comedemus, & vestimentis nostris operiemur, tantummodo invocetur nomen tuum super nos: aufer opprobrium nostrum?* Rdet Hugo Card. Tempore servitutis Babylonicæ, quando Hebræi ab Assyrijs fuerunt in servitutem redacti, tam pauci in terra Israel viri erunt, tanta mulierum multitudo (mulieres enim plerumq; captivæ non abducuntur, aut per bellum trucidantur) vt septem, hoc est, plures illarum, vnius viri thalamum & thorum exambiant. Et tametsi Patrum familias curæ incumbat victum & amictum suis thori consortibus procurare, non, inquient, non sic erit, ab hac te lege eximimus, nobis ipsis de vitæ necessarijs prouidebimus, solùm modò vt tu nomen mariti, nos vxorum habeamus, ac sterilitatis infamiam & maledictionem enixissimè obtestamur, à nobis tollas. Quasi dicant, inquit Hugo, vt dicamur vxores, nihil requirimus à te, nec victum, nec vestimentum tuum, nisi quòd auferas à nobis opprobrium sterilitatis. Sed nonne à natura muliebris sexus est zelotypus? & vobis ô mulieres, omnes vnius viri posse esse vxores persuasum habetis, quarum corda zelotypia semper commordebit? Non expenditis illud, numquam litigiorum & rixarum inter vos futuras inducias? Sanctæ erant Lia & Rachel, germanæ ex eodem parente & matre natæ sorores, nihilominus pax ab ædibus illarum exulabat, nec altera alteram passa est in amoribus Iacobi riualem sociam, ô quanti inter vos, quæ sorores non estis, discordiarum intercedent conflictus! quàm erit miseranda vita vestra? agnoscimus hoc respondent illæ, sed omnium miseriarum caput & summa est sterilitas. *Tantummodo invocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum.*

Germen Domini in magnificentia.

II. *Quis est sensus* v. 2. IN ILLA DIE ERIT GERMEN DOMINI IN MAGNIFICENTIA? R. Reliquiæ Iudæorum à strage Babylonica superstitum, rursus germinabunt, & ad pristinam vbertatem ac gloriam euehentur, tempore Esdræ & Zorababel, inquit Glossa, S. Thomas & alij, & fauet, Isaias c. 11. v. 11. Sed SS. Patres & Interpretes & Rabbini, id præcipuè Euangelico tempori adaptant, putà vel Ecclesiæ Christi, vt vult Forerius: vel, vt alij, ipsi Christo, qui passim in scriptura germen Domini vocatur. Sensus ergo est. Eo tempore quo Iudæa miserrimè vastabitur per Romanos, Christus Dominus antea per Iudæos depressus, imò excisus, maxima gloriâ & magnificentiâ extolletur, non in sola Iudæa, sed & per reliquum etiam orbem.

Christianus Sanctus.

III. *De quo dicitur* v. 3. OMNIS QUI RELICTUS FUERIT IN SION &c. SANCTUS VOCABITUR? Rdeo Corn. à Lap. per Sion & Ierusalem intelligit spiritualem putà Ecclesiam Christi, quæ cæpit in Ierusalem, q. d. qui cladi & excidio Iudæorum superstes relictus fuerit in Sion, non tam carnali quàm spirituali, hoc est, qui à Synagoga transierit ad Ecclesiam Christi, eiq; fuerit adscriptus, putà omnis Christianus, sanctus vocabitur. omnis, inquam, qui scriptus est in vita, putà in præscientia & prædestinatione DEI, qua ipse suos præscripsit ad vitam æternam: si tamen priùs DEus ejus sordes, & sanguinem, id est, homicidia aliaq; crassa & grauia peccata abluerit, vt sequitur. Omnes Christiani à Paulo & alijs vocantur *Sancti*, quia vocati sunt ad sanctitatem, & quia baptismo & gratia Christi sunt sanctificati. *Sanctus* ergo, id est Christianus vocabitur. Et hi omnes scripti sunt in libro vitæ, quasi ciues futuri cœlestis Ierusalem; scripti, inquam inchoatè, quia ordinantur ad vitam æternam, à qua tamen multi suâ negligentiâ excidunt: vnde completè solùm scripti sunt in hoc libro ij, qui in sanctitate perseueraturi & morituri à DEo præuisi sunt.

Spiritus judicij & ardoris.

IV. *Quo sensu dicitur* v. 4. *Si abluerit* &c. *in spiritu judicij & spiritu ardoris?* Rdet Sanchez Spiritus judicij & ardoris significat acrem punitionem, qua DEus per Babylonios judicauit, id est puniuit, & instar ignis lustrauit, id est, purgauit & expiauit Iudæos à scoria peccatorum, de quo Malachias c. 3. *Ipse enim quasi ignis conflans.* Et Isaias c. 1. *excoquam ad purum scoriam tuam.* Corn. à Lap. intelligit Spiritum Sanctum per spiritum judicij, quia facit primò vt nostra videamus, judicemus, & damnemus peccata. 2dò quia judicat, id est, discernit fidelem ab infideli, pium ab impio. 3tiò quia mentem illuminat per fidem tribuens remissionem peccatorum, faciensq; vt pia, sancta, cœlestia judicemus, id est, æstimemus, discernamus & amplectamur præ vanis, fœdis & terrestribus opibus & voluptatibus.

Nubes per diem.

V. *Quid per nubem per diem, & fumum ac splendorem ignis intelligitur* v. 5. R. Sensus est:

us est: Deus speciali & extraordinario auxilio proteget omnes, diriget & ad patriam cœlestem perducet, tum per prospera diei, tum per aduersa noctis vitæ hujus, sicut olim Hebræos typicè deduxit per columnam ignis & nubis in terram promissam Exo. 13 & 14. Ita S. Hieron. Basil. Cyrill. & alij. Loquitur non de solis reductis è Babylone, vt vult Sanchez, sed etiam de residuis à clade Romana, de quibus v. 3 id est, super omnem Ecclesiam fidelium, *creabit Dominus nubem per diem* &c. *Super omnem enim gloriam erit hæc Dei protectio*, id est, multò glorioſior & efficacior erit hæc per Deum obumbratio & protectio Ecclesiæ suæ, quàm quæuis alia præcedens, seu qua columna texit exercitum Hebræorum, seu qua gloria Domini texit tabernaculum vel montem Sinai Exodi 24. v. 15. Nam illæ omnes non erant nisi typi, & figuræ hujus spiritualis obumbrationis & protectionis, quam mox clariùs explicat, cùm dicit fore *tabernaculum in umbraculum diei ab æstu* &c. Id est, deseruituram in omni aduersitate, labore & molestia, pro certo leuamine, & fido tecto, & tuto asylo. Ita Tirinus.

CAPUT V.

Carmen lugubre, quo de Synagoga queritur sub metaphora vineæ, quæ licet studiosè exculta, pro uuis tamen dedit labruscas, id est, vitia: vnde minatur ei excidium per Chaldæos & Romanos, quorum vires & robur describit.

Quæstio I. *Quis est dilectus & patruelis* v. 1. ? R. Messias, qui idem est patruelis, id est, synecdochicè cognatus meus, vtpote ex eadem mecum Gente Judaica, & familia Dauidica nasciturus. Præcinam illi carmen, quod ipsemet canet aliquando *vineæ suæ*, id est, populo suo Judaico Matt. 21. *Homo erat pater familias, qui plantauit &c.* Nam totidem verbis ait hîc Isaias: *vinea facta est, dilecto meo* Messiæ, seu à Patre cælesti plantata est, *in cornu*, id est in loco alto, potenti, magnifico, nempe in Judæa, cujus situs speciem habet cornu. Et quidem plantata est hæc vinea in *cornu filio olei*, id est pinguissimo & fertilissimo loco (vt vertunt LXX & Chaldæus) Perinde acsi natus esset ex oleo q. d. plantata est loco quidem sublimi & montoso, non tamen sterili, sed valde fertili & pingui, fluente lacte & melle, & oleo & vino, vt videatur esse Amaltheæ cornu Job vlt. v. 14. ita S. Hieron. & Basil. *Messias patruelis.*

II. *Quibus sepibus sepiuit vineam suam* v. 2. ? R. non materialibus muris, vt vult S. Hieron. Sed etiam metaphoricis, putà legibus & præceptis tum sacris, tum politicis, inquit S. Irenæus, Theophyl. & Euthymius, item cælestibus & diuinis muris, nempe custodia Dei & Angelorum, ita Orig. Hieron. & Amb. Hoc est, quod ait Zach. c. 2. *Absq; muro habitabitur Jerusalem*, id est Synagoga & Ecclesia. *Nam ego ero ei, ait Dominus murus ignis in circuitu.* Sic Isa. 26. 1. *Urbs fortitudinis nostræ Sion: saluator ponetur in ea murus & antemurale.* Ps. 33. v. 8. *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum.* Zach. 9. *Circumdabo domum meam ex his, qui militant mihi euntes & reuertentes.* Pintus per sepem intelligit viros sanctos, qui populo pro muro sunt apud Deum, quibus ablatis conculcatur populus, vti exeunte Lot, Sodoma conflagrauit, Hebræis exeuntibus Ægyptus perijt. *Sepes vineæ.*

III. *Quid per lapides, torcular & turrim intelligitur* v. 2. *Lapides elegit ex illa.* R. idola & scelera, & alia religiosi cultus impedimenta. vt solent ex loco lapidoso lapides colligi & auferri, vt in ea vites serantur. Torcular est altare, quo victimarum sanguis exprimebatur, inquit Orig. S. Hieron. Beda, & alij. Mysticè torcular est crux Christi, cujus prælo premuntur Martyres, Virgines, omnesq; Christi sequaces, indeq; vinum gaudij exprimitur. Per turrim intelligit Chaldæus, Orig. Hieron. & alij, templum & cultum DEI. Corn. à Lap. Doctores & pastores, speculatoresq; populi ex templo quasi turri & arce Deus auxilio erat & perfugio laboranti populo. In vinetis solent erigi turres ad excubias, vt scilicet in ijs, quasi speculis excubent custodes, & circumquaq; prospiciant, ne qui fures vel bestiæ vineam inuadant & populentur. *Crux est torcular.*

IV. *Quid per labruscas intelligitur* v. 2. ? R. Agrestes, acerbæ, imperfectæ vuæ, vt Symmachus vertit. Tales enim, nec alij sunt fructus labruscæ, seu vitis agrestis teste Dioscoride & Plinio. Hebraicè est, *fœtentes*, apud Aquilam, putres; apud LXX. *spinas*, q. d. Dilectus meus, putà Deus Pater ejusq; filius & hæres JEsus Christus exspectauit ex vinea, ita à se culta vuas suaues, & stomacho suo gratas & jucundas; sed ecce inuenit insuaues & amaras, quæ molestiam ei mouent & nauseam: nimirum à populo Judaico expectabat lætum & dulce vinum virtutum, fidei & bonorum operum: at ille omphacium & acetum infidelitatis, injustitiæ, superbiæ, libidinis &c. reddidit ei, ipsumq; acetum pro vino verè in cruce Christo Domino propinauit, eò enim sigillatim respicere aciem prophetæ docet S. Chrysost. hom. 2. de cruce & latrone, & passim Patres hæc referunt ad passionem Christi. *Labruscæ.*

Clamor peccatorum.

V. *Quid per clamorem intelligitur* v. 7. ? R. Osorius intelligit clamorem pauperum injustè oppressorum. Sanchez peccatorum in cælum clamantium, qualia sunt oppressio pauperum, viduarum & pupillorum. 2. homicidium voluntarium. 3. merces operariorum defraudata. 4. Peccatum Sodomiticum. Alij intelligunt clamorem ipsorummet impiorum, qui vi & clamosis minis innocentes pauperculos, instar latronum dum viatores aggrediuntur, exterrent, obruunt & spoliant. Ita S Hieron. & Cyrillus, qui putant Isaiam hîc alludere ad clamorem Judæorum contra Christum, *crucifige, crucifige eum.*

VI. *Quo sensu* v. 17. PASCENTUR AGNI JUXTA ORDINEM SUUM &c. R. Pagninus & Vatablus *juxta morem suum*, id est, pauperes & pupilli, qui tanquam mansueti agni antè à potentioribus exclusi erant suis pascuis, jam cæsis ac captis tyrannis, rursus liberè vt antè pascentur in pratis suis. Nabuzardan enim reliquit de pauperibus terræ vinitores, & agricolas 4.Reg. vlt. v. 12. *Et deserta*, id est, possessiones à suis heris desertæ, non erunt amplius steriles vt v. 10, sed *in vbertatem* pristinam *versa* copiosissimam proferent messem & vindemiam; non tamen heris suis, sed extraneis: nam *aduena* eam *comedent*, id est, Chaldæi, & Romani, inquit Sanchez, vel etiam pauperes aliunde aduentantes, quos mox agnos vocabat. Allegoricè, designant justos Gentiles, qui lætis Ecclesiæ, Euangelij & Sacramentorum pascuis fruiti sunt, postquam Judæi se suo vitio ex ijs expelli passi sunt.

Iniquitas trahitur in funiculis.

VII. *Quid est trahere iniquitatem in funiculis vanitatis* v. 18 ? R. Est longo fune, sed vano & prorsus inutili trahere scelera omnis generis. Et sicut plaustrum à bobus trahitur vinculo vel loro, sic vos trahitis peccatum omnigenum in vos. Peccatum enim nisi citò deleatur, illex est alterius vt Aug. Basil. Greg. ajunt. Malunt tamen Cyrillus & Sanchez per *iniquitatem* hîc & *peccatum*, metonymicè accipere pœnam & supplicium, quæ à peccatoribus quasi plaustra mercibus ipsis dignis plena attrahuntur. Et fauet sequens v. 19. *Dicitis* insultando mihi: *festinet & citò veniat opus ejus, & videamus.* Id est, veniat ira DEi, veniat calamitas, quam toties minaris: adsit citò Nabuchodonosor, adsit Titus: experientur quid & nos possimus. Egregij scilicet thrasones & gigantes, *fortes* non ad bella gerenda, sed *ad miscendam ebrietatem. Propter hoc radix eorum & germen*, id est, tota planta, tota arbor, id est Synagoga Judæorum excidio, & internecioni dabitur. Et tam horrenda edetur strages, vt *conturbati sint montes* v 25. Hyperbole est & prosopopoeia, inquit S. Hieron. Et tamen *in his omnibus*, seu post has omnes pœnas Judæis inflictas, *non est auersus*, nec satiatus *furor* DEi, sed manet adhuc *manus ejus extenta*, quia etiamnum punit in dies impios Judæos cœcitate, exilio, & alijs pœnis, *& usq; in finem perseuerabit desolatio*, Dan. 9. v. 27.

VIII. *Unde tam prompti hostes ad obruendos & exscindendos Judæos ?* R. Ipsemet Deus v. 26. *elevabit signum*, id est, quasi dux belli jubebit erigi signum militare etiam *in nationibus procul sitis, & sibilabit*, id est, sibilo euocabit *ad eum*, seu contra populum Judaicum, nationes quascumq; volet *de finibus terræ. Non est deficiens*, id est lassus, *nec laborans* seu hærens in itinere, id est, euocati vel minimo sibilo, nullas nectent moras, nulla prætexent impedimenta, celerrimè aduolabunt. *Nec; soluetur cingulum renum ejus, nec rumpetur corrigia &c.* id est, vestiti, calceati, armati cubabunt, ne vel tantillum exuendis armis vel vestibus immorentur. *Aspiciemus in terram:* q. d. Quocumq; se Judæi verterint, nihil nisi triste & calamitosum occurret: nihil aliunde solatij, nihil opis, nihil consilij. Si oculos in terram mittamus, *ecce tenebræ tribulationis*, id est tristis vbiq; afflictio. Si ad cælum oculos attollamus, tanta est *ejus caligo* miseris, vt in ea seu per eam, ipsa quoq; *lux obtenebretur*, id est obscurari videatur, & in noctem conuerti.

CAPUT VI.

Isaias calculo Seraphini ignito consecratur Apostolus & propheta Dei, jubeturq; prædicere Judæis miseram eorum excœcationem, reprobationem, & desolationem: sic tamen vt semen aliquod sanctum in eis remaneat.

Volatus Seraphinorum.

QUæstio I. *Quomodo dicuntur duo Seraphini volasse, cùm starent* v. 2. ? R. Non circumuolitabant, sed extensis & libratis alis volaturiebant, interim eodem loco pedibus consistentes. Quo schemate significabant imò se summo teneri desiderio ad se totos in Deum immergendos; 2dò se promptos esse & accinctos ad omnem DEI nutum explendum; 3tiò se diuini amoris æstum, quo tam vicini DEO quasi vrebantur, alarum ceu flabelli agitatione nonnihil refrigerare, inquit Sanchez.

Visio DEI per speciem.

II. *Quomodo Isaias vidit Deum?* R. non vidisse diuinam essentiam, si enim *Deum nemo vidit vnquam.* Joan 1. ergo nec Moyses, nec Paulus, nec Isaias. Vidit ergo Deum per speciem aliquam & imaginem corpoream, vti & vidit, Abraham, Jacob, & Moses: hæc autem species fuit quasi hominis, putà regis, vnde sedisse visa est, & ejus pedes describuntur ac facies: & sic passim DEus in veteri testamento specie humana apparuit, quia futurus erat homo.

III.

III. *An oculis corporeis hæc viderit Isaias?* R. Nonnulli probabiliter affirmant ex v. 5. *Vidi*, inquit, *oculis meis*. Sic enim oculis corporeis gloriam Domini vidit Moyses Exod. 33. 22. Sed contrarium verius est, scilicet hanc speciem fuisse imaginationi, vt vult S. Aug. l. contra Adimantum c. 28. aut potiùs menti Isaiæ objectam. imò quia fuit sublimissima. adò quia non est verisimile eum audisse auribus corporeis vocem DEI & Angelorum clamorem, nec vidisse in cælo templum, alas, prunas, ijsq; reuera adustum fuisse os Isaiæ. ytiò, quia sicut Isais Seraphim, sic Ezechiel c. 1. vidit Cherubim: illa autem visio fuit partim imaginaria, partim intellectualis, ergo & hîc talis fuit.

IV. *De quali decimatione loquitur* v. 13.? R. Non semel sed sæpiùs adhuc fiet, nempe per Antiochum Epiphanem, per Pompejum, per Titum, per Adrianum, per alios Imperatores. Chaldæus dicit talem fore decimationem, vt nouem partibus absumptis nonnisi vna decima remaneat. Et certè Adrianus Imp. 50 annis post Titum, Judæos iterum rebellantes majore clade affecit, quàm Titus, ac pene stirpitus deleuit, adeoq; & perpetuo edicto prohibuit in Judæam regredi. Et hoc est quod hîc ait propheta: *& conuertetur, & erit in ostensionem*, nempe irrisoriam, id est ostentui; & risui erit gentibus, vtpote infamibus ob sua scelera, & probrosa supplicia. *Decimatio.*

V. *De quo semine sancto loquitur* v. 13.? R. Assimilauerat Judæos terebintho & quercui, quæ spoliata foliis & succo vitali, *expandit* nudos aridosq; *ramos suos*, non tamen vult permittere exsuccam reddi arborem: nam defluentibus foliis, adhuc in trunco vitam & succum seruabit: *semen sanctum erit in quod steterit in ea*, id est, quod in viuis perstiterit. q. d. surculos & germina nonnulla viua conseruabo in illo trunco, ex quibus quasi ex semine progignentur nouæ frondes, flores & fructus. Sed hoc semen seu stirpes & rami noui non erunt ampliùs profani & immundi, vt erant alij jam excisi; sed erunt mundi & sancti, per fidem Christo inserti, ejusq; sacramentis Sanctificati. Loquitur de Apostolis & alijs primis Christianis de quibus c. 4. v. 3. dixerat: *qui remanet in Sion, sanctus vocabitur.* Porrò eidem trunco, quasi oliuæ fructiferæ, gentiles quasi oleastri à S. Paulo inserendi dicuntur Rom. 11. v. 24. *Semen sanctum.*

CAPUT VII.

Regi Achaz & Judæis timentibus excidium à Syris & Samaritis, promittit Isaias opem & liberationem; Syris verò & Samaritis excidium intentat. Utriusq; rei signum dat Emmanuelis è virgine nascituri. Deniq; Regi Achaz & Judæis incredulis cladem per Ægyptios, & excidium per Chaldæos prædicit.

QUæstio I. *Qua sunt duo cauda titionum* v. 4.? R. Explicat scriptura subdens: *in ira furoris Rasin & filij Romelia.* Hos ergo duos reges Syriæ & Israel assimilat duabus caudis, siue extremitatibus titionum, qui igne extracti fumigant, sed mox extinguuntur, quia parì modo hi duo reges ira, superbia, & animositate bellandi contra Judæos accensi, solum fumum, id est molestiam, scilicet metum aliquem, Judæis attulerunt. Nam ignis, id est, vis & potentia eorum mox cum regno extincta & & deleta est à Rege Assyriorum 4 Reg. 16 & 17. *Titionum duæ caudæ*

II. *Quomodo intelligendus versus octauus: sed caput Syriæ Damascus, & caput Damasci Rasin: & adhuc 65 anni, & definet Ephraim esse populus &c.*? R. Cyrillus per zeugma in omnibus hisce repetit verbum *definet*, quod sequitur hoc modo: non stabit hoc eorum arrogans consilium, sed è conuerso *caput Syriæ Damascus definet, corruetq;, & caput*, id est, *Rex Damasci Rasin definet, & definet Ephraim populus, & caput*, id est metropolis, *Ephraim* putà *Samaria definet, & caput*, id est rex Samariæ *filius Romelia definet.* Hic sensus planus & appositus. Duorum enim Regum superbum supercilium, quo Judææ excidium cogitabant, in ipsorum caput retorquet, ac ipsismet idem exitium & ruinam intentat, idq; clarè explicat c. seq. v. 4. idq; patet ex q. præc, prædicitq; hic vastationem post 65 annos.

III. *Quos alloquitur* v. 9. SI NON CREDIDERITIS NON PERMANEBITIS? R. Judæos q. d. si non credideritis hos punitum, vos ope mea ereptum iri, non permanebitis etiam vos in vestra terra sed æquè vt ipsi abducemini captiui. Si nolitis mihi credere, & fidere, sed confugiatis ad opem Assyriorum, non juuabo vos: juuabo si mihi fidatis. Ita S. Hieron. Rupertus, Hayno & alij. LXX vertunt: *si non credideritis, non intelligetis.* q. d. Non est, quòd humano judicio & vulgari trutina metiamini hæc mea dicta, fide opus est, sine hac numquam capietis, quomodo quod hominibus est impossibile, Deo est facillimum. Sed credere noluit impius Achaz, vnde & Assyrios euocauit in auxilium suum, contra expressam Dei inhibitionem, ac proinde in ruinam suam. DEus tamen vt magis

eum roboraret, & ad sibi fidendum exstimularet, probationem illi offert, per quale velit miraculum, & renuenti illi petere, idq; ex hypocrysi, vltro obtrudit signum.

Achaz recusat signum.

IV. *Cur Achaz recusat signum* v. 12. ℟ S. Amb. in ps. 118. & alij putant Achaz ex modestia & humilitate noluisse petere signum, ne videretur tentare Deum, sed quia Propheta v. seq. contra excandescit, & quia Achaz erat idololatra, hinc verius videtur, eum ex hypocrysi & impietate ita respondisse, quia à Deo auersus, eiq; diffidens fidebat dæmonijs, & idola sua statuerat consulere, atq; opem Assyriorum consulere. Ita S. Hieron. Cyrill. Basil.

Conceptio Christi.

V. *Quid Christi ex Virgine conceptio ad rem præsentem facit, vbi agitur de breui exscindendo regno Syriæ & Samariæ?* ℟ Plurimum facit, & quidem accommodatissimè, nam typo seu figuræ subnectitur hic ipsa res figurata. Cùm enim excidium, Syriæ & Samariæ per Assyrios figura esset excidij regni diabolici per Christum destruendi, Isaias ad creandam Judæis fidem certò excidendorum breui istorum regnorum, dat signum oculis ipsorum breui futurum obuium, nempe mortem regis vtriusq; regni: nam vt dicitur v. 16. antequam puer jamjam concipiendus, & paulò pòst nasciturus, ad eam deuenerit ætatem, qua naturaliter sciat *reprobare malum & eligere bonum*, id est, qua incipiat discernere grata sibi & commoda ab ingratis & incommodis, vel, vt dicitur c. 8. v. 4. antequam sciat vocare patrem & matrem; *terra quam tu detestaris*, nempe Syriæ & Samariæ, id est, vtrumq; regnum tibi exosum, *derelinquetur à facie duorum regum suorum*, id est, spoliabitur & priuabitur vtroq; rege suo, & sic priuatum manebit plurimis annis. Et hoc tibi erit pro signo subsecuturi pòst paulò generalis excidij vtriusq; illius regni, vt prædixi v. 8. Quod excidium mortem Phacee subsecutum est 18. annis. Sed nota, ò Rex, hæc omnia præsignare aliud longè sublimius mysterium tempore demum Messiæ ex te nascituri complendum. Nam prorsus parimodo, sed longè nobiliori, tunc *virgo* vna, nempe Maria manens virgo, *concipiet & pariet filium* Messiam & vocabitur nomen ejus Emmanuel, id est, nobiscum Deus. ita Tirinus, q. d. pariet non purum hominem, sed hominem Deum.

Butyrum & mel comedere.

VI. *Quid est, butyrum & mel comedere?* ℟ est instar aliorum infantium nutriri cibis infantilibus: nempe corpus habebit non phantasticum, sed naturale, quod alimentis, qualia infantibus in Judæa subministrantur, accrescet paulatim & roborabitur, vt sciat reprobare malum & bonum eligere, id est, vt sciat per experimentalem scientiam discernere gustu cibos bonos & palato gratos, ab ingratis & malis, itemq; res alias bonas crescente ætate sciat distinguere à malis. Sed antequam Messias ad eam ætatem deuenerit, terra Damasci & Samariæ destituetur suis regibus, nempe Oboda Syriæ rege, & Herode Ascalonita rege Samariæ simul & Judææ, nam hic etiam erat & vocabatur, teste Appiano Alexandrino Rex Samariæ & mortuus est 14. Mensibus à nato Christo. *Obodas* verò Rex Damasci in Syria paucis mensibus ante Herodem è vita sublatus fuerat, teste Josepho & Strabone. Et sic accelerauit Christus à primo suo exortu *prædari & spolia detrahere*, vt hîc dicitur c. 8. v. 3. Porrò vtrumq; contigit per Regem Assyriorum, illud per Tegsatphalassar 4 Reg. 16. v. 9. Istud per Augustum, cui etiam subjecta erat Assyria. Nam licet regnum Herodis inter filios ejus diuidi passus fuerit, regium tamen nomen & jus illis ademit. Hæc verò regum duorum exspoliatio præludium & signum erat. Subsecuturi demum generalis excidij totius regni diaboli per Christum.

VII. *Quid per muscam & apem intelligitur* v. 18.? ℟ Muscas vocat Ægyptios, apud quos cùm non plueret abundabant muscæ: Assyrios apes, tanquam sagittandi peritos, industrios & laboriosos, sagittis vt aculeis potentes. Hi omnes ad sibilum seu minimum Dei nutum aduolabunt.

Nouacula conducta.

VIII. *Quæ in nouacula conducta intelligitur* v. 20? ℟ Sennacherib cum Assyrijs vocatur nouacula mercede conducta, quos aduocauerat Achaz, & Deus regis impios conatus, sic vertit in ipsius perniciem, vt *caput & barbam cum pedibus*, id est, principes, Sacerdotes, & plebem exscinderet. Tunc viuent homines lacte tantùm, quia triticum & vinum defectu culturæ deerunt. Agri tam fertiles, vt quot vites nutriebant, tot argenteos in prouentum annuum lucri, facerent, non nisi spinas habebunt. *Cum sagittis & arcu ingredientur*, non cum instrumentis rusticis. Nec obstabunt sepes ex vepribus, quominus fures ingredi possint, nam sepes nullæ erunt, ita vt non quiuis homo, sed etiam pecora ingredi possint.

CAPUT VIII.

Exponit nomen pueri, post cujus Natiuitatem destruendi erant duo reges & regna supradicta. Incredulis minatur Assyrios. Monet, ne timeant conjurationem regum Syriæ & Assyriæ, neq; pythones consulant, sed Deo cœli confidant.

Quæstio

QUæstio I. *Quis fuit Urias & Zacharias* v. 2? ℟ S. Hieron. putat hunc Zachariam esse Sacerdotem illum, qui cum alijs sub Ezechia domum Dei ab Achaz pollutam expiauit 2. Paral. 29. 13. Fuit alter Zacharias filius Jojadæ, sed hic à centum annis erat mortuus, occisus à Rege Joas, qui fuit Auus Oziæ. Deniq; potuit esse alius nobis incognitus, cognitus tamen tempore Isaiæ, qui patrem habuit nomine Barachiam, æquè vt ille vltimus prophetarum. Urias nonnullis fuisse videtur sacerdos summus, tum quidem vir fidelis, quia tamen post hanc prophetiam, put. post expugnatam ab Assyrijs Damascum, metu Achaz regis, ejus jussu erexit Aram idolis ritu Damascenorum & Gentilium 4 Reg. 16. Ast quomodo Deus talem, tamq; leuem, timidum, inconstantemq; vocasset & adhibuisset ad res tantas, vt testem fidelem, qui tam infidus fuit Deo, tamq; facile à fide Dei ad idola deflexit. Alij censent hunc Uriam fuisse prophetam illum, qui diu post Isaiam vixit tempore Jeremiæ, & prædixit multa mala euentura duabus tribubus, ideoq; occisus est à Joakim rege Jer. 26. 20. Iidem putant Zachariam filium Barachiæ esse Zachariam, qui est vltimus inter minores prophetas. Cùm enim hi testes per visionem sint exhibiti Isaiæ, non mirum si necdum nati sed nascituri citentur: Deo enim præsentia sunt, quæcumq; futura sunt. *Urias & Zacharias*

II. *Ad quam prophetissam accessit Isaias?* ℟ Ad vxorem suam cognoscendam; nam vxores prophetarum vocabantur prophetissæ: & ipsa quoq; forsan habebat spiritum propheticum. *Et concepit & peperit filium*, & vocauit nomen filij, *accelera spolia detrahere: festina prædari.* In sensu allegorico hæc exponenda sunt de Christo per has vmbras figurato, nempe Spiritus S. accessit ad B. V. Mariam verè omnibus titulis prophetissam: quæ obumbrata & fœcundata à Spiritu S. concepit & orbi peperit Christum, qui celerrimus prædator fuit, imò regnorum Damasci & Samariæ. 2dò totius regni Diabolici, ita fere SS. Patres. *Prophetissa.*

III *Quis est sensus verborum* v. 6. *Pro eo, quòd populus abjecit aquas Siloe* &c? ℟ Populus iste Judæus, seu duarum tribuum subjectarum domui Dauid, *abjecit aquas Siloe, quæ vadunt cum silentio*, id est renuit adhærere familiæ Dauidis, quæ aquis Siloe modicis & lenifluis similis erat. Cùm enim sentirent duæ tribus, se tot cladibus afflictas fuisse à 10. tribubus, & vix resistendo fuisse; jam verò audirent, Syriam vniuersas suas vires junxisse cum 10. tribubus, desperata prorsus salute, moliebantur defectionem à suo rege Achaz & à sceptro Dauidico, & honestis conditionibus se subdere Israelitis & Syris, regemq; alium ab ijs designatum admittere *filium Tabeel* c. 7. v. 6. & porrò fecissent, nisi Achaz ostentatione virium Assyriacarum pro se aduersus Syros, & Israelitarum aduocatarum, inquietos compescuisset, & rebelles placasset. *Propter hoc* injustæ rebellionis crimen, *ecce Dominus adducet* etiam *super eos aquas fluminis* Euphratis & Tigris *fortes & multas*, seu rapidas & copiosas, putà *regem Assyriorum* Teglatphalasar *& omnem gloriam* ac potentiam *ejus.* Allegor. quia Judæi abjecerunt Christum Lenem, mansuetum, & qui arcano silentio de cœlesti Sion per Virginem in terras defluxit (sicut fons Siloe ex radice montis Sion scaturit, & paulò pòst se sub terra abscondit, ac per canales in lacum seu piscinam Siloe defertur, indeq; per tubos cum silentio deriuatur in hortos regios & alia suburbana) malueruntq; rebelles adhærere Synagogæ, & alijs Christi hostibus; ideo Rex Assur, Titus & Romani perdiderunt eos ait Cyrillus, Basil. & alij. *Aquæ Siloe.*

CAPUT IX.

Sicut regnum 10 tribuum, & inter has primo loco tribus Zabulon & Nephthali senserunt ante alios omnes vim & deprædationem Assyriorum: sic eadem hîc prædicuntur primæ perceptura Euangelium, & spiritualem deprædationem Christi. Cæterùm de regno illo, vt etiam Syria, ob sua scelera per Assyrios euertendos fixum manet Dei decretum.

QUæstio I. *Quo sensu dicitur* v. 1. PRIMO TEMPORE ALLEVIATA EST &c.? ℟ Leuiter punita est Samaria in tribu Zabulon & Nephthali, quæ per Teglatphalasar regem Assyriorum expugnatæ sunt: postea verò reliqua Samaria maximè *gentium* dicta aggrauata est, & totæ 10 tribus captiuæ à Salmanasar ductæ sunt. Simul autem notat Christum qui primò terram Zabulon & Nephthali spoliauit in salutem, inde, vocando Apostolos, ibiq; habitando: postea magis Galilæam spoliauit superstitionibus, erroribus, peccatis, per se & Apostolos prædicando Matt. 4. v. 13. Porrò eadem est terra *Zabulon* & *Nephthali*, cum illa quæ via maris hic vocatur, quia adjacebat mari seu lacui Tiberiadis. Eadem vocabatur *Galilæa gentium*, propter gentium seu Tyriorum vicinitatem, sub quorum imperio aliquando fuerat, vnde & terroribus gentilismi *Samaria punita.*

lisini non parum infecta erat. Unde v. 2. signanter vocatur *populus* ambulans *in tenebris, & regione umbræ mortis*, id est densissima caligine infidelitatis, ignorantiæ & peccatorum. Sed ijsdem lux orta est euangelij, fidei & gratiæ.

Lætitia non magnificata.

II. *Quare multiplicasti, sed non magnificasti lætitiam* v. 3.? R. Assyrios, cùm tot cæsis ab Angelo scilicet 185. millibus, reliqui tristes & inglorij ad suos redierunt. Quæ figura fuit doloris & luctus synagogæ, dæmonis, totius regni infernalis, cùm per Christum tot myriades clientum illorum vel prostratæ sunt, vel ad Christi castra transierunt. Illi interim lætantur &c. *Jugum enim oneris ejus* scilicet Sennacheribi in figura, diaboli in veritate: *& virgam* seu flagellum, quod *humeris* seu copijs suis, suo robore & tyrannide in miseros invehere tentabat, *& sceptrum exactoris*, id est, imperium & tributum, quod quasi durus exactor imponere nobis conabatur, *superasti*, ô Emmanuel, *sicut in die Madian* Jud. 7. id est, sicut tempore Gedeonis confregisti Madianitas famosa illa clade, quæ omnibus vocibus celebratur. Dies enim hîc metonymicè cladem eo die illatam significat.

III. *Quod verbum misit Dominus in Jacob, & cecidit in Israel?* R. hoc omne, quod misit Dominus prædicendum *in*, seu aduersùs domum *Jacob*, id est, aduersùs 10 tribus, quæ constituebant regnum Samariæ, seu Israel, reipsa *cecidit in Israel*, id est, superuenit ità prorsus Israelitis. Nempe terra illorum ab Assyrijs vastata est &c.

IV. *Quis & quid dicit* v. 10. *Lapides ceciderunt, sed quadros lapidibus ædificabimus &c.* R. Samaritæ duplici prouerbio idem significante. q. d. Nos Samaritæ clades aliquas tum â Juda tum ab alijs accepimus, sed confidenter & animosè dicimus, nos illas non curare, quia illas facile sarciemus, nam vilia ædificia nostra hostes destruxerunt, nos pulchriora restituemus; ipsi communes arbores, putà sycomoros, succiderunt, nos pro ijs pretiosas cedros plantabimus. Aut hostes succenderunt domos è fragili sycomoro constructas, nos alias ex nobili cedro ædificabimus. Cedrus enim aspectu pulchra, odore grata, duratione æterna est.

V. *De quibus* v. 11. *Et eleuabit Dominus hostes Rasin &c.?* R. De Assyrijs, q. d. Deus hostes Rasini regis Syriæ, putà Assyrios, superiores & victores faciet, *super eum*, id est, primò contra Rasin, hunc enim propriè respicit vox eum: mox deinde contra Ephraim, & Israel: eosq; *in tumultum vertit*, ita vt Rasinum Israelitarum socium ejusq; confœderatum euertant, quo superato faciet, vt Assyrii omne pondus & tumultum belli junctis jam sibi Syris (qui sunt ad Orientem Israelis) & Philistinis (qui sunt ad Occidentem) à se debellatis, vertant contra Israel, eumq; auidissimè, & crudelissimè, quasi hiantes toto ore deuorent ita S. Hieron.

Caput & cauda.

VI. *Quid per caput & caudam intelligitur* v. 14. DISPERDET DOMINUS AB ISRAEL CAPUT ET CAUDAM? R. Summi & infimi. Nam caput vocat senes & proceres; caudam pseudoprophetas, vti mox explicat Isaias, quia sicut cauda est vile membrum, quo canis adulatur, & turpitudinem suam, occultat; ita pseudoprophetæ erant homines vilissimi, qui suis falsis promissis & blanditiis adulantes populo, ejus & sua pariter vitia tegant, Deiq; ac prophetarum minas infringebant. Est ergo metaphora à canibus, vel à serpentibus, qui caudâ blandientes sensim illabuntur & venenum euomunt.

Incuruans.

VII. *Quid per incuruantem & refrænantem intelligitur?* R. Incuruantem hebraicè *ramum*, qui expansus se suaq; folia & fructus curuat, id est, principem & magistratum, qui suis viribus & imperio curuat & regit subditos: & refrænantem, hebraicè *junctum*, quo in funem plexo, solent pauperes frænare jumenta. Designat equisonem, vel stabularium, & metaphoricè vilissimum mancipium. q. d. omnes ad vnum disperdendi sunt, proceres & stabularij, Domini & serui.

Brachij caro.

VIII. *Quo sensu dicitur* v. 20 UNUSQUISQNE CARNEM BRACHII SUI VORABIT? R. Quisq; filios, fratres & quosq; proximos opibus & vitâ spoliabit, sicut stultos & insanos videmus in manus & brachia sua sæuire. Fratres ergo & cognati vocantur *caro brachij*, quia hi sunt quasi vnum corpus cognationis, & alter alterius quasi membra. Carnes alterius comedere, aut sanguinem sitire symbolum est summi odii & crudelitatis.

CAPUT X.

Punitis per Assyrios Israelitis, prædicit etiam Judæos per eosdem propter paria scelera puniendos: ipsum dein Regem Assyriorum, quòd suæ virtuti & sapientiæ adscriberet concessas cælitus victorias amentiæ redarguit, & exitium minatur. Reliquijs verò Judæorum liberationem & salutem pollicetur.

Quæstio

Quæstio I. *Cur va dicitur contra Assur* v. 5.? R. Minatur Assyrijs cladem duas ob causas. imò, quia licet ipsi essent virga & flagellum Dei, tamen castigationem Judæorum, quam Deus justè intendebat, ipsi tyrannicè executi sunt, nec Deo sed suæ ambitioni seruierunt, 2dò quia limites vltionis à Deo designatos transgressi sunt, plusq; sæuierunt in Judæos, quàm eis à Deo erat concessum, similem enim ob causam ait Zach. c. 1. *Ira magna ego irascor super gentes opulentas; quia ego iratus sum parum, ipsi verò adjuuerunt in malo.* Per Assur ad literam intelligit Sennacherib & Assyrios, qui sesquipedalia verba jactant v. 9. *numquid non vt Charcamis* &c. q d. Numquid non ego Sennacherib Charcamis excidium attuli, atq; Emath, aliasq; munitissimas vrbes, quin & Damascum & Samariam expugnaui pari fortitudine & felicitate? quid ergo obstabit, quo minus Iudam & Jerusalem expugnem? Charcamis est vrbs Syriæ, sita ad ripam Euphratis, ita S. Hier. Calono vrbs est prope Babylonem postea dicta Ctesiphon Arphad vrbs est non longè à Damasco de qua Jer. 49. 23. Emath est duplex. vna minor, quæ postea dicta est Epiphania, de qua Amos 6 15. altera major, quæ postea dicta est Antiochia, quam Josephus l. 3. belli c. 1. scribit fuisse metropolim Syriæ, & inter omnes Romani imperii, vrbes tertium obtinuisse locum. *Va contra Assur.*

II. *Quid dicit Sennacherib se jactans* v. 10. QUOMODO INUENIT MANUS MEA REGNA IDOLI? R. Sicut regna gentium idolis dedita, quæq; magnam colebant idolorum multitudinem, mihi, ijs etiam mutis, subjeci, itaq; videor non tantùm regna, sed & Deos tutelares ac numina eorum mihi subjugasse; ita pariter Jerusalem, ejusq; simulachra ac Samariæ, si quæ restant, mihi subjiciam, nec poterit per ea à manu mea liberari; præsertim quia Samariam jam subegi, ac pleraq; ejus simulachra abstuli: quidni ergo idem faciam Ieroſolymæ, quæ eosdem cum Samaria Deos ac simulachra colit? hoc enim putabat Sennacherib, eò quòd Samaritæ & Iudæi ab iisdem patribus & patriarchis prognati essent, eratq; ex parte verum: nam Achaz idola in templum inuexerat 4 Reg 16. 15. Sed ea jam sustulerat ejus filius Ezechias 4 Reg 18. 4. Faltus fuit tyranni cùm ait, *inuenit manus mea*, q. d. adeo facile regna expugnaui, vt non digner vocare expeditionem, sed inuentionem quamdam obviæ prædæ. Item v. 14. *Et inuenit quasi nidum manus mea.* Tam facilè & citò regna subegi, quàm oua vel pullos in nido colligit rusticus, qui cùm implumes sint, strepere nequeunt; nec matres ei pennis obsistere, aut ore obgannire audent: ita & nemo contra me, measq; victrices copias hiscere aut mutire est ausus. *Sennacherib fastus.*

III. *Quid minatur DEUS* v. 15. NUMQUID GLORIABITUR SECURIS CONTRA EUM, QUI SECAT IN EA &c.? R. Increpat superbiam & stoliditatem Sennacherib, sibi suisq; viribus tot victorias attribuentis, q. d. Non tuis viribus hæc peracta sunt: ego te vt instrumento vsus sum, quid stolidius, quàm si securis dicat secanti: ego sum, quæ virtute mea lignum dolaui? si serra dicat serranti: ego sum, quæ virtute mea lignum serraui? si baculus per se immobilis dicat verberanti: ego me sustuli in altum, & istos omnes verberaui? Cur ergo tu ô Sennacherib, cùm tantùm sis securis, gladius & instrumentum (licet animatum & humanum) voluntatis & iræ DEi, superbis, & tibi tot victorias adscribis? Deus enim est, qui tibi dedit vires, animos, milites, felicitatem, & victoriam, Deus est, qui metum & pauorem injecit Judæis, alijsq; gentibus, vt tibi non auderent resistere. Rursum, Deus tuis armis non eguit, potuit per se, potuit per alios, potuit per solos culices & crabrones perdere Judæos, suosq; hostes, vti per eos perdidit Chananæos Josue 14 v. 12. *Securis superbiens.*

IV. *Quod est lumen Israël & sanctus ejus* v. 17.? R. Lumen Israëlis & sanctus ejus est Deus vindex, qui à Moyse & Paulo vocatur *ignis consumens*. Vel certè est Angelus DEi, qui percussit 185. millia Assyriorum, idq; occulto igne, flamma & tabe, si credimus Hebræis: vel igne, id est, clade velocissima, efficacissima & quasi ignita, quæ tota castra peruasit. Adde cum Forerio Prophetam alludere ad ignem cælo lapsum (vt patebit c. 31. v. vlt.) qui in templo perennis ad sacrificia comburenda alebatur: quasi hic ignis sacer, cultus Dei & religionis vindex, instar columnæ ignis, quæ Hebræis erat luci & gaudio, Ægyptijs terrori & caligini, Judæis sanctificationem & liberationem, Assyrijs vastitatem intulerit, è templo in eos quasi insiliens, quia scilicet Deus in templo hoc & igne habitans in eos instar ignis insilijt. Unde subdit: *succendetur & deuorabitur spina ejus & vepres*, id est, milites Assyrij tam majores, quàm minores ab Angelo occidentur. *Et gloria saltus ejus & Carmeli*, id est, duces & exercitûs principes, *ab anima vsq; ad carnem*, id est, omnino & toti, *consumentur*, tum morte præsenti, tum æterna gehennæ. Per gloriam saltûs seu syluam frondosam intelligitur omnis gloria & majestas Assyriorum, per Carmelum montem fertilissimum & amœnissimum significatur omnis opulentia & venustas. *Lumen Israel.*

V. *Quo sensu dicitur* v. 22. CONSUMMATIO ABBREVIATA INUNDABIT JUSTITIAM? R. Tempore Ezechiæ vastatio illa Assyriorum, quæ plurimos Judæorum consumpsit & abbreuiauit, id est, paucos fecit, faciet, vt in paucis reliquijs superstitum abundet justitia, eosq; hac clade & terrore ad Deum, Deiq; cultum compellet. Vel etiam *Consummatio* *Consummatio abbreuiata.*

matio abbreuiata, id est pauci credentes, putà Apostoli, inundabunt justitiam, id est, instar fluminum inter Gentes fidem & justitiam dispergent. *Consummationem & abbreuiationem Dominus faciet*, id est, Deus paucos faciet Judæos tempore Ezechiæ, & paucos credentes tempore Christi, hæc tamen ipsa paucitas, quæ supererit, idonea erit contestandæ vniuerso orbi justitiæ diuinæ, tum propriè dictæ & vindicatiuæ, qua sceleratos Judæos ita puniuit; tum justitiæ, id est, fidelitatis & misericordiæ, qua gentes hac occasione ad eamdem vocauit & justificauit: propter hanc enim paucitatem Judæorum euangelium suscipientium, Apostoli ad gentes se conuerterunt: atq; ita abbreuiatio salutis Judæorum redundauit in dilatationem conuersionis & salutis Gentium.

Virga percutiens. VI *Quid est*, VIRGA PERCUTIET TE ASSUR &c.? R. Sennacherib leuiter te percutiet, vt solent cædi filij, sed non occidi. *Baculum* & sceptrum *suum*, & arma sua *leuabit super te*, ô Jerusalem, sed in *via Ægypti*, id est, eo modo, eo successu, quo Rex solet Ægypti vos suis armis impetere, nempe magno strepitu, superbo hiatu, sed exiguo damno tuo, maximo suo. Nam vt olim super Pharaonem extendit Moyses virgam suam reducendo super eum aquas maris rubri: sic etiam modò leuabo virgam meam super Sennacherib, & simili vltione & plaga illum plectam *in via Ægypti*, id est, quo modo olim sub Mose vltio sumpta est de Ægypto. Ita Sanchez & alij. Tirinus ad literam intelligit de materiali *via Ægypti*, Nam Sennacherib cùm reuera esset *in via Ægypti* obuiaturus Tharacæ Æthiopum regi, ex itinere minaces literas dedit ad Ezechiam regem Juda 4. Reg. 19. & cùm rursus in reditu ex via Ægypti pararet oppugnare Jerusalem, adhuc circa Lachis existens, cæsus est ab Angelo, & fugere compulsus, *juxta plagam Madian*, id est, simili pauore, quo Madianitæ olim sub Gedeone prostrati sunt, & princeps eorum Oreb cæsus est *in petra*, quæ inde nomen retinuit *Oreb*; etiam Sennacherib sternetur, fugabitur, & à proprijs filijs in templo DEI sui jugulabitur 4. Reg. 19.

Iugum putrescens. VII QUOMODO JUGUM PUTRESCET A FACIE OLEI v. 27.? R. Jugum seruitutis, quod humeris vestris tyrannus partim imposuerat, tributum annuum imperando 4. Reg. 18. v. 14. partim impositurus erat, Judæa tota abacta, cæso tyranno *computrescet*, & consequenter cessabit grauare & lædere, computrescet *à facie olei*, id est, per oleum superfusum. q. d. non tolletur vi & armis, sed sine strepitu tyrannus per DEI misericordiam, sicut solent juga vel lora jugorum putrescere ab oleo.

CAPUT XI.

Ex arbore Judaica, & regia stirpe Dauidis, licèt per Assyrios vtraq; vastanda, & per Chaldæos pene exscindenda, remanebit tamen truncus & radix, ex qua flos nobilissimus exsurget Christus, ornatus omnibus donis Spiritus Sancti. Sub cujus imperio gentes sociabuntur Judæis, & lupi agnis; eritq; sepulchrum ejus gloriosum, æquè ac vexillum crucis: spolia ejus erunt Philisthæi, Idumæi, Moabitæ, Ægyptij & aliæ omnes gentes.

Radix Iesse. QUæstio I. *Qua est radix Jesse, & qua virga?* R. Radix Jesse est familia Dauidis quæ spoliata jam suis regibus quasi plebeja latebat in terra, *virga*, Symmachus & Theodotion, *germen nouum*, est B. V. Maria, ex ea *flos* Christus, Rex Regum ajunt communiter SS. Patres. Christus vocatur flos ob decorem, & suauitatem odoris tam sanctæ vitæ, famæ, doctrinæ, & passionis, vocatur etiam Nazaræus, seu Nazarenus, quia floridus omni virtute & gratia, atq; excrescens in magnam & gloriosam arborem, quæ multos & magnos dedit fructus Martyrum, Confessorum & Virginum.

Lupus cũ agno habitans. II. *Quo sensu dicitur* v. 6. HABITABIT LUPUS CUM AGNO &c.? R. Homines ante feroces, rapaces, superbi, varijs erroribus ac vitijs irretiti, simul in eadem Christi Ecclesia quietè versabuntur cum justis, cum humilibus, cum simplicibus, cum pauperibus. q. d. Summa erit inter omnes concordia, pax & fidelitas, & quæ ex illis emanat, rerum omnium abundantia, & felicitas. *Et puer paruulus minabit eos*, nempe subordinationem & obedientiam præstabunt omnes suo Prælato & pastori, etiam ignobili, indocto, imperfecto.. *Leo quasi bos comedet paleas*, id est, superbi ante & arrogantes, etiam Principes, induent mores, & cibo victitabunt tum corporali, tum spirituali vulgarium, humilium, pauperum Christianorum.

Infans delectabitur III. *Quis infans ab vbere matris delectabitur super foramine aspidis* v. 8.? R. Recenter ad Christum conuersi etiam adolescentuli & pueri liberè agent cum idololatris, hæreticis, tyrannis, intrepidè cum illis congredientes, fidem palàm annuntiantes, mortem & martyrium ambientes. Et quidem initio nocebunt eis tyranni, & multos martyrio afficient, sed paulatim melius ab eis docti & cicurati, abjecto infidelitatis veneno, ad Christum conuertentur,

tur, *non nocebunt eis* ampliùs, neq; *occidunt in uniuerso monte sancto meo*, id est, in tota Ecclesia mea. Ita S. Hieron. Male ergo Lutherus hinc infert, non licere Catholicis occidere hæreticos. Inferre debuisset, non occisum neq; læsum iri Catholicos ab hæreticis, nempe jam conuersis. *Quia repleta est terra scientiâ*, seu cognitione *Domini*, non scholastica Doctorum, sed catechistica rudium, nempe fide in verum Deum & Christum: quæ sic inundabit totam terram, *sicut aquæ maris* illam operiunt. ita S. Hieron.

IV. *Quando adjiciet Dominus secundò manum suam ad possidendum reliquum populi sui.* v. 11 ? R. Tempore Christi Deus denuo colliget dispersum populum suum, mò enim colliget illos dispersos, quando sub Cyro & Dario Hystaspis è Chaldæa, Persida & alijs regionibus illos in Judæam remittet. 2dò, quando sub Christo eosdem sibi ex omnibus terræ regionibus adleget, maximè post mortem & resurrectionem suam per Apostolos & discipulos suos. *Collectio dispersi populi.*

V. *Qui sunt illi, qui volabunt in humeros Philisthijm per mare* v. 14.? R. Reliquiæ Judæorum, nempe Apostoli & discipuli Christi instar militum inuolabunt in humeros, & ceruices Philisthijm habitantium per mare, hebraicè ad mare. Vatablus *versus ad Occidentem*, Judæis enim mare erat ad occidentem: q d. subigent Christo tam Occidentales, quàm Orientales populos, & prædas ex ijs colligent. Sic Petrus est Lyddam & Joppen, Philisthæa oppida: Philippus Azotum Philisthinorum Satrapiam prædatus; Thomas Indiam, Bartholomæus Armeniam, Matthæus Æthiopiam. Porrò inter omnes Orientis regiones *Idumæa & Moab* erunt *præceptum*, id est, ante captum, seu primò loco, vt ex Hebræo, LXX. & Chaldæo colligitur. Per *linguam maris Ægypti*, intelligitur sinus seu brachium maris, quod è mari in terram instar linguæ excurrit. *Apostoli Christi.*

CAPUT XII.

Canticum laudis & gratiarum actionis pro liberatione, & beneficijs Christi Saluatoris.

QUæstio I. *Quas aquas hauriet populus in gaudio de fontibus Saluatoris* v. 3.? R. alludit ad fontem Siloë, cui comparauit Emmanuelem c. 8 v 6. rursum ad petram, quæ Moysis virga percussa dedit fontem aquæ suauissimæ, ex qua populus siti aridus, cum gaudio bibit: hæc enim petra typus erat Christi, qui flagellis & virgâ crucis percussus factus est fons aquæ spiritualis, quæ animas arentes, mœrentes & squalidas reficit & recreat. Huc alluſit S. Paulus 1. Cor. 10. 4. *Omnes eumdem potum spiritualem biberunt: bibebant autem de spirituali consequente eos petra; petra autem erat Christus.* *Aquæ de fontibus Saluatoris.*

II. *Quid per has aquas intelligitur?* R. S. Amb. in pſ. 4 per has aquas intelligit Ecclesiæ Sacramenta, quæ de vulneribus Christi, quasi de fontibus fluxerunt, maximè calicem Eucharisticum. Alij accipiunt Spiritûs S. gratiam, consolationem, deuotionem, charitatem, lacrymas: quæ omnia manant de Christi meritis, & fonte sanguinis ejus. S. Bern. Ser. 1. de Nativ. accipit aquas remissionis, discretionis, deuotionis, zeli & vitæ æternæ: sicut, inquit, in paradiso terrestri fuere 4 fontes, qui vniuersam irrigarent terram: ita in Christo, qui noster est paradisus, 4 est reperire fontes. Primus est fons misericordiæ, ad diluendas culpas aquis remissionis. 2dus fons sapientiæ, ad potandam sitim nostram aquis discretionis. 3tius fons gratiæ, ad irrigandas plantas bonorum operum aquis deuotionis. 4tus fons charitatis ad condiendum, & decoquendum nostras affectiones aquis æmulationis: & de istis intelligi potest illud Isaiæ: hauretis aquas in gaudio de fontibus saluatoris. Adde quintum, qui est fons vitæ, quem post hoc sæculum repromittit, ad quem sitiebat propheta, cum diceret: Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum. Fortasse propter hos 4 fontes, 4 in locis vulneratus est Christus adhuc viuens in cruce: propter quintum, cùm jam tradidisset spiritum, transforatus est in latere Hæc Bern. *Fontes quatuor.*

III. *Quales sunt adinuentiones* v. 4. NOTAS FACITE IN POPULIS ADINVENTIONES EIUS? R. det Hugo mirabilia quæ adinuenit ad nostram liberationem, vel nouo modo veniendi ad eum, quasi apertius dixisset: Noui ad Deum pertingendi modi sunt: Verbi incarnatio, passio, quòd Deus homo sit, Mater Virgo, Verbum infans, panis famelicus, fons siticulosus, fortitudo infirmitas, quòd vita moriatur, & his similia. Item Eucharisticum epulum, quo ipsi incorporamur Deo, nouus est modus. Infandum prorsus, & supra quam dici potest, magnum est beneficium sub speciebus consecratis remanere Christum in Eucharistia. In Sacramento, Christus ipse totus cum suo sanguine, corde, visceribus, anima, diuinitate continetur, vt se nobis communicet, & suam nobis largiatur gratiam. *Adinuentiones nouæ.*

CAPUT XIII.

Deus euocat Cyrum & Persas aduersus Babylonem, cujus excidium tam horribile accidet, vt sol, luna & stellæ de cœlo cadere videantur.

Babylonis onus.

QUæstio I. *Quid per onus Babylonis intelligitur* v. 1.? R Prophetia calamitosa, & tristis quam quasi graue onus & pondus pœnarum imponit Deus & propheta humeris reorum.

Babylon mons caliginosus.

II. *Cur Babylon dicitur mons caliginosus?* R quia licet in loco campestri sita esset, tamen mons vocatur ob superbiam & magnificentiam palatiorum, turrium & murorum. Caliginosus autem partim propter idololatriæ & omnium rerum in ea caliginosam confusionem inquit S. Hieron partim propter vapores, & densas nebulas, quæ ex Euphrate & locis palustribus, vbi vrbs sita erat, in altum elatæ aërem plerumq; nubilum & caliginosum reddebant inquit Corn. à Lap. idq; maximè ex ea parte vrbis, vbi hortos pensiles induxit Nabuchodonosor in gratiam Nitocris vxoris suæ, de quibus Josephus l. 10. Antiq. c. 13. Contra hunc montem jubet *leuare signum* militare, hebraicè vexillum, *exaltare vocem*, id est, clamare, vociferari, vt solent milites, dum in hostes inuehuntur. *Leuare manum*, contra Babylonem, gladio, direptioni & triumpho deuotam. Sunt voces Dei quasi classicum canentis, eoq; Darium & Cyrum cum Medis & Persis ad exscindendam Babylonem euocantis, vnde etiam nominat eos v. 3. *Sanctificatos suos*, id est, à se destinatos & quasi consecratos milites ad hoc sanctum bellum. *Exultantes in gloria mea*, id est, in glorioſa vindicta & victoria ipsis à me concessa. Porrò excitis vndiq; ad hanc expeditionem Persis & Medis, subdit Isaias: ecce tibi subito v. 4. *vox multitudinis in montibus* &c. q. d. videre & audire illos videor summo cum strepitu vndiq; aduolantes, *à summitate cæli*, id est, ab extremitate hemisphærij nostri, vbi opinione vulgi cælum terminari & terræ connecti videtur *Dominus* scilicet adest accinctus ad ultionem scelerum Babylonis: *& vasa* id est, instrumenta iræ & *furoris ejus*, nempe Cyrus & Darius, cum suis armis, copiis & equis, quasi lictores Dei aduolant. *Facies combusta* v. 8. id est, auidæ, luridæ, nigræ ex pauore, mœrore, inedia, perinde ac si essent combustæ.

III. *Quo sensu dicitur* v. 10. STELLÆ CÆLI NON EXPANDENT LUMEN SUUM? R Est hyperbole, qua prophetæ solent indicare extremam cladem, calamitatem & afflictionem. Afflictis enim ob capitis vertiginem & animi deliquium ex spirituum vitalium & animalium retractione ad cor omnia videntur tenebrescere, volui & inverti.

Vir pretiosior auro.

IV. *Quomodo dicitur* v. 12. PRETIOSIOR ERIT VIR AURO? R Rarior erit, nam pene omnes occidentur à Medis & Persis. Vel *pretiosior*, id est, carior erit Medis, vt dicit v. 17. q. d. ferus & barbarus miles malet sanguinem haurire & vitam perdere, quàm in lytrum accipere etiam plurimum auri, aut mundum obryzum, vel aurum ophir, id est optimum.

Babylon non fundabitur.

V. *Quid est* NON FUNDABITUR BABYLON? R non instaurabitur, sed suis inuoluta manebit ruinis, vt patet vsq; in præsentem diem. Nam incensis & destructis palatiis ac turribus Babylonis, translato ad Persas imperio, deserta est paulatim vrbs vniuersa, & non procul inde condi cœpta vrbs alia, quæ sequentibus sæculis à rege Asiæ Seleuco, *Seleucia* dicta est, & in urbem spendidam excreuit, Babylone in suis ruinis relicta. Quæ non solùm nullam vrbis faciem retinebit, sed neq; ad pascua vtilis erit: *nec ponet ibi tentoria Arabs*, pecoris alendi causâ: cùm tamen Chaldæa vicina sit Arabiæ, ac proinde pastoribus Arabibus admodum opportuna accideret. Sed ob ruinas horridas & hiulcas plenas leonibus & draconibus inaccessa erit gregibus & pastoribus. *Saltabunt ibi pilosi*, id est Fauni & Satyri; Chaldæus & LXX. *Dæmones*, qui in syluis & desertis locis solent hirsuti specie hircoceruorum, & similium animalium immundorum, quasi Dij nemorum apparere.

CAPUT XIV.

Pergit depingere excidium Babylonis, & Balthasaris regis fastum & ruinam. Cui proinde alios reges in inferno insultantes inducit. Ejusq; nomen, sobolem, & memoriam interitura prædicit. Deniq; etiam Philisthinis cladem per Ezechiam denuntiat.

Luciferi casus.

QUæstio I. *De quo loquitur* v. 11. QUOMODO CECIDISTI DE CÆLO LUCIFER? R dent S. Hieron. Cyrill. Basil. Aug. & alij intelligi ad literam de rege Chaldæorum, non tamen de Nabuchodonosore, vt ijdem volunt, quia is glorioſa morte occubuit, & regio more sepultus est, nec damnatus vero similimè sed saluatus fuit, vt dicam Dan. 4. Sed de filio ejus Balthasare, qui turpiter à Cyro & Dario victus & jugulatus fuit, & inter aliorum cæsorum cadauera sanie & vermibus computruit. Vocatur verò Lucifer, quia splendore & majestate imperii inter homines & reges eminebat, sicut Lucifer inter astra, inquit Cyrill. & sicut alius Lucifer inter angelos, inquit Amb Aug. & alij. Simili modo Ezech. 28 sub typo Cherubini describitur gloria & casus regis Tyri. Ergo fastus & casus Angeli Luciferi describitur hîc quasi in parabola seu typo; sed ad literam intelligitur fastus & casus Balthasaris.

II. *Quid*

II. *Quid vult dicere Balthasar* v. 13. *illa verba*: SEDEBO IN MONTE TESTAMENTI? ℟ Sicut Deus colebatur in templo Jerosolymitano priusquam illud à patre meo Nabuchodonosore subuerteretur: ita etiam ego Balthasar coli volo, vt Deus in throno meo, vel in delubris regni mei. Porrò templum Salomonis vocatur *mons* propter altitudinem, & *testamenti* seu fœderis, propter tabulas legis & arcam fœderis, quæ in eo asseruabantur Idem templum vocatur hîc *latera Aquilonis*, quia situm erat ad Aquilonarem vrbis partem. Vnde LXX hîc vertunt, *super montes excelsos, qui sunt ad Aquilonem.* *Mons testamenti.*

III. *Quomodo dicitur Balthasar projectus esse de sepulcho suo* v. 19. ℟ procul à sepulchro sibi more regio antè parato: nempe cum reliquis cæsorum cadaueribus in communem fossam conjectus est, *pollutus & obuolutus* sanie & sanguine.

IV. *Quis est sensus* v. 29. *De radice colubri egredietur regulus, & semen ejus absorbens volucrem*? ℟ Translatio Siriaca ita legit: *de radice serpentis egredietur serpens biceps.* Parentes improbi & mali, liberos malos, imò pejores se ipsis effingunt, qui in dæmones tandem euadunt. In causarum naturalium serie nascitur effectus causæ similis, Leone Leo, homine homo, & sic de alijs. In ordine causarum moralium, causa mala pejorem effectum producit, parentes mali pejores filios, imò Dæmones. Tertull. l. de carne Christi ait [Eua nihil concepit ex diabolo? mò concepit, nam exinde abjecta vt pareret, & in doloribus pareret: verbum diaboli semen illi fuit, enixa est deniq; diabolum fratricidam] Eua diabolicis præbuit locum suggestionibus, præcepta violauit diuina; sed quid? Caïnum peperit pejorem se, & quasi Dæmonem aliquem. Præfecti vrbis Hierichuntinæ afflicti, ad Elisæum vatem confluxerunt, quòd ciuitas eorum, cæterà etsi bona, interitum spectaret, ob aquarum amaritiam & malitiam 4. Reg. 2. 19. *Ecce habitatio ciuitatis hujus optima est sed aqua pessimæ sunt.* Respondit propheta. Vas sale plenum afferte, quod cùm attulissent, egressus ad fontem, vnde scaturiebant aquæ, misit in illum sal: Quo respiciebat Vates, dum sal in Hierichuntinas aquas mitteret? Illuc sanè, quia aquarum istarum amerities & infectio à mala fontis affectione oriebatur: quare fontem prius emendauit, quo curato, curantur & riui inde pullulantes. Exquisitè (Cornelio teste Glosa in c. 51. Isa. v. 2. *Sicut aqua ex fonte, ita filij ex parente promanant.* Parentes sunt fontes, riuuli proles, eis mala quadam qualitate aut culpæ, aut pœnæ imbutis, & hi similiter inficientur. Hos si resanari cupiamus, fontem prius sanate. Corrigantur genitores, criminum illorum tollatur amarities, emendentur denuò, & filij pariter curati erunt. *Filij pejores parentibus.*

CAPUT XV.

Prædicitur vastatio munitissimarum vrbium Moab, luctus totius populi, fuga promiscua, bonorum direptio, excidium regionis, & interitus omnium.

QUæstio I. *Qua est Moab?* ℟ est pars Arabiæ Petrææ, ita dicta à Moab filio Lot, qui cum posteris eam incoluit. Cùm enim Lot fugeret ex Sodomis cœlesti igne conflagrantibus, & versis in mare mortuum, filia ejus minor inebriauit patrem, & accedens ad ebrium, concepit ex eo filium, quem vocauit Moab, id est ex patre, qui proinde mihi filius est simul & frater. In hac Arabia Petræa est ampla vrbs Mecha, distans itinere tridui à mari rubro, in qua celebre est Mahometis delubrum, longum passus 100, latum 80, quod 400 columnis fulcitur: ejusq; vndiq; parietes auro obducti, qui cum lychnorum pensilium ad tria millia semper ardentium lumen recipiant, miro fulgore intuentium oculos perstringunt, vt tradit Adrichom. pag. 78. *Mecha vrbs.*

II. *Cur nocte vastata est Ar*? ℟ Nocte vastatus est Moab. qui nocte ex incesto concubitu, tenebris & silentio inuoluendo, natus est, inquit S. Hieron. vnde hoc conuicium, quòd scilicet essent noctis filij, Moabitis objicere solebant aliæ gentes. *Ar* erat metropolis Moab. Cyrillus ex historicis docet, venientibus Chaldæis muros *Ar* terræ motu corruisse, itaq; vrbem ab ijs fuisse occupatam

III. *Cur Isaias comparatur Moab* v. 5? ℟ quia *vectes*, id est, fortes *ejus*, qui suo robore Moab tutabantur, sicut vectes tutantur portas vrbis, *vsq; ad Segor*, vsq; ad terminos regni ejus fugient Segor, inquam, quæ est vitula conternans, id est, vt habent Heb. & græca, triennius vel triennizans, id est, populus fortis, validus & copia rerum abundans, similis vitulæ trienni, ea enim ætate vitulæ & vituli saniissimi sunt, pinguissimi, robustissimi, pariter & petulantissimi.

CAPUT XVI.

Optat è Moabitide Ruth progignendum Christum, citò in orbem mitti. Interim aduersùs instantia mala consilium dat Moabitis, vt beneuolè excipiant profugos Judæos, & ita Deum sibi placare conentur. Deinde ait, frustra eos aduersari Deo & Chaldæis: superbiam eorum majorem esse quàm vires. Deniq; pergit in describenda clade & planctu Moab.

Agnus emittendus.

QUæstio I. *Quem agnum petit Isaias emittendum* v. 1? R. Christum nasciturum ex Ruth Moabitide, qui instar agni dominatoris detur Judæis, & offeratur in monte Caluariæ vel Sion, ad tollenda peccata; luendasq; pœnas Moabitis, & toti mundo infligendas. Nam arietes Moabitarum excellebant extraneos, & erant quasi Duces gregum, debebant autem Regi Israel pendere in tributum annuum 100000 juxta 4 Reg. 3. Hæc frustra Judæi detorquent ad Ezechiam, qui fuit Rex Judæ, non Israel. Ruth Moabitis auia Dauidis Regis, de *petra* vrbe *Deserti* Arabiæ, in qua vrbe nata fuerat, jam olim migrauit *ad montem filiæ Sion*, id est in Judæam. Vnde & Christus non in se, sed in auia sua, *emitti* hîc petitur *è petra Moab*. Vrbs hæc nomen sortita fuerat à rupibus & præcipitijs, quibus vndiq; pro muris vallatur, inquit Strabo l. 16. hanc valde auxit Balduinus rex, sed interceptam Soldanus Gazophylacium fecit Ægypti & Arabiæ, inquit Adrichomius

Agnus dominator terræ.

II. *Cur petunt agnum, vt sit Dominator terræ, & non leonem, cui imperium magis conueniret?* R. Card. de Vitriaco: emitte agnum, ne desperemus, Dominatorem, ne præsumamus. Agnus sit mundi liberator, sed pœnitentibus, ne in desperationis barathrum præcipites ruant. Sit etiam Dominator seuerus, rigoremq; contra perduelles, elatos, contumaces, impœnitentes, præsumptuosos, & insolentes monstret. Audierat à senioribus Apoc. 5. videns volumen clausum & septenis sigillis clausum, à Leone aperiendum esse; sed ecce momento vnico agnus totus placidus, mansuetus & mitis apparens, apprehendensq; volumen illud, dissolutis ligaminibus & sigillis, aperuit. *Et vidi, & ecce Agnum stantem* tamquam *occisum, & venit, & accepit de dextera sedentis in throno librum &c.* Leonem venturum, qui librum aperiret, prædictum fuerat, quo ergo pacto Leo ille tam subitò in mitem transformatus est agnellum? Christus Saluator & Leo & Agnus est, sicut personarum exigit conditionum diuersitas. S. Joannes totus DEO junctus erat, humilis, mansuetus, instar agni, & talem etiam DEus se illi exhibuit. Quòd si quis leonis induat feritatem, talem etiam DEum erga te experietur ad castigandam pertinaciam, fastum, & arrogantiam. Benè Bern. [Leonem Joannes audierat, & Agnum vidit. Agnus aperuit, & apparuit Leo. Dignus est, ajunt Seniores, Agnus qui occisus est, non mansuetudinem amittere, sed accipere fortitudinem, vt & Agnus maneat, & leo sit]

III. *Quod consilium Moabitis dat Isaias* v. 3.? R. *In meridie*, id est, in summo afflictionis, & calamitatum æstu, qui Judæis totiq; Syriæ imminet ab Assyrijs & Chaldæis *pone vmbram*, id est protectionem tuam, & refrigerium *quasi noctem*, id est densissimum, copiosum & liberale. *Fugientes*, exules vicinos & cognatos vestros humanissimè excipe, foue, *abscondе*, protege. Et sic vices eis repende. Nam olim Abraham pater illorum Lot patrem vestrum excepit, juuit, fouit, captum ab hoste liberauit. Et ne objicias, te metu Sennacheribi vel Nabuchodonosoris, non audere suscipere profugos, scito quòd *finitus est pulsus* v. 4. id est, instar pulueris citò consumetur & euanescet *miser*, vastator antea terræ. Et econtra v. 5. *Solium* regni Judaici *præparabitur* Ezechiæ regi, ejusq; posteris, id est, confirmabitur, corroborabitur, stabilietur, q. d. extollentur Judæi, quos profugos jam videtis, & deprimentur Assyrij, quos adeo formidatis.

IV. *Quis est sensus* v. 11. VENTER MEUS AD MOAB QUASI CITHARA SONABIT? R. intima viscera mea tacta dolore edent lugubrem cantum & gemitus, ob Moabitarum, hostium licet nostrorum, vastationem: sicut cithara plectro tacta dat sonitum in funere funereum. Jeremias habet, *cor meum ad Moab quasi tibia resonabit.* Citharæ & tibiæ, quia lugubre quid sonant, solebant adhiberi luctui & funeribus.

Anni mercenarij.

V. *Cur tres anni dicuntur mercenarij* v. 14.? R. Anni direptionis Moab vocantur Mercenarij, eò quòd hisce quasi pro mercede excisæ à se Jerusalem, & diuinæ vindictæ exercitæ, regnum & spolia Moab accepturus sit Nabuchodonosor, inquit S. Hieron, vt idem pro expugnata Tyro, in mercedem quasi à DEO accepit Ægyptum. Ezech. 29. Vel sic mercenarius finitis conditionis suæ annis recedit; ita recedet & auferetur condicto tempore, scilicet triennio, gloria Moab, ita vt vix racemus in ea remaneat, seu pauciſſimi, sicut pauciſſimæ relinquuntur vuæ post vindemiam.

CAPUT

CAPUT XVII.

Prædicit exitium Damasco & Syriæ æquè ac Samaritanis, quodq; tam pauci relinquentur, quàm paucæ remanent spicæ post messem. Deinde reliquias post hanc cladem, quæ eis obtigit eò quòd obliti sint DEI, ab idolis ad DEum conuertendas.

QUæstio I. *Quando Damascus desinet esse ciuitas?* R. Exscindenda per Teglatphalassar 4. Reg. 16. v. 9. tempore Regis Achaz, & rursus post 130 annos per Nabuchodonosorem, vti prædicit Jer. c. 49. v. 23. Sed iterum sub Macedonibus & Ptolemæis instaurata est Damascus, inquit S. Hier. & etiamnum floret.

II. *Cur dicitur* v. 3. CESSABIT ADIUTORIUM AB EPHRAIM? R. Syriæ nullum obueniet auxilium à regno Israelitico decem tribuum, quia Israelitæ tum temporis pro Syris adjuuandis contra potentissimum Assyriorum Monarcham Taglatphalassarem, ne vel hiscere audebant: quin & ipsorummet Israelitarum magna pars ab eodem rege sub idem tempus abducta est in Assyriam: & ab ejus successore Salmanassare integrum regnum Israeliticum paulò pòst, nempe anno sexto Ezechiæ regis Juda stirpitus excisum est 4 Reg. 8 v. 10.

III. *Qualis erit paucitas tam Syrorum, quàm Judæorum post devastationem Nabuchodonosoris?* R. imò qualis est paucitas spicarum, quæ messores fugiunt, & pauperibus colligendæ relinquuntur, *in vall. Raphaim*, id est in agro vastissimo & amplissimo. 2dò qualis est paucitas vuarum, seu racemorum, qui peractâ vindemiâ reliqui manent, 3tiò qualis est trium, 4. vel 5. oliuarum, quæ excussâ oleâ fortè remanent in cacumine arboris.

IV. *Quo sensu dicitur* v. 7. *In die illa inclinabitur homo ad factorem suum?* R. Residui ex hac clade Samariæ, vti & Syri nonnulli, qui Assyriorum manus effugerint, relictis idolis fallacibus, quæ ipsos saluare ab hoc excidio non potuerunt, ad Deum, verum in aduersitatibus asylum & potectorem confugient, ejusq; fidem & cultum amplectentur: Factum id monente & excitante Ezechia 2. Paral. 30. & 31. ita S. Hieron. Unde subdit, *ad sanctum Israel respicient*, id est, reuertentur & conuertentur, à quo antea fuerant auersi.

V. *Quo sensu dicitur* v. 10: *Plantabis plantationem fideiem, & germen alienum seminabis?* R. Plantabis plantationem, quæ vberem fructum proferet, & agricolæ spem ac laborem non fallet quidem, quantum ex se est; per accidens tamen fallet, & tibi infida erit plantatio, quia non tu, sed alieni, nempe Chaldæi decerpent fructus illius. Sic minatur Deus Deut. 28. v. 51. Et hoc vocat hîc *Germen alienum*. Sed clariùs ex Hebræo vertas, *germen alieno seminabis*.

CAPUT XVIII.

Prædicit cladem Æthiopibus, quam inchoauit Sennacherib, & Nabuchodonosor compleuit. Sed posteri Æthiopum conuertentur.

QUæstio I. *Cur Æthiopia dicitur terra cymbalum alarum* v. 1.? R. Quia habet alas exercituum suorum tum terrestres, tum nauales instar cymbali tinnientes, id est, sonum inanem & futilem edentes, lituis, sistris, tubis personantes, sed præter sonum nihil opis, nihil emolumenti afferentes. LXX vertunt *nauium alæ*. Vatablus *vmbra alarum*, nempe quam recipit ex tot velis nauium suarum.

II. *Quomodo Æthiopia dicitur* v. 2. *mittere in mare legatos in vasis papyri?* R. Nauigijs factis ex ligno, quod papyrus dicitur, mittit legatos auxilia promittentes. LXX vertunt epistolas *biblinas*, quia & nauigio mittebant legatos, & cum legatis literas, quibus Judæis auxilia promittebant. His legatis opponit Propheta nuntios DEI oppositos ad Æthiopes, dicens: ite *Angeli veloces*, scilicet Sennacherib & duces Assyrij, *ad gentem conculsam*, id est, quæ lacerabitur & vastabitur, licet antea terribilis fuerit, quoniam copiosa est, *post quem non est alius*: nam pertingit ad regnum Congi & Monomotapæ, ad promontorium bonæ spei, vltra quod terra nulla est cognita. *Ad gentem non exspectantem*, quia exspectat inundationem Nili. *Cujus diripuerunt flumina terram*, id est, exundationes Nili obruunt & confundunt eorum terram, sic & ego affundam eis flumina miseriarum.

III. *Cur dicit DEUS* v. 4. QUIESCAM ET CONSIDERABO? R. Non vtar zelo immodico & indiscreto, sed differam punitiones meas, donec matureſcant velut in messem; nec nimium incalescam in iram, sed temperabo mihi, eroq; velut nubes rorida; cùm ipsi Æthiopes audita crudelitate Sennacherib in Judæa omnia pessundantis, nimium quantum irâ ac superbiâ tumidi insultauerint, eumq; prouocauerint; atq; ita similes fuerint messi; quæ fructus non attulit, sed omnes vires in flores ac germina effudit Tirinus ait *quiescam*, id est, cessabo ab ope ferenda Æthiopibus, & otiosus sedens spectator tragœdiæ considerabo successum rei de loco, & throno meo cælesti, & ero *sicut meridiana lux clara* & serena Assyrijs, sed adurens Æthiopes: ijsq; Assyrijs ero *sicut nubes rorida*, refrigerans, juuans

& roborans illos, Æthiopibus ardori & vstioni radiorum solis sub zona torrida relictis.

IV. *De quo tempore loquitur* v. 7. IN TEMPORE ILLO DEFERETUR MUNUS DOMINO? R. de tempore Messiæ. q. d. Post hanc cladem, Æthiopes vana spe, quam habebant in suis tum viris, tum idolis, agnoscent verum Deum, eumq; colent in monte Sion, id est, in Ecclesia. Factum hoc est, cum Eunuchus Candacis reginæ Æthiopum conuersus à Philippo Act. 8 fidem Christi per Æthiopiam sparsit; cumq; S. Matthæus Apostolus eò profectus, regem & regnum conuertit, vnde in Æthiopia mirè floruit Christianismus. Hoc est, quod ait psaltes ps. 77. *Coram illo procidant Æthiopes.* & ps. 67. *Æthiopia præueniet manus ejus DEO.*

CAPUT XIX.

Etiam Ægyptijs cladem prædicit: & tandem conuertendos ad Dominum.

Nubes leuis.

QUæstio I. *Quid significat nubes* Leuis v. 1.? R significat exercitum Assyriorum velocissimum, cujus Dux & auctor fuit Deus, qui eos in Ægyptios celerrimè & potentissimè immisit, vt instar nubis densæ fulmina: id est, tela & sagittas in Ægyptios vibraret, eosq; prosterneret, ita S. Hieron S. Thom. & alij Vastata fuit Ægyptus tum à Sennacherib, vt patebit c. seq. tum à Nabuchodonosor, vt prædixit Jer. c 46. & Ezech c. 30. Allegoricè S. Cyrill. Hieron Theodor. in nube leui intelligunt Christum, in corpore concepto de Spiritu S. ex sacra Virgine Maria, sicut enim nubes ex spiritu & vapore terræ generatur: sic Christi corpus formatum est ex Spiritu S. & terrena substantia Deitatem solem temperante, quo vectus est Christus puer, fugiens Herodem in Ægyptum, quasi pariens pluuiam, id est, doctrinam spiritualem, qua paulò pòst Ægypto impluit tot sancta germina Monachorum, totq; flores illustres Ecclesiæ Alexandrinæ sub S Marco & deinceps Alij docent leuem nubem esse B. Virginem, cujus vnis Christus puer delatus est in Ægyptum, ibiq; statim Deorum simulachra confregit

Ægyptus angulus populorũ.

II. *Cur Ægyptus dicitur Angulus populorum* v. 13 ? R Angulus, quia in ædificio principem locum tenet, & vtrumq; parietem continet ac stringit, hinc metaphoricè ab Hebræis vsurpatur pro principe, qui populum suis legibus stringit & continet, estq; firmamentum, columna & decus regni ac reip. ita Christus dicitur factus in caput anguli, & esse lapis Angularis Ecclesiæ Matth. 21. 42 Sensus ergo est, q. d. Consiliarij decepernnt Pharaonem dicentes Ægyptum esse angulum, id est principem populorum, qui scilicet vicinis populis præemineat, cujusq; sit eos in officio & pace continere, eosq; contra hostes tueri.

III. *Quo sensu dicitur* v 15. NON ERIT IN ÆGYPTO OPUS, QUOD FACIAT CAPUT ET CAUDAM? R Nihil ibi geretur, quod arguat, seu reipsa demonstret, esse inter Ægyptios caput, id est principem aliquem, *& caudam*, id est, subditos obedientes, vt decet: vel quod referat, esse aliquem *ncuruantem*, seu Dominum, *& retrænantem* equos, id est, seruum Domini obsequentem, summa erit in tota Ægypto rerum omnium perturbatio & confusio.

CAPUT XX.

Quæ seorsim de Æthiopia c. 18, & de Ægypto c. 19. vastanda prædixerat, hîc conjunctim prædicit, jubeturq; nudus incedere, vt denudationem & expilationem vtriusq; regni portendat.

Isaias nudus.

QUæstio I. *An Isaias planè nudus incesserit?* R Hugo, Forerius & Sanchez putant Isaiam non omnino fuisse nudum, sed extimam vestem, quæ erat cilicina & prophetalis (sine qua incedebat indecorè, acsi planè plebejus fuisset) deposuisse, ac interiorem tunicam breuiorem retinuisse, quæ verenda contegebat, quomodo Saul 1 Reg. 19. 24 *nudus* id est, deposito amictu regio dicitur cecinisse; & Dauid nudus, id est, deposito cultu regio, saltasse ante arcam; nam dicitur amictus fuisse ephod lineo, non ergo erat omnino nudus. Ratio est: nam Isaias hac nuditate portendebat captiuorum Æthiopum & Ægyptiorum nuditatem, illi autem non omnino futuri erant nudi, sed laceris & breuibus vestibus vestiendi. Hæc sententia probabilis est, & castior ac honestior in speciem. Verùm S. Hieron. Cyrillus, Haymo & alij censent Isaiam omnino fuisse nudum, etiam ijs partibus, quas naturalis verecundia maximè tegit. Idq; probatur, quia v. 4. dicitur, quòd sicut Isaias incessit nudus, *sic minabit rex Assyriorum captiuitatem Ægypti & c. discooperta natibus*, Chaldæus vertit *pudendis, ad ignominiam Ægypti*: ergo pariter Isaias incessit nudis natibus. Si nudis natibus, quid mirum si reliquo corpore nudus incesserit? Deinde quia saccus erat pœnitentiæ vestis super nuda carne, ergo exuens saccum siue cilicium, totus erat nudus.

II. *Que-*

II. *Quomodo ambulatio Isaiæ fuit portentum trium annorum?* ℟ Dupliciter hoc exponi potest, imò quòd hæc triduana nuditas Isaiæ portendat vastitatem Ægypti & Æthiopiæ fere post tres annos ab hac prophetia. 2dò & melius, quòd hæc vastitas durabit per triennium. Cœpit enim anno 14 Ezechiæ, quo Sennacherib audiens aduentare Tharacam regem Æthiopum contra eum perrexit, relicto in Judæa Rabsace 4 Reg. 19. 9. atq; post tres annos redijt Jerosolymam, vbi ab Angelo cæsus est, vt patet ibid. v. 29. & Isa 37. 30. abfuit ergo distentus bello, & vastatione Ægypti & Æthiopiæ per triennium, ita Sanchez. *Portentũ trium annorum.*

CAPUT XXI.

Prædicit Babylonem euertendam per currum cameli & asini, id est, per copias Darij & Cyri, itemq; Idumæam & Arabiam.

QUæstio I. *Quod est onus deserti maris?* ℟ Est prophetia onerosa, quia excidium prædicit Babyloni, jam quidem ob incolarum multitudinem & confluxum omnium nationum instar maris, imò instar parui mundi vastæ & amplæ, sed mox puniente Deo vastandæ ac desolandæ instar deserti seu eremi Jer. 51. v. 37. Porrò hoc *onus* seu procella onerosa obueniet Babyloni *de deserto*, id est, à Media & Perside, quas inter & Babylonem vasta deserta interjacent. Et obruet Babylonem *sicut turbines ab Africo*, seu Meridie per deserta illa venientes, solent obuia quæq; obruere. *Onus deserti maris.*

II. *Quo sensu dicitur* v. 2. QUI INCREDULUS EST, INFIDELITER AGIT? ℟ Hebraicè, *qui prævaricator est*, q. d. Persæ & Medi, qui infideles, fœdifragi & præuaricatores passim audiunt, etiam Babylonijs fidem datam non seruabunt; & qui tot alias gentes depopulati sunt, etiam Babylonem vastabunt. Confœderatos autem fuisse Medos, Persas & Chaldæos, vel inde patet, quòd Nabuchodonosor vxorem habuerit Nitocrim filiam Cyaxaris regis Medorum, vnaq; cum ipso expugnarit Niniuen, totamq; Assyriam, inquit Hieron. Euseb. Josephus & alij. Igitur adesdum ô Ælam, id est, Persa (Ælam enim Persicæ regionis pars est) *ascende* cum vniuersis copijs tuis, & tu simul ô *Meda & obsidete* junctis viribus vrbem mihi inuisam Babylonem, inuadite, vastate, excindite.

III. *De quo loquitur* v. 2. OMNEM GEMITUM EIUS CESSARE FECI? ℟ De Babylonia, quasi dixisset. Ite contra Babyloniam, nolite timere, eam juris vestri facietis, non protegam illam, in illius fauorem non pugnabo, & sine mea protectione, quomodo suam poterunt amoliri subactionem? Quòd verò è mea exciderint gratia, ex eo colligite, quia omnem gemitum ejus cessare feci. Præterito pro futuro, vsitata scripturæ phrasi vtitur, ob futuri euentus certitudinem. Et sensus est: permittam ego, quòd non gemant ad me, nec lacrymas fundant, exigendo à me pietatem & misericordiam. Quòdsi in fletus illi & lacrymas se darent, qua fronte gratiam & misericordiam negarem? sed quia perspectum habeo, nullas eos fusuros lacrymas, & gemitus, suorumq; me immanium scelerum multitudine prouocarunt ad iram, abite, moras & inducias omnes abrumpite, omni enim proculdubio prosperos conflictuum successus sentietis, cùm nemo in vastissima illa sit vrbe, qui plorabit. Ubi lacrymæ exulant, res desperata est, vbi lacrymæ funduntur, ibi victoria est. Vnde scitè Chrysol. Serm. 128. *Ecclesia plus lachrymis, quàm viribus contendit.* *Lacrymarum vis.*

IV. *Quem gemitum Babylonis vult DEus cessare, facere* v. 2.? ℟ Quo ipsa, sua tyrannide cogebat alios flere & gemere populos. Ita Chaldæus, Sanchez passiuè accipit, & per gemitum intelligit planctum funebrem & publicum, q. d. faciam, vt Babylonij ita subitò à Persis & Medis obruantur, vt nullum sit ipsis futurum tempus plangendi & sepeliendi mortuos suos.

V. *Quo sensu dicitur* v. 5. PONE MENSAM, CONTEMPLARE IN SPECULA? ℟ Ironicè: q. d. ô Balthasar, adorna conuiuium, epulare, jucundare, statue speculatores, qui in turribus contemplentur, quid agatur in castris Cyri & Darij. Frustra hac agis. Jam enim hostis habet muros, deducto Euphrate, per siccum alueum Babylonem ingressus est, ad regiam aduolat. Heus *vos principes* incurij *comedentes & bibentes, surgite*, pro poculis ensem *arripite & clypeum.* Historiam expugnatæ Babylonis vide Dan. 5.

VI. *Quid significat duplex currus, vnus tractus ab asinis cui insidebat Cyrus Persa, alter tractus à Camelis, cui insidebat Darius Medus?* ℟ Medi camelo designantur, quo pro equis etiam vti solebant, quia erant bellicosi & potentes. Asinis comparantur Persæ, quia abjecti in eam diem, & ignobiles & salaces, interim robusti, laborioſi & malorum patientes erant. Quas etiam ob causas Dan. 7. 5. vrso comparantur. *Currꝰ duo*

VII. *Quos vocat triturans suam & filios aree sue* v. 10. ℟ Babylonem, vel potiùs, ut vult S. Hieron. Jerusalem & Judæos, qui ab Assyrijs & Chaldæis fuerant triturati, calcati, attriti, & ad paucos redacti. q. d. Babylonios non triturabo, sed conteram & dispersam; vos verò, ô Judæi, qui estis gens mea, triturabo, sicut trituratur seges in area; ita vt ex magno segetum aceruo, paleis euentilatis, & culmis ac stramine rejecto, pauca remaneant

maneant grana, quæ ex eis excussa sunt: sic enim & vos per tot clades triturabo, non vt perdam, sed vt probem & purgem, condamq; vt grana selecta in horreum Ecclesiæ ac reip meæ.

VIII. *Quæ est Duma* v. 11? ℟ Idumæa. Nam nomina propria sæpe patiuntur Aphæresim: vti pro Jerusalem dicitur Salem, pro Abraham Ram Job 32. 2. Pro Benjamin Jemini, ab Esau rufo dicta Edom seu Idumæa à pilosо Seir dicta fuit hæc regio, quam posteri Esau incoluerunt.

Custos de nocte.

IX. *Quo sensu quæritur* v. 11. *Custos, quid de nocte?* ℟ Quota est noctis hora? obsessi enim à Chaldæis, præ metu & pauore non sat exactè obseruabant singulas noctis horas. Respondet excubitor v. 12. *venit manè & nox*, id est, appropinquat quidem crepusculum auroræ, sed tamen adhuc nox est, & tenebræ nos tegunt, vnde *si quæritis* hostem vel explorare vel aggredi, vel à finibus vestris depellere, *quærite* citò & festinate: *convertimini, venite*, id est, rursum venite, rursum audete aliquid tentare. Vel, sic quærite & explorate omnia hostilia, vt citò reuertamini in vrbem, priusquam illucescat, & hostes vos persentiscant, ita Corn. à Lap. & Tirin.

X. *Quid Isaias prophetat Arabibus?* ℟ Aduentante Nabuchodonosore fugam trepidi sub noctem capessetis, *in saltu* sub dio transigetis noctem & *dormietis in semitis* seu vijs, quæ ducunt ad vrbem *Dedanim* Interim vos vicini populi, *qui habitatis terram Austri* v. 14. versus Meridiem (nam eo properabant Ismaelitæ fugientes Nabuchodonosorem) *occurrentes sitienti* Arabi *ferte aquam* offerte panes *fugienti*. Adhuc *in vno anno*, seu post vnum annum ab excisa Jerosolyma, *auferetur omnis gloria Cedar*, id est, Arabum Ismaelitæ Cedareni dicti ab Ismaelis filio Cedar Gen. 25. v. 13.

CAPUT XXII.

Cladibus aliarum gentium, etiam Jerosolymæ cladem subnectit & superbo Sobniæ præpositio templi prædicit captiuitatem, & pio Eliacim successori ipsius stabilem dignitatem.

Jerusalem vallis visionis.

QUæstio I. *Cur Jerusalem dicitur vallis visionis* v. 1.? ℟ dicitur vallis, quia subjecta erat monti Sion 2do quia sicut vallis è cœlo imbrem accipit, ita Jerusalem prophetas & visiones, id est, oracula à Deo hauriebat. Dicitur *visionis*, id est, prophetiæ, quia Jerusalem parens fuit, aut nutrix omnium ferè prophetarum. Alludit ad montem Moria, id est, visionis, inquit Forerius, vbi Abraham volens immolare filium, vidit DEum, id est, Angelum Dei vicarium Gen. 22. 2. Moria enim erat in Jerusalem, eratq; Sion, in quo ædificatum est templum, vt patet 2. Paral. 3. 1.

II. *Cur Jerosolymitani dicuntur interfecti, non interfecti gladio* v. 2.? ℟ quia non gladio sed fame tempore obsidionis ceciderunt, inquit Theodor: superstites non pugnantes sed fugientes, quasi imbelles fœminæ capti & ligati aut occisi sunt: Rursus, non gladio Chaldæorum, sed Dei vindictæ tuum excidium ô Jerusalem attribue. Deus enim, tibi animos & vires ademit, ipse tibi pauorem injecit, vt fugeres, & in fuga hostium furori te objiceres.

III. *Quis est scrutans murum, & magnificus super montem* v. 5. ℟ Deus vindex & Dux belli Chaldæorum *scrutans murum*, vt videat, qua parte eum commodè euertere & diruere possit, *Magnificus super montem*, q. d. ipse est, qui montem Sion ejusq; gloriam suis pedibus subjectum habet, vt eum dejiciat, & in imam quasi vallem deprimat.

IV. An bene argumentati sunt illi v. 13: *Comedamus & bibamus, cras enim moriemur?* ℟ Peruersè. Ex vicina & imminente morte ad abstinentiæ & jejunij confugere præsidia debebant inquit S. Aug. in ps. 70. Cùm dixisses, manducemus & bibamus, adjunxisti, cras enim moriemur. Audi contra à me; imò jejunemus & oremus, cras enim moriemur. Prorsus ita ratiocinatur, taliter operatur, hoc pacto se gerit, quisquis incorrupto præditus est lumine rationis, nec in malum habet animum obduratum, aut in brutam pecudem non transijt: vt discessus nostri cogitatio à malis illi & flagitijs discessum, accessum verò ad jejunium, ad lachrymas, ad orationem suadeat, quibus cum Deo in gratiam redeat, & æternam cœlorum omnis expertem perturbationis nanciscatur quietem. Qui morti occurrit mortis meditatione, gulæ lautitiis inhiare dediscet. Hoc & gentiles nouêre, vnde apud sapientes illos Ægyptios, vt narrat Plutarchus, circumducta solemni more inter conuiuia per conuiuas omnes argenteâ cadaueris imagunculâ admonebat minister singulos his verbis: vt voluerent animo, se breui tales fore. Herbarum radicibus, & frigidâ Philosophorum non nemo victitabat, totus à mundanarum rerum illecebris alienus, is ab amico rogatus, ne tanto se rigore ante tempus conficeret, sed reliquum vitæ, aliis consuetis gaudijs consumeret. Sed à cœpto non dimouit: perstitit ille, nec alia vox precibus iteratis expressa, quam insigne illud seriò à se cogitatæ mortis testimonium: *Moriturò*

turi satu. Supernaturalis fidei lumine orbus erat; viuebat naturæ, non euangelij legibus, & tamen nouerat, quantò hîc lautiùs carnem nutriret, tantò illic pinguius pabulum vermibus apponeret.

CAPUT XXIII.

Tyro quoq; excidium per Nabuchodonosorem prædicit, sed post 70 annos iterum restaurandam, & pristinæ gloriæ restituendam.

QUæstio I. *Quo sensu v. 3. vocat semen Nili fruges & opes Ægypti?* R. quia has ei affert; & quasi serit Nilus sua exundatione oblimans & fœcundans agros, vnde easdem vocat *messem fluminis* scilicet Nili: copiosam enim messem affert copiosa exundatio Nili, q. d. semen & messis frumenti, quæ in Ægypto non ex pluuia, sed ex multis aquis Nili exundantis prouenit, fuerunt fruges Tyri, & merces in Tyrum delatæ, vt inde per negotiationem in reliquas insulas & prouincias distraherentur. Erat enim Tyrus emporium celeberrimum *Fruges semen Nili.*

II. *Quis loquitur* v. 4 NON PARTURIUI ET NON PEPERI &c. R. Tyrus, q. d. Videbar mihi olim genuisse fortissimos iuuenes & pulcherrimas virgines: at jam vastata nihil horum agnosco: omnibus enim ab hoste occisis & captis nudata, orbata viduata sum. Erubesce ergo ô Sidon mater de hac Tyri filiæ suæ nuditate, similemq; propediem ab eodem hoste expecta. Ita Cyrill. Lyran, Vatab.

III. *Cur dolebunt Ægyptij, cùm hoc auditum fuerit* v. 5.? R. tum quia Ægyptij magna habebant commercia cum Tyro; dolebunt ergo ejus excidium, quia peribit eorum quæstus: tum quia timebunt, ne post Tyrum Chaldæus Ægyptum inuadat, vti reipsa contigit: nam DEus Chaldæis quasi ministris suis, pro longa & molesta obsidione Tyri in mercedem dedit Ægyptum ejusq; spolia, vt patet Ezech 29. 18. idq; ex ejus prophetia, vti & ex hac Isaiæ, & simili Jeremiæ c. 47. 4. cognoscere potuerunt Ægyptij, ideoq; doluerunt.

IV. *Quomodo de Tyro dicitur* v. 10. TRANSI TERRAM TUAM QUASI FLUMEN FILIA MARIS? R. q. d. O Tyre olim eras filia maris, & quasi vastum mare, tum aquarum tum opum & gentium, nunc facta es flumen, aut riuulus exiguus, qui sensim ad loca decliuia delabitur & minuitur, donec deficiat, & à terra absorbeatur: ita enim & tu decides à tuo splendore & gloria, transibisq; per terram tuam, vt eas in Babylonem, ibiq; spargaris, miscearis & absorbearis ab alijs gentibus, dicitur Tyrus filia maris, quia fuit accola maris, vt à mari, quasi à matre nasci, educari & foueri quasi filia videretur.

V. *Quomodo dicitur Tyro non esse cingulum* v. 10.? R. Id est, non est fortitudo militum tibi, hi enim cingulo gladium sibi accingunt, q. d. non poteris vltrà resistere Chaldæo. Aptiùs *cingulum* maris *non est tibi.* q. d. Ante circumquaq; mari cingebaris quasi cingulo, erasq; fortissima & inexpugnabilis: nunc hoc cingulum tibi ademit Chaldæus opplens mare, & ex mari faciens continentem: itaq; jam cingulo destituta, infirma, & hosti expolita, ab eo capieris, quasi jam terræ non maris filia.

VI. *Quo sensu dicitur* v. 15. *Post 70. annos erit Tyro quasi canticum meretricis?* R. Tyrus ostentatione & proclamatione mercium suarum vndiq; alliciet ad se mercatores, sicut meretrix cantu illecebroso allicit ad se amasios. Pariter dicitur v. 17. *rursus fornicabitur cum vniuersis* regnis, id est, negotiabitur cum toto orbe. Hebræum enim *zun* significat in genere quæstum facere, siue id fiat commutatione mercium, siue appositione ciborum, siue prostitutione corporis. Unde zona Hebræis nunc mercatricem significat, nunc cauponam, nunc meretricem. Isaias mercaturam Tyri vocat meretriciam: è contrario S. Joan Ap. 18. 3. meretriciam, id est, idololatriam Babylonis, id est, Romæ in fine mundi paganæ futuræ vocat mercaturam. Sic enim ait: *Et reges terræ cum illa fornicati sunt, & mercatores terræ de virtute,* id est, de copia.

VII. *Quando erunt negotiationes & mercedes* Tyri *sanctificatæ Domino* v. 18? R. S. Hieron: putat post restaurationem Jerusalem & templi Tyrios iniisse fœdus cum Judæis, & ad templi sumptus sæpè dona misisse, idq; colligitur ex 1. Esdræ 3. & 6. & Zach 14 16 Perfectissimè tamen hæc sunt tempora Christi, inquit S. Hier. q. d. Tyrij conuertentur à Christo & Christianis, tumq; consecrabunt suas opes Domino, neq; auarè eas recondent, sed negotiatio, id est, lucrum ejus cedet templo DEI & ministris ac pauperibus, vt ex eo alantur & vestiantur vestibus ad multos annos & vsq; ad vetustatem duraturis, id est, valde bonis & firmis. Christus enim in finibus Tyri versatus est prædicando & miracula faciendo, ibiq; filiam Chananææ curauit Matt: 15. 21. & annis trecentis post Christum in Tyro valde floruit Christianismus per 600 annos: inde à Saracenis occupata fuit Tyrus, at rursum à Christianis, scilicet à Venetis ac Hierosolymitis duce Guaremundo Patriarcha Hierosolymorum in bello sacro Anno Domini 1124. expugnata & recepta per 165 annos in fide claruit: donec anno 1289. à Saracenis & Ægyptijs capta, demum in Turcarum potestatem venit. Ita ex Guilielmo Tyrio, Adrichom. & alijs. *Tyri floruit Christianismus.*

CAPUT XXIV.

Transit ad excidium totius mundi, cujus typus & vmbræ fuerunt illa particularium gentium excidia. Hujus ergo miserabilem & horribilem speciem describit.

QUæstio I. *Quo sensu dicitur* v. 2. ET ERIT SICUT POPULUS, SIC SACERDOS? R. Eadem communi orbis clade inuoluentur omnes tam sacerdotes, quàm Laici, tam nobiles, quàm plebeji, tam serui, quàm Domini, tam creditores, quàm debitores: nullum tum erit gradûs & dignitatis discrimen: nulla patrocinabitur infula, opes aut sceptrum. hæc enim respiciunt homines, non Deus.

II. *Quomodò* v. 6. *dicitur: Relinquentur homines pauci?* R. Qui ab hac trepidatione atq; insania dolorum eximentur, qui scilicet viuent non vt bruta, sed vt homines creati ad DEI imaginem, quiq; proinde hanc cladem videntes, eam non sentient: anhelabunt enim ad meliorem vitam per & post mortem in cælo ineundam. Hoc est, quod ait Christus Luc 21. 18. *Leuate capita vestra: quoniam appropinquat redemptio vestra.* ita S. Hieron. Innuitur hîc paucus Sanctorum & saluandorum numerus fore in fine mundi.

III. *Qua ciuitas vanitatis attrita est* v. 10.? R. imò S. Hieron. S. Thom. & Haymo ciuitas vanitatis, inquiunt, est Babylon, id est, Roma, quæ in fine mundi tota vanitati, luxui & ambitioni dedita scelestissima erit, ideoq; vastabitur cum suis filiabus, id est, alijs vrbibus sibi subjectis Apoc. 18. v. 2. idò ciuitas vanitatis est ipse mundus, in quo, vt ait Eccl. c. 1. 1. est *vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Nihil enim in eo est stabile, nihil solidum, sed omnia fugacia sunt, fluunt & pertranseunt.

Militia cæli.

IV. *Qua est militia cæli* v. 21.? R. militia cæli vocatur exercitus Angelorum, id est, dæmonum, qui olim è cælo ejecti, nunc in aëre hoc versantur, ac homines diuexant, ac in fine mundi à DEO visitabuntur, id est, punientur & condemnabuntur. Licet etiam nunc damnati sint, tamen tunc publicâ sententiâ coram toto orbe damnabuntur, atq; omni libertate, qua in aëre hoc versantur, ac dominio, quod in peccatores hîc vsurpant, spoliabuntur, atq; in carcerem gehennæ, in æternum concludendi & comburendi relegabuntur, quæ ingens eis erat pœna.

V. *Qui dicuntur congregandi in congregatione vnius fasciu in lacum* v. 22.? R. Reges æquè ac dœmones cum alijs impijs & plebejis colligati quasi in fasciculos, projicientur in ignem gehennæ, sicut in ignem projicimus fascem lignorum majorum & minorum. Haymo putat fasciculos hos faciendos varios, juxta varia scelera. Congregabuntur, inquit, congregatione vnius fascis, vt qui pares sunt in culpis, damnentur pariter & in pœnis. Auari tum auaris, luxurioſi cum luxurioſis. V. S. Greg. l. 9. Mor. c. 39.

Inferni pœna perpetua.

VI. *An rectè Origenis verba illa* v. 22. *& post multos dies visitabuntur*; expoſuit, & docuit, pœnas inferni non fore perpetuas, sed post certum tempus finiendas? R. non rectè: nam ignis ille inferni in Script. vocatur æternus & inextinguibilis. Sensus ergo est: *post multos dies visitabuntur*, id est, post multa sæcula punientur. q. d. quamuis multis diebus & annis sint in inferno, tamen numquam pœnæ eorum finientur, sed post quantoslibet dies & annos erit jugis inchoatio pœnarum. Ly enim *visitabuntur*, significat actum continuatum, & perpetuatum. Significatur ergo hîc æternitas pœnarum. Ita S. Aug. Corn. à Lap. & alij.

Luna erubescet.

VII. *Quo sensu dicitur* v. 23. ERUBESCET LUNA ET CONFUNDETUR SOL? R. Ipsa luna & sol stupescent & erubescent, cùm viderint tantam reproborum damnationem & pœnam, & tantam Christi judicis & Beatorum majestatem, in consessu senum, id est, Patriarcharum & Apostolorum. q. d. hæc omnium hominum & creaturarum captum, & analogiam excedent. Erubescet ergo luna, id est, vt ait Joel, & ex eo S. Petrus Act. 2. *Luna vertetur in sanguinem*, id est, erubescet instar sanguinis, & vt ait Christus, *sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum.* Causam ruboris & confusionis dat S. Hieron. Erubescet, ait, luna, & confundetur sol, cernens homines, qui suo fruebantur lumine, nihil dignum DEI bonitate feciſſe, qui solem suum oriri facit super bonos & malos. Ast quomodo erubescent? Verecundia vtiq; sensum præsupponit, & rationem, vnde in bruta animantia rationis incapacia non cadit, quantò minùs in inanimata illa cælorum corpora? atq; quod amplius est, nihil confundi, verecundari, aut erubescere potest, nisi ob proprios actus, quodq; statui suo non attemperatè agat, nec juxta regulas prudentiæ, ac secundùm rectam rationem operetur. Verecundia (testibus S. Thoma & Arist.) non est virtus, cùm perfectio non sit, virtusq; definiatur esse *dispositio perfecti ad optimum.* Insuper cum eodem Aristotele idem Doctor Angelicus concludit, quòd *senes & virtuosi verecundiâ careant.* Rubor autem vitiosorum juuenum, & cupientium fallere nota est. Jam autem cælum, sol & luna semper in motibus suis fuerunt sine omni vel minimo errore regulatissima; ad motricis intelligentiæ regulam accuratissimè semper operata fuerunt, nec aberrarunt vnquam? cur ergo confunduntur? Tam homines scelera patrant, vt præ illis etiam ipsæ insensatæ, & ir-

Verecundia.

& irrationales creaturæ erubescant. Qui frontem omnem exuit, ac meretriciam induit (vt cum Jeremia c. 3. loquar) si indignum quid indecensq; operetur, protinus confunditur: & licet in malo cum illo quis non participet, dicit tamen illius causâ verecundor.

CAPUT XXV.

Sancti gratias agunt DEO, quòd impijs & superbis hostibus suis depressis, mundoq; vastato, ipsi ad portum salutis deuenerunt. Inde per conuiuium medullatorum & vindemiæ, itemq; per vinculi dissolutionem, Sanctorum libertas & delicia describuntur: Moabitæ verò, id est reprobi, plaustro iræ DEI triturandi & calcandi praedicuntur.

Quæstio I. *Quis est sensus* v. 1. *Fecisti cogitationes antiquas fideles?* ℟. Fecisti, id est, certò facies, & in tua præscientia & decreto jam fecisti, *cogitationes antiquas & fideles.* q. d. quæ ab æterno cogitasti & decreuisti, quæq; per sanctos Patriarchas & prophetas olim minatus es & promisisti de orbis & impiorum excidio, deq; piorum gloria, illa fideliter adimplesti, id est, adimplebis, vnde optans, subdit, *Amen*, id est, fiat.

II. *Qua ciuitas dicitur, posita in tumulum* v. 2.? ℟. Per ciuitatem intelligitur orbis terrarum, qui majori sui parte est ciuitas impiorum. hinc gratias agit DEO de illa excisa, *in tumulum*, id est, in aceruum lapidum, redacta. Eandem vocat *domum alienorum* id est, impiorum, vt vertunt LXX, impij enim cùm naturaliter per creationem, & sæpè supernaturaliter per regenerationem in baptismo, aut per sacramentum pœnitentiæ facti fuerint filij DEI; ipsi tamen sua praua voluntate ad idola aut vitia, quasi ad Deos suos degenerarunt & alienarunt se, inquit Corn. à Lap.

III. *Quis est populus fortis* v. 3.? ℟. Sancti & electi, qui fortiter se suasq; cupiditates, mundi illecebras, & dæmonis tentationes superarunt, ita Lyran. Vnde LXX. pro *populus fortis*, vertunt *mendicos, & iniquitatem sustinentes.* Hi enim fortes mendicitatem, injurias & calumnias generosè tolerant. Hæc est fortitudo Christiana, quæ aduersis non succumbit, sed instar palmæ magis se erigit. Sicut calx aquâ, ignis flabello, ferrum cote magis acuitur & accenditur: ita fortitudo & patientia Sanctorum afflictionibus & persecutionibus increscit, magisq; inflammatur, nimirum, *vires sit vulnere virtus.*

IV. *Quis est sensus verborum* v. 4. & 5. *Spiritus robustorum quasi turbo impellens parietem, sicut æstus in siti, tumultum alienorum humiliabis?* ℟ Duplici distinctione opus est ita vt prior pars pertineat ad impios, posterior verò ad Christum eorum judicem & vindicem. Quod priorem concernit, vult dicere: vis & furor, quem violenti homines & dæmones fragilibus fidelibus & sanctis intulerunt, & tempore Antichristi inferent, fuit, eritq; validus & impetuosus quasi turbo, qui etiam parietem impellit & dejicit Christum verò quod concernit, tu ô Christe judex, sicut æstus in siti, id est, sicut æstus maximus, qualis est in loco arido & siticuloso (vbi nulla est vmbra, quæ æstum temperet, aut aqua quæ æstuantem refrigeret,) mirè viatores sudantes & sitibundos affligit, ita & tu in die judicij valde affliges alienos, id est, impios, qui se à te alienarunt, ob eorum tumultus, quibus fideles tuos vexarunt, eosq; calore & igne æterno exures, ibiq; ariditate & siti intolerabili conficies, vt cum diuite epulone petant aquam qua linguam refrigerent, & ne vel guttam impetrabunt. *Et quasi calore sub nube torrente, propaginem fortium marcescere facies.* q. d. Sicut nubes æstuans torret terram & vineas; ita Christus in die judicij perdet & exuret omnes impiorum delicias, quibus se oblectabant.

V. *Quod conuiuium pinguium faciet in monte Sion*, super quo Christus judex residebit in nube, quasi in throno suo? ℟ Inchoabit ibi delicias cœlestes, quas deinceps in cœlo prosequetur: delicias, inquam, suauissimas ac perfectissimas, quales in hac vita censetur subministrare, conuiuium, in quo altilia pinguia & medullata, vinumq; defæcatum, id est, præstantissimum ac delicatissimum conuiuis apponuntur Hæc est voluptas & gaudium cœleste, quod ex fruitione Dei colligunt sancti Cujus prægustum aliquem haurimus hîc in terris ex Eucharistia. De qua proinde locum hunc exponit S. Cyrill. Procop. & Eusebius. *Conuiuium pinguium.*

VI. *Qua est facies vinculi vinculati* v. 7? ℟ Sunt omnia vincula Ergo vinculum colligatum idem est, quod multiplex vinculum replicatum & conuolutum, & pluribus spiris arctiùs stringens. Denotat autem peccatum tum originale, tum actuale, & effectus vtriusq;, ærumnas & miserias hujus vitæ, morbos, errores, afflictiones animi & corporis. Hoc vinculum vocat mox *telam*, seu funem quem *orditus est*, id est, cœpit effundere à primo Adamo *super omnes nationes*, ex Adamo omnium capite & parente procreatas. Mox explicat præcipuas telæ hujus partes, nempe, mortem, lacrymas, opprobrium Huc alludit S. Paul. 1. Cor. 15. *Absorpta est mors in victoria.* Et Apoc. 21. *Absterget Deus omnem lacrymam.* &c. *Vinculum vinculatū*

VII. *Quid per Moab intelligitur, qui triturandus dicitur, sicut teruntur palea in plaustro.* v. 10.? ℟ populus impius, grex damnatorum (quorum typus fuerunt Moabitæ perpetui hostes populi Dei, & mancipia fœdissimi idoli Beel-phegor Num. 25. *triturabitur sub eo*, id est, calcabitur, & conteretur sub pedibus Christi, ejusq; populi sancti: sicut olim Moabitæ sub Dauide protriti sunt & conciſi. 2. Reg. 8. v. 2.

CAPUT XXVI.

Canticum Beatorum, quo Deo gratias agunt de sua felici sorte. Rogatur Deus, vt impios per flagella ad saniorem mentem compellat. Monenturq; justi, vt spe præmiorum cœlestium fortiter omnia vitæ hujus aduersa sustineant.

QUæstio I. *Quid de vrbe Sione dicit* v. 1.? ℟ opponit eam Moab, id est, cœlum inferno, Beatos damnatis. De Moab dixerat, *munimenta murorum tuorum concident vsq; ad puluerem*: de Sione dicit, vrbem fore munitissimam & fortissimam ita vt nulla vis, nullus casus, nulla æstas eam conuellere, nec portæ inferi vel tantillum ei nocere possint. Causa est, quia Saluator Christus erit ei *murus & antemurale* Prov. 18. v. 10 seu vallum, quod formâ semilunæ solet ante vrbis portam & murum excitari. q. d. Christus erit illi fortissimus vndiq; custos & protector ita S Thom Forerius, à Lap. Tirin. Sic dicimus Scipionem Romanis contra Hannibalem fuisse fossam & vallum, id est, omne præsidium, omne robur, & omne tutamentum.

II. *Quid est, vetus error abijt* v. 3.? ℟ Nunc patet vetus voluptariorum & damnatorum error, quo stulti & insani ab eis judicabamur, quòd arctam & asperam Christianæ vitæ semitam ingrederemur: nunc enim patet nos fuisse sapientes, illos verò stultè errasse. Ecce enim adepti sumus *pacem*, id est, bonorum omnium abundantiam, quam nobis, ô Domine contulisti, & conseruabis in æternum, quia eam à te speravimus, ac propter eam dura omnia sustinuimus. Vide Sap 5. 3.

III. *Quos habitantes in excelso incuruabit* v 5.? ℟ Omnes principes, atq; potentes, & superbos, qui in sublimi erant dignitate & officijs, habitantes in altis palatijs, qui magnos gerebant spiritus, & ad magna aspirabant, & *ciuitatem sublimem*, non Romam, vt Judæi volunt, nec Jerusalem, vt S. Hieron. sed mundum *humiliabit*, & in puluerem rediget per ignem conflagrationis, ac ejus habitatores ambitiosos, auaros &c. disperdet. *Conculcabit eam pes, pedes* inquam *pauperis*. Pauperes & egenos vocat apostolos, alioſq; fideles, qui Christi paupertatem sunt secuti hi enim mundum, id est, mundi superbos & impios, calcabunt, id est, judicabunt, & condemnabunt, ita S. Hieron. Deus enim elegit infirma & ignobilia mundi, vt confundat fortia, potentes & sapientes sæculi.

IV. *Quomodo intelligendus* v. 15. INDULSISTI GENTI DOMINE, INDULSISTI GENTI, NUMQUID GLORIFICATUS ES? ℟ Inducit Deum ad justitiæ opus per experimentum inutilitatis misericordiæ, tum quantum ad remissionem pœnarum, tum quantum ad multiplicationem bonorum, tum quantum ad vtilitatem vindicatricis justitiæ, ita S. Thom. Quot ô mi Deus vicibus eis fuisti misericors! sed quo fructu? nullo. Quantas illis remisisti pœnas? Sed quid inde vtilitatis in eos manauit? nulla. Quot eos cumulasti beneficijs? innumerata sunt bona, quæ à tua in illos profecta fuerunt munificentia; sed quo profectu, quas gratas vicissim vices rependerunt? nullas. *Propterea percute eos, vt in angustia te requirant.* Hoc inquit S. Hieron. concludere voluit sacer vates. Ex quo liquido constat, quòd Deum ad justitiam inducere studuerit, neq; ferre potuisse tantam Dei in peccatores misericordiã. In hunc sensũ Habacuc 1. 13. amicè cum Deo expostulabat: *Mundi sunt oculi tui, ne videant malum, & respicere ad iniquitatem non poteris. Quare respicis super iniqua agentes, & taces deuorante impio justiorem se.* Fateor ô Domine, quòd infinita sit tua munditia & sanctitas, quo ergo pacto tam infandas potes benignis contueri oculis enormitates? quidquid malorum est, quidquid scelerum patratur, *& taces*? Exulat à tribunalibus justitia, *& taces*? In singulos dies hominum genus pejoratur, & taces? improbissimi quiq; ad honorum apices emergunt, *& taces*? Nulla fides, veritas proteritur, latè omnia occupat perfidia, falsitas ad culmen peruasit, *& taces*? Honestas omnis amissa est, crescit lasciuia, dissolutio, impudentia, *& taces?* Hæc Hieronymo interprete, à propheta dicta fuerunt, non quòd ipse sic sentiat, sed impatientiam humanam in sua persona exprimat. Sed S. Gregor. Nazianz. orat. 1. Apolog. substantiam, modumq; verborum propheticorum expendens in illa prorupit Quid autem Habacuc? Hic acriori etiam oratione vtitur, atq; aduersùs Deum ipsum stomachatur, ac benignum veluti clamoribus insequitur,

CAPUT

CAPUT XXVII.

Exciſo orbe prædicit etiam Satanam, excidium iri. Mox inducit canticum vineæ, id eſt, Eccleſiæ, ſeu collectionis Beatorum. Deniq; docet reliquias tandem Judæorum ad Eccleſiam Chriſti conuertendas.

QUæſtio I. *Quem viſitabit Dominus in gladio ſuo* v. 1.? R. Viſitabit, id eſt, puniet, *gladio ſuo*, id eſt, robore & potentia ſua diuina, *Leuiathan*, id eſt, cetum ſiue balænam, & deſignat dæmonem ſuperbiſſimum ac potentiſſimum, qui in hoc mundo, quaſi balæna in mari, diſcurrit, ludit, dominatur. & *ſerpens* vocatur, ob aſtutiam, hoſtilitatem, & venenum, quod hominibus ſuffundit; vocatur & *vectis*, quia plus quam vectis ferreus, obſtruxit valuas cœli, ne quis eò penetret; item clauſtra inferni ac peccati, ne quis inde emergat. Eratq; hic vectis adeo fortis, & tenax, vt non niſi potentiſſimo Dei gladio diffringi potuerit, inquit Sanchez. Pro vecte vertit Forerius, *eretem* ſeu *lubricum* ſerpentem, qui facilè fugit & elabitur. Hunc Deus in illa die judicij extremi *occidet* morte non corprali vel temporanea, ſed ſpirituali & æterna, ſeparando illum ab omni oblectatione, & religando illum in ignibus infernalibus: in quibus damnati perpetuò quaſi moribundi eruciantur, at numquam moriuntur.

II. *Qua eſt vinea meri* v. 2.? R. Eſt vinea ferax vini meri, nempe Eccleſia Beatorum: cui relegato Leuiathan cum mœtu impiorum in barathrum infernale, Deus quaſi gratulabundus occinet lætum canticum. *Repente propinabo ei*, ſupple vinum dulce & generoſum, quod & quale ipſa protulit. Propinabo, inquam, non ſcypho vel cantharo, ſed integro *torrente voluptatis*.

III. *Quo ſenſu dicitur* v. 4. QUIS DABIT ME SPINAM ET VEPREM? R. Quis mihi perſuadebit, vt inſtar ſpinæ aculeatæ pungam & impugnem tam nobilem vineam, tam mihi dilectam & electam.? Impugnaui quidem ſic ſynagogam, imò expugnaui, conculcaui & ſuccendi eam; ſed ob enormia illius ſcelera, & pertinaciam in malo. Vt verò ſimili modo ſæuiam in Eccleſiam Chriſtianorum, ob nævos aliquos & leuiora peccata, numquam inducar. Potiùs ipſa ſuo decore & ſuauitate vinctam tenebit *fortitudinem meam*, ne hac vtar aduersùs eam.

IV. *Quid de Synagoga Judæorum dicit* à v. 6.? R. Ad Judæos conuertendos ingreſſi Apoſtoli Chriſti cum *impetu* & feruore ſpiritûs reflorere fecerunt & *germinare Iſraelem* nouo fidelium *ſemine*, nouo flore, nouo germine, quo *faciem orbis* impleuerunt v. 7. *Numquid juxta plagam percutientis ſe*, pari menſura ex lege talionis percuſſit Deus Iſraelem; vt ſicut ipſi Chriſtum & ſanctos ejus inhumaniter exagitarunt & enecarunt, ita & ipſe viciſſim diuexarit & exſtirparit? Minimè: ſed vicit in bono malum, quamdiu capaces illi manſerunt alicujus boni: At cùm propter intolerabilem ſuam nequitiam ac rebellionem prorſus à te *abjecta fuerit* Judæorum vinea, tum *judicabis eam in menſura contra menſuram* v. 8 id eſt, pari & contra poſita ſceleribus menſura pœnarum. *Meditatus eſt* enim Deus, decreuitq; contra eam dura ſupplicia, *in ſpiritu ſuo duro*, & inexorabili *per diem æſtus*, id eſt, tempore feruentis vindictæ, quam per Veſpaſianum & Titum exeret in vniuerſam Judæam. *Idcirco* v. 9. quia tot cladibus & flagellis, ſimulq; Apoſtolorum prædicatione reſipuit aliqua pars *domus Jacob*, propter hoc *dimittetur* illi omnis ejus *iniquitas*: nam finis fructusq; omnis caſtigationis diuinæ eſt auferre peccatum: Deus enim non verberat, vt lædat, ſed vt corrigat & ſanet. Hunc porrò ſanationis Judaicæ fructum, ſaltem ex plurimis colliget Deus, *cùm poſuerit omnes lapides altaris* holocauſtorum, adeoq; & totius templi Jeroſolymitani, *ſicut lapides cineris*, id eſt, lapides incineratos, & mutua colliſione contritos. Item cùm ampliùs non *ſtabunt luci & aſtra* idolorum euerſa per Apoſtolos, & apoſtolicos viros: ſed è contrario videbunt, exciſo ſuo templo, & alijs idolorum templis, vni Chriſto, & vero Deo templa paſſim & aras toto orbe erigi; incipient & ipſi oculos aperire, & ad Chriſtum colendum ſe transferre, inquit S. Hieron. Adeoq; patebit ad oculum, ſalutem tunc temporis à ſolo Chriſto, & in Eccleſia Chriſtiana ſperandam eſſe, vt etiam mulieres v. 11. id paſſim edocturæ ſint. Qui verò id non aduertet, vel amplecti nolet, eo ipſo deſignabit, ſe *non ſapere*, ac propterea non mereri, vt Deus ejus *miſereatur*, aut parcat.

V. *Qua tubâ magnâ clangetur* v. 13.? R. Prædicationis euangelicæ, qua exciti veri Iſraelitæ, vndiq; ad Chriſtum accurrent, ex locis, in quibus diſperſi & quaſi perditi degebant, etiam ex Aſſyria & Ægypto, & vnanimiter ſimul omnes colent verum DEum, & Meſſiam ſuum *in monte ſancto Sion, in Jeruſalem*, id eſt, in Eccleſia ſancta Chriſti, ita S. Hieron. Cyrill. Theodor. à Lapide. Alludit quidem ad reditum Judæorum è captiuitate Babylonica, & Ægyptiaca: ſed per has vmbras intendit deſignare ſpiritualem redemptionem humani generis per Chriſtum.

CAPUT XXVIII.

Ab excidio orbis redit ad excidium particularium gentium. Et hoc quidem capite prædicit excidium Ephraim, id est, Samariæ, & decem tribuum, idq; ob eorum superbiam & luxum. Idem deinde ob easdem causas prædicit duabus reliquis tribubus Juda, & Benjamin. Tandem vtriq; promittit lapidem Angularem Christum.

QUæstio I. *Quid per coronam superbiæ, & ebrios Ephraim intelligitur* v. 1.? R. Regnum superbum & gulosum Israël. Nam Ephraim vocat Israël, hoc est decem tribus. Illis intentat væ excidij, vtpote superbis & ebrijs: Aitq; similes flori decidenti, qui mox vt floruit, marcescit, & perit. Appositè ait *corona*, quia Samaria metropolis Ephraim, ædificata ab Amri rege in vertice montis Somer, ab eodem cincta fuit admirabili ædificiorum superbia in modum coronæ, atq; prospectum exhibebat amœnissimum, & quaquaversus longissimum, ait Adrichom, in Samaria *Qui erant in vertice vallis pinguissimæ*, id est, qui habitabant in vrbe Samaria, quæ sita est in vertice montis, cui vallis fertilissima vinetis & oliuetis abundans subjacet.

II. *Quid intelligit per temporaneum ante maturitatem?* R. Quasi præcoces fructus, v. g. primæ ficus, poma, cerasa, quia noua, magis irritant palatum, ac proinde ante maturitatem sociorum fructuum auidissimè deuorantur: ita & vos, ô Samaritæ ante alios vicinos populos, quasi primæ cupediæ deuorabimini ab Assyrio tyranno Salmanasare 4. Reg. 17.

III *Cui sedenti super thronum erit Deus spiritus judicij* v. 6.? R Ezechiæ judici supremo & principi totius populi, aderit *spiritus judicij* assistens vbiq; regi, eumq; dirigens ac gubernans, vt justè prudenterq; omnia disponat. Militibus verò cum salute *reuertentibus de bello ad portam*, è qua exierant, erit *fortitudo*, id est, pro robore & pro præsidio.

Lapis probatus angularis.

IV. *Quis est lapis probatus, angularis* v. 16. R Christus, quem ponet Deus pro fundamento Ecclesiæ, non mendacium, sed solidum probatumq;, ita passim exponunt Doctores etiam Hebræi, & constat ex Matth 21. v. 42. & ad Eph. 2. v. 20, Rom. 9. v. 33. & 1 Pet 2. v. 7. vbi hæc de Christo exponuntur, *sed qui crediderit, non festinet* quasi volens statim exhiberi Christum, qui hîc à me promittitur; verùm patienter exspectet, quia certissime complebo suo tempore promissionem meam, vnde exspectando *non confundetur*, vt hîc vertunt LXX. Porrò hujus Christi mei olim venturi intuitu v. 17. *Ponam* ex nunc hisce illusoribus *judicium in pondere & justitiam in mensura*, id est judicabo illos justè & puniam rigidè, quasi appenso justo pondere, & impletâ mensurâ, nempe per Chaldæos primùm, dein per Romanos & alios. Sicut enim intuitu Christi benefacio pijs ejus filijs ac clientibus, ita etiam punio rebelles ipsi & refractarios. Et hæc *grando*, id est, vehemens & subita punitio *subuertet spem* omnem *mendacij*, id est, mendaces spes impiorum Judæorum, quas in idolis suis repositas habent: & *aqua* afflictionum istarum *inundabunt*, conuertent, diruent, destruent *protectionem* id est, murum & munitionem omnem, qua se protegendos putabant.

V. *Quis est finis* v. 21. *Sicut in monte diuisionum stabit Dominus: sicut in valle, quæ est in Gabaon irascetur?* R Sicut olim pro Dauide typo Christi mei exsurrexi *in* monte Pharasim, id est, diuisionum 2. Reg. 5. & pro Josue *in valle* contra *Gabaon* Josue 10. ita S. Hieron. q. d. iterum etiam solem, si opus fuerit, sistet Deus, *vt faciat opus suum*, seu vindictam & punitionem à se decretam. Quod tamen propriè non est *opus* Dei, sed est *alienum & peregrinum ab eo*, & ab innata ipsi bonitate. Vestrum potius est opus, ad quod vestris sceleribus cogitis vel inuitum Deum.

VI. *Cur dicit* v. 24. *numquid tota die arabit agricola?* R Agricola non simul omnia facit, sed successiuè singula, Deo sic disponente, & illum ad hoc naturali lumine ducente: seruatq; modum, vt aliud virgâ, aliud baculo triturando excutiat, nec ipsa grana frumenti comminuat, ita omnia in tempore facit Deus. *Gith* genus est seminis calidi & nigri, quo tenuiores vti solent loco piperis. Significat autem allegoricè, sicut & ciminum, vulgarem populum & rudem: qui si peccet, leuiter baculo corripietur: at frumentum, sacerdotes & scribas ac principes designat, qui dura rota plaustri calcabuntur, inquit S. Hier.

CAPUT XXIX.

Prædicit excidium Jerosolymæ, & miseram Judæorum cladem, & cumulum omnis miseriæ, excæcationem & obstinationem in malo; è contrario vocationem & conuersionem gentium ad Deum.

Quæstio

Quæstio I. *Quid per Ariel intelligit* v. 1.? ℟ Urbem Jerusalem, quasi Leonem Dei, nam tribus Juda, cujus erat Jerusalem pro signo habebat Leonem, quæ vt leo fortissimus sæuiebat & frendebat in vicinas gentes. Erit mihi quasi Ariel, id est, sicut aries maledictionis, qualis immolatur q. d. Jerusalem quæ diuino munere est leo gentibus, suo peccato erit aries & victima maledicta. Vel *erit mihi quasi ariel*, sic me geram erga Jerusalem, sicut venatores solent erga feroces & noxios leones & leænas, cùm illis capiendis insudant, nempe vallis, aggeribus, fossis, cuniculis, retibus, hastis aggrediar illam.

II. *Quia est*, DE TERRA LOQUERIS v. 4.? ℟ Non tunc ampliùs attolles cristas, nec grandi tonabis eloquio: sed humi prostrata, euersa & excisa, gemes de terra, in qua prostrata jaces sub victoris pedibus: *& erit, quasi pythonis vox tua*, nempe exilis, hiulca, gemebunda, flebilis & lugubris, qualis est spirituum & vmbrarum, quas python, id est, necromanticus, euocat ab inferis, & facit loqui sub terra, vel ex ventre hominis, aut alterius animalis, vocantq; etiam ipsæ pythones

III. *Quis est sensus* v. 17.? ℟ *Adhuc in modico*, id est, post modicum & breue tempus, scilicet inchoatiuè post 180 annos soluta captiuitate Babylonica: completiuè verò post 700 annos, soluta per Christum captiuitate diabolica, maximam videbitis rerum mutationem. *Libanus* enim mons infrugifer in Phœnicia, nec nisi arboribus, ijsq; infructiferis, constans, *conuertetur in Charmel* montem Judææ fertilissimum, frugibus, vitibus, oliuis maximè abundantem: id est, gentes steriles hactenus & incultæ, gratiâ Christi, & ope Apostolorum, fertiles reddentur bonorum operum. E conuerso *Charmel*, id est Judæi olim tempore Patriarcharum & prophetarum fœcundissimi & fertilissimi, *vsja tua* infructiferum, & incultum degenerabunt. ita S. Hieron. Cyrill. Procop. & Theodor.

CAPUT XXX.

Coarguit Judæos, quòd, vt euaderent Chaldæos, confugerint in Ægyptum, contra voluntatem Dei eis insinuatam per Jeremiam c. 42 Deinsub typo Jerosolymæ rursus instauranda describit felix regnum Christi tum in militante, tum in triumphante Ecclesia. Deniq; impijs præparatam esse Tophet, id est gehennam ignis.

Quæstio I. *Cur Judæi vocantur iumenta Austri* v. 6.? ℟ imò quia stolidè & brutè deserto Deo, cujus toties, nuncq; recenter opem, nunc vindictam erant experti, ad Ægypti regem & idola confugerunt. 2dò quia bonis suis, quæ ex excidio Judææ extulerant, incedebant onusti, quasi jumenta Dicuntur *Austri*, quia Judæa ad Austrum, id est, ad meridiem, est confinis deserto, quo itur in Ægyptum, & quia fugiebant in Ægyptum, quæ Judææ est ad Austrum. ita S. Hieron. & alij q d ait Forerius. *Onus*, id est prophetia minax & dura in Judæos, qui contra Dei voluntatem, quasi jumenta bonis suis onerati versùs Austrum, id est, versus Ægyptum proficiscuntur. *Jumenta Austri sunt Judæi.*

II. *Quæ est terra tribulationis, & quis in ea leo, vipera, regulus volans* &c. v. 6 ? ℟ terra tribulationis est desertum, per quod transierunt jumenta Austri, id est Judæi & in quo est magna rerum inopia, fames & sitis; in quo rursùs *leones ex eis*, scilicet terræ locis & antris prodeunt, qui viatores inuadant, pariter & *vipera & reguli*, vt patet Deut. 8. v. 15. transierunt inquam Judæi *portantes super humeros iumentorum diuitias suas.* q. d. Videor mihi videre fugientes Judæos per desertum, atq; jumenta & camelos eorum portantes dorsis suis opes, quas ex excidio Jerosolymæ extulerunt. *Regulus volans*, est serpens ignitus, siue prester, quales fuere illi immissi in Hebræos murmuratores Num. 21. 6.

III. *Quo sensu dicitur* v. 17. *Donec reliquamini quasi malus nauis in vertice montis?* ℟ Sicut fracta naui, tabulis reliquisq; omnibus armamentis fluitantibus & pereuntibus nautæ tantùm malum in montem tollunt & erigunt, aut aliud signum in colle extollunt, vt nauigantibus sit indicio locum esse periculosum ob syrtes, scopulos, arenas &c. ita vos pauci ex hac clade superstites eritis quasi signum iræ Dei, vt calamitatis vestræ exemplo alij eamdem vitent & caueant, ita S. Hieron. Comparatur excidium Jerusalem naufragio nauis, ex quo malus, id est, pauci euaserunt, vt dispersi per orbem, Judaicæ cladis essent indices & præcones.

IV. *Quid per panem arctum & aquam breuem intelligitur* v. 20? ℟ Panem restrictum & modicum, aquam paucam & exiguam, vt esuriem & sitim explere nequeant q. d. Patiemini quidem ô Judæi, sub Sennacherib, æquè ac in Babylone inopiam aliquam, famem, sitim &c. verùm Deus vobis aderit, vos proteget, dabitq; doctores & præceptores scilicet Jeremiam & alios prophetas, qui vobis semper præsentes erunt, imò à tergo monere opportunè, importunè non cessabunt, vt viam Domini recta ingrediamini, nec deuietis ad *Panis arctus & aqua breuis.*

tis ad idola: tumq; pro arcto pane & aqua dabit vobis Deus rerum abundantiam, vti eum feciſſe cum Judæis Babylone redeuntibus patet Zach. 8. 10. & Aggæi 2. 17. tum Ezechiæ ſub Sennacherib, patet 4 Reg. 19. 17. ita S. Thom. Procop. Lyran. Hæc veriora ſunt tempore Chriſti, qui eſt perpetuus fidelium per omnia ſæcula doctor & præceptor, q d. Deus dabit fidelibus Doctorem Chriſtum, inquit S. Hieron. & Spiritum Sanctum atq; Apoſtolos

V. *Quis eſt ſpiritus Dei velut torrens inundans* &c. v. 28.? ℟ Halitus, qui efflabatur ab ore indignabundo Dei, tam erat vehemens, vt ſolus proſtraturus videretur omnes hoſtes; non aliter atq; incitatus torrens, qui ad medium vſq; collum intumuit, homines proſternit, obruit, & mergit ita Sanchez. *Ad perdendas gentes in nihilum*, vt jam non ſint in terra, ſed in inferno: in terra ergo erunt nihil: in inferno cremabuntur, & annihilabuntur, quantum eſt ex vi ignis & combuſtionis; ſed Deo eos conſeruante ad æterna tormenta, numquam erunt nihil, vel annihilati. *Et frænum erroris, quod erat in maxillis populorum.* q. d. Deus in judicij die auferet & perdet poteſtatem Dæmonis, qua ipſe velut frœno regebat peccatores, eoſq; in omnem ducebat errorem & impietatem; conſequenter auferet & frœnum mundi & carnis, quo multi jam infrœnantur.

VI *Quod eſt canticum ſicut nox ſanctificatæ ſolemnitatis* v. 29 ? ℟ dicit *ſicut nox*, quia inquit Pintus, cùm mane eſſet immolanda victima, Judæi totam noctem præcedentem cum lætitia & canticis tranſigebant. Deinde & genuinè loquitur propheta ſanctis & electis, qui in cœlo canent *Canticum quaſi nox* (id eſt *noctis* eſt antiptoſis Hebraica: Hebræi enim carent caſibus; vnde vnum pro alio, imò pro omnibus vſurpant) ſanctificatæ ſolemnitatis, non paſchæ, ſed tranſitus maris rubri, q. d. Canent Beati tale canticum, quale cecinerunt Hebræi, quando nocte tranſito mari rubro, & ſubmerſo Pharaone cecinerunt: *Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt*, Exod 15. 3. Hoc enim canticum Moyſis cantaturos electos docet S. Joannes Apoc. 15. Ita S. Hieron.

CAPUT XXXI.

Prima parte capitis pergit inſectari Judæos, qui occiſo Godolia fugiebant in Ægyptum. 2da commendat Judæos, qui tempore Sennacherib rejecta ope Ægyptiorum, confugiebant ad opem diuinam, promittens protectionem Dei.

QUæſtio I. *Quos filios intelligit* v. 6. CONVERTIMINI FILII? ℟ Non Juda, ſeu duarum tribuum Deo adhærentium, ſed Iſrael, ſeu decem tribuum Deo rebellium: nam licet ex Iuda ſitis oriundi, cum Iſraelitis tamen à Deo deflexiſtis & in profundum Idololatriæ & aliorum ſcelerum delapſi eſtis. Convertimini tandem aliquando: ſic enim præſentem Dei opem experiemini, ſicut ſub Ezechia jamjam experientur anteceſſores veſtri Iudæi, qui abjectis omnibus idolis ſuis à tempore impiiſſimi Achaz reliquis ſe totos conuerterunt ad Deum ſibi propitium reddendum. Ita facite & vos, & omne hoſtile robur, quod formidatis à Chaldæis, prorſus concidet & euaneſcet.

II. *Quis Aſſur cadet gladio non viri* v. 8.? ℟ blaſphemus Sennacherib proſternendus ab Angelo, qui vna nocte cædet ex ejus exercitu 185. millia. *Et juuenes ejus*, ſeu ſubditi ipſius, nempe Aſſyrij, qui alijs jam dominantur, & tributum ac vectigal imperant, pòſt paulò vectigales erunt aliis, nempe primò Chaldæis. 2. Perſis & Medis. 3. Græcis, 4. Romanis. nec vmquam priſtino imperio & ſplendori reſtituentur. Ita S. Hieron nempe pariter Deus pro vobis, ſi fideles illi adhæſeritis, pugnabit contra hoſtes veſtros Chaldæos.

III. *Quid iunuit* v. 9. *Ignis ejus eſt in Sion, & caminus in Jeruſalem?* ℟ id eſt à Jeroſolymitanis & Jeroſolymæ vult ſacrificijs coli in ſuo altari igne perpetuò ſuccenſo. q. d. non eſt, quòd Ieroſolymà fugiatis in Ægyptum, cùm decreuerit Deus Ieroſolymæ cultum diuinum vna cum templo inſtaurare: Ægyptum verò funditus exſcindere.

CAPUT XXXII.

Felicitatem regni Ezechiæ regis deſcribit, ſimulq; regni Chriſti. Deinde cladem & excidium Jeroſolymæ tum per Chaldæos, tum per Romanos. Deniq; deſolatos ſolatur ſpe lætioris fortunæ mox affuturæ, maximè aduentu Spiritus Sancti, qui optatam orbi pacem ſpiritualem, quietem & juſtitiam afferet.

Quæſtio

QUæstio I. *De quo rege loquitur* v. 1.? R. De Ezechia, & ejus antitypo Christo, cujus principes sunt Apostoli, cùm ante Ezechiam regnarit impius auus Achaz, qui vrbem & templum idolis polluit. Post cæsum Sennacherib, & post curationem Ezechiæ, tam rex, quàm populus in plena pace mirè coluit pietatem & justitiam.

II. *Quorum videntium oculi non caligabunt* v. 3.? R. Videntes vocat prophetas, q d. sub Ezechia & magis sub Christo, mutatis in melius moribus populi, prophetæ clariores à Deo habebunt visiones & reuelationes, ac populus ad eos audiendum magis erit capax ac docilis. Opponit hoc dictis c. 29. 10. vbi dixit Deum ob peccata Judæorum clausisse eis oculos & operuisse prophetas. *Oculi videntium.*

III. *Quorum stultorum cor intelliget scientiam* v. 4.? R. Stulti fuerunt Judæi sub Ezechia credentes pseudoprophetis, sed ijs exclusis ab Ezechia, & veris introductis, ab eis intellexerunt scientiam veram de Deo rebusq; agendis: tumq; Deus balborum, id est, Isaiæ & prophetarum, qui antea quasi erant balbi, id est, timidè, hæsitanter, obscure & imperfectè prædicabant, linguam expediet, vt planè, expeditè & velociter oracula Dei exponant populo. Sub Christo verò stulti fuerunt gentiles, qui stultè idolis & vitijs suis seruiebant: hi acceperunt scientiam Dei & salutis ab Apostolis, tumq; lingua balborum planè locuta est, cùm Apostoli antea rudes, & inepti, recepto Spiritu Sancto, acceperunt linguas igneas, quibus facundi & feruidi facti sunt ad prædicandum toto orbe Euangelium. Ita S. Hieron. Cyrill. & Procopius.

IV. *Quos alloquitur* v. 10. *beati qui seminatis super omnes aquas, immittentes pedem bouis & asini?* R. Principes è Babylonico carcere reduces & Apostolos aliosq; discipulos, è perditis Judæis ad Christum conuersos. Felices vos, imò, quòd alijs pereuntibus, vos saluemini. 2dò quòd vt alij quoq; saluentur, omnibus manum porrigatis, semen verbi euangelici jacientes *super omnes aquas*, id est, super omnes agros idoneos sementi, nempe aquis & pluuia madentes: vbiq; sine discrimine in omnes agros idoneos & aptos regno Dei *immittentes pedem bouis & asini*, quò celerius subigantur, arentur & colantur. Insinuat promiscuè deinceps in Ecclesia Dei tam ex gentilibus, quàm ex Judæis, delumendos, qui agrum dominicum non modò incolant, sed & excolant, inquit S. Hieron. Lege enim Mosaica prohibita erat aratio *in boue simul & asino* Deut. 22. Sed *in Christo non est distinctio Judæi & Græci.* Ipse est *pax nostra, qui fecit vtraq; vnum*, & vtrumq; populum amplexus est.

CAPUT XXXIII.

Prædicit excidium Sennacheribo, & sub hoc typo omnibus Ecclesiæ hostibus, quibus minatur æternos gehennæ ignes. Pijs verò promittit æternam felicitatem in Sion cœlesti. Terrestri quoq; Sioni gratulatur de soluta obsidione, & spolijs ex hoste collectis. Deniq; ostendit, quantum præcellat Ecclesia Christi Synagogæ Judaicæ.

QUæstio I. *De quo loquitur* v. 1. VÆ QUI PRÆDARIS, NONNE ET IPSE PRÆDABERIS? R. De Sennacherib, qui prædatus est Judæam, jamq; imminebat Jerosolymæ. Nam ibi vicissim tu prædaberis, non actiuè sed passiuè, id est, spoliaberis, & præda fies Judæis: væ tibi superbe, qui victorijs insolens spernis & Judæos, & Deum Judæorum; ipsi vicissim spernent & contemnent te, cùm tua castra subitò per Angelum cædentur, & quasi exsufflabuntur, imò filii tui spernent te, cùm videbunt te castris exutum & profugum, teq; occident.

II. *Qui sunt Angeli pacis* qui *amarè flebunt* v. 7.? R. Sunt nuntij, quos Ezechias ad Rabsacen Ducem Sennacherib misit pacis componendæ causa, scilicet Eliakim, Sobna, & Joahæ, qui cùm pacem à tyranno non impetrarent, sed minas, videntes vrbi imminens excidium, fleuerunt scissis vestibus, vt dicitur c. 36 S. Hieron per Angelos pacis accipit Angelos præsides templi Salomonis. Hi enim doluerunt videntes illud esse in periculo tantæ cladis. Unde tempore Titi clamarunt, *migremus hinc*, scilicet è templo jamjam euertendo. *Angeli pacis.*

III. *Quod est pactum factum irritum* v. 8.? R. 1. Hugo intelligit pactum Judæorum cum Deo, de lege Dei seruanda, quod quia illi violarunt, hinc vastati sunt, juxta id quod minatus est Deus Leu. 26. 2dò S. Thom. Lyran. & Forer. accipiunt pactum Sennacherib cum Judæis initum, quod ipse post acceptam ab eis pecuniam violauit, ac projecit & euertit ciuitates Judææ, atq; non reputauit homines, cùm Judæos omnes vilipendit, & contemplit, vt patet 4. Reg. 18. 3tiò S. Hieron. Haymon & Sanchez accipiunt pactum, quod Deus cum Judæis iniit, quo promisit se eorum fore protectorem. Hoc pactum Deus ob peccata Judæorum irritauit ac Judæos non reputauit homines, sed ju- *Pactum irritum.*

menta, inquit Hieron. vtpote qui non rationem, sed brutalem appetitum & concupiscentiam secuti se quasi in bestias transformarunt, ideoq; eos abjecit, & Chaldæis mactandos objecit, reputauit eos non homines, sed vt stipulas vanas, quæ à vento dispelluntur, vel vt vasa testea figuli, quæ confringuntur.

CAPUT XXXIV.

Occasione cæsi Sennacherib inuitat omnes nationes ad spectandum excidium orbis in fine sæculi. Rursus occasione excidij Idumææ ad idem generale orbis excidium omnibus ob oculos exhibendum assurgit.

Militia cœli.

QUæstio I. *Quo sensu dicitur* v. 4. TABESCET OMNIS MILITIA CÆLORUM? ℟ Sol, luna & reliqua sidera tam insolitis modis commouebuntur, obscurabuntur, & lumen suum retrahent, vt videantur præ indignatione tabescere, liquescere, dissolui. Et hoc est, quod Christus ait Matt. 24. *Sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cœlo.*

II. *Quomodo complicabuntur cœli sicut liber.* v. 4.? ℟ Sicut in membrana literis conscripta (quales erant veterum libri) nullæ deforis literæ comparent, si membrana circum cylindrum conuoluatur; ita in cœlo nubibus vndiq; clauso & quasi inuoluto nullæ apparebunt stellæ. Fulgetris quoq;, cometis, stellis cadentibus, alijsq; meteoris ita aër perturbabitur, vt cœli conuolui & complicari, & quasi terræ commiscri videantur.

Gladius incrassatus.

III. *Quomodo dicitur gladius incrassatus adipe agnorum, hircorum, & arietum* v. 6. ℟ Solet culter, quo jugulantur pingues oues, repleri, & quasi incrassari earum tam adipe, quàm sanguine: per hoc autem significat, quòd Deus gladio Chaldæorum transfodiet Idumæos, ita vt gladius eorum cruentetur sanguine & incrassetur adipe Idumæorum. Per agnos intelligit plebem, per hircos, duces & principes, per arietes magistratus & ditiores. q. d. nulli ætati, sexui, aut gradui parcet hostilis gladius, sed in omnes promiscuè desæuiet. *Victima Domini in Bosra*, q. d. cædem facturus est Deus in Bosra vrbe primaria Idumææ, vt impios in ea per Chaldæos offerat, & mactet diuinæ suæ justitiæ.

IV. *Quo sensu dicitur* v. 11. *Extendetur super eam mensura?* ℟ Deus Idumæam, id est, mundum certo & exacto judicio, æquans demeritis pœnas, item certâ sententiâ, destinatione & designatione (hæc enim est mensura) eam vastabit, & gloriam ejus annihilabit, hæc ergo vastitatis mensura erit *perpendiculum in desolationem*, id est, erit quasi linea fabrilis in terra extensa, vt juxta eam planè desoletur, radatur & solo æquetur. Est metaphora à linea seu perpendiculo fabrorum, qua domos erigendas, aut diruendas dimetiuntur, vt juxta eam præcisè eas erigant vel destruant.

CAPUT XXXV.

Tristi Idumææ excidio subjungit lætum de Ecclesia gentilium sub Christo gloriosè propaganda vaticinium: bona Ecclesiæ Christi per Antithesin opponens malis, quæ Idumææ & reliquo orbi in fine mundi obuentura prædixit cap. præced.

QUæstio I. *Qua est deserta* v. 1.? ℟ Gentilitas hactenus deserta à Deo, à salute, à justitia, à religione, & cultu Dei, lætabitur, & instar *lilij* florebit, miro vitæ & puritatis nitore. *Gloria Libani*, ex quo cedri, pini, thus: *decor Carmeli & Saron*, vnde segetes, vuæ, oliua & alij fructus vberrimi, quibus olim Iudæa gaudebat. Id est, omnia ornamenta Synagogæ, omnes opes & deliciæ non solùm corporales, sed & spirituales Iudæorum, transferentur ad Ecclesiam gentilium. ita S. Hieron. & alij.

II. *Cur dicuntur tunc visuri* v. 2.? ℟ quia ante cæci in tenebris & in vmbra mortis jacentes, jam oculos aperient, & aspicient lumine fidei *gloriam Domini*, id est, splendorem, pulchritudinem, amœnitatem, felicitatem à Deo submissam: Iudæis è contrario excæcatis, & in tenebras palpabiles delapsis.

III. *Quare aquæ scissæ dicuntur in deserto*? ℟ Causam dat præcedentium, & ostendit ea non corporaliter, sed spiritualiter esse accipienda. q d. Ideo aperientur oculi cæcorum &c. quia in deserto, id est, in gentilitate *scissæ sunt*, hebr. *scindent se*, id est, copiosè erumpent & spargent se aquæ, id est, charismata spiritualia: *& sitiens*, id est, eadem gentilitas sterilis, erit *in fontes aquarum*, id est, habebit fontes aquarum (id est, gratiarum) salientium in vitam æternam, ita S. Cyrill. & Theodor. Sanchez censet hîc per *quia* non dari causam, sed conjungi extrema, essèq; idem, quod & q. d. Saliet claudus, loquetur mutus, & erumpent in deserto aquæ: Nec enim appositè hîc datur causa, aut dicitur: *saliet claudus: quia scissæ sunt aquæ*, quid enim faciunt aquæ ad saltum.

IV.

IV. *Quo sensu dicitur* v. 7. *In cubilibus, in quibus priùs dracones habitabant, orietur vi-ror calami & junci*? ℟ Dixit cap. præced. In Idumæa vastata & deserta habitaturos onocentauros, pilosos & lamias, id est, dracones: hîc vice versa dicit in gentilitate deserta, in quibus habitabant dracones (hi enim sicci amant loca arida) exoritura calamum & juncum, quæ non nisi humido loco, ac proinde non deserto sed fertili nascuntur, q. d. in vrbibus & animabus gentilium, quæ erant cubilia, id est, propria domicilia draconum, id est, dæmonum & vitiorum, orietur viror gratiæ & virtutum, vt fiant ipsi templa Spiritus Sancti.

CAPUT XXXVI.

Rabsaces legatus Regis Assyriorum Sennacherib agit cum legatis Ezechiæ regis Juda, & populo Jerosolymitano, hortaturq; vt se dedant: sed nullo accepto responso remittitur.

QUæstio I. *Quid per manum grauem intelligitur* v. 2.? ℟ Comitatus magnus, miles multus ad ostendendam potentiam Assyriorum. Licet enim Sennacherib exercitum penes se retineret, tamen misit insignem militum manum cum Rabsace ad percellendum Judæos. Est enallage quantitatis continuæ pro discreta: *grauis* enim sumitur pro multo hic, vti & alibi sæpe.

II. *Quo sensu dixit Rabsaces* v. 16. FACITE MECUM BENEDICTIONEM? ℟ Benedictionem non actiuam (hanc enim homo arrogans contemnebat: neq; enim optabat Iudæis benedici) sed passiuam, q. d. dedite vos mihi, itaq; gratiam & beneficentiam meam vobis conciliate, vt in vos benignus & beneficus sim. q. d. Ita facite mecum vos mihi subdendo, vt inde vobis accedat benedictio, id est, beneficentia mea. Seruitutem, quæ per se odiosa erat, benedictionis nomine tegit, vt magis ad se alliciat.

CAPUT XXXVII.

Ezechias jubetur ab Isaia bono animo esse, nec timere Assyrios: & rursus per alios legatos interpellatus à Sennacherib de vrbe dedenda, confugit ad templum, Deumq; rogat, vt suæ & populi causæ succurrat. Unde Isaias iterum metu illum liberat, & blasphemo Sennacherib aduersa omnia prænuntiat, è cujus castris vna nocte, manu Angelica cæduntur 185 millia armatorum: ipse verò tyrannus à propriis filijs obtruncatur.

QUæstio I. *Quis est dies correptionis* v. 3.? ℟ Diem correptionis vocat; quia Rabsaces increpuerat Ezechiam, quòd in Deo speraret, cujus excelsa abstulerat, quodq; non haberet bis mille equites, nec esset resistendo, atq; populus, quòd, nisi se dederet, redigendus esset in tantas angustias, vt stercora sua comedere, & vrinam bibere cogeretur: hæ ergo fuerunt correptiones, siue increpationes Rabsacis.

II. *Quo sensu dicitur* v. 3. *Venerunt filij vsq; ad partum, & virtus non est parientis* ℟ Est prouerbium q. d. In extremum discrimen, dolorem & angorem venimus, vt tanquam puerperæ molientes bellum pium & necessarium pro vrbis sanctæ defensione contra blasphemum Sennacherib, illud præ languore & defectu virium eniti, & in lucem proferre non possimus; sed illo opprimendi simus, ni Deus miraculosè gloriæ suæ & nobis succurrat. ita Theodor. & alij.

III. *De quo spiritu dicitur* v. 7 EGO DABO EI SPIRITUM? ℟ De spiritu timoris & perturbationis, & quasi terrore panico, atq; nuntio de aduentu Tharacæ regis Æthiopæ, qui eum ab obsidione Ierosolymæ submoueat, vt contra eum pugnet: quo facto rediens cædetur ab Angelo, ideoq; fugiet ad suos in Assyriam, ibiq; occidetur.

CAPUT XXXVIII.

Ægrotanti Ezechiæ Isaias mortem denuntiat: sed ille precibus vitam ad alios 15 annos & liberationem ab Assyrijs impetrat, accepto signo per solis regressum ad 10 lineas. Unde canit Deo carmen Eucharisticon, illudq; in tabulis publicis exarari jubet.

QUæstio I. *Quomodo dicitur* Ezechiæ v. 1. MORIERIS TU ET NON VIVES, *cùm tamen superuixerit?* ℟ Morbus tuus lethalis est, si naturales causas spectes, non est medicina, quæ te curet, nisi Deus miraculo te sanet, morieris. Ita S. Aug. l. 6. de Gen. ad lit. c. 17. tom. 3. secundùm, inquit, aliquas causas inferiores jam

Vitæ periodus duplex.

vitam finierat rex: ſecundùm illas autem, quæ ſunt in voluntate Dei & præſcientia, qui ex æternitate norat, quid illo tempore facturus erat, & hoc verè futurum erat, tunc finiturus erat vitam, quando vitam finiuit] Eſt enim duplex vitæ periodus, vna à natura, altera à Deo conſtituta: hæc ſemper eſt certa & fixa, nec augeri, nec minui poteſt; illa à Deo breuiari vel ampliari poteſt, & de facto in Ezechia alijſq; ampliata vel breuiata fuit.

Fletus Ezechiæ.

II. *Cur fleuit Ezechias* v. 3.? R. Tum quia juuenis erat 39. annorum: juuenibus autem mors eſt acerbior, tum quia non habebat filium, quem relinqueret hæredem. Id colligitur ex eo, quòd Manaſſes primogenitus ejus, & in regno ſucceſſor, regnare cœperit patre mortuo anno ætatis 12. Ezechias autem poſt hunc morbum adhuc 15 annis regnauit. Ergo necdum genuerat Manaſſem, ſed is genitus eſt anno ab hinc tertio: ita enim moriente patre erat 12 annorum. Fleuit ergo quia non habebat prolem, ex qua naſceretur Chriſtus, Abrahæ & Dauidi promiſſus.

Solis regreſſio.

III. *An ſola vmbra retroceſſit in horologio Achaz, an verò etiam ſol, & conſequenter ejus vmbra per totum orbem?* R. Non tantùm vmbram, ſed & ſolem ipſum à Deo retroactum & reductum fuiſſe cõmuniter docent Patres & interpretes. Ratio eſt, quia 2. Paral. 32. 31. dicitur Babylonios veniſſe, ad Ezechiã, vt interrogarent de portento, quod acciderat ſuper terram, (portentũ autẽ hoc non poteſt eſſe aliud, quàm regreſſio ſolis, vt communiter docent interpretes: nam cædes Sennacherib poſteriùs, ſcilicet ſecundo abhinc anno contigit) ergo etiam in Babylone viſa eſt regreſſio vmbræ, procedens ex regreſſione ſolis: cujus miraculi cauſam eſſe in Judæa cùm Babylonij percepiſſent, eò legatos miſerunt, qui eam cognoſcerent. Deinde quia id ipſum clarè ait hîc Iſaias, dicens: v. 8. *Et reuerſus eſt ſol decem lineis.* Idem diſertè aſſerit Eccleſiaſt. c. 48. 26.

IV. *An ſolus ſol retroceſſerit?* R. Abul. & indicat S. Dionyſ. omnes orbes cæleſtes cum ſole retroceſſiſſe, ſicuti ſtante ſole ſub Joſue ſtetit & luna, vt dicitur Joſue 10. 12. & conſequenter ſteterunt omnes orbes cæleſtes. Ratio eſt, quia alioqui perturbatus fuiſſet totus ordo & harmonia cæleſtis, & majori miraculo fuiſſet opus.

CAPUT XXXIX.

Ezechias omnes regios theſauros oſtendit legatis Meradach Regis Babylonis, ſed audit ab Iſaia omnes illos in Babyloniam deuehendos, & filios ab ipſo procreandos, fore Eunuchos in palatio regis Babylonis.

QUæſtio I. *Cur lætatus fuit Ezechias* v. 2? R. imò ob honorem ſibi à tanto rege, tam ſplendida legatione exhibitum. 2dò ob tanti regis amicitiam & ſocietatem, qua tutior deinceps eſſet ab Aſſyrijs & alijs hoſtibus. 3tiò ob agnitionem fortè veri DEI, quam Babylonij iſti occaſione retrogreſſi ſolis hauſiſſe potuerunt. Malè egit Ezechias oſtentando regiam gazam & reconditos theſauros; quæ oſtentatio vt ex animi elatione proficiſcebatur, DEO non parum diſplicuit, ejusq; nomine ab Iſaia grauiter reprehenſa fuit, & in poſteris punita, vt fuſiùs narratur 2. Paral. 32.

Eunuchi.

II. *Quomodo & quando Filij Ezechiæ facti ſunt Eunuchi in palatio regis Babylonis?* R. Per filios intelliguntur etiam nepotes, *qui exibunt de te*, non proximè ſed mediatè, erunt Eunuchi, non quòd caſtrandi ſint (nam nomen iſtud latiùs patere conſtat ex dictis Gen. 37. v. 36.) Sed quòd palatinis miniſterijs functuri ſint, quæ olim à ſolis caſtratis obiri ſolebant. Antiquitus adhiberi ſolebant cuſtodiendis cubilibus ditiorum matronarum & virginum, ne quis ſtuprum vel aliam injuriam inferret. Hæc prædictio impleri cœpit, cùm Manaſſes & primores Judæi abducti ſunt captiui in Babylonem 2. Paral. 33. 11. Sed completa perfectè, cùm Jechonias & Sedecias cum omni nobilitate eodem profecti ſunt ibid. c. 36. & Dan. 1. v. 3. Ubi Hebræi & ex ijs Theodor. tradunt, Danielem ejusq; tres ſocios fuiſſe nepotes regis hujus Ezechiæ.

CAPUT XL.

Promittit mundo verum paracletum, conſolatorem, redemptorem Chriſtum, ejusq; Præcurſorem Joannem Baptiſtam. Deſcribit DEI potentiam, magnitudinem & ſapientiam, qua quæcumq; promittit, præſtare certò poteſt. Invehitur in eos, qui pro DEO idola adeunt, vel in afflictione ſua de diuina ope & prouidentiâ diffidunt.

QUæſtio I. *Quo ſenſu dicitur de Jeruſalem* v. 2. SUSCEPIT DE MANU DOMINI DUPLICIA PRO OMNIBUS PECCATIS SUIS? R. Cyrill. Theodor. & Procopius de pœnis exponunt, quibus DEus expiauit peccata ſuorum. q. d. ſat pœnarum dedit pro ſceleribus ſuis, maximè in Chriſto & per Chriſtum, qui noſtra ſcelera in ſe luen-

luenda ſuſcepit, inquit Forerius. Alij id non de pœnis, ſed de donis & gratijs accipiunt, quæ ex immenſa DEI clementia propter Chriſtum nobis donantur, loco pœnarum, quas pro peccatis noſtris merebamur.

II. *Cur Iſaias* v. 6. *clamare videtur:* OMNIS CARO FOENUM? R. Præſcribit hîc Iſaias modum parandi viam Domino, docetq; eum eſſe humilitatem; nimirum vt cogitent homines, & æſtiment ſe eſſe carnem, omnem autem carnem eſſe fœnum, & carnis gloriam eſſe inſtar floris fœni. Hæc enim humilis meditatio omnia alta, praua & aſpera complanat in anima noſtra, omnia vitia tollit, omnes virtutes inſerit, omnemq; DEI gratiam ad ſe allicit. Rurſum jubetur Iſaias clamare, *omnis caro fœnum:* vt homines intelligant, quantum ſe propter eos exinaniuerit Verbum, quamq; immenſa fuerit diuina bonitas, qua Chriſtum voluit deſcendere ad homines tam infirmos & fragiles, vt ſcias inſtar herbæ ac floris, qui ſtatim marceſcit, ſimul vt homines agnoſcant, ſe ad hanc gratiam Chriſti & gloriam immortalem non naturæ viribus, ſed dono DEI peruenire, ſi videlicet cum fœno; id eſt, cum carne Verbi, quod manet in æternum jungantur. Ita Theodor. S. Hieron. Corn. à Lap. & alij. *Omnis caro fœnum.*

III *Cur dicit* v. 16. ET LIBANUS NON SUFFICIET AD SUCCENDENDUM &c.? R. Vt oſtenderet DEI celſitudinem & majeſtatem, vt omnia ligna, omne thus, omnia aromata, omnia animalia Libani, & quorumuis montium non ſufficiant holocauſtis, ſi pro dignitate ea illi offerantur. Ita S. Hier. Dicit hoc, vt Judæos æquè ac gentes ad DEI veri cultum & reuerentiam atq; ad idolorum contemptum excitet. q. d. DEI majeſtas & ſanctitas immenſa eſt, quare nullis victimis ſatis coli & adæquari poteſt, niſi vnicâ victimâ infinita ſcilicet qua ſe ipſum vnigenitus filius DEI in cruce offeret. Hic ergo efficiet, quod Libanus totusq; mundus facere non potuit. Adæquabit enim DEI dignitatem: erit enim Deus, Deoq; æqualis qui offeretur, & ſimul offeret ſemetipſum DEO in holocauſtum & mundi piaculum.

IV. *Quomodo DEUS omnes ſtellas ex nomine vocat* v. 26.? R. Omnium ſtellarum naturam, energiam, virtutes & proprietates perſpectas habet, ita vt ſingulis nomina indere poſſit: & ſingulis ſua munia, naturæ cujusq; proportionata demandet: omnes ita nutui ſuo obſequentes habens, vt juſſæ mox inſtar promptiſſimorum militum adcurrant & pareant. Sic paruerunt juſſui DEI tempore Joſue, Ezechiæ, & paſſionis Chriſti, cùm vel momento retrogreſſæ ſunt, vel radios ſuos ſubtraxerunt. Et parent adhuc quotidie, *lucentes cum jucunditate ei, qui fecit illas.* Baruch. 3. 35.

XLI.

Inducit DEum cum Gentilibus diſceptantem, & quaſi coram tribunali cauſam agentem: jubentemq; viciſſim, vt ipſi agant cauſam Deorum ſuorum, cùm hi vtpote muta ſimulacra, pro ſe loqui non poſſint.

QUæſtio I. *Quis juſtus ab Oriente ſuſcitatus* v. 2.? R. Abrahamus, quia ipſe inter infideles & impios ſolus pene fidelis & juſtus vixit: hinc vocatur juſtus Sap 10 5. æquè ac Lot inter Sodomitas vocatur juſtus ibid. v. 6. Rurſum Abraham vocatur juſtus, quia fuit fidei & juſtitiæ quaſi pater eam in Chananæos & in poſteros ſuos propagando. Deniq; quia genuit Chriſtum, juſtum, & juſtificatorem mundi. DEus ergo vocauit ab Oriente, id eſt, ex Meſopotamia, quæ orientalis eſt Palæſtinæ, vt ſequeretur ſe, ſecutus eſt enim Abraham Deum vocantem cœca obedientia *neſciens, quo iret.* Heb 11. 8.

II. *Quo ſenſu dicitur,* DABIT IN CONSPECTU EIUS GENTES? R. Dabit, id eſt, dedit, omnia enim hæc futura per præteritum exponenda ſunt. Loquitur imò de victoria Abrahæ, quam retulit celerem, facilem & incruentam de Codorlahomor, & alijs tribus regibus liberando Lot nepotem ſuum Gen. 14 q. d. quis fecit Abrahamum ſuperiorem iſtis 4. regibus victoriâ ſuperbis? hoc ne idolorum cultus præſtitit? minimè: ſed ego: & vos ergo me colite, non idola, & ſimilia experiemini. adò loquitur de victorijs, quas Abrahæ poſteri, ſcilicet Moyſes, Joſue & Hebræi ſæpe miraculoſas ab Amalecitis, Chananæis, Philiſtinis alijsq; gentibus retulerunt. Cenſetur enim Abrahæ datum, quod ejus poſteris collatum eſt. Sic enim ipſi non in ſe, ſed in poſteris promiſſa eſt terra Chanaan. Gen 13. 15.

XLII.

Promittit Chriſtum, in fœdus populi, & lucem gentium, cujus virtutes deſcribit. Unde omnes gentes ad DEI laudes inuitat. Idola & lucos ſe deſtructurum denuntiat. Ad Judæos conuerſus, proponit eis recentem cladem, & excidium decem tribuum, monetq; eos, vt à peccatis ad DEum ſe conuertant, ne ſimilem DEI vindictam experiantur.

QUæstio I. *Quem seruum intelligit* v. 1? ℟. ex Matt. 12. 18. certum est intelligi Christum, qui seruus est DEI, quatenus formam serui assumpsit factus homo. Licet enim idem, qua homo, sit filius DEI naturalis, quatenus scilicet humanitas illa subsistit in persona Verbi, quæ est filius DEI naturalis; tamen idem est & seruus ratione ipsius naturæ, putà humanitatis, quam assumpsit: hæc enim est creatura, ac proinde serua sui creatoris.

Mansuetudo Christi. II. *Quæ laus Messiæ in eo* v. 3. CALAMUM QUASSATUM NON CONTERET, ET LINUM FUMIGANS NON EXTINGUET? ℟. Est duplex prouerbium significans summam Christi mansuetudinem: homines enim calamum quassatum abjiciunt, quia inutilis est, & quia tenentem suis fracturis & aculeis pungit & lædit. Similiter linum seu ellychnium non ardens, & vix lucens, sed fumigans, quia nocet & oculis & naribus (fœtet enim) mox extinguunt. Christus verò tantæ erit patientiæ, vt neutrum faciat. q. d. Christus erit tam patiens & mansuetus, vt calamum quassatum & linum fumigans, in quo adhuc aliquid luminis & ignis remanet, id est, infirmos & imbecilles in fide, spe, & charitate non abjiciat, nec contentiosè, nec clamosè increpet & opprimat, sed sua mansuetudine eos sustentabit, fouebit, sanabit & accendet.

Laqueus iuuenum. III. *Quomodo omnes dicuntur laqueus iuuenum* v. 22.? ℟. Laqueus actiuè accipit S. Hieron. & S. Thom. q. d. Scribæ & Pharisæi suis prauis traditionibus & dogmatibus quasi laqueis illlaquearunt iuuenes, id est, juniores & rudiores in plebe. 2dò ex hebræo passiuè accipitur laqueus, id est illaqueatus. q. d. Omnes iuuenes validi & fortes in bellis erunt laqueus, id est, illaqueati, & Romanorum armis & stratagematis quasi laqueis capti. Vel *laqueus iuuenum*, id est, Israelitæ fuerunt laqueus iuuenum suorum, quia propter peccata eorum filij & iuuenes ipsorum in bello à Romanis capti sunt & illaqueati. Ita Cyrill, Vatabl. & alij.

CAPUT XLIII.

Noua spe, nouaq; promissione roborat Judæos. imò continuationis beneficiorum hactenus concessorum. 2. præseruationis à malo etiam in medio hostium. 3. liberationis à captiuitate, & reductionis in patriam. Sub typo verò populi Judaici, intelligit Ecclesiam Christi.

QUæstio I. *Quæ beneficia Israëlitis exhibita enarrantur?* v. 1. ℟. *Creans te Jacob* etiam præter morem vulgarium hominum, nempe ex sterili Rebecca Gen. 25. v. 21. & Sara Gen. 18. v. 11. En primum beneficium. 2dum *formans te*, instar figuli, in vas mihi in honorem, in remp. florentissimam, in regnum amplissimum. 3tium *redemi te* tum ex Ægypto, tum ex tot aliis hostibus. 4tum *vocaui te nomine tuo* (id est, quod tuum, seu tibi proprium esse volui) *meus es tu*, hoc ipso faciens, vt reipsa sis populus meus, peculium, hæreditas, & cimelium meum. Quæ sanè ingens est dignitas æquè ac vtilitas, vt filii Dei nominemur ac simus: *genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.* 1 Petri 2. v. 9. Nec potuit quidquam tristius accidere Judæis, quàm quòd Osee 1 Deus minaretur, vocatum eos iri deinceps, *non populus meus.*

II. *Quo sensu data est Ægyptus, Æthiopia, & Saba propitiatio pro Judæis?* ℟. Cùm Sennacherib Israeli, id est, Judææ & Jerosolymæ immineret, jamq; illa ab eo esset vastanda & quasi deuoranda, effeci, vt pro Judæa Sennacheribo objiceretur Æthiopia, Ægyptus & Saba, quasi victima piacularis, loco Judææ, ab eo mactanda. Hoc est, quod dicitur Prov. 11. 8. *Justus de angustia liberatus est, & tradetur impius pro eo. Et dabo homines pro te.* Sicut Æthiopes dedi pro te, sic dabo & Babylonios: hos enim Cyrus deleuit, vt Judæos liberaret, multò magis homines & populos omnes pro Christo & Ecclesia dabo, id est, euertam & conuertam.

III. *Quis est sensus* v. 19. PONAM IN DESERTO VIAM &c.? ℟. Aperui olim viam Hebræis in mari rubro, & in deserto inuio: at nunc totius mundi quasi maris magni viam omnibus nationibus aperiam, viam, inquam, ad Christum, Ecclesiam, salutem & cœlum, atq; dabo in inuia gentium solitudine non corpori sed animæ *de fontibus Saluatoris* non flumen, sed flumina gratiarum, vt laudent & glorificent me gentes barbarie & feritate draconibus, struthijs, alijsq; bestijs similes, imò concorporatæ ipsi Leuiathan. S. Greg. l. 31. Moral. c. 5. per dracones accipit homines humi reptantes, carnales, & manifestè improbos, per struthiones verò hypocritas. Struthio enim habet pennas quasi volaturus, non tamen volat. Utriq; hi conuersi à Christo & Apostolis, sincerè & seriò Deum glorificabunt.

IV. *Quis Pater tuus primus peccauit* v. 27? ℟. Adam, item Abraham (in juuentute idololatra Gen. 11. Josue 24. 2. Quin *& interpretes tui*, Moyses & Aaron, qui sequestri & internuntij fuerunt inter me & te, *prauaricati sunt in me* apud aquas contradictionis Num. 20. Unde

20. Unde & hos *Principes* tam *sanctos contaminau*, id est, ostendi contaminatos esse peccato, & reos mortis pronuntiaui, & in deserto mori coëgi Quod verò ad reliquos parentes vestros attinet, qui tunc vnà cum Moyse & Aarone erant in deserto omnes ob ingratitudinem, ob murmur, ob rebellionem suam *dedi ad interne cionem* Num 14 v. 29. id est, damnaui ad mortem obeundam in deserto, totumq; Israelem non tunc solùm, sed & postea tempore Judicum, dedi hostibus *in blasphemiam* seu in opprobrium, vt vertunt LXX. & Chaldæus. Quo igitur pacto parentes tui te suo merito justificent, cùm ipsimet ob sua crimina morte damnati sunt? *Omnes peccauerunt & egent gloria* ac misericordia *Dei* & gratia Christi. Hanc amplexi sunt gentiles; hanc & vos Judæi amplectimini; & pari jure vtrosq;, pari affectu, pari amore complectar.

CAPUT XLIV.

Sub typo Synagogæ è Chaldæa in Judæam reductæ, describit felicem statum Ecclesiæ Christi, è contrario vanitatem & impotentiam idolorum. Monetq; vt spretis idolis, vni vero Deo adhæreant, creatori & reo demptori suo, qui ipsos è Babylone per Cyrum, & omnes mortales è seruitute diaboli per Christum educet.

QUæstio I. *Quam terram vocat sitientem & aridam* v. 3. ℟ Gentilitatem. Gentiles enim ante Christum erant instar terræ aridæ, squalidi, miseri, infrugiferi & steriles bonorum operum, sed cùm Deus per Christum effudit in eos aquas, id est, charismata Spiritus Sancti, fecit eos instar agri succulenti fertiles virtutum. *Gentiles terra sitiens.*

II. *Cur Ecclesia & justi sunt salices* v. 4.? ℟ Comparat & præfert salices altè germinantes herbis humilibus, q.d Quantum inter herbas humi repentes sese efferunt altæ salices juxta aquas plantatæ, ab eisq; jugiter irrigatæ, tantum sese extollet aureum illud Christi & Euangelii sæculum inter priora sæcula, quæ in terra repere, & vix de Deo & cœlo cogitare videbantur, Moraliter notat S. Greg. l. 31. Mor. c. 5. aptè justos comparari salicibus, quæ semper virent & arescerere nequeunt, & recisæ vsq; ad truncum, vberiùs resurgunt, altiusq; excrescunt: ita enim & justi semper animi virorem, virtutemq; retinent, atq; vexati, afflicti & oppressi, magis animos viresq; exerunt & attollunt. *Justi sunt salices.*

III. *Quis est sensus* v. 22. DELEVI VT NUBEM INIQUITATES TUAS? ℟ Peccata tua tam facile & liquidè deleo, quàm nubes & nebulæ vel à solis calore, vel à venti impulsu & impetu dissolvuntur & dissipantur, aërq; serenatur.

IV. *Cur Deus ducentis fere annis per Isaiam prædici voluit, quæ per Cyrum facienda essent, antequam fierent*? ℟ imò, ne Judæi suam illam eliberationem alicui, seu idolo, seu homini adscriberent, sed soli Deo, à quo scirent tot annis ante prædictam, & promissam fuisse. *adò* vt hac tam certa testataq; experientia, fidem Judæis faceret de alijs melioribus oraculis suis, quibus remissio peccatorum & liberatio à seruitute diaboli, aliæq; gratiæ per Christum toti orbi promittebantur, quarum typus & figura erant illa beneficia, quæ Judæis per Cyrum obuenerunt, inquit Tertull. Justinus, Aug. & alij.

CAPUT XLV.

Multa promittit Cyro, vt ipse Judæos Babylone liberos remittat in Judæam. Sed magis optat in orbem mitti Antitypum Cyri Christum, qui gementes sub jugo dæmonis & peccati liberet. Interea patienter ferenda monet aduersa. A Christo liberandos non modò Judæos, sed & gentiles.

QUæstio I. *Qua arcana secretorum appromittit Deus se daturum Cyro* v. 3? ℟ Hebr. *thesauros caliginis*, id est, in locis profundis & occultis, ac proinde obscuris repositos. Puta thesauros, quos Crœso eripuit, quos Babylone reperit, quos è reliqua Asia extulit, quos ad trecentos aureorum milliones ascendisse Plinius testatur. Ad solum Euphratem ait Sanchez reperisse hydrias æneas 680 plenas auro & pretiosis lapidibus, margaritis & gemmis. *Propter seruum meum Iacob*, id est, vt Judæis mihi vera religione obstrictis faueas & opituleris, eosq; è captiuitate liberos, & opibus auctos in Judæam remittas, & templum meum Jerosolymis instaures. Ita fatetur ipse Cyrus 1 Esdræ 1 *Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cœli, & ipse præcepit mihi*, vbi? (nisi per Isaiam c. 44. v. vlt. & hic) *vt ædificarem ei domum in Ierusalem.*

II. *Cur dicitur* v. 4. ASSIMILAVI TE ET NON COGNOVISTI ME? ℟ Quia vero Christo meo Messiæ te similem in plurimis rebus feci, vtpote typum illius & figuram, imò, in nomine Christi & pastoris, adò in liberatione populi mei è captiuitate & traductione

ctione in patriam. 3tiò in tot victorijs, triumphis & thesauris. Hebraicè est, *cognominauit te*. Sanchez exponit, descripsi & depinxi te tuis notis & characteribus, quibus facile cùm prodieris, orbi innotescet, te illum esse, quem hic prædico venturum. Tu tamen *non cognouisti me*, saltem initio, & priusquam ex Judæis intelligeres talia de te jam olim à me prædicta fuisse. Ita Lyran. & Forer. sed & hoc ex Judæis intellecto, non planè *cognouisti me:* nam licet agnoueris me Deum cœli esse, meq; talia de te prædixisse, & hæc ipsa à te deposcere; non tamen cognouisti me solum & vnicum Deum esse: nam vnà mecum idola quoq; tua & aliarum gentium colere perrexisti ad mortem vsq; , vt Xenophon, S. Hieron. & alij testantur.

III. *Quem justum intelligit* v. 8. NUBES PLUANT JUSTUM? R. Non Cyrum, vt S. Thom. Lyran. & Forerius exponunt, sed antitypum Cyri, Christum Messiam, qui etiam qua homo, fuit germen illud cœli, toti orbi exoptatum, ac tandem à Spiritu S. tamquam nube rorida Virginem obumbrante formatum, & sine læsione conceptum, inquit S. Aug. Respondet mox votis prophetæ Deus: Bono sis animo, *ego creaui eum* ex nunc decreto meo æterno, sed reipsa creabo in tempore, quo placitum mihi fuerit. Interim par est, omni patientia præstolemini hæc obuentura olim beneficia, neq; murmuretis, quòd post tot sæcula demum promittam & præstem vobis felicem ac lætam sortem sub Cyro, sub Christo, vobis relictis in pristina miseria & afflictione, quin & afflictis adjicienda per Chaldæos noua majoriq; afflictione, vt meliùs censeatis, meliùs natos nunquam fuisse, quàm sic natos.

IV. *Quis est sensus* v. 9. VÆ QUI CONTRADICIT FICTORI SUO TESTA DE SAMIIS TERRÆ? R. Sensus est: cùm sit insolens, testam, etsi sit de terra Samia, & videatur nobilior inter testas, obloqui figulo, cùm nihilominus genus suum non extrahat de consortio testarum; etiam turpe est, populum Israeliticum mihi objicere, quare, per Cyrum gentilem, velim eos liberare, & non per aliquem Israelitam. Nam etsi genus Israel sit electum præ gentibus, tamen est genus humanum cum omnibus, nihilq; habet contra me juris. Vnde Cyrus, & non alius hoc faciet.

V. *Quem suscitaturum se promittit* v. 13 EGO SUSCITAVI EUM? R. det S. Thom. Forer. & Sanchez Cyrum, alij putant Cyri antitypum Christum. Vtrumq; enim hic promittit Deus excitatum iri suo tempore, idq; *ad justitiam* exercendam in omnes sibi aduersarios & rebelles. Uterq; *edificabit ciuitatem meam* Jerosolymam: Cyrus terrenam; sed inchoatè tantùm, jubendo ruinas ejus instaurari 1 Esd. 1. Christus cœlestem & spiritualem perfectè & completè exstruendo, putà Ecclesiam suam. Uterq; captiuum populum suum dimittet, & quidem gratis & sine lytro. Sed Cyrus è captiuitate Babylonica, Christus ex infernali, Cyrus exiguam Synagogam, Christus vniuersum orbem.

VI. *Quomodo intelligendus* v. 14. *Labor Ægypti, & negotiatio Æthiopiæ, & Sabaim viri sublimes transibunt ad te?* R. Ægypij laborioſi, Æthiopes negotioſi, & Sabæi seu Abyssini proceris corporibus homines, *transibunt ad te* ô Cyre, tuisq; subjicientur cum omnibus opibus suo labore & negotiatione partis. Omnes enim has nationes Cyro subjectas fuisse, constat ex Xenophonte, qui imperium illius terminat ab Oriente mari Rubro, ab Occidente Ægypto, à meridie Æthiopia, ab Aquilone Ponto Euxino. Et quidem non omnino sponte illos Cyro subjectos fuisse, colligi videtur ex illo, *vincti manicis pergent*, id enim bello subactis conuenit. Sed vt Christo, cui omnes illæ nationes etiam subjectæ fuerunt, accommodatur, exponendum est de potenti, & efficaci gratia Spiritûs Sancti, *cujus vincula adamante fortiora sunt*, inquit S. Amb. in ps. 37. His enim vinculis & manicis adstrictæ nationes etiam remotissimæ & barbaræ, Christo ejusq; Ecclesiæ constanter multis sæculis adhæserunt publicè fatentes ac proclamantes: *Tantum in te* Christe *est Deus*, nempe & hypostaticè per diuinum suppositum, & superexcellenter per tanta dona Christo communicata, quomodo in nulla pura creatura Deum seu esse, seu operari, seu emicare certissimum est, ita S. Hieron. Cyrill. Epiph. & alij. Sic Cyro figuræ & typo Christi verè dicebatur: *tantùm in te est Deus*. Neq; enim per alium quempiam operatus est Deus tam stupendas victorias, quàm per te: vnde nec in alio sic relucet, sicut in te.

Discrimen inter idolũ & Deum.

VII. *Quod est discrimen inter idola & Deum?* R. Imò, quòd Deus *non in abscondito* v. 19. vt luci fuga loquatur, *ex loco terræ tenebroso*, ex antris & cauernis, ex ventre pythonum &c. vt solent dœmones, incantatores & magi: sed publicè & palàm, clara voce, media luce, vt olim in Sinai & Jerosolymis sub Dauide, Salomone, & tot prophetis, in baptismo Christi, in Pentecoste &c. 2dò, quòd idola frustra colantur, nullo fructu: Deus verò cultoribus suis ampliſſima det præmia, v. g. Chananitidem, & tot adjunctas terras, ac demum etiam cælum. 3tiò. quòd idola à suis impura & scelesta postulent obsequia; Deus non nisi justa, recta, pura & sancta.

CAPUT

CAPUT XLVI.

Prædicit tam Deos fictos Babyloniorum, quàm cultores eorumdem euertendos & conterendos per Cyrum & Christum; Judæos verò diuina ope protegendos & saluandos.

QUæstio I. *Quis fuit Bel & Nabo?* R. fuerunt idola Babyloniorum, & Nabo forsan per abbreuiationem ipse Nabuchodonosor, qui à Babylonijs adorari voluit vt Deus in aurea statua, quam erexit Dan. 3. Saltem ab hoc idolo Nabo desumptum est nomen Nabo nazar, Nabo chal-nazar, Nabuchodonosor: sic à Belo seu Baal, nomen Bal-zazar. Sic etiam Judæorum reges solebant à suo Deo *Jah*, quod est abbreuiatum *Jehova*, nomina sua mutuare, vt Abias, Ozias, Ezechias &c. *Bel & Nabo.*

II. *Quomodo simulacra* idolorum *facta sunt bestijs & jumentis onera?* R. Jussu Cyri aurum & argentum, ex quo conflata erant ista idola, per partes impositum est dorsis camelorum & asinorum, vt in Persidem transferretur ita Forerius. Ita Dij vestri facti sunt onera jumentorum, quæ prius erant *onera vestra* ô Babylonij vestris humeris bajulari solita Baruch 6. v. 3. & vos suo *pondere* fatigantia, *vsq; ad lassitudinem.*

III. *Quomodo ait idolis dicitur* v. 2. ANIMA EORUM IN CAPTIUITATEM IBIT? R. Ipsamet idola, quæ idololatræ putant animata esse, eò quòd ex illis dentur oracula, quasi voce & mente polleant, abducentur in captiuitatem à Persis, ita Vatablus. Vel anima idoli est dæmon illi assidens, & quasi alligatus ac per illud dans oracula. q d. idolum totum cum suo dæmone capietur, S. Hieron. *Anima eorum* scilicet idololatrarum vel sacerdotum portantium idola ibit in captiuitatem.

IV. *Quæ sit auis, quam DEus vocat ab Oriente, aut Perside* v. 11.? R. Cyrus, cujus Labarum est aquila aurea expansis alis, teste Xenophonte, & summa celeritate ac impetu deuolabit in Babylonicam columbam, quam vnguibus suis in frusta discerpet. Allegoricè hæc aquila est Christus oriens ex alto, inquit S. Hieron. & Cyrillus.

CAPUT XLVII.

Babylonem instar reginæ delicijs, luxu, & fastu superbientem, prædicit jolio deturbandam & sortem vilis, pauperis & captiuæ ancillæ subituram: idq; primò ob crudelitatem in Judæos exercitam, 2dò ob arrogantiam suam. 3tiò ob magicas incantationes & diuinationes.

QUæstio I. *Unde jubetur descendere Babylon?* R. de monarchali throno ac fastu olim regina, nunc ancilla captiua. *Sede in puluere* instar mancipij, *virgo filia Babylon*, id est, tenera & delicata instar filiæ virginis. Ita Judæa subacta à Vespasiano in nummo ab eo cuso pingitur quasi ancilla in terra sedens. Per Babylonem intelligit Babylonios, viros & fœminas. Vocatur *filia Chaldæorum*, quia ædificata, hoc est restaurata, mirè amplificata & ornata est à Nabuchodonosor Chaldæo, vt ejus videatur esse filia Nam ante eum Nemrod, & post eum Semiramis, primò ædificarunt Babylonem, de quo Dan. 4. 27.

II. *Cur jubetur tollere molam, & molere farinam* v. 2.? R. indicatur capiendam, seruituti addicendam & relegandam ad pistrinum. Eò enim ad molendum relegabantur olim serui & ancillæ, quasi in ergastulum ita Cyrill. Hæc ergo phrasis significat extremam, vilissimam & miserrimam seruitutem, vt notum est captiuis apud Turcas & Mauros patet Exodi 11. v. 5.

III. *Quid est denuda turpitudinem* v. 2.? R. Non pudendorum; sed capitis & comæ tuæ præscindendo capillitium, vt appareat *turpitudo*, id est, caluitium tuum. Hoc Deus minatus est Sionidis virginibus c. 3. 17. *Decaluabit Dominus verticem filiarum Sion. Discoopers humerum*, vt expeditior sis ad molendum, & ad flagra Persarum, vt fit in triremibus, nudo dorso excipienda. *Reuela crura*, sub curta ancillarum veste, & sic *transi flumina*, nudis tibijs, vt aliò captiua demigres. Sublata verò veste *reuelabitur ignominia tua & opprobrium*, id est, detegentur occulta vitia & tortuosa membra vel maculæ, quæ prius splendida & nobili veste tegebantur.

IV. *Quia est*, CONTAMINAUI HÆREDITATEM MEAM v. 6.? R. imò, contaminaui, id est, contaminatam declaraui per supplicia & captiuitatem, quam ei ob scelera immisi. Sic enim sumitur *contaminare* pro contaminatum declarare Leu 13. v. 20. 25. 27. idò *contaminaui*, id est, à contaminato meritas pœnas exegi, siue contaminatum culpâ, contaminaui pœnâ, putà, sordibus, plagis & sanguine eum infeci & maculaui ita Sanchez. 3tiò. *contaminaui*, id est, ex terra sua & sancta transtuli eum in terram idololatrarum, vt populus olim fidelis & sanctus, jam censeatur profanus olim fidelis & sanctus, jam censeatur profanus, pollutus & contaminatus, quia degit inter circumcisos, profanos, pollutos & contaminatos. Ita Vatab. Sicut enim profanari dicebatur Sacerdos, si rem immundam tangebat: ita res sancta

(putà Israel) censebatur profanari, si ab immundis tractaretur.

V. *Quid est, sapientia tua & scientia tua hæc decepit te?* R. Tua astrologia judiciaria, tua diuinatio decepit te. Putabas enim sortes humanæ vitæ & reip. in solidum pendere ab astris, cumq; ex astris non videres tibi malum impendere, quasi secura nihil timebas. ita Forerius.

CAPUT XLVIII.

Exprobrat Judæis cordis duritiem quòd toties moniti per Prophetas de captiuitate Babylonica, noluerint ab idololatria, alijsq; sceleribus desistere & pœnitere. Prædicit tamen lætum è captiuitate reditum in patriam.

Quæstio I. *Quid est, de aquis Juda existis* v. 1.? R. Chaldæus habet, *de stirpe Juda.* Aquas vocat scaturiginem & sobolem. Est metaphora à fontibus & riuis. Jacob enim fuit quasi fons, ex quo 12. riui, id est, 12. patriarchæ & tribus fluxerunt. Sed Judæi ex nobilissimo riuo, putà ex Juda, descenderunt. Sic dicitur ps 67. 27. *In Ecclesijs benedicite DEO Domino, de fontibus Israel*, id est, vos qui de fontibus, id est, riuis Israel profluxistis, estisq; Israelitæ. ita S. Hieron. Sanchez & alij.

II. *Cur Israelitæ dicitur* v. 1. *Dei Israel recordamini non in veritate, neq; in justitia?* R. Quia plerumq; juratis, quod falsum est, vel DEO injurium, pulchrâ religionis larvâ tegentes vestras vsuras, rapinas, aliasq; fraudes & dolos ita Forerius.

III. *Quid est, laude mea infrænabo te* v. 9.? R. Beneficentiâ meâ obruam te, non diu sinendo, te esse miserum, in captiuitate, sed citò te inde liberando, vt quodammodo cogaris me laudare, & à me non deficere, quod præuideo te alioquin facturum esse. *Excoxi te non quasi argentum* non vehementi igne, sed modico, & breui seruitute; alioquin consumpsissem te, cùm sis mera scoria.

CAPUT XLIX.

Christus publicè rationem reddit aduentûs, legationis & officij sui, scilicet vt omnes gentes ad DEum & æternam salutem vocet, easq; Judæis in sua perfidia obstinatis substituat in vera Ecclesia DEI, omnibusq; priuilegijs filiorum & hæredum DEI.

Quæstio I. *Quis loquitur* v. 1. DOMINUS AB VTERO VOCAUIT ME? R. Christus, dicens Matri Virgini per Gabrielem Archangelum: *Vocabis nomen ejus Jesum.* Matt. 1. q. d. vti Cyrum ab vtero imò ante vterum nominaui, dixiq; *Vocaui te nomine tuo* c. 45. v. 4. item Israelem, dicens: *formans te ab vtero auxiliator tuus* c. 44. 2. ita ab vtero, imò antequam in vtero conciperer, vocauit Deus me *Jesum*, id est, Saluatorem, hoc est, designauit, & destinauit me, vt essem vindex & redemptor generis humani. Deus enim vocat res, vt sunt, aut quales futuræ sunt, imò quales ipse eas facturus est, DEI enim nominare est efficax; & DEI dicere est facere. Ita S. Hieron. Cyrill. & Amb. in ps 35.

II. *Quo sensu dicitur* v. 2. POSUIT OS MEUM, QUASI GLADIUM ACUTUM? R. Ego Christus cædem facturus aduenio non corporum, sed animorum: venio enim peccata & vitia trucidaturus, vt caro, id est, vita animalis pereat, & spiritus viuat. Prædicatio enim Christi siue Euangelium & verbum DEI resecat, & jugulat crimina, passiones, concupiscentias, item reprobos & dœmones præsertim in die judicij. Hoc gladio oris Petrus occidit Ananiam & Sapphiram, Paulus Elimam excæcauit. ita S. Hieron. Hoc est quod S. Paulus ait Heb. 4. 12. *Viuus est sermo DEI & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens vsq; ad diuisionem animæ & spiritûs, compagum quoq; & medullarum.* Huc alluſit S. Joan. Apoc. 1. v. 16. *Et de ore ejus gladius vtraq; parte acutus exibat.*

III. *Cur Christus vocatur Israel, id est Israelita* v. 3.? R. Quia natus est de semine Israelis & Juda. 2dò, quia missus est primariò ad oues, quæ perierunt, domûs Israel. 3tiò quia ejus typus fuit Jacob, siue Israel; sicut enim ipse cum Angelo, DEI legato & vicario, luctans & prævalens, vocatus est Israel, id est, Dominans DEO; sic multò magis, Christus fuit Israel, id est, Dominatus est DEO, cùm Deum iratum, suâ obedientiâ vsq; ad mortem crucis, vicit, eumq; hominibus fecit propitium, itaq; DEI vindictam & sententiam damnationis in homines latam rescidit.

IV. *Quid per Sion intelligitur v. 14?* R. Synagoga & Judæi, verùm non omnes, sed tantùm in Christum credentes & pii. Hi enim videntes multò majorem suæ gentis partem deficere à fide & Christo seq; esse paucos, queruntur, quòd Deus Sion & Synagogam videatur reliquisse. Quibus respondet DEus, se eorum curam gerere, se minùs eorum posse obliuisci, quàm mater sui infantis, se eos semper habere præ oculis, imò in manibus descriptos, ac proinde curaturum, vt Sion, id est, Ecclesia fidelium non intereat, nec minuatur. Nam licet pauci Judæi obstinati deficiant, se pro ijs innumeram gentium multitudinem surrogaturum, atq; vndequaq; ad Ecclesiam adducturum.

CAPUT

CAPUT L.

Christus partem Synagogæ sibi fidam abunde solatus c. præced. jam conuertitur ad alteram partem perfidam & rebellem, docetq; justè reprobatam, quia ipsa prior Deum & Christum repudiauit; ex parte verò sua nihil defuisse, quò, si illa voluisset, saluari potuisset.

QUæstio I. *Cur dicit* v. 1. QUIS EST HIC LIBER REPUDII? ℟ Inquirit causam, cur Synagogam, cui dotales tabulas legis, quasi maritus dederat, repulerit & repudiauerit, quia illa scilicet prius diuortium fecit ab eo, q. d. repudiaui eam, non ex odio aut fastidio meo, vt aliam mihi copularem, sed ob scelera ejus, præsertim quia Christum meum repulit & occidit: neq; tam ego, quàm ipsa semet diabolo, quasi creditori vendidit & tradidit, quia cùm *veni* in mundum, *non erat vir*, id est, quisquam, q. d. vix vllus Judæorum erat, qui me vellet audire.

II. *Cur dicit* v. 1. QUIS EST CREDITOR MEUS, CUI VENDIDI VOS? ℟ Apud Judæos licebat Patri in necessitate constituto, vt se aleret, vendere filios in seruos, ita tamen vt non gentili, sed Hebræo, aut proselyto ad tempus tantùm eos venderet: in jubilæo enim, imò in anno septimo libertatis, exibant liberi, vt patet Exod. 21. 1. & 7. Leu. 25 vbi v 39. & 47. permittitur, vt in necessitate quis etiam seipsum vendat, non tantùm Judæo, sed etiam alienigenæ inter Judæos commoranti: sed tantùm vsq; ad jubilæum. Huc ergo alludit Deus, dicitq; , *qui est creditor meus*? q. d. ego non habeo creditores, quorum nummis egeam, vt propterea oporteat me vos ijs in seruos vendere. Vos ergo ô Judæi, peccato & diabolo in seruos venditi & emancipati estis, non tam à me, quàm à vobis ipsis. Sponte enim peccando, sponte hoc jugum subijstis. Nam vt dicitur Joan. 8. qui facit peccatum, seruus est peccati.

CAPUT LI.

Exemplo Abrahæ & Saræ promittit Sioni, id est, Judæis Christo adhærentibus, copiosam prolem, lætitiam & salutem, nouos cœlos & nouam terram. Pro arrha seu pignore prædicit Jerusalem, vbi à Chaldæis excisa & exusta fuerit, paucis pòst annis iterum instaurandam, Chaldæos vicißim exscindendos.

QUæstio I. *Quem vocat petram & cauernam* v. 1? ℟ Abraham & Saram. Sicut, inquit S. Cyrill. difficillimum est ex petra solida & immani lapides exscindere, & puteum profundum exhaurire; eodem modo perdifficile est. imò impossibile, ex sene viro & sterili muliere (quales erant Abraham & Sara) nasci filium. Verùm hoc effectum est supra opinionem Dei nutu & jussu. 2dò Sicut ex lapicidina innumeri exscinduntur lapides, ita ex Abraham & Sara innumeri prognati sunt Judæi, & mysticè ex Christo & Ecclesia innumeri Christiani. Cauerna laci est Sara mater Judæorum, ex qua quasi ex fossâ vel fouea, effossi & excisi sunt Judæi, totq; eorum millia. Est honesta periphrasis, inquit Corn. à Lap. actus conjugalis, qua vtuntur parentes, dum paruulis suis nescientibus, & mirantibus, quomodò in hunc mundum prodierint, respondent & persuadent, se ipsos, vti & fraterculos eorum, dum nascuntur ex caulibus vel ex fossis effodisse & effodere.

II. *Quo sensu dicit* v. 2. QUIA VNUM VOCAUI EUM ET BENEDIXI? ℟ Sicut Deus Abrahamo cùm solus esset, & sterilis instar lapidis & pumicis, vtpote emortuo corpore & virtute generandi, præsertim ex Sara anu, pariter & sterili, dedit filium Isaac per eumq; illum ita benedixit & multiplicauit, vt fieret Abraham, id est, pater multarum gentium, haberetq; posteros numerosos instar stellarum cœli & arenæ maris: ita quoq; Deus Ecclesiam è paucis Judæis ad Christum conuersis constantem, gentium omnium supplemento ita benedicet, & multiplicabit, vt totum orbem complectantur.

III. *Quæ sunt brachia Dei, quæ populos judicabunt* v. 5.? ℟ Sunt vires & potentia, quam Deus per Christum, Christiq; crucem exseruit, dum per prædicationem Apostolorum ei omnes gentes subjecit. Crux enim Christi, fuit virtus Dei. ita S. Hieron. Quocirca alludit ad brachia Christi in cruce extensa, hæc enim sunt robora, & quasi cornua, quibus ventilauit hostes, orbemq; domuit, de quibus dicitur Habac. 3 4. *Cornua in manibus ejus.* Porrò *judicare* Hebræis idem est, quod gubernare & dominari. Rursum *judicabunt*, id est, vindicabunt populos à jugo & tyrannide diaboli, eosq; in libertatem asserent. Sic enim Gedeon, Samson, alijq; dicuntur judices, id est, vindices Israel, ita Sanchez.

IV. *Quo sensu dicitur* v. 16. *vt plantes cœlos & terram*? ℟ Vt fundes nouum orbem spiritualem: scilicet Ecclesiam, regnumq; Dei, in quo fideles agent vitam cœlestem, atq; instar terræ solidi & fundati erunt in fide, spe & charitate. ita S. Hieron. & alij.

CAPUT LII.

Pergit promittere Judæis libertatem è captiuitate Babylonica & instaurationem vrbis Jerosolymæ, sub hoc typo describens ingentia bona per Christum olim Ecclesiæ obuentura & toti orbi.

Peccatores sunt in Ecclesia.

QUæstio I. *An ex verbis illis* v. 1. *non adjiciet vltra, vt pertranseat per te incircumcisus & immundus* rectè inferat Caluinus, peccatores non esse in Ecclesia, sed solùm justos & sanctos? ℟ perperam. Nam repugnat vox *vltra*. Sensus enim est, q. d. Hactenus transiuit per Jerusalem immundus, sed deinceps non transibit. Iam autem secundùm Caluinum, aliośq; hæreticos, Ecclesia semper, etiam ante Christi aduentum constitit solis justis & sanctis, numquamq́; in ea fuerunt peccatores: est enim ipsa, inquiunt, fuitq́; semper sponsa Dei. Ergo secundùm ipsos falsa est hæc prophetæ sententia, quæ asserit, quòd antea per Ecclesiam transierint immundi, sed deinceps non sint transituri.

II. *Quis ergo sensus est dictorum verborum?* ℟ imò ô Jerusalem-Babylonij aliæq́; gentes incircumcisæ & immundæ te calcarunt, tibiq́; dominatæ sunt, sed id non facient vltrà, id est, per multa annorum curricula. Licet enim postmodum Antiochus & Titus vastârint Jerusalem, id tamen fuit alio quasi æuo & sæculo. Sic enim *vltra* sæpe sumitur strictè, respicitq́; sæculum præsens siue ætatem eorum, qui tum viuunt. Post horum enim mortem sequitur noua ætas & generatio, quæ est quasi alterius rationis & ordinis, vt in computum non veniat. *2dò* Sub Jerusalem intelligit Ecclesiam q. d. Te ô Jerusalem, ô Synagoga vastarunt Chaldæi & incircumcisi, at cùm transieris & transformata fueris in Ecclesiam Christi, nemo incircumcisus, id est, infidelis & immundus, ampliùs te vastabit & euertet, sed durabit integritas tua, & pulchritudo, ac redemptio & libertas tibi parta per Christum, in æternum, nullæq́; hostium etiam inferorum portæ tibi vnquam præualebunt: sed rex tuus, defensor ac protector erit Christus Sanctus Sanctorum, qui te in fide & moribus mundam & sanctam conseruabit; esto sint in te aliqui fideles immundi & peccatores: à capite enim & potiori parte sumitur rei denominatio. Sic ergo Ecclesia dicitur sancta, non quòd omnes in ea sint sancti, sed quòd Christus ejus caput, multiq́; in ea sint sancti. Hi enim sunt præcipua & digniora ejus membra.

CAPUT LIII.

Christi cruciatus, liuores, despectus & probra, & in his ejus patientiam, mansuetudinem, constantiam, & charitatem describit: simulq; causam tot dolorum ejus, nempe peccata nostra, quæ in se luenda & expianda suscepit: deniq; mercedem hoc nomine illi à patre repensam, scilicet imperium in vniuersum orbem, per fidem & gratiam in hac vita, per gloriam in futura.

Christus virgultũ coram populo.

QUæstio I. *Quis est sensus* v. 2. ET ASCENDET SICUT VIRGULTUM CORAM EO, ET SICUT RADIX DE TERRA SITIENTI? ℟ *Et* hîc significat *quia*, vt sensus sit; ideo non credetur Messias, quia coram populo Israel similis erit virgulto humili, in natiuitate, vita, passione, cùm ipsi Judæi arbitrentur, Messiam debere esse ingentem cedrum, & omni ex parte glorioſum. *Sicut radix de terra sitienti*, id est, sicca & arida, nempe ex matre non aliunde, quàm ex cœlesti rore fœcunda. Et sic succrescet hic surculus per totos 30 annos humilis, ignobilis, vilis, quasi fabri filius, nihil præferens spectosum, nihil illustre, nihil splendidum coram mundo.

Virorum nouissimo

II. *Cur Christus voluit fieri nouissimus virorum?* ℟ Quia Adam & Lucifer voluit fieri primus non virorum, sed Angelorum, imò deorum, voluit enim æquari Deo vero. Hoc enim Deus Adæ improperat Gen. 3, 22. *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est*, hinc innata est posteris ejus superbia & ambitio, & ita innata, vt hoc vitium sit primum in homine viuens, & vltimum moriens, quod de corde animalis & hominis tradunt physici. Vt ergo hoc vitium ita ingenitum nobis, sanaret Christus, efficaciſſimo hoc vsus est remedio, scilicet exemplo suo, vt cùm esset in forma Dei, semetipsum exinaniret, & formam serui acciperet, fieretq́; homo, imò hominum nouissimus.

III. *Quid per languores & dolores, quos tulit Christus*, intelligit Isaias? ℟ peccata, vt vertunt LXX, & eorum proles, quæ sunt morbi, dolores, omnesq́; corporis & animæ ærumnæ & pœnæ. Hæc est enim peccati progenies & soboles, quam Christus portauit & aboleuit. Christus enim tot cruciatus, tamq́; acerbam mortem pertulit, vt omnes hasce infirmitates & ærumnas, ipsamq́; mortem, vel hîc vel in resurrectione aboleret. Sicut ergo ipse peccata nostra in cruce portauit & expiauit: sic consequenter & morbos, adeoq́;

inde

inde habuit potestatem eos curandi, quia eos in se luendos suscepit. ita S. Chrysost. Theoph. & alij.

IV. *An ex verbis illis* v. 5. *Disciplina pacis nostræ super eum*, rectè inferat Caluinus. pœnitenti, cui Deus per Christum remisit peccata, nullam luendam esse pœnam temporariam? ℟ perperam. Nam disciplina pacis hîc non pœnam temporariam, sed culpam & pœnam æternam significat. Hæc enim bellum & odium Dei parat, quod amolitus est sua morte Christus, pacem faciens & reconcilians nos Deo. Blasphemè etiam hinc colligit Caluinus, Christum sensisse dolores & desperationes inferni, ex eo, quòd illi peccatis nostris debebantur: suscepit enim illos in se non formaliter sed satisfactoriè, quia pro illis condignè satisfecit, ob dignitatem personæ suæ patientis.

CAPUT LIV.

Partem illam Synagogæ, quæ excepit Christum, & facta fuit Ecclesia Christi, in primis initijs suis adhuc sterilem & desertam, vt c. 49. v. 14. excitat ad gaudium & jubilum, ob nobilem & numerosam prolem ex se procreandam: item ob ingentes opes, splendorem & gloriam ipsi obuenturas.

QUæstio I. *Quem alloquitur Isaias* v. 1. LAUDA STERILIS, QUÆ NON PARIS? ℟. Ecclesiam Christi, tum ex Judæis, tum potiùs ex gentibus congregandam. Hæc enim initio exigua erat, & quasi sterilis respectu synagogæ. Rursum gentilitas ante Christum sterilis erat, & deserta à DEO, fide, gratia, filijs fidelibus & sanctis: sed per Christum, his omnibus fœcundata est magis, quàm synagoga, quæ jam diu habuerat virum scilicet Deum. Ita hunc locum explicat Apost. Gal. 4. v. 27. *Multi filij desertæ* q. d. Ecclesia plures dabit filios DEO quàm synagoga Alludit ad Saram & Agar: Sara enim Ecclesiæ, Agar Synagogæ fuit typus. Dicitur Sara *deserta*, quia cum videret ex se non esse spem prolis, pro se ancillam suam viro substituit, & ipsa copulâ viri abstinens, vt patet Gen. 15. 13. ab eo videbatur deserta.

II. *Quis est sensus* v. 4. *Confusionis adolescentiæ tuæ obliuiscetis, & opprobrij viduitatis tuæ non recordabitis?* ℟. Ecclesia constat Judæis & gentibus. Judæorum adolescentia fuit tempore Moysis, sub quo cœpit & creuit synagoga: *Confusio* fuit adoratio vituli, aliaq; eorum scelera tum in Ægypto, tum in deserto. *Viduitas* fuit in captiuitate Babylonica, de qua dicitur Thren. 1. 1. *facta est quasi vidua Domina Gentium.* Gentium verò adolescentia fuit secunda mundi ætas, à Nòe vsq; ad Christum. Nam in Nòe Gen. 9. 9. Deus iniit pactum cum omnibus gentibus, sed eadem Gentilitas tunc adolescens, & à DEO in sponsam assumpta, citò recessit à DEO, delectens ad idola, & ita vidua est facta, vsq; ad Christum; quod valde pudendum fuit *Ad punctum in modico dereliquit te* v. 7. Tempus bis mille annorum, à Noe ad Christum, vocat punctum respectu æternitatis, qua semper retinebit sibi gentilitatem in Christo copulatam.

III. *Quo sensu dicitur* v. 12. *Ponam jaspidem propugnacula tua* &c.? ℟. Ædificabo te mihi in Ecclesiam fundatam super omnia charismata Spiritûs Sancti, & super merita Christi, ac sacramenta, nec non super fundamenta Apostolorum & prophetarum.

IV. *De quo est sermo* v. 15. *Ecce accola veniet, qui non erat mecum?* ℟. De gentilibus, q. d Non est, quòd metuas calumniam gentium, tibi illudentium, quòd Deum crucifixum adores, nam gentes tibi associabuntur: nec quòd metuas instrumenta bellica; nam ista non cudentur, nisi me volente, nec nisi meo permissu quidquam valent.

CAPUT LV.

Enarratis cap. præced. opibus, gloria, & splendore Ecclesiæ Christi, nunc ad ea capessenda singulos inuitat tum Judæos, tum gentiles.

QUæstio I. *Quodnam est aurum? & quomodo emitur?* ℟. Aurum est pura & ignita DEI charitas, quæ fortiter persecutiones & aduersa, etiam martyria tolerat. Hæc emitur, id est, comparatur non alio pretio, quàm oratione, lacrymis, pœnitentia, bonis operibus. Hoc aurum, inquit Rupertus eme pretio piæ confessionis, & jugi memoria propriæ fragilitatis, semper memorando, quid ex te sis, quid à DEO acceperis. Vt locuples fias, id est, addatur tibi gratia, & vestimentis albis induaris, non ex operibus tuis, sed ex eadem gratia largitionis. Addit S. Amb. l. de Joseph c. 7. Hoc aurum (mi argento, non nostro (peccator enim nullo opere aut merito mereri potest primam gratiam) sed Christi, scil. pretio sanguinis Christi. Emite, inquit, sine argento: neq; enim pretium quæsiuit à nobis, qui pro nobis sanguinis sui pretium soluit. *Charitas aurum.*

II. *Quis est sensus* v. 2. *Quare appenditis argentum non in panibus, & laborem vestrum non in*

non in saturitate? R. Cur conatum, industriam, studia vestra expenditis non in cibo saturante, sed in vana hujus mundi bona, opes, honores, delicias carnales, humanam sapientiam, eloquentiam, & alia quæ non possunt mentem saturare. Solus enim Deus & dona Dei, vti quietem, ita & satietatem animæ inducunt.

III. *Quod pactum sempiternum*, & quas *misericordias fideles*, id est stabiles & firmas *Dauidi* promissas vult Deus inire v. 3 ? R. promissas ps. 88. qui incipit *misericordias Domini* &c. Continet verò hoc pactum & hæ misericordiæ Dauidi promissæ natiuitatem Messiæ ex semine Dauidis, thronum ejusdem & imperium æternum, liberationem per eum totius generis humani à peccato, ab inferno, à morte &c. Vnde & S. Paulus Act 13 v 34. resurrectionem Christi probat ex his Isaiæ verbis quasi Christo promissam: cui enim promittitur thronus æternus, ei etiam mortuo promittitur resurrectio, sine qua non posset thronus obtineri in æternum.

IV. *Cur dicit DEUS, non sunt cogitationes meæ, cogitationes vestræ?* R. Ego à vobis offensus non me gero, vt solent offensi homines, qui surdi ad preces offendentium nihil pirant nisi minas & vindictam: &, si tandem reconciliari se sinant, id non nisi ægrè, parcè, & ferè iniquis conditionibus admittunt: sed ego tanto excessu supero omnem hominum etiam pijssimorum misericordiam, quanto cælum excedit terram, id est, circulus immensus vnum punctum seu centrum, ita S. Cyrill. & S. Thom.

CAPUT LVI.

Hortatur DEus omnes, vt justè viuendo comparent se ad salutem à Christo afferendam, neminem verò ait ab hac salute repulsum iri. Peculiari verò cura vocat Judæos, rebellibus ac pertinacibus denuncians excidium per Romanos.

Filius Aduenæ. QUæstio I. *Quis est filius Aduenæ* v. 3 ? R. Moabites, Ammonites, vel quicunq; alius Gentilis, dummodo per fidem, spem, charitatem *dhæreat Domino, non dicat separatione diuidet me Dominus à populo suo*, id est, non faciet me DEus participem gratiarum & priuilegiorum Abrahæ, ejusq; semini promissorum, quia ego ex isto semine non sum procreatus, ita S. Hieron. Cyrill. & Theodor.

II. *Quis est Eunuchus dicens*, EGO SUM LIGNUM ARIDUM v. 4.? R. Sterilis & illiberis & ineptus propagando populo DEI: ac proinde infamis & priuilegijs ejusdem populi DEI exclusus Deut 23. v 1. Nam talibus Eunuchis, maximè spiritualibus Matt 19 v 12. voto castitatis sponte castratis v. 5 *Dabo in domo mea*, id est, in Ecclesia *& muris meis*, id est præcipuis munitis munitionibus Ecclesiæ meæ, *locum* supple honoratum & primum. Insinuat cœlibes in Ecclesia Christi primum locum occupaturos Sap. 3. v. 13. in quo etiam à regibus, alijsq; principibus honorentur.

Romani bestiæ agri III. *Quæ sunt bestiæ agri, quæ vocantur ad deuorandos Judæos* v. 9.? R. Romani, cùm enim præuideret in spiritu, quòd scribæ & pharisæi Christum essent persecuturi & occisuri, ab eoq; Israelem alienaturi, ideoq; suam gentem & remp. vastante Tito & Rom. perdituri, ac effecturi, vt Christus repulsis Judæis, pro eis vocaret Gentes; intimo dolore & indignatione tactus, subitò, ex abrupto erumpit, & euocat bestias, id est Romanos, gentesq; alias eis subjectas ac confœderatas, ad scribas & Judæos puniendos & euertendos. ita S. Hieron. Cyrill. Theodor. & alij passim.

CAPUT LVII.

Vitiis pastorum, subjicit aliam excidij Judæorum causam, nempe eadem iniquam justorum maximè Christi Domini. Mox inuehitur in idololatras, quibus minatur excidium per Chaldæos: pœnitentibus tamen promittit reditum è Babylone in Judæam.

Justus. QUæstio I. *Quis est justus, de quo* v. 1. JUSTUS PERIT, ET NON EST, QUI RECOGITET CORDE SUO? R. Alij intelligunt regem Ezechiam piissimum regem recèns defunctum, cujus morte gaudebant Judæi, quòd per illam porta illis aperiretur ad idololatriam; cujus hîc mentio v. 5 quam Ezechias semper inhibuerat. Verius tamen alij ajunt, quòd Isaias respicit ad Ezechiæ antitypum Christum, qui est justus justorum, cujus cædes per Judæos procurata, fuit causa excidij totius regionis per Romanos, inquit S. Hieron Cyrillus, Procopius & alij.

Viri misericordiæ. II. *Qui viri misericordiæ colliguntur* v. 1. R. Prophetæ, Apostoli, Martyres, Confessores morbo vel martyrio colliguntur è terrestri agro in horrea cœlestia. *Viri misericordiæ* tam passiuè vtpote ex singulari DEI misericordia orbi concessi, vt instar stellarum illum ornarent, illuminarent, fœcundarent: tum actiuè, quia eximiam misericordiam proximis

suis

ſuis exhibent, eisq; miſericordiam & gratiam diuinam impetrant. Hi etſi colligantur, nemo tamen tanto damno commouetur: *quia non eſt, qui intelligat*, aut capiat ingentia inde ſuboritura mala reip. & juſto quidem ſic ſublato ægrè aut malè non eſt: *à facie enim malitiæ*, ſeu miſeriæ & calamitatis ingruentis *collectus eſt*, ne ampliùs videat, ne ſentiat mala, ſeu communia toti generi humano, ſeu particularia gentis & populi ſui. Nulla enim vis aut malitia quidquam ampliùs in mortuum poteſt, inquit Haymon.

III. *Quo ſenſu dicitur* v. 8. *quia juxta me diſcooperuiſti & ſuſcepiſti adulterum?* ℟ Non tantùm foris, ſed in domo mea, id eſt, in templo, quaſi in eodem cubili & lecto, aſciuiſti in mei injuriam adulterum, id eſt, idolum & dæmonem. Notat Achaz regem, qui in templo DEI poſuit & coluit Deos Damaſci 4. Reg. 16. 10. idem fecit Manaſſes 4 Reg. 21. 4. Vnde & Ezechiel c. 8. 15. queritur Judæos Adonidis ſimulachrum in templo poſuiſſe & Jerem c. 32. 34. *Poſuerunt*, ait, *idola ſua in domo, in qua inuocatum eſt nomen meum.* Addit Sanchez, notari immolationem & concremationem filiorum in Tophet, quæ erat juxta Jeruſalem & templum. *Dilataſti cubile tuum.* Notat Achaz, quia altare ſolito majus, inſtar altaris Damaſceni, Baal erexit. Rurſum arguit, quòd quàm plurimas paſſim in lucis, vallibus & torrentibus, aras idolis conſtruerent. *Dilataſti* ergo, id eſt, multiplicaſti: *Ornaſti te regi vnguento.* Per regem S. Hieron. Rupert. Sanchez & alij accipiunt idolum Moloch, hoc enim Neoregem ſignificat, cui Judæos idololatras ſe ornaſſe & vnxiſſe, vt eum ita colerent magnificentius inſtar ſponſæ, imò meretricis, indicat hìc Iſaias. *Miſiſti legatos tuos procul*, q. d. non contenta patrijs & vicinorum idolis etiam legatos miſiſti ad Aſſyrios, Chaldæos & Ægyptios, indeq; tibi Amaſios, id eſt, idola, accerſiuiſti. Idem fuse tractat Ezechiel c. 23. 16.

CAPUT LVIII.

Jejunantibus Judæis jubetur Iſaias ipſis denuntiare jejunium tale tot mixtum ſceleribus non placere nec placare Deum. Requiri vnà cum jejunio corporali etiam ſpirituale, putà abſtinentiam à peccatis, & charitatem in pauperes. Quod ſi præſtiterint, omnia illis fauſta & lata obuentura.

QUæſtio I. *Quo ſenſu dicitur* v. 2. ME QUÆRUNT ET SCIRE VIAS MEAS VOLUNT? ℟ Me quærunt, non vt iratum placent, ſed quaſi ſibi injurium ad cauſam dicendam cogant. Volunt ſcire vias meas, id eſt, conſilia & rationes, cur ſic cum ipſis agam, accuſantes me injuſtitiæ & perfidiæ, quaſi promiſſam ipſis pacem & priſtina bona non reſtituam, inquit S. Cyrill. & Sanchez & patet ex v. 3. *quare jejunauimus & non aſpexiſti? Rogant me judicia juſtitiæ*, id eſt, depoſcunt à me rationem factorum meorum, quaſi iniquè cum eis agam: & *appropinquare volunt DEo*, non ad illi ſupplicandum, ſed ad litigandum cum eo coram tribunali judicis alicujus juſtioris.

II. *Quomodo dicitur* v. 4. JEJUNATIS AD LITES ET CONTENTIONES? ℟ Vt capite ſereniore, & largiore tempore, quod jejunantibus abundantiùs ſuppetit, vacetis in ſeruandis litibus, quibus debita veſtra repetitis. Ita S. Thom. Hugo & Sanchez, Neq; ſolo judicio publico pro tribunali debita repetitis, ſed inſuper priuata auctoritate cogitis & compellitis miſellos ſoluere quod non habent, *percutitiſq; eos pugno impiè* & inhumanè, adeo vt *clamor veſter*, quo & vos clamatis aduersùs debitores veſtros, & illos clamare atq; ejulare cogitis, audiatur *in excelſo* cœlo, & vindictam à me depoſcat. ita Forerius.

III. *Quale jejunium elegit Deus* v. 6. DISSOLVE COLLIGATIONES IMPIETATIS? ℟ *Jejunium* Jejunium quod me delectat, eſt abolere peccata, omnes rumpere vitiorum nexus. Ad rem ſcitè S. Hieron qui ergo jejunat, & vult ſuum jejunium reſpici, jejunet ab omnibus malis: & non ſolùm declinet à malo, ſed & faciat bonum, vt ſoluat omne vinculum iniquitatis. Cæteroquin, (vt idem S. Doctor ad Celantiam ſcribit) Quid prodeſt attenuari abſtinentiâ corpus, ſi animus intumeſcat ſuperbiâ? quam laudem merebimur de pallore jejunij, ſi inuidiâ liuidi fumus? Quid virtutis habet vinum non bibere, & irâ atq; odio inebriari?

IV. *Quomodo vocaberis ædificator ſepium* v. 12. ? ℟ inſtaurator vinctorum Judææ, quo- *Sepium ædificator.* rum ſepes dejecerunt Chaldæi, ſed inſtaurarunt reduces Judæi è Babylone, ita Sanchez. Sed Vatablus & Forerius per *ſepes* intelligunt mœnia Jeroſolymæ, quæ Nehemias inſtauravit, *auertens ſemitas in quietem*, id eſt, quieſcere & ceſſare faciens aditus omnes, per quos ſeu beſtiis, ſeu hoſtibus acceſſus patebat ad interiora vrbis vel vinearum & hortorum.

CAPUT LIX.

Cauſam calamitatum Judaicarum ait eſſe, non Dei impotentiam vel ſurditatem, ſed grauia eorum peccata. Utitur Deus ſuâ clementiâ mittendo filium redemptorem omnibus conuerti volentibus.

Quæſtio

Ova aſpidum.

QUæſtio I. *Quid eſt ſenſus* v. 5. OVA ASPIDUM RUPERUNT? ℟ Eſt prouerbium, quo ſignificat, malignos impiorum conceptus & machinationes, vbi executioni mandantur, perniciem creare, tum ijs, in quos deſtinati ſunt, tum ijs, à quibus tamquam auctoribus ac parentibus proceſſerunt: ſicut rupto ouo erumpens aſpis mordet tum alios præſentes, tum ipſum oui ruptorem. ita S. Hieron. Procopius & alij. Igitur non cibum inde ſibi, ſed mortem hauriunt: neq; opes, vt ſperabant, hac via parant, ſed viliſſimas *aranea telas*, quæ nulli ſunt vſui, quæ texentem euiſcerant, & vix muſcis captandis idoneæ ſunt.

II. *Quo ſenſu dicitur* v. 11. RUGIEMUS QUASI VRSI ET QUASI COLUMBÆ MEDITANTES? ℟ Quaſi vrſi raptis catulis; quibus primò pariendis, dein lambendo formandis, tertiò nutriendis tam ſolicitè ſtuduerunt: *& quaſi columbæ*, ſeu turtures amiſſo compare ſuo perpetuò velut *meditantes* gemunt, ita & nos gememus, ſubtractis per Chaldæos & alios hoſtes omnibus rebus nobis chariſſimis & optatiſſimis, quibus antea tanto ſtudio inſudaueramus. ita S. Cyrillus.

III. *Quomodo juſtitia Dei confirmauit eum* v. 16.? ℟ Deus deſtitutus juſtitiâ alienâ, vſus eſt propriâ; juſtum lytrum & ſatisfactionem repetens ex meritis filij ſui incarnati, quibus pro peccatis totius mundi ex rigore juſtitiæ ad vltimum teruncium ſatisfieret. ita S. Cyrillus, Forerius & alij. Hoc fixo conſilio, en adeſt filius Dei, proſilit in arenam, armatur à capite ad talos, mundum, peccatum, Dæmonem, tyrannos & hoſtes omnes populi Dei propria manu debellaturus. *Ut loricâ indutus eſt juſtitiâ* v. 17. propriè dictâ, vel, ſi mauis, innocentiâ vitæ, qua totum pectus obarmauit & corroborauit: eâdem quoq; caput ſuum communiuit quaſi *galeâ ſalutis*, ſeu ſalutiferâ, reliquo etiam corpore *indutus eſt veſtimentis vltionis*, id eſt, cinctus eſt telis & armis ad vltionem ſumendam idoneis, circumquaq; *opertus* ardenti *zelo quaſi pallio* militari.

CAPUT LX.

Ob eximia dona in fine capitis præcedentis promiſſa Eccleſiæ, gratulatur illi propheta, miram ejus felicitatem depingens, vti & propagationem, imperium, opes & gloriam eiuſdem, ſeu militantis in terra, ſeu triumphantis in cœlo.

QUæſtio I. *Quæ ſunt* MADIAN ET EPHA v. 6.? ℟ Sunt regiones trans Arabiam, fertiles Camælorum ita dictæ à Madian filio Abrahæ ex Cetura, & Epha filio Madian, totaq; regio vocatur Saba. Unde fuit & regina Saba, quæ huius rei typo venit cum muneribus in Jeruſalem audire ſapientiam Salomonis, qui fuit typus Chriſti. ita S. Hieron. E varijs ergo regionibus Aſiaticis, camelis adultis, & minoribus ſiue dromedarijs ad te munera deferentur, ô Eccleſia.

Nubibus comparantur fideles

II. *Cur fideles comparantur nubibus* v. 8? ℟ Quia nubes vtpote eleuatæ à terra, ab extremis ejus partibus facile & ſtatim quoquo versùs deferuntur; & quaſi volant: ita fideles ex vltimis terræ partibus venerunt ad Eccleſiam. 2dò nubes ita denſæ ſunt, vt totum cœlum operiant: ita denſi & multi populi ad Eccleſiam confluxerunt. 3tiò nubes propellit ventus adeò validè, vt nulla terrena vis earum curſum impedire, aut ſiſtere poſſit. Ita fideles acti à Spiritu Sancto & amore Dei, omnes in terra obices & difficultates ſuperant & tranſcendunt.

III. *Cur dicitur* v. 11. APERIENTUR PORTÆ TUÆ JUGITER? ℟ Eſt catachreſis, ſignificans magnam Jeroſolymæ, id eſt, Eccleſiæ, fore pacem, ſecuritatem, propagationem capacitatem, vt totum mundum capere poſſit, & frequentem gentium ad eam concurſum, vt tam de die, quàm de nocte ad eam confluant. Alludit ad vrbes, quæ metu hoſtium nocte portas claudunt; ſed cùm ſine metu in plena pace degunt, tam de nocte quàm de die portas apertas aduentantibus relinquunt.

IV. *Quid per gloriam Libani, abietem & buxum &c. intelligitur* v. 13? ℟ Per has arbores intelliguntur omnia, quæ ad decorem, ſplendorem & ſtabilitatem Eccleſiæ pertinent, ſiue ea interna ſint, vt virtutes heroicæ, gratiæ & chariſmata Spiritus Sancti; ſiue externa, vt opes, nobilitas, ingenium, artes, diſciplinæ, ac præſertim viri docti, philoſophi & oratores, qui ſua pietate, ſapientiâ, eloquentiâ Eccleſiam ædificarunt, qualis, ait S. Hieron. fuit Cyprianus.

V. *Quo ſenſu dicitur* v. 14. ET VENIENT AD TE CURUI FILII EORUM? ℟ Curui, id eſt, humiles & venerabundi, vel curui, id eſt, ſupplices & pœnitentes, petentes veniam pro ſuis erratis, & parentum, qui Eccleſiam olim impugnarunt. Venient ergo curui, quia indignos ſe putabunt, qui Eccleſiæ & miniſtris Dei famulentur, ponent altos ſuos ſpiritus, induentq; ſpiritum Chriſti humilem & mitem. Cum enim agnoſcent, è quantis malis ſola miſeratione eruti ſint, in quibus poterant æquè ac patres eorum conſeneſcere mori,

mori, & damnari, non poterunt non se humiliare & submittere illis, qui tam felicis sortis suæ fuerint administri, eos ergo vt viros sanctos imò cœlestes suspicient atq; Ecclesiam quasi sponsam Dei venerabuntur.

CAPUT LXI.

Christus asserit se vnctum Spiritu S. vt consoletur & liberet afflictos & lugentes in Sion. Describit, quales futuri sint Ministri & pastores Ecclesiæ: quæ sibi ob ingentia beneficia à Christo accepta gratulatur, jubilat, & Deo gratias agit.

Quæstio I. *De quo loquitur* v. 1. SPIRITUS DOMINI SUPER ME &c.? ℟ De Christo. Nam inuisibiliter Spiritus S. descendit & fuit super Christum, à primo instanti conceptionis ejus: visibiliter verò in eum descendit, in ejus baptismo: vnde mox post baptismum, jejunium & tentationem venit in Synagogam, dixitq; tunc impletum fuisse hoc Isaiæ de se oraculum Luc. 4. 18. Deinde curauit infirmos, fecitq; ea, quæ hîc ipsum facturum prædicit Isaias. Vnde SS. Patres asserunt hæc impleta esse in baptismo Christi, cùm Spiritus S. descendit in specie columbæ super Christum, & vox Patris audita est: *hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui, ipsum audite*. Hoc enim signo visibili, æquè ac voce, quasi exteriùs coram populo Christus declaratus est, & consecratus doctor, propheta, legislator, & redemptor orbis, atq; deputatus ad euangelizandum pauperibus.

II. *Quid est* VT DAREM EIS CORONAM PRO CINERE v. 3. ? ℟ det S Thom. l. 3 de erud. Principum. Cui desideranda est corona æterna; multum expedit, vt sua reputatione cinis sit: pro cinere enim corona promittitur. Qui se cinerem esse puluereműq; agnoscit, mortem sub mentis oculos ponit, ad illud virtutum omnium eluctatur fastigium, vt regnare dignus sit, non in hoc orbe tantùm, sed & in cœlo, ac caput suum stellarum cœtui inserere, quasi quidam nouellus sol stellarumq; Imperator esset effectus. Sic Niniuitarum Rex tunc se dignum imperio reddidit, quando animum mortis addixit meditationi, hæc enim heroicarum est actionum magistra, ipsamq; facit naturæ humanæ transcendere conditionem. Magna emphasi Sophar Naamathites ad Jobum inquit: *Cùm te consumptum putaueris, orieris vt Lucifer, & habebis fiduciam propositæ tibi spei.* Job. 11. 17. Notandum, inquit S. Greg. l. 10. Moral. c. 11. quod nequaquam cùm consumptus fueris, sed cùm te consumptum putaueris, dicit. Quando inquam mortem expenderis eamq; vicinam, ac te jam veluti extinctum, humatum, in puluere resolutum putaueris; tunc aliorum dignus eris celebrari encomijs, tunc beatitudinis certa spe te pascere poteris. *Corona pro cinere*

III. *Qui intelligantur* v. 5. ET STABUNT ALIENI ET PASCENT PECORA VESTRA &c ? ℟ Ex gentibus & alienigenis ad Christum ab Apostolis conuersis, eligentur Episcopi & pastores, qui pascant & excolant Ecclesiam ortam in Sion apud Judæos, vt ex sui origine Judæorum propria dici & vocari possit: Hos ergo ex gentibus Episcopos vocat pastores, agricolas, vinitores Sionis, siue Judæorum, id est, Ecclesiæ, cujus primi pastores & fideles fuerunt Judæi. Ita Procop. Forer, Vatablus & alij. Quin S. Hieron ait: *Quotus enim quisq; Ecclesiarum princeps est è Judæis, & non de alienigenis, atq; externarum gentium hominibus.* Hoc est, quod Judæis prædixit Christus Matt. 11. v. 41. Deum vineam suam à Judæis translatarum, ac traditurum alijs agricolis. Sed sensus hic est mysticus.

IV. *Quis est sensus* v. 7. PRO CONFUSIONE VESTRA DUPLICI LAUDABUNT PARTEM SUAM? ℟ Pro multiplici confusione vestra, cùm probra & verbera à tyrannis patiemini, *laudabunt partem suam*, est enallage personæ tertiæ pro secunda, dicendum enim, *laudabitis partem vestram*, id est, gratulabimini vobis ob talem ministerij sortem, quæ vobis quasi primogenitis Christi filijs obuenit, vnà cum tanto fructu & honore crucis. Ita S. Hieron. & alij.

CAPUT LXII.

Isaias publicè fatetur se à precibus non cessaturum, donec Ecclesiæ salus & Saluator Christus adueniat. Jurat Deus, quòd eam non amplius tradet hostibus diripiendam: jubetq; vt omnibus ad eam aduentantibus via præparetur.

Quæstio I. *Quo sensu dicit* v. 1. PROPTER SION NON TACEBO? ℟ Sionis, id est, Ecclesiæ summè à me dilectæ salus ita mihi cordi est, vt à voto meo enuntiando & identidem repetendo apud DEum & homines non sim cessaturus, quoad viuam, donec videam ipsum justum, putà Christum justificatorem & Saluatorem nasci & oriri instar solis orientis & splendentis; etsi eò vsq; non viuam, vti reuera non viuam, non cessabo clamare per hæc scripta mea, perq; me ipsum in limbo patrum.

Ecclesiæ nomen nouum.

II. *Quod nomen nouum promittit DEus se daturum Ecclesiæ* v. 2.? Rdent imò S. Hieron. Cyrill. & alij esse hoc, *Ecclesia Christi*, aut vt Euseb. l. 2. Demonst. c. 49. *Christiani & cœtus Christianorum*, cùm olim populus DEI vocaretur Israel. Rursum Procop. promittitur ait, Ecclesiæ mutato nomine, eam futuram coronam glorioſam. Cùm ergo Christiani nominis appellatione, velut coronâ rediniti simus, coronam hanc opus est fulgentibus margaritis & ardentibus velut pyropis splendere. Vnde S. Chrysost. Nemo profectò, ait, gentilis esset, si ipsi, vt oportet, Christiani esse curaremus, nemo ita esset fera bellua, vt non statim ad cultum veræ religionis accurreret, si quod nomine Christiano præferimus, reipsa & *vita præstaremus*. 2do & genuinè hoc nomen nouum est, *Voluntas mea (Dei) in ea.* hoc enim exprimit propheta v. 4.

Corona gloriæ.

III. *Cur Ecclesia dicitur* CORONA GLORIÆ IN MANU DOMINI v. 3.? R. Quia hoc regnum spectat ad manum, id est, ad jus & partem DEI, id est, est diuinum, non humanum, imò est ipsum DEI regnum. 2dò regnum hoc Deo in pretio est & in delicijs, vtpote res speciosa & glorioſa, quam manu tenet & semper oculis suis objicit, illaq; eos pascit, vt capiti suo, si velit, quasi coronam regiam imponere possit. 3. regnum hoc est opus manûs Dei, atq; Ecclesia non per seipsam, sed per manum robustam Dei, euecta est in regnum, ab eaq; in illo conseruatur. 4. hoc regnum est securum, eritq; perpetuum, est enim in manu, id est, tutela & protectione Dei, inquit S. Thom. & Sanchez.

CAPUT LXIII.

Christi jam victoris & adhuc hostili sanguine cruentati triumphus: Ecclesiæ ob accepta per illum beneficia gaudium & congratulatio: &, vt beneficia æternùm durent, supplicatio.

QUæstio I. *Quis loquitur* v. 1. QUIS EST ISTE, QUI VENIT DE EDOM? R. Ecclesia primitiua, siue prout colligenda erat ex Judæis, admirans multitudinem gentium cum Christo triumphantium, cujus gloriam tamquam in scena repræsentat propheta, prout cœperat cap. præced. à v. 10. Judæi autem arbitrati fuerant, Messiam solos Judæos redempturum esse. Per *Edom & Bosra*, quæ vrbs binominis erat in Idumæa, intelliguntur quælibet gentes.

II. *Quis est sensus* v. 3. ASPERSUS EST SANGUIS EORUM SUPER VESTIMENTA MEA? R. Est Catachresis, non enim loquitur hîc propheta propriè & directè de sanguine, quem fudit Christus in torculari crucis, quoq; cruentauit suum corpus; sed de sanguine hostium Christi, diaboli scilicet & sociorum, putà Gentium idololatrarum & impiarum. Agit enim de victoria Christi, non quòd Diabolus verè sanguinem habeat, quem fuderit Christus; aut quòd Gentes transfixerit aut occiderit, sed quia in victoria hominum multus sanguis fundi solet. Ad eam enim alludit, præsertim quia carnales Judæi, quibus hæc scribit Isaias, talem Messiam exspectabant, & etiamnum exspectant, scilicet, qui instar Dauidis potens sit, & bellicosus, multoq; sanguine regnum suum paret & propaget. Est ergo catachresis, nam, vt ait S. Hieron. per sanguinis effusionem & aspersionem vestium, non aliud significat, quàm plenam victoriam, & plenæ victoriæ signa, quibus ipse fiat, Rex Regum, & Dominus Dominantium.

III. *Quomodo dicitur Christus conculcasse populos* v. 6.? R. Non eos mactando & perdendo, sed conuertendo & subigendo, siue vitia eorum mactando, homines verò saluando. Major enim victoria Christi fuit, gentes impias ad fidem adducere, dœmonum vim & peccata interimere, concupiscentias mortificare, virtutes inserere, facereq; vt Dijs suis desertis, & carnis illecebris abdicatis, Christum dura, vt humilitatem, abstinentiam, continentiam, patientiam, mortificationem, imperantem sequerentur, quàm si ducto exercitu omnes trucidâssêt. ita Forer.

Angelus faciei Dei.

IV. *Quis est Angelus faciei DEI, & cur sic vocatur* v. 9.? R. Est Angelus jugiter præsens & assistens, putaturq; esse Angelus Michaël, qui vel primus, vel vnus è primis Angelis est, ideoq; vnus è septem primarijs Angelis, qui coram Domino, ejusq; throno stare dicuntur Apoc. 4. v. 5. & Tob. 12. 15. Rursum vocatur hic Angelus faciei, qui scilicet faciem & præsentiam DEi referebat, & quasi Vicarius loco DEi Hebræis aderat, eratq; quasi facies DEi, vt quasi Ductor ex DEi nutu præiret eorum castra, & ostenderet, quo loco ea movere aut figere deberent. Hic enim Angelus in columna nubis præcedens castra Hebræorum, Dux fuit eorum vsq; in Chanaan. Vnde de Angelo hoc ait Deus Moysi Exod. 33. v. 14. *Facies mea præcedet te.*

CAPUT LXIV.

Pergit Isaias orare DEum pro populo suo tot peccatis, tot flagellis oppresso: rogatq; vt disruptis cœlis emittatur Messias, qui mundum liberet & saluet.

Quæstio

QUæstio I. *Cur petit vt diruptis cælis, DEus descendat* v. 1.? R. Est Catachresis, loquitur enim de DEO humano more: homo enim in cælo existens, si descenderet, deberet diuidere & disrumpere cælos siue ætherem, quia corpus habet spissum, & impenetrabile, at DEus, qui purissimus est spiritus, & per omnia penetrat ac permeat, vt descendat, nihil diuidit aut disrumpit. q. d. vtinam omnes obices & moras tolleres, atq; adeo, si opus esset, cælos disrumperes, vt ad nos descenderes, non loco (cùm vbiq; sis) sed noua operatione & assumptione nostræ naturæ.

II. *Quo sensu dicit:* A FACIE TUA MONTES DEFLUERENT? R. Si ad nos descenderes, statim, sicut olim, fumarent & liquescerent montes, vti solent res igni aduste solui & liquari. Alludit ad descensum Domini in Sina, cùm legem dedit Moysi & Hebræis, in quo mons ille contremuit, & quasi liquefactus est coram Domino, ex muta & naturali quadam DEi reuerentia Exod 19. v. 18. *Aquæ arderent igni*, id est, miscerentur, sicut in pluuia grandinis, igni confusæ Exodi 9. 24. *Descendisti, à facie tua montes defluxerunt.* q. d. factum est, vti optaui & oraui. ecce enim in spiritu video & præuideo, te ad nos descendisse, factumq; esse hominem, ideoq; montes jam dictos à facie tua defluxisse. Theodor per montes accipit idola, quæ colebantur in montibus. Idololatria enim omnis cum idolis defluxit, & dissipata est prædicatione Euangelij.

III. *Quo sensu* v. 5. *Ecce tu iratus es, & peccauimus?* R. Occurristi gentibus lætantibus in te, at nobis Judæis iratus es, &, id est, quia peccauimus & prætuaricati sumus in te, te spernendo, vexando, & occidendo, & in hoc tui contemptu & odio jugiter persistendo. *In ipsis* (peccatis) *fuimus semper, & saluabimur.* Forer. legit interrogatiue, q. d. Cùm in peccatis & odio Christi perstiterimus semper, & persistamus, an saluabimur? 2dò *& saluabimur*, id est saluati sumus: quia Christus salutis nostræ pretium persoluit, at reipsa saluabimur aliquando, putà, cùm credemus in Christum in fine mundi.

IV. *An ex verbis illis* v. 6. *quasi pannus menstruatæ vniuersa justitia nostra*, rectè colligant Caluinus, Lutherus & eorum asseclæ, omnia opera bona, non tantùm infidelium & impiorum, sed & fidelium ac Sanctorum peccato aliquo, & labe aliqua concupiscentiæ esse polluta? R. Perperam, quia non loquitur propheta de fidelibus & justis, sed de Judæis Christo non credentibus & impijs. 2dò justitias eorum vocat, non opera justa, sed sacrificia expiatoria, quæ jam fœtent, & putent. 3tiò S. Macarius hom. 10 & ex eo Delrio adag 808. Omnia, inquit, etiam Sanctorum opera bona & justitiæ, si præscindantur à gratia DEi, & accipiantur vt procedentia tantùm ex naturæ lapsæ libero, sed vitiato arbitrio, omnes indignæ sunt oculis DEi, & reputantur, vt pannus menstruatæ. Opera enim ex operante æstimat DEus. Hic autem operans est homo lapsus, vitiatus, concupiscens & peccator. *Pannus menstruatæ.*

CAPUT LXV.

Querelæ Isaiæ de Judæorum derelictione respondet DEus, ipsosmet in causa esse, se manum illis porrexisse, sed illos eam repulisse; gentes verò eam apprehendisse, ac proinde meritò se à Judæis ad Gentes transisse. Addit tamen nonnullos ex eis conuertendos & saluandos. Deniq; incredulorum infelicitatem, opponit felicitati credentium.

QUæstio I. *Quando DEus expandit manus suas ad populum incredulum?* R. Jam inde ab initio sinum & manus expandit ad Judæos, quasi profundens in eos sua munera & charismata, ac præsertim manus expandit in cruce ait Theodor. & Forer. vt eos ad se etiam moriens, licet ab eis occisus alliceret, & amplecteretur. Verùm ab eis nihil impetrauit, nam priscæ idololatriæ & sceleribus patrum, filij noua crimina addunt; & sicut patres increduli fuerunt colendo idola, ita filij increduli sunt Christo, sequentes suas cogitationes, pertinaciter adhærentes Moysi & judaismo. ita explicat S Paul. Rom. 10. 20.

II. *Quia est, sacrificans super lateres* v. 3.? R. Super altare constructum ex lateribus more gentilium, inquit S. Hieron. Unde Judæis id vetitum erat: eis enim jusserat DEus, vt altare construerent ex terra, aut lapide impolito Exod. 20. 24. Habitant in sepulchris LXX. addunt, *propter somnia*, nempe quibus edoceri volunt de futuris euentibus, inquit Cyrill. & Theodor. Vel vt captent responsa dæmonum, qui fœtidissima ambiunt loca Matt 8 v. 28. *Et in delubris eorum dormiunt*, vbi stratis pellibus hostiarum, inquit S. Hieron. incubare soliti, vt somnijs futura cognoscerent. Ideo Isaias delubra hæc jungit sepulchris, inquit Corn. à Lap. quia juxta sepulchra suorum solebant erigere delubra, vt vel Deos suis facerent propitios & prouisores, vel vt in ijs defunctos heroes & Principes, quasi inter Deos relatos colerent. *Sacrificare super lateres.*

III. *Qua est vallis Achor* v. 10? R. Erat juxta Jericho Josue 7. 26. Ac proinde pinguissima & fertilissima. Talis enim erat ager Jericho; ibi enim balsamum prouenit: abundat rosetis, cannis mellis, palmetis, vnde ciuitas palmarum est appellata. Dicitur Achor, id est *Vallis Achor.*

turbationis, eò quòd in ingressu terræ sanctæ sub Josue, ob sacrilegium Achan, ibi Israel turbatus sit, & cæsus, sed punito & occiso Achan, per Josue, qui typus erat JESU Christi, ei & socijs mœror in gaudium, est versus, ibiq; aperta est spes victoriæ, & quietis, vbi fuerat desperatio & turbatio. Vallis ergo Achor est Judæa. Achan enim significat Judæos incredulos Christo & Christianorum hostes ac turbatores. De Judæis enim hic egit à v. 8. & deinceps. q. d. E Judæa Christi & Christianorum turbatrice prodibunt, in eaq; quietè agent, pascentur, aliosq; pascent, *armenta*, id est, Apostoli, alijq; Christiani. Loquitur enim de judæis fidelibus & Christianis, nam de infidelibus agit in sequentibus.

Mensa fortunæ.

IV. Quid denotat v. 11. *Ponitis fortunæ mensam, & libatis super eam?* ℟ Exprobrat stultis hominibus, quòd, contempto Deo, ejusq; infallibili prouidentia, invictâ potentiâ & expertâ toties beneuolentiâ, supplicent fortunæ prophanæ, incertæ, cæcæ & imbelli. Quam impietatem dicit S. Hieron. Judæos hausisse ab Ægyptiis, qui Numini huic suo ponebant vltimo die anni in cunctis vrbibus mensam refertam varij generis epulis, & poculum musto mixtum, eo ritu fertilitatem vel præteriti anni terminantes, vel futuri *auspicantes*. Et hic gentilium mos instruendarum vltimo anni die epularum, videtur apud eosdem ad Christum conuersos perdurasse, vt præteriti anni felicitatem cum gaudio terminent, & noui prosperitatem mutuò apprecentur.

Juramentum execratorium.

V. *De quali juramento est sermo* v. 15. DIMITTETIS NOMEN VESTRUM IN JURAMENTUM? ℟ De execratorio: vt nempe dum volent aliquem execrari, dicant, fiat tibi quod factum est Judæis: gladius, fames, excidium Judaicum te comprehendat. ita S. Hier. Loco autem tuo substituet alios tibi seruos, quos vocabit non Israelitas, non Judæos, sed *alio nomine* nouo, vt addunt LXX. nempe à Christo vocabit omnes Christianos, vt factum legimus Antiochiæ Act. 11. v. 26.

Infans & senex.

VI. *De quo infante & sene dicitur* v. 20. *Non erit ibi amplius infans dierum, & senex, qui non impleat dies suos?* ℟ Supple benè viuendo, & suæ ætatis officia ac munia rectè obeundo. Vt enim dies vacui & inanes sunt Sap. 13. v. 1. qui vitiosè traducuntur: sic pleni & completi dicuntur, qui honestè & bonis operibus, ad quæ dati sunt, implentur. Quamuis ergo inter Christianos moriatur quis puer, id est, ætate adhuc tenera, tamen quo ad mores & sensum perinde *morietur*, ac si esset *centum annorum*, id est, sapientia cœlesti & virtutibus maturus ac inueteratus, æstimabitur enim & laudabitur sola virtus & scientia, non verò ætas minus vel magis adulta. Vnde quicumq; fuerit in ea peccator, etsi centum sit annorum, & artes & experientiam & opes nactus sit maximas, quia tamen virtute caret, nihili æstimabitur, sed probrosus apud omnes, & maledictus erit. Ita S. Greg. Aluarez & alij.

CAPUT LXVI.

Pergit in Judæorum, & templi, & legalium victimarum reprobatione; gentium verò vocatione, & Ecclesiæ earumdem propagatione, gloria, felicitate, duratione vsq; ad extremum judicium. Quare breui recapitulatione toto libro dictorum, monet Apostolos, vt gentibus gloriam Dei & gratiam Christi strenuè annuntient: eas maximo numero & gaudio aduolaturas: ex ijs assumendos Sacerdotes, & prælatos Ecclesiæ vsq; ad finem mundi: deniq; de hostibus suis omnibus æternùm triumphaturos.

Bouis immolatio.

QUæstio I. *Quo sensu dicitur* v. 3. *Qui immolat bouem, quasi qui interficiat virum?* ℟ Ita detestor vestra sacrificia, ac si essent homicidia, victimæ caninæ, & idololatriæ, quæ vobis & mihi extremæ abominationi sunt. Causas inuenies c. 1. v. 11. Hîc vnam subjicit nempe, hæc sacrificia sua omnia non mihi oblectando vel honorando, sed suis sceleribus hoc pallio velandis *elegerunt*, ipsi interim permanentes sesèq; oblectantes *in vijs suis* pessimis & *abominationibus* extremè execrandis, ita petulantissimè illudentes mihi. Vnde & *ego eligam*, non quæ ipsis oblectandis, sed quæ illudendis vicissim seruiant, immittens eis Romanos, per quos illudantur, cædantur, exterminentur.

II. *Quis est sensus verborum* v. 5. *Dixerunt fratres vestri glorificetur Dominus?* ℟ Fratres vestri secundùm carnem, Judæi in Judaismo obstinati, *glorificetur Dominus*, id est, ostendat Christus vester gloriam & potentiam suam, nempe descendendo de cruce, resurgendo à mortuis, & alia miracula patrando: vt sic & vos lætemini, & nos vestram lætitiam videntes, vnà vobiscum lætemur, q. d. Non est, quòd ab homine crucifixo & mortuo gaudium aliquod vel gloriam speretis. Nihil ab eo nisi confusio, probrum & mœror vobis obueniet. Sed magno stabit sannionibus istis hic lusus. Non vos confundemini, sed *ipsi confundentur*. Christus enim resurgens sat manifestabit, & toti orbi probabit suam gloriam, tum per se, tum per vos Apostolos suos. Per Titum verò cæterosq; Romanos æterna confusione & probro plectet sermones istos.

III. *De*

III. *De quo dicitur v. 7. Antequam parturiret, peperit masculum?* ℟ De Sione, id est, Ecclesia primitiua, ex Judæis ad Christum conuersis conflata. Hæc antequam parturiret, peperit. Nempe sine longo ministerio, sine longo cruciatu & labore, qualis solet esse parturientium, q. d. dum impii Judæi irrisores Ecclesiæ Christi funditus exscinduntur, Ecclesia Christi maximis incrementis exsurget, non sensim & lentè, vt olim synagoga, sed simul & subitò. Sic vna concione S. Petrus Act. 2. 42. peperit tria hominum millia, altera 5 millia, & peperit non fœmineam, sed masculam prolem, id est, masculo & forti animo præditam, martyrio parem. ita S. Hieron. & alij. Sed Nyssenus & Damasc. id B. Virgini & partui Christi adaptant: neq; omnino male, quia per hunc masculum alij omnes masculi & heroes Christiani procreantur. Huc alludit S. Joannes Apoc. 12. Vbi Ecclesiam quasi mulierem masculos tales pugiles procreantem inducit. In priori sensu ait S. Amb. hom. 11. ad Virg. *Quis audiuit, si parturit terra die vno? Vno die terra non parturit, sed parturit gratia.* Admiranda sunt diuinæ gratiæ miracula, pœnitentiæ effectus, quòd die vno Deo nascantur filij, atq; omnia totius vitæ scelera aboleantur. *Partus ante partu-ritionem.*

QUÆSTIONES EXEGETICÆ IN JEREMIAM PROPHETAM.

CAPUT I.

Continet diuinam Jeremiæ vocationem ad munus propheticum à quo frustra se excusat. Videt virgam vigilantem, & ollam succensam, per quæ excidium Judææ vicinarumq; nationum per Chaldæos portendi cognoscit.

QUæstio I. *Jeremias quomodo sanctificatus?* ℟ S. Hieron. S. Thom. S. Amb. l. 1. in Luc. c. 5. Nazian. orat. 4. Apol. Corn. à Lap. Tirin. & alij ita sanctificatum esse dicunt, vt ab originali macula de vulua mundus exierit. Alij de alio sanctificationis genere loquuntur, nempe de deputatione aliqua aut consecratione ad prophetandi munus. ita putat S. Hieron. in illud ad Gal. 1. *qui me segregauit ex vtero matris meæ*, vbi idem esse putat, ex vtero segregari, atq; in vtero sanctificari, Iren. l. 5. c. 15. eodem modo sanctificatum Jeremiam censet, & Paulum è matris vtero segregatum. Idem Theodor. in hunc locum. Chrysost. homil. de Jeremia tom. 1. & alij. His adde Chaldæum, qui sic hunc locum reddit, *antequam venires ad sæculum, præparaui te prophetam.* Desumunt fundamentum hujus sententiæ ex c. 20. v. 14. Vbi Jeremias maledictam vocat diem, in qua natus est, quod sanè non dixisset, si purus à culpa è materno vtero in hanc lucem emersisset. Item ex illo Eccli. 49. vbi sic de Ieremia: *Nam malè tractauerunt illum, qui à ventre matris consecratus est propheta, euertere & eruere & perdere, & iterum ædificare & renouare.* Sanctificare interdum in scriptura idem est, quod segregare rem ad ministerium aliquod sacrum, quæcumq; illa sit, siue rationalis & animata, siue rationis omnino atq; animæ expers, quomodo sanctificata dicuntur primogenita boum atq; armentorum Deut. 15. & locus religioni sacer, & dies diuino cultui consecrati, qua ratione sanctificari dicitur sabbathum. Deniq; illi, quorum opera ad aliquod opus sacrum destinantur, licet ipsi scelerati sunt, dicuntur sanctificati, dummodo in illorum designatione aliquid sacrum intercedat, qualis est ritus ac ceremonia sacra, aut certè finis intentus à Domino; quomodo sanctificatum dicitur bellum, quod Chaldæi Solymitanis intulerunt Jer. 6. quia illud Deus ad punienda Judæorum peccata conflauit; & sanctificati milites, Persæ videlicet & Medi, à quibus longè aberat sanctitas Isa. 13 & Sophon. 1. quia ad stragem Solymorum, plectendamq; populi impietatem à Domino conscripti. Prior tamen sententia tenenda. *Jeremias sanctificatus.*

II. *Quando impletum de Jeremia illud:* ET PROPHETAM IN GENTIBUS DEDI TE? ℟ impletum est tempore Jeremiæ. Nam & contra gentium Reges & imperia prædixit multa, vt habes à c. 46. ad finem vsq; prophetiæ, & dum esset in Ægypto, vt caput 44 ostendit. Et quidem ipse c. 46. dicit. Quod factum est verbum Domini ad Jeremiam contra gentes. Quomodo contra gentes multas prophetarit, sub calicis allegoria vide caput 25. & sub catenarum metaphora contra Moabitas, Amonitas, Idumæos, Tyrios & Sydonios, vide caput 27. *Propheta in gentibus.*

III. *Quæ fuit illa manus, & qualis attactus v. 9. qui expeditam reddidit & eloquentem Jeremiæ linguam?* ℟ Aliqui putant visibilem quamdam fuisse manum, quæ Jeremiæ tetigit linguam, sicut etiam visibilis fuit illa manus, quæ sumpta ex altari prunâ Isaiæ labia purgauit, & ad facilem sermonis vsum expediuit. Ita putat Hieron. & cum eo Rabanus. *Manu tangens linguam.*

Sanctiùs vero ſimilius exiſtimat imaginariam hanc fuiſſe ſpeciem, quæ Prophetæ aut abalienato à ſenſibus, aut in altam aliquam cogitationem intento objecit, loquentem Dominum, & manum ad os uſq; prophetæ porrigentem. ita S. Thom. Hugo, Dionyſ. & Lyran. quod ſanè ſatis fuit, vt & prophetæ robur accreſceret, & ſpiritus ad arduum prophetandi negotium, & verbis abundaret, ad tantam illam prouinciam opportunis. Quod ſi manum illam intelligas Angeli fuiſſe, non Domini, magis eſt & ad Interpretum ſententiam, & S. Scripturæ conſuetudinem, quæ, vt communior eſt Theologorum ſententia, quæ Angelorum miniſterio facta ſunt, illa à Deo facta fuiſſe tradit. Et ita in præſenti contigiſſe putat Dionyſ. Vatab. & Maldonatus.

Virga vigilans.

IV. *Quid denotat virga vigilans* v. 11. ? ℟ Vigilans, id eſt, minitans, librans & agitans ſe, ac parata percutere ait Rupertus. LXX vertunt, ego video *baculum nuceum*. Theodor. *Ego video virgam amygdalinam*, quæ primò inter arbores euigilat, id eſt, ſolicita eſt, vt flores ſuos emittat. q. d. Video flagellum repentè occupaturum Judæos imparatos, quod multò citiùs quàm putatis, ô Judæi, antevertet timorem veſtrum, ita Vatabl. & alij. Viegas in Apoc. c. 15. comment. 1. Sect. 1. propriè vigilantem exponit *oculatam* vel *oculos apertos & vigiles habentem*. Significat enim Dei prouidentiam & juſtitiam, quæ tota oculata eſt, nec per errorem ſupplicium infert, ſed maximo judicio & examine verberat, vt magnitudo pœnæ magnitudinem culpæ non ſuperet, imò nec adæquet. Propriè hæc virga vigilans ſignificat celerem Dei vltionem, hoc eſt enim, quod explicans hanc virgam Dominus ſubdit v. 12. *Bene vidiſti, quia vigilabo ego ſuper verbo meo, vt faciam illud.* Hinc ex Hebræo cum nonnullis verti poteſt, *ego video virgam vigilantis* ſcilicet Dei. Hac ergo viſione virgæ amygdalinæ & vigilantis ſignificauit Deus Jeremiæ ſe citò acceleraturum pœnas & captiuitatem Babylonicam, quam Judæis comminatus fuerat. Nam abhinc vigeſimo tertio, puta anno tertio Joakim, Nabuchodonoſor cepit Joakim, & Danielem alioſq; abduxit; anno verò abhinc quadrageſimo Jeruſalem vaſtauit, & templum concremauit. Hæc ergo virga vigilans oſtenſa Jeremiæ, fuit ſimilis oſtento vel portento cometæ, qui ſpecie virgæ aut gladij apparens peſtem, bellum & vaſtitatem, quaſi index iræ Dei portendit hominibus.

Olla ſuccenſa.

V. *Quid denotat olla ſuccenſa*, v. 13.? ℟. Denotat Nabuchodonoſorem cùm ſuo exercitu, ignem furoris efflantem & ebullientem contra Judæos: hæc enim olla venit ex Aquilone, id eſt ex Chaldæa, vt Jeruſalem aliaq; regna combureret & vaſtaret. Olla eamdem vindictam ſignificat & confirmat, quam virga, ſed grauiorem. Sic Joſeph famem quàm primò vidit per ſpicas ſignificari, 2dò per vaccas vidit confirmari & accelerari Gen. 41. 32. In olla accenſa videtur alludere ad focum & ignem, qui in concha vel olla, ne vento exſtingueretur, præferebatur regibus Chaldæorum & Perſarum; illi enim ignem quaſi DEum colebant: vnde reges eorum affectantes honores diuinos, ignem ſibi præferri curabant. q. d. Aduentat ignis præuius, & conſequenter ipſe Nabuchodonoſor, qui quaſi ignis in vos, ô Judæi, ſæuiet, vosq; comburet ita Sanchez *Et faciem olla*, id eſt os ollæ, vt Maldonatus exponit; vel, vt alij, ipſam ollam video aduentare *à facie Aquilonis*, id eſt, ab Aquilonari plaga, nempe à Babylone, quæ reſpectu Jeroſolymæ eſt quaſi Septemtrionalis, inquit Theodor. Dionyſ. & Vatabl. Vel, vt Hugo Lyr. & alij, *ab Aquilone*, id eſt, ab Aquilonaribus nationibus, de quibus hìc v. 15. Nabuchodonoſor enim hoc ipſo anno expugnata Niniue, quæ & ipſa erat Judææ Aquilonaris, translata Aſſyriorum Monarchia ad Chaldæos, coëgit ſub ſigna ſua nationes plurimas Aquilonares, quibus deinceps Judæam, vicinasq; prouincias ſubegit.

CAPUT II.

Miram beneuolentiam ſuam in Judæos, depradicat DEus ex vna parte, ex altera fœdam populi ingratitudinem, idololatriam & alia ſcelera: à quibus hortatur, vt citò reſipiſcat, & priſtinam cum DEO amicitiam inſtauret, tradendus alioquin hoſtibus in rapinam, in direptionem, in excidiũ.

Primitiæ frugum.

QUæſtio I. *Quo ſenſu dicitur Iſraël ſanctus, & primitiæ frugum ejus* v. 3. ? ℟. Res ſancta, pretioſa, chara, dicata DEO, ſicut *primitiæ frugum ejus*; nempe ex omnibus nationibus ſegregatus fuiſti, DEoq; quaſi proprium peculium, dicatus, inſtar ſelectiſſimarum primitiarum, quæ ſolent DEO gratiſſimæ accidere, illiq; ſoli reſeruari; vnde ſi quis profanus, ſeu laicus eas abſumeret, grauiſſimè delinquebat, eratq; reus mortis Leu. 22. v. 3. Pari modo quæcumq; profanæ gentes deuorare, ſeu deprædari auſæ fuerint Iſraelem, jam DEO ſacrum ac dicatum v. g. Moabitæ, Madianitæ, Philiſthæi, Amalecitæ, Æthiopes, Aſſyrij, *omnes* quaſi ſacrilegij reæ, atq; ita delinquentes punitæ ſunt à DEO, & *mala* innumera venerunt *ſuper eos*. Et pari modo, quicumq; eum nunc etiam affligunt, vel deinceps affligent, Chaldæi, Medi, Perſæ, Ægyptij, Syri, punientur & ipſi à me ſuo tempore, vt manifeſtum fiat toti orbi, Iſraelem mihi vt ſpecialiter conſecratum; ita ſingulariter etiam charum eſſe. ita S. Hieron. Lyran. & Vatabl.

II

II. *Quid est ambulare post vanitatem* v. 5.? ℟. est ambulare post idola, quæ quia vani & falsi sunt Dij, quos DEO vero oppositis, hinc pariter vanos & falsos effecerunt suos, æquè ac cultum & religionem, imò superstitionem vestram. ita S. Hieron Theodor. Hugo, S. Thom. Potest tamen etiam omnis alia vanitas, quæ in quolibet est peccato, accipi: omne enim peccatum est amor rei vanæ. *Vani facti sunt.* id est, similes idolis suis facti sunt, sine ratione, sine sensu, sicut imprecatur eis Dauid ps. 113. v. 8. *Similes illis* (idolis) *sunt, qui faciunt ea, & omnes, qui confidunt in eis.* Sic pariter quilibet peccator vanus sit & brutus, dum vanas & brutas sectatur voluptates. *Ambulare post vanitatem.*

III. *Quid per terram Carmeli intelligitur* v. 7. ℟. Hebræum Carmel aliquando est nomen proprium, significans montem terræ sanctæ fertilissimum & vini feracissimum Iosue 19 26. vbi Elias frequenter versabatur 3. Reg. 18. 19. inde aliquando transfertur ad similia, estq; nomen commune omnis agri fertilis & amœni, hinc Carmelus significat fertilitatem, & omnem rerum abundantiam, siue terram feracissimam, qualis erat Iudæa. Utroq; modo hic Carmelus accipi potest: significat enim Iudæam fertilissimam, vel nomine communi, vel proprio; scilicet ex monte fertili, intelligens totam Iudæam æquè fertilem, per synecdochen ex parte significans totum. In Iudæa duo erant Carmeli montes, vnus sterilis in sorte Ephraim, vbi habitabat Nabal; alter in tribu Aser, juxta Ptolemaidem fertilis, de quo hîc agitur. *Carmelus*

IV. *Terra promissionis quomodo propter peccata abominabilis?* ℟. Propter peccata felix illa regio, negato cœlitus imbre, speciem perdidit antiquam: neq; cultoribus operæ in agro colendo positæ reddidit fructum, aut non nisi pertenuem. Quod sæpè clamant & deplorant prophetæ, Jer. inf. c. 12. v. 4. & c. 14. v. 4. Aut certè contaminata dicitur, quia in regionem priùs DEo consecratam, idola ferè omnium gentium induxit, & eam gentilica illa abominatione, atq; immunditia, immundam fecit & abominabilem. Est autem in S. Scriptura frequens, vt idololatria abominatio dicatur, & sordes; & hæc cap. v. 23. polluta dicitur gens, quæ secuta est Baalim. *Terra promissionis abominabilis.*

V. *Quis est sensus* v. 16. *Filij Memphæos & Taphnes constuprauerunt te vsq; ad verticem?* ℟. Ægyptij (Memphis enim est vrbs Ægypti, quæ Cayrus dicitur; Taphnes vel Tanes regia erat Pharaonum) totum te imbuerunt cultu idolorum, quod est spirituale stuprum & fornicatio, itaq; vocatur à prophetis, ita vt à planta pedis vsq; ad verticem non sit in te sanitas. S. Thom. stuprum propriè accipit, q. d. Assyrij & Ægyptij quasi Domini & Victores obscœnè Judæis tam pueris, quàm puellis abusi sunt. Hugo verò Maldon. & Sanchez per stuprum accipiunt seruitutem, oppressionem, omnemq; calamitatem, quam Assyrij & Ægyptij Judæis subactis irrogabant. *Stuprum.*

VI. *Quid intelligitur* v. 23. VIDE VIAS TUAS IN CONVALLE? ℟. Locutus est propheta de valle filiorum Ennom, in qua filios idolo concremârant, & plurimos eorum sepelierant. Vnde LXX. traducunt: *vide vias tuas in sepulchro multitudinis.* Vbi Paciuchellus in Jonam tom. 3. Lect. 55. n. 57. Si nos quales simus videre, & qualiter ambulemus scire cupiamus, sepulchreta introspiciamus, mortem expendamus, & noscere nos ipsos incipiemus, peccata euitabimus, vias malas declinabimus, virtutum amplectemur semitam, ac tandem ad felicem illam, omnisq; perturbationis expertem pertingemus metam, dicebat Eusebius Gallicanus hom. 2. de Epiph. Per salutiferas gradiemur vias, quando anima damnatis voluptatibus id potiùs cogitat, quando sit positura tabernaculum sui corporis. Adeoq; idem est mente, & cogitatione versari mortem, & viam incedere salutis: nihil enim est, quod ita conducit ad mortem subeundam felicem, quàm illius cum mente sæpiùs repetita contrectatio. *Mortis cogitatio.*

VII. *Quid per cursorem leuem intelligitur* v. 23.? ℟. Communiter intelligitur Camelus fœmina aut Dromedaria. Camelis autem nimia celeritas & ardens est libido, quæ furoris venerei impatientes, omnia permeant, lustrantq;, neq; consistunt vllibi, donec rabidam illam sitim extinguant. Est autem in hoc veloci, erranti, ac pertinaci cursu camelorum optima petulantis ac libidinosæ fœminæ descriptio, quam ita definit Salomon Prov. 7. *Quieta impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis: nunc foris, nunc in plateis, nunc juxta angulos insidians.* *Camelorũ cursus.*

VIII. *Quis est onager assuetus in solitudine* v. 24? ℟. Onager generis est epicœni, qui sub vna terminatione & genere vtrumq; continet sexum. Hic generis est fœminini, vt statim explicatur magis, dum dicitur: *nullus auertet eam*; nempe onagrum. Est autem onager, siue claritatis gratia, onagra, animal velox, sylueſtre, salax, huc illuc explendæ libidinis causa continenter discursans. In qua, sicut in camela, ineffrœnatus Judææ gentis in idolorum cultum furor exprimitur. Onager, vt nominis ipsius notatio indicat, asinus est agrestis & indomitus, vt explicat id, quod sequitur *assuetus in solitudine.* *Onager.*

IX. *Quo sensu dicitur de Onagro:* ATTRAXIT VENTUM AMORIS SUI? ℟. Aliqui locum hunc non de onagrorum libidine sumunt, qua furunt, sed de fame ac siti, quam grauiter ferunt & impatienter: dicunt enim, cùm vrgetur Onager siti, rupem ascendere, vbi spirando haurit auram, atq; ita sedat, aut sustentat sitim, draconis more, cui hoc ipsum in grauissima siti leuamentum est. Et facit huc, quod de Onagro Jeremias tradit c. 14. v. 6 *Onagri steterunt in rupibus, traxerunt ventum quasi dracones.* Communis tamen sensus est, hoc dicendi

cendi modo explicari pulsum illum furentis libidinis, quæ onagrum in quamcumq; partem abripit, donec suo sibi ardori satisfaciat. *Nullus auertet eam.* Adeo nimirum præceps ferri dicitur ad concubitum, vt à nemine auocari possit aut auerti ab eo loco, vnde Aphrodisius ille exhalatur amor. Ventus amoris pro odore sumitur, quem afflat, adducitq; ad onagri nares aura ex ea regione spirans, vbi masculus est, quo maximè tempore furit in Venerem. A prurientibus enim animalibus odor quidam certus habetur, ex quo alter illorum sexus intelligit, amoris esse ventum illum, & Veneris nuntium.

CAPUT III.

Synagogam idololatrantem, sub metaphora adulteræ repudiatæ, reuocat DEus ad pœnitentiam. Ostendit, grauiùs deliquisse Judam, quàm Israëlem. Deniq; per Christum pœnitentibus omnibus veniam, gratiam, & gloriam promittit.

Auersatrix & præuaricatrix.

QUæstio I. *Cur Israël vocatur auersatrix, Juda verò præuaricatrix?* R. Auersatrix significat gentem, quæ apertè & sine vlla simulatione ab aliquo recedit & deficit. Quod fecêre 10. Tribus, quæ abierunt à templo, vbi sancto & aspectabili cultu Deus præcipuo quodam modo colebatur, & vitulis conflatis ex auro diuinos honores exhibuerunt, idq; publicè, neq; lege vlla humana aut regia auctoritate prohibente. *Præuaricatrix* verò gentem sonat, quæ non apertè & liberè, sicut *auersatrix*, sed occultè, simulatè atq; insidiosè ab aliquo recedit, & illum, pro quo stare se simulat, callidis consilijs oppugnat. Qualis in judicijs exercendis dicitur ille, qui clientem suum, cujus causa laborare se profitetur, perfidiosè prodit & euertit. Talis fuit Juda, quæ habuit templum, veramq; religionem, se tenere professa est. Tamen, vt statim queritur Dominus, non toto ad DEum corde, sed in mendacio, id est, simulatè & specie tenus sacrificium obibat, & præceptum à Domino cultum exhibebat. Et quia hoc peccati genus graue est, ideo de hoc aut sacrificandi, aut delinquendi genere, grauis DEi per omnes fermè prophetas expostulatio est.

II. *Quomodo dicitur* v. 11. *Auersatrix Israël justificasse animam suam, comparatione prauaricatricis Judæ?* R. Ea erat Judæorum impietas, & cum Idololatria tam impudens religionis veræ simulatio, vt ejus comparatione justa videri possit auersatrix Israel, quæ tamen multis se contaminauit flagitijs. Non quòd Israel verè justus sit, sed quòd præ Juda tam fœdè, tam enormiter delinquente, minus peccarit, & quasi justus videri possit. Sicut Luc. 18. Publicanus dicitur justificatus præ Pharisæo. Simili metaphora duarum sororum meretricum, *Oolla*, id est, decem tribuum, & *Ooliba*, id est, Jerusalem, vtitur Ezechiel c. 16. & 23. & simili phrasi dicit, illam ab hac, imò Sodomam præ hac, justificari. Porrò *justificare animam suam*, idem est, atq; justificare se. Nam per *animam*, id cujus est anima, circumscribimus. Quare odisse animam suam, nihil est aliud, quàm odisse se.

Aquilo.

III. *Quid intelligit per Aquilonem* v. 12.? R. Israelitas decem tribuum, in Assyriam, & Mediam, quæ Judææ ad Aquilonem jacent, nuper deportatos. Hos inuitari jubet DEus, vt ad pristinum DEi cultum postliminio redeant; vt hac via stimulos addat Judæ, eumq; ad æmulationem prouocet, quasi eo (nisi resipiscat) repudiato, migraturus sit ad Israelem. Ita S. Hieron. Lyran. & Dionys.

CAPUT IV.

Pergit inuitare Judæos ad pœnitentiam non fictam, sed veram, & seriam. Ni faxint, minatur excidium per Chaldæos, quorum terribilem aduentum & exercitum graphicè depingit, simulq; obsidionem Jerosolymæ, totiusq; Judææ vastationem.

Nouale cordis.

QUæstio I. *Quid est, nouate vobis nouale, & nolite serere super spinas* v. 3.? R. idem est, ac agrum cordis vestri jam pridem incultum, & idololatriâ, alijsq; aliorum scelerum spinis horrentem per seriam pœnitentiam expurgate, vt semina gratiæ, justitiæ virtutumq; recipere possit. ita S. Hieron. Est autem nouale incultus prius & sylueſtris ager, recensq; aratro ad sationem prosciſſus, id est, aruum novum, cùm prius foret sylua vetus. Aut certè cùm diu à vomere atq; à semente cessauit aliquamdiu, rursus ad satus reuocatur. In quo optimè exprimitur animus, qui perdiu naturæ, genioq; seruiuit, & in syluarrum modum efferatus cœleste semen excipere non potest, nisi se ipsum soluat, atq; omnino deserat. Agricola, qui agrum habet loliis, spinis, & vrticis plenum, vt illum reddat fructiferum, nocuas illas herbas eradicat, extirpat, & purgat. Sic eum egisse sufficitne? Nequaquam, omnis enim hic labor irritus erit, nisi & illum colat, granumq; seminet. hac tandem ratione agricolæ non fallet expectationem, fructumq; ex agro parabit. Homo vitiis assuetus ad instar agri est, malis oppleti herbis. Huic malo

non

non est antidotum opportunius, quàm vitiorum plantas radicitus euellere, nec hîc est sistendum, sed insuper virtutum semina spargenda sunt. Jeremias jussus prædicare, excusauit se, immaturam ætatem prætendens. Diluebat hanc excusationem Deus, pollicitus scientiam, prudentiam, pectoris robur, & quæcumq; ad hoc opus necessaria forent, vt sponsioni satisfaceret, tetigit linguam ejus & dixit c. 1. v. 10. *Ecce constitui te hodie super gentes, & super regna, vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes.* Hominis animus campus est vitijs, prauis habitibus, affectibus malis sic seminatus, vt in eum illud quadret:

Infelix lolium & steriles dominantur auenæ

Huic morbo remedium præscribit Lysias Pythagoricus ad Hypparchum scribens. oportet igitur primùm syluas, in quibus hi affectus nutriuntur, igne, ferro, ac omnibus instrumentis expurgare, atq; vt Virg. in Georg.

Sæpè etiam steriles incendere profuit agros.

Sed hîc sistendum non est; bonorum operum erigi debet fabrica, boni habitus sunt plantandi, virtutumq; semina spargenda. Hoc intendit Cæsarius Arelatensis hom. 23. dicens: *Ideo cum Dei adjutorio laborandum est, vt expurgatis vel mortificatis omnibus peccatis, in possessionem vitiorum virtutes introeant,* locumq; quem tenebat superbia, humilitas occupet; quem vastabat auaritia, obtineat eleemosyna; quem luxuria sordidabat, castitas mundet; quem tenebat inuidia; possideat beneficentia &c.

II. *Quid est circumcidi Domino & auferre præputium cordium* v. 4.? ℟ Est metaphorica explicatio quædam prioris allegoriæ, de nouali, & de vera atq; perfecta in Deum conuersione Persuaserant sibi, credo, Judæi, satis se ad Deum fuisse conuersos qui intermissa jam diu sacra & externas ceremonias instaurarant, cùm tamen adhuc sensus retinerent antiquos, neq; minùs quàm antea profusè à carnis desideriis traherentur. Quare jubet, vt non tantùm externo corporis gressu, sed etiam toto præcordiorum affectu ad Deum reuertantur. Abstulerant quidem carnis præputium, seq; externo illo atq; carnali stigmate consignarant, sed erat animus incircumcisus, nihiloq; minus à carnis illecebris ducebantur, quàm præputiati gentiles. Hos igitur hortatur Deus, ne simulata sanctitate in corde celent carnale præputium. Hoc puto, dixit Paulus Gal. 6. *In Christo JEsu neq; circumcisio aliquid valet, neq; præputium, sed noua creatura.* id est, cor circumcisum, aut nouatus ager & purgatus à sensibus. Corda sæpe dicuntur habere præputium, & incircumcisa, quia à carne reguntur, nec quidquam habent penti, quid spiritus velit, aut æqua ratio. *Præputium cordis*

III. *Quis intelligitur verbis* v. 7. *Ascendit leo de cubili suo, & prædo gentium se leuauit?* ℟ Nabuchodonosor, qui ex Babylonia regione depressâ atq; humili, in Jerusalem situ arduam atq; montosam exercitum coëgit promouitq;. Comparatur autem cum Leone, qui cum de cubili suo in syluas egreditur, vrgente fame, quam diu jejunus sustinuit, ad prædam famelicus & violentus egreditur. Porrò Nabuchodonosor prædo dicitur gentium, quia domita multarum gentium colla sub jugum egit. De quo Isa. 54. *Numquid iste est vir, qui conturbauit terram, qui concussit regna? qui posuit orbem desertum, & vrbes ejus destruxit.* *Leo de cubili.*

IV. *Quodnam est idolum* v. 15. ? ℟ Est ignis, qui Babyloniis erat pro Deo, gestabatur in prima acie, tamquam viæ & castrorum Dux. Vide dicta c. 1. Fauet huic sententiæ, quòd idolum, quod Chaldæorum agmen præcedebat, notum esse dicitur ijs, qui speculabantur de monte Ephraim. Quomodo enim Chaldæorum idolum esse cognoscerent, si non ita foret aspectabile, vt à longinquo cerni à speculatore, & à rebus alijs internosci posset? At cui hæc præter ignem conuenire possint, non video; igni autem, qui in longo hastili præferebatur, omnium aut soli aut maximè. Neq; aliud, credo, significat hîc, quicumque hoc Chaldæorum idolum intuetur, quàm Jeremias suprà c. 1. dum dicit: *ollam succensam ego video.* Uterq; enim videt præcipiti incedentem gradu Chaldæorum exercitum. *Ignis idolum.*

V. *Quis loquitur* v. 19. VENTREM MEUM DOLEO? ℟ Jeremias q. d ex hac calamitate populi mei totus percellor, adeo vt & intima viscera doleant, torminibus quasi lugubri cithara resonantia. Tangor dolore cordis intrinsecus, & ad animam vsq; peruenit gladius. *Ventrem doleo.*

VI. Quomodo *terra vacua erat & nihil* v. 23. vel vt in Hebræo habetur. *& ecce inanis & vacua?* ℟ Illa tunc terræ facies erat, qualis erat, cùm primò à Deo conderetur: peccatum enim (quod chaos quoddam est confusissimum infinitæq; malitiæ) mundum in miserrimum confusionis chaos reducit: ipsaq; terra ad primæuam sterilitatem, & horrorem, quem habuit priusquam à Deo jussa esset germinare, per peccatum reuocatur. Nec mirum inquit S. Hieron iram enim Dei & muta sentiunt elementa, & irrationabilia pertimescunt animantia. Insuper tam pernitiosum est peccatum, vt & locum ipsum in quo committitur destruat. Gen. 6. 13. ait Deus: *repleta est terra iniquitate à facie eorum, & ego disperdam eos cum terra.* Peccati lues peccatorem non tantùm inficit, reumq; illum plenum sordicie & probris constituendo: sed & locum, in quo patratur conspurcat: atq; adeo non vnicum tantùm solumq; peccatorem, diuinorum flagellorum exundat torrens, peruenit etiam ad locum, in quo patratur, sua diuini furoris portio. Scitè Oleaster: Perpende, *Terra vacua.*

inquit, quantum malum sit peccatum, vt non solùm hominem, per quem committitur, deturpet, & corrumpat, sed & locum, in quo fit: & qualiter ad ejus detestationem non solùm homo, sed & terra disperdatur.

CAPUT V.

Pergit insectari Judæorum scelera, item pergit intentare cœlestes minas, excidium totius terræ per Chaldæos. Deniq; reuocat eos ad timorem Dei, ejusq; amorem & cultum.

Leo lupus & pardus

QUæstio I. *Quid tribus similitudinibus Leonis, lupi & pardi innuitur* v. 6.? ℟ Nihil aliud, quàm variè esse vexandum, lacerandumq; à potentissimo sitientissimoq; Judaici sanguinis Nabuchodonosor, aut ita undiq; esse circumvallandum populum ab hoste in illius prædam vigilanti, vt quocumq; se salutis causa conuertat, nullum omnino sit habiturus effugium. In tribus his belluis optimè audacis, callidi, & strenui Ducis natura describitur: Leo etenim fortissimus est, quiq; ad nullius pauebit occursum, qui egressus è sylua siue de cubili suo obuium quodq; lacerat, sibiq; in prædam atq; alimentum parat. In lupo calliditas, quæq; exsaturari non possit, fames exprimitur, cujus voracitas vsq; in prouerbium abijt. Dicitur autem ad vesperam, seu vespertinus, quia noctu grassatur, captatq; versutus & callidus prædo tempus, quo & somnus occupat pastorem gregis, & minus in ejus custodiam vigilant omnes. Accedit, quòd sicut feles noctu venantur, quia noctu vident, atq; ideo nocturni possunt vocari prædones: sic etiam lupi, quia nullæ tenebræ illis videndi facultatem aut eripiunt aut hebetant, nocturni seu vespertini dici possunt. De quibus Ælianus l. 10. c. 17. *Acerrimũ atq; acutissimis* (lupus) *præditum esse oculu.* Enim vero intempesta nocte, vel luna ipsa silente lucis vsura perfruitur, & tametsi omnibus tenebræ offunduntur, non huic tamen lux eripitur. In pardo calliditas significatur & excubiæ, quibus intentus in prædam Chaldæorum exercitus, tandem expugnauit Jerusalem. Quanta verò calliditate, quibus illecebris capras ad se alliciat, veneturq; docet Plinius l. 8. c. 16. & Ælianus l. 5 c. 40. frondibus se occultat, & odorem gratum emittit, quo dorcades, capreas, aliasq; bestias ad se allicit, arripit, lacerat.

Consummatio.

II. *Quid innuitur verbis illis* v. 10. CONSUMMATIONEM AUTEM NOLITE FACERE? ℟ Jubet Deus sic oppugnari ciuitatem, vt non tota labascat moles; sic exscindi, vt aliquid sit in excidio reliquum. Id verò optima similitudine declarat, dum jubet, vt tantùm abscindantur propagines; quasi dicat, amputandam illam palmitum, foliorumq; luxuriem, stirpem tamen esse relinquendam, quæ pòst propagines alias, & aliam non dissimilem vbertatem parturiet. Et ita planè fuit: nam ex his, qui ex communi strage reliqui fuerunt, tamquam ex semine orti sunt alij, qui ciuitatem non solùm instaurarent, sed in antiquam gloriam restituerent.

Pharetra sepulchrũ.

III. *Quomodo Chaldæorum pharetra dicitur quasi sepulchrum* v. 16.? ℟ Pharetra pro sagittis sumitur, quæ in pharetra continentur, per metonymiam; sagitta verò pro morte, atq; adeo pro mortuo sumi potest. Et quia Chaldæi adeo sunt sagittandi periti, vt quot sunt in pharetra spicula, tot in illa mortui tamquam in sepulchro conditi videantur: neque enim illorum irritum erit, aut innoxium telum, quòd de Jonathæ arcu cecinit Dauid 2. Reg. 1. *Sagitta Jonathæ numquam rediit retrorsum.* Dicitur verò sepulchrum patens Chaldæorum pharetra, quia numquam satiatur sanguine, aut expletur cadaueribus, sicut sepulchrum polyandrium, aut commune sepulchrum, quod bellorum tempore non obcœcatur puluere, aut clauditur saxo, quia recens semper cadauer est, quod in illud singulis momentis inferatur.

Prophetæ mendaces

IV. *Quæ mirabilia visa sunt in terra* v. 30. ? ℟ ista, quæ v. seq. subjiciuntur, *prophetæ prophetabant mendacium, & sacerdotes applaudebant manibus.* Si medicus vel per inscitiam, vel per incuriam, vel per aliud accidens, medicinam infirmo contrariam porrigat, & per contraria, longeq; ab eis, quæ illius exigit morbus, diuersa, totum curet ægrotum, nonne hoc prodigiosum esset, cùm non seipsum, sed alium curet? sed si illiteratum quærat & accersat infirmus medicum, qui illi disparatis ab infirmitate pharmacis medeatur, ac mortem acceleret, nonne hoc magis est stupendum? Paciuchellus legit etiam mulieres Prophetissas egisse, sparsisseq; millena mendacia, creditumq; illis fuisse, idq; non à mediastinis duntaxat, aut de plebe infimis, sed à sacerdotibus: *Sacerdotes plauserunt manibus suis.* Itáne sacerdotes, inquit ille, qui debent esse sol & sal mundi, credunt? Sacerdotes, qui alios ab illusionibus eximere debent, illine se sinunt decipi? Sacerdotes, quorum propria nota est sapientia, ita simplices sunt, vt muliercularum credant vaticinijs? Sacerdotes, quorum studium est è faucibus dæmonum subditorum animas eripere, applaudunt vbi sunt illusiones, falsitates, & diaboli zizania?

CAP. VI.

CAPUT VI.

Chaldæos quasi inuitat ad Jerosolymam occupandam, racemandam, expurgandam. Nihil ait profuturas impijs victimas & sacrificia, nisi declinent à sceleribus suis, quæ sunt faces & flabella incendij vrbis ac templi, & causa excidij omnium gentium.

QUæstio I. *Quando dicitur anima Domini ab aliquo recedere* v. 8. ℟ Cùm neq; nouis eum emollit beneficijs, neq; virgâ corrigit, & reducit ad officium, sed proprijs relinquit desiderijs, permittitq; vbicumq; velit impune vagari. Quod quasi suppliciorum maximum obstinatis animis minatur, & intentat Dominus. De quo grauissima scripturarum oracula & Patrum testimonia. Ps. 80. Non audiuit populus vocem meam, & Israel non intendit mihi, & dimisi eos secundùm desideria cordis eorum. Ezech. c. 16. v. 42. Auferetur zelus meus à te, & quiescam, neq; irascar amplius. S. Greg. hom. 12. in Ezech. Peccantes quosq; tunc consideramus amplius miseros, quando eos conspicimus in culpa sua, sine flagello derelictos. *Anima Domini recedit.*

II. *Quo sensu dicitur* v. 9. *Conuerte manum tuam sicut vindemiator ad cartallum?* ℟ Hic modus loquendi racemationem indicat, id est, studium illud, & laborem secundum, quo vindemiator ad illa scrutanda, colligendaq; reuertitur, quæ post priorem curam, atq; vindemiam relicta sunt. Quod accuratissimè præstiterunt Chaldæi, qui post vberem vindemiam primo appulsu è Jerosolyma collectam iterum & tertiò ad racemandum redierunt. Erit itaq; sensus: Conuerte, ô Chaldæe, manum ad cartallum, id est, ad canistrum, in quo ad torcular comportantur racemi, id est, iterum vindemia: nam ad cartallum reuerti, vel rursum apprehendere cartallum, nihil est aliud, quàm vindemiatoris munus iterum obire, cujus instrumentum, & signum cartallus est. *Manus ad cartallum*

CAPUT VII.

Dei jussu increpat Judæorum scelera: vanam de templo & cultu ceremoniali gloriationem detrahit. Templum speluncam ait factum latronum, ac proinde excidendum sicut Silo: Judæos verò occidendos in Tophet, vbi ipsi filios suos immolarunt idolo Moloch.

QUæstio I. *Quæ est regina cæli* v. 18? ℟ Est Luna, sicut rex cœli dicitur sol: quia inter astra cœli, quibus militiæ nomen datum est, Sol & Luna, tanquam reges & duces regium locum & ordinem obtinere videntur. Quod nomen à S. Scriptura videtur sumi potuisse. Nam cùm Gen. 1. creatus dicitur esse sol, *vt præesset diei*, & luna, *vt præesset nocti*, in Hebraico textu est, vt dominaretur, quod munus Regis est, ac Reginæ. *Luna Regina cæli.*

II. *Quo sensu dicitur* v. 20. *Ecce furor meus, & indignatio mea conflatur super locum istum?* ℟ In iracundia duo spectantur, & dolor ex incuria conceptus, & spiritus incitatus in ægritudinis auctorem. Definitur autem ab Arist. 2. Rhetoricorum c. 2 & c. 4. *appetitus vindictæ cum dolore.* Cùm autem in Deo dolor esse non possit, neq; motus ille ad vindictam, qui ex dolore nascitur, negant Theologi cum S. Thoma 1. part. q 20 a 1. ad 2. iram in Deo reperiri. Alterum, nempe dolorem, accidisse sibi Dominus negat, quia ab ejus natura propriè dolor omnis & ægritudo abest; alterum figuratè tamen suo animo inesse dicit, quia injuriam vlciscetur illatam, quod ab iracundia nasci apud homines solet, quorum sensibus in loquendo Deus se & S. Scriptura frequenter accommodat. Sine dolore igitur Deus in homines irascitur, id est, hominum errata castigat; cùm tamen homo sine dolore numquam irascatur in alios. *Ira in Deo.*

III. *Quo sensu dicitur* v. 21. HOLOCAUTOMATA VESTRA ADDITE VICTIMIS VESTRIS, ET COMEDITE CARNES? ℟. Ironica est permissio, aut laudatio, qua DEus videtur probare aut hortari, vt pergant in holocaustis & victimis offerendis, cùm tamen in illis neget quidquam sibi gratum, aut alijs futurum esse salutare. Qua figura alijs sæpè locis vsi sunt Scriptores sacri Eccli c. 11. *Lætare ergo juuenis in adolescentia tua, & in bono sit cor tuum, in diebus juuentutis tuæ: & ambula in via cordis tui.* Sic modò DEus ironicè & amarè ad eos, quibus seuerè prius minatus fuerat, dicit. Donec ego intentum habeo brachium ad plagam, vos interim ab inanibus hisce sacrificiorum officijs, contra indignationem meam præsidium sumite, vtiq; nulli futurum vsui. In eo autem, quod addidit, *comedite carnes*, ostendit, quid discriminis esset inter holocaustum & victimam: holocaustum enim & totum comburitur, juxta sui nominis notationem, & totum sibi vendicat Deus; at victima ita consecratur Deo, vt ejus pars aliqua ad hominum vsum quoq; pertineat.

Præcepta de holocaustis.

IV. *Quomodo dicitur* v. 22. *Quòd Deus non dederit præcepta de holocaustis & victimis, cùm illa tradiderit.* Exodi c. 20. 24. & 29. non longè postquam Ægyptium jugum excussérunt? Rdet S. Hieron. hoc verum esse, patetq; ex Exodo, vbi Deus priùs dedit Judæis Decalogum in tabulis lapideis, quasi potissimum sui cultum & puram religionem: deinde post offensam idololatriæ, adoratumq; vitulum, postea jussit, vt magis sibi quàm dœmoni & vitulo sacrificarent, ac certas ouium, boum, & hircorum victimas sacrificari præcepit. Licet enim Exodi 20. 24. jubeat Deus fieri altare, tamen nullas determinat ac præscribit victimas in eo offerendas: illas enim postea præscripsit in Leuitico. Tantùm ergo jubet, vt victimas, quas sponte offerre volunt, in altari terreo offerant. Rursum Exodi 29. præscripsit quidem victimas offerendas in consecratione Sacerdotum, sed illæ sacerdotes tangunt potiùs quàm populum; nec pro populo, sed pro consecratione sacerdotum jubentur offerri. Ast post adoratum vitulum Exodi 32. mox in Leu. certa holocausta, certasq; victimas pacificas & pro peccato sibi immolari præcepit. Idem docet Iren. l. 4. contra hæret. S. Thom, Dionys. & Lyran. q. d. Rationem & modum sacrificandi in Leu. Judæis præscripsi, non propter me, quasi ego ijs egerem, aut odore carnium delecter, vt Gentiles putabant Deos suos, id est, dœmones delectari. Sed propter vos ea præscripsi, vt scilicet ijs vos in meo cultu detinerem, ne ad vitulos & idola, Gentiumq; sacrificia desciscеretis; vnde initio legis tantùm præcepi, vt audiretis me, numquam sacrificia præcepturus, sed vestro arbitrio ea relicturus, vt ante legem ea reliqui, nisi pronos vos sciuissem in sacrificia Gentium.

CAPUT VIII.

Prædicit, in vindictam idololatriæ & aliorum scelerum, sepulchra Judæorum, etiam primariorum, à Chaldæis euersum & ossa dispersum iri: præ angustia Judæos mortem optaturos; pro vuis & vino aquam fellis bibituros: à Basilijcis deuorandos.

Ossa effossa.

QUæstio I. *Cur ossa de sepulchris effossa?* R. Quidam id crudelitati Chaldæorum adscribunt, quibus non satis fuit, viuis libertatem & vitam eripere, sed mortuis etiam illudere voluerunt. S. Hieron. & alij sacrilegæ hujus audaciæ arbitrantur causam fuisse auaritiam dicunt enim in sepulchris recondi solita præcipua mortuorum ornamenta, & ingentem interdum auri vim, quam vt eruerent hostes, non recusarunt violati sepulchri subire crimen, & ignominiam.

Ossa Dauidis non effossa.

II. *An Dauidis ossa & aliorum regum, qui sanctè vixerunt, fuerint exhumata?* R. Non, quia v. 2. dicit expandenda *ossa ad solem & lunam, & ad omnem militiam cœli, quæ dilexerunt,* hæc autem Dauid, & alij sancti reges non dilexerunt, seu ijs non sacrificârunt, vnde nec ex suis tumulis fuerunt extracta. Et de Dauid peculiaris ratio, quia Act. 2. vt probet Petrus Dauidis corpus corruptionem subijsse, remittit Judæos ad ejus sepulturam; quòd si ibi non esset regium cadauer, vim nullam haberet Petri experimentum. Præterea hîc dicitur, *non colligentur & non sepelientur,* vnde nec Dauidis ossa in suum tumulum essent restituta, si fuissent extracta. At in tumulo fuisse longè post hæc tempora docet oratio Petri l. c. Adde quòd multò post hæc tempora, vt dicit Iosephus l. 13. Antiq. c. 15. Hircanus ex Dauidis sepulchro multa auri talenta sumpsisse traditur: quæ quidem non reliquissent Chaldæi, si Dauidis monumentum, vbi cum ipso condita fuerant, scrutati fuissent.

Regulus serpens.

III. *Qui intelliguntur verbis illis* v. 17. QUIA ECCE EGO MITTAM VOBIS SERPENTES REGULOS, QUIBUS NON EST INCANTATIO? R. Chaldæi, qui sic vexârunt, peremeruntq; Judæos, ac si reguli essent, qui non solùm ex ore, sed etiam ex oculis mortiferum ejaculantur, præsensq; venenum, cui salutem nulla potest afferre medicina. Et sicut reguli neq; veneno exarmari, neq; magico sopiri carmine, aut vlla arte cicurari possunt; sic etiam Chaldæos nullæ preces ad misericordiam flectere, nullum pretium à cæde temperare poterunt. Si naturam reguli consideres, Judæorumq; sortem infelicem, optimè in regulis Chaldæorum mores & ingenium explicari cognosces. De regulo ita Solinus c. 30. Nec hominis tantùm vel aliorum animalium exitijs datis, sed terræ quoq; ipsius, quam polluit & exurit. Deniq; extinguit herbas, necat arbores, ipsas etiam corrumpit auras, ita vt in aëra nulla alitum impunè transuolet infectum spiritu pestilenti. Quod etiam indicasse videtur Isaias c. 14. vbi cùm loqueretur de regulo, addit: *& semen eius absorbens volucrem.* Ex quibus discimus, qualiter grassaturi sint Chaldæi per omnes fines Judæorum, vt populaturi sint agros, non aliter, ac si illos peruasisset flamma, sicut basiliscus plantas omnes exurit. Quorum vim atq; excubias, nec volucres quidem effugio declinare poterunt, sicut neq; volantes aues basiliſci conspectum pestilentem.

Resina in Galaad.

IV. *Quæ est sensus* v. 22. NUMQUID RESINA NON EST IN GALAAD? R. Resina humor tenax in arboribus residens, & ex eis defluens. Celeberrima est illa, quæ in Galaad colligebatur. Galaad pars Arabiæ est, quæ omni genere aromatum abundat, vnde

quæ

quæ perfectiſſima eſt, Arabica nuncupatur, quæ mitigandi dolores, cicatrices obnubendi, vulnera claudendi pollet virtute, Chaldæus loco Reſinæ, habet Balſamum. Pagninus transfert: *Numquid chirurgus non eſt ibi?* Præterea Arabes expertiſſimi fuerunt, per reſpectum ad ſimplicium & aromatum eminentiam. Hinc mirum eſt, quòd in tanta rariſſimorum, medicorum, & chirurgorum copiâ, infirmi non curabantur. Gloſſam S Hieronymi audite [Non ſolùm in præſenti loco, inquit, ſed & in multis alijs teſtimonijs ſcripturarum, inuenimus reſinam Galaad pro pœnitentia poni, atq; medicamine, mirariq; nunc Deum, quare vulnera Jeruſalem nequaquam curata ſint, & necdum cicatrices obduxerint cutem, eò quòd non ſint Sacerdotes, quorum debeant curari medicamine] Multos videre eſt, ſecundùm animam infirmos, incurabiles tamen; & vnde hoc oritur? Non ob medicaminum defectum, Sunt enim potentiſſima in omnem animæ infirmitatem, Sacramenta antidota, quorum copiâ omnis regio, omnis ciuitas abundat. Non ob ſpiritualium medicorum penuriam, quibus orbis totus in omni loco ſcatet, cùm Sacerdotum & Confeſſariorum ſit abunde. Non ob defectum applicationis medicaminum, cùm hoc æuo Sacro-Sanctorum Sacramentorum ſit frequens vſus. Unde ergò tanta morum prouenit corruptela?

CAPUT IX.

Pergit lamentari cladem & excidium Judæis impendens: pergit & increpare dolos & ſcelera eorum. Monetq; ne ſperent in ſua induſtria, viribus, opibus, ceremonijs, ſed in ſolo DEO.

QUæſtio I. *Quomodo dicitur* v. 16. MITTAM POST EOS GLADIUM, DONEC CONSUMANTUR, *cùm tamen* c. 5. v 10. *dictum ſit: conſummationem autem nolite facere.* & c. 4. v. 18. dicuntur aliqui futuri ſuperſtites, id eſt, non futura Judæorum conſummatio? ℟. Cùm ex magno numero pauci ſuperſunt, omnes in Scriptura dicuntur eſſe ſublati, aut quod idem eſt, nulli dicuntur eſſe reliqui. Exemplum habemus in hoc ipſo propheta, & in eodem prorſus argumento: nam de illis, qui excisâ Jeroſolymâ in Ægyptum abierunt, dixit propheta c. 44. *Co ſumentur omnes viri Juda, qui ſunt in terra Ægypti, gladio & fame, donec penitus conſummantur*, & tamen ſtatim dicitur, non omnes fore conſumendos, additur continuò, & *qui fugerint gladium, euertentur de terra Ægypti in terram Juda viri pauci.* Vide quomodo non omnes intereant, cùm tamen omnes dicantur penitus eſſe conſumendi. *Pauci cenſentur pro nullis.*

II. *Quomodo dicitur mors aſcendere per feneſtras?* ℟. Per mortem intelligitur hoſtis Chaldæus mortem Judæis illaturus, aſcendit per feneſtras arcium, turrium, domorum non per portas vrbis, ſed per murorum aperturas, inquit Vatablus, Caſtrius & Sanctius. Neq; per reſeratas fores ædium, ſed, quaſi pertæſi tantæ moræ, per feneſtras & tecta inuolârunt in domos, jugulantes etiam paruulos & juuenculos, qui foris verſari ſolebant & ludere in plateis. Hoc eſt, quod ait Joel c. 2. *Domos conſcendent per feneſtras, intrabunt quaſi fur.* Tropologicè, per ſenſus, maximè per oculos & aures, intrat mors peccati in animam inquit S Hier. Amb. Greg. Bern. S. Ambroſij verba ſunt: *Si videris mulierem ad concupiſcendum eam, intrauit mors per feneſtram.* Nemo ambigat, quin in quocumq; oculi vixerint, in eo anima morietur. Quid apertius illo Eccl. 9. v. 9 *Propter ſpeciem mulieris multi perierunt.* Et Prov 23. v. 31 Ne intuearis vinum quando flaueſcit, cùm ſplenduerit in vitro color ejus, ingreditur blandè, ſed in nouiſſimo mordebit, vt coluber, ſicut regulus venena diffundet Oculi tui videbunt extraneas, & cor tuum loquetur peruerſa, ad literam hîc de eis ſermo eſt, quæ ſenſum poſſunt oblectare, de coloribus ſcilicet, de meri optimi, & generoſi ſapore, de mulierum venuſtate & ſimilibus. Ab horum contuitu nos auocare nititur, ſi nobis cordi ſit quâ corporis, quâ animæ vita. De Regulo vel Baſiliſco vide dicta c. 8. q. 3. Et ſi te ſaxeum æſtimes, ſi tamen oculorum habeas laxas portas; vinceris, nam *ſaxa rumpit.* Putáſne te ſenſu mortuum, herbarum inſtar inſenſibilem eſſe? ſed noueris te non ideo in tuto eſſe, nam *extinguit herbas.* Radicatum te inſtar trecentenalis arboris in virtutibus autumas? Nec ideo fidere noli, nam *arbores necat.* Animæ tuæ fauonius diuinæ auræ fortè afflat? cautus ſis, nam *ipſas etiam corrumpit auras.* Fortè è numero felicium illarum auium es, quæ felici volatu in cœlum euolant? & hic timendum: *nulla enim altitum impune tranſuolat infectum ſpiritu peſtilenti aëreum.* *Mors aſcendit per feneſtras.*

III. *Cur Jeremias jubet* v. 20. *vt mulieres & puellæ doceantur & erudiantur in fletu,* DOCETE FILIAS VESTRAS LAMENTUM, *& vnaquæq; proximam ſuam planctum, vtiq; à natura ad fletum ſunt proclives?* ℟ ob hoc ipſum inſtrui debent in planctu. Etſi enim multum plangant, plerumq; tamen ſtultè plangunt, nec vt decet circumſpectè, attendendo ad cauſas, ob quas plangendum eſt. Docete Virgines lamentum, addit Hugo, *pro peccatis.* Docendæ ſunt, vt non pro temporalibus, caducis & fluxis hujus mundi rebus, ſed pro ſpiritualibus, pro peccatis, quæ maxima animarum damna ſunt, & incommoda neq; ſufficienter deplorari poſſunt, plorent. Notat & illud idem Hugo, hîc & illas perſtringi mulieres, quæ filias ſuas ad omnem vanitatem erudiunt, cantilenas docent, & ad choreas ducunt. ſic *Planctus fœminarum.*

immolantes filios & filias dæmonijs. Erudite illas non tamen in vanis cantibus, sed in amaris planctibus; plorare non tripudiare; plangere sua & aliorum peccata, saltando & cantando non prouocare ad peccandum. Verissimum enim scitum & tritum illud Cypriani dictum est de sign. Cleric. Satius est audire sibilantem basiliscum, quàm puellam saltantem.

Attonsi in comam.

IV. *Qui per attonsos in comam intelliguntur v. 26.?* R. Arabes seu Saraceni, inquit S. Hieron. in comam, seu in rotundum, per modum coronæ. Ad quorum distinctionem vetitum erat Hebræis tonderi in comam Leu. 19. 27. Porrò per hanc comæ attonsionem insinuare vult Deus, ad effugiendas pœnas non magis profuturam Judæis impijs circumcisionem membri genitalis, cæterosq; legales ritus, quàm gentilibus prosit circuncisio capitis, seu capillitij, cæteriq; ethnici ritus ita ferè Pagninus, Vatab. & Sanchez. Quin nec possunt gloriari Judæi, se verè circumcisos esse, quia licet careant præputio carnali, quod habent, vt plurimum reliquæ omnes gentes, non tamen carent præputio morali, seu morum impietate, qua cor, id est, anima fœdatur, & DEO exosa redditur. ita ferè S. Hieron. Theodor. & Lyran.

CAPUT X.

Idolorum vanitatem exponit, & DEum verum illis opponit, ab omnibus colendum & sequendum. Contumacibus idololatris excidium prædicit.

Astra quomodo timenda.

QUæstio I. *Quo sensu jubentur v. 2. Judæi non metuere à signis cæli, quæ timent gentes?* R. Ea timere, quia in illis præsagia quædam sunt tempestatum, sterilitatis, morborum &c: nulla vetat religio. Hic verò dicitur, ne ea ratione cœlestia signa timeantur, qua timentur à gentibus, quæ in eis putant esse aliquid diuinum. Colebant gentiles, metuebantq; signa cœlestia, quia ab ipsis putabant humana omnia pendere, & otiosam esse quamcunq; aliam humanam aut diuinam prouidentiam. Dicit ergo Deus nihil esse timendum à cœlestibus signis, id est, cœlestia signa non esse colenda; vel quia timor venerationem significat & obseruantiam, vel quia timor in mundum impiam idolorum venerationem inuexit. Ideo enim homines idola colere cœperunt, quia ab illis aliquid sibi mali metuebant, quod vt auerterent, victimis illa & libatione placabant. Dixit hoc optimè quidam ex antiquis: *Primos in orbe Deos fecit timor.*

Differentia inter Deum & idola.

II. *Quæ est differentia inter Deum & idola v 10.?* R. Tria in idolis obseruauerat, quæ longè aberant à diuina natura; quòd mortua essent, neq; spirarent magis, quàm frigidum saxum, aut aridum lignum; quòd principium habuerint, illudq; notum, cùm Deus tunc haberi cœperint, quando opus illud runcina & ascia, aut malleus & incus absoluerunt; quòd timenda non sint, cùm neq; sentiant, neq; vllam vim habeant ad nocendum, sicut neq; ad ferendam opem laboranti. Totidem in DEO nunc his contraria producit. Deus etenim verus viuit & sentit, sempiternus est, atq; ideo neq; ab artifice fictus, in tempore, imò neq; tempore vllo definitus est; quasi indignatus fuerit, terram concutiet, atq; conuellet, neq; vir erit vllus, qui vindicis iræ pondus sustinere possit.

Confusio.

III. *Quia intelliguntur virgines illis v. 17.* CONGREGA DE DEXTERA CONFUSIONEM TUAM? R. In confusione intelliguntur idola, in quibus confundendi proximè dicebantur sculptilium artifices, est autem hîc ironica quædam concessio, qua cum irrisione jubere videtur Deus, vt quotquot habent idola extra ciuitatem, in illam comportent, sibiq; habeant præsidio contra Babylonicas acies, ac si dicat, cùm hostis immineat, saluti tibi esse non poterunt peregrini Dij, quos tibi tutelares aduocasti, quin ipsi quoq; abducentur captiui ab hoste victore. Quòd verò Judæi extra ciuitatem plurima habuerint, eaq; varia simulacra, ipse statim Jeremias docet c. 11. v. 14. *Secundùm numerum ciuitatum tuarum erant Dij tui Juda: & secundùm numerum viarum Jerusalem posuisti aras confusionis.*

Via Dei & hominis.

IV. *Quis sensus est verborum v. 23.* SCIO QUIA VIA HOMINIS NON EST EIUS? R. Lubens agnosco ô Deus, quia in potestate hominis non est duci, qua cuiq; libet via: sed à tua diuina providentia pendet, vt nunc & sic vel castigetur vel exerceatur quisq; promeritis suis & placito tuo. Tantùm rogamus, vt, cùm tibi jam stet sententia castigandi scelera nostra per Chaldæos, in exerenda justitia tua memor esse digneris, infinitæ misericordiæ tuæ. Alij communiter accipiunt de Nabuchodonosor, cujus gressus Deus ad euertendam Jerusalem direxit. Et quòd ad viam spectat, vt obseruat hîc Vatablus, facit valde, quòd Nabuchodonosor cùm secum deliberaret, aciemne contra Ammonitas dirigeret, an contra Judæam, injecta illi mens est, non dubium, quin à Domino, vt bello peteret Judæam. Quare via illa, quæ Jerosolymam perdidit, Dei potiùs erat, quàm regis Babylonis. De quo, Ezech. c. 21. *Stetit rex Babylonis in bivio, in capite duarum viarum, diuinationem quærens, commiscens sagittas: interrogauit idola, exta consuluit. Ad dexteram ejus facta est diuinatio super Jerusalem, vt ponat arietes, vt aperiat os in cæde, vt eleuet vocem in vlulatu* &c. Consuluit quidem Nabuchodonosor impiè nugatoria suorum idolorum oracula, sorti rem commisit, sed Dominus temperauit sortes.

CAPUT

CAPUT XI.

Refricat memoriam pacti seu fœderis olim initi cum Deo in Sinai, & ob pacti illius violationem, minatur excidium Judæis.

QUæstio I. *Quod juramentum vult Deus suscitare* v. 5.? R. Jurârat olim Dominus Abrahamo, daturum se illi, atq; ejus semini in perpetuum terram promissionis: hoc verò juramentum, quia populus datæ fidei non steterat, excidisse videbatur; quia jam proximè erat, vt populus non suo sibi in ea possessione viueret arbitratu, sed in aliena regione exul, & captiuus seruiret alieno. Monet ergo Deus, vt fœderis toties violati meminerit, si juramentum à Deo seruari vult. *Juramentum suscitare.*

II. *Quis est sensus: Inuenta est conjuratio in viris Juda, & in habitatoribus Jerusalem: reuersi sunt ad iniquitates Patrum suorum*, v. 9.? Sensus literalis hic est, quòd populus ingratus & peruersus Deo rebellans, illius cultu posthabito, ad turpem sit prolapsus idolatriam. LXX. Theodoretus & alij legunt: *Inuenta est colligatio, siue conjuratio in viris Juda.* Sed qualis ista colligatio & conjuratio fuit & consilium, quod inierunt? *Reuersi sunt ad iniquitates Patrum.* Illi idolis adoleuerunt, litarunt etiam eisdem filij. Theodoretus hîc. Colligati sunt & implicati cum patribus, & in itinere eorum incedunt. Parentum delicta laquei sunt, quibus eorum filij inhamantur. Sicut Patres Deo terga obuertunt, & in scelera prærupta ruunt, sic & filij eorum insistentes vestigiis in eadem corruunt. Vetus dictum est, malum ouum, malus pullus, sic vero verius est; malo parente, nascitur pejor filius. Malum, quod Pater agit, imbibit filius & exercet. Cur pueri illi 42. 4 Reg. 2 v. 23. ab vrsis lacerati sint, cùm nondum ætatis decennium excesserint, vt S. Chrysost sensit, datur ratio, peruersi erant, vt patres illorum. Conuicia illa, quibus S. Vatem onerabant, à parentibus didicerant. Et sicut paræmia habet, quod pater ad focum, hoc filius dicit ad jocum. Refero S. Augustinum Ser. 94. de temp. Manifestè pueri illi non clamauissent, si hoc illorum parentibus displiceret: vt sic mors filiorum fieret disciplina parentum. Et Justinus q. 8. de Orthod. ea verba pueri à parentibus suis, qui semper in Prophetas infesto animo erant, didicerunt.

III. *Cur* v. 15. *loquens de dilecto, addit in genere fœminino*, IN QUIBUS GLORIATA ES? R. Cùm viri aliquid ignobile, atq; muliebre tentant, genus illis adjungitur muliebre. Obtulerat stultus ille populus sceleratas victimas in templo, domumq; Dei indignissimis temerauerat modis, sperans fortasse victimis aliis ablatum iri peccata, quæ non solùm audacter, sed etiam jucundè, imò, vt sibi ipsi videbatur, gloriosè commiserat.

IV. *Quis est sensus verborum* v. 19. MITTAMUS LIGNUM IN PANEM EIUS? R. Varij variè explicant. Aliqui figuratam putant esse locutionem. Ex his nonnulli in *pane* Christum, in *ligno* crucem esse putant, q. d. hi scelerum architecti: Agamus illum in crucem. ita S. Hieron. & alij. Aliqui in pane Christi doctrinam intelligunt, & eò intentos putant esse Judæos, vt illam obscurent aut in suspicionem & inuidiam vocent; quare consilium inierunt mortis turpissimæ, vt auctore damnato, ipsa quoq; doctrina damnaretur. Mittitur ergo lignum in panem, id est, in doctrinam scandalum. ita S. Thom. Addit Hieron vsq; adeo Christi doctrinam propter missum in illam lignum, non fuisse hominibus amaram, vt ex eo potiùs incredibilem traxerit suauitatem, adducitq; illud Exodi 15. De ligno, quod amaris immixtum aquis, omnem ab illis abstulit amaritiem. Alij lignum arborem esse credunt, quæ vim habet præsentissimi veneni, taxum nempe, à qua toxicum deductum esse autumant. Ego de nominis etymologia nihil affirmo: esse tamen taxum hominum vitæ nocentissimam, neq; folia solùm & baccas, sed vmbram ipsam vim habere nocendi, tradunt auctores de re naturali & rustica. Vide Plinium l. 16. c. 10. Tunc verò sensus est: mittamus venenum in panem, id est, in cibum. Notum est enim apud Hebræos, in pane omnem significari cibum. *Missio ligni in panem.*

CAPUT XII.

Disceptat propheta cum Deo, cur impij Anathothita, & alij illorum similes affluant bonis, ipse verò & alij innocentes premantur tot malis. Respondet Deus, neutrum alienum esse à sua justitia. Magno interim propheta sit animo: illi adhuc grauiora parari Jerosolyma, sed & breui punitum & excisum iri.

QUæstio I. *Quomodo intelligendus est* v. 5. SI CUM PEDITIBUS CURRENS LABORASTI, QUOMODO CONTENDERE POTERIS CUM EQUIS? R. Est adagium, quo vtebantur in eos, qui cùm minora præstare non possint, majora tentant; aut qui cùm minora mala non ferunt, majora ferre debebunt q. d. Si tui cives Anathothitæ

thothitæ tibi ita molesti sunt, vt vix feras, ô Jeremia, quomodo feres insultus nequissimorum Jerosolymitanorum, cum suo rege & principibus? q. d. Animos cape, parua tulisti, majora feres. ita Chaldæus, Lyran. Vatab.

II. *Quis est sensus verborum*: CUM IN TERRA PACIS SECURUS FUERIS, QUID FACIES IN SUPERBIA JORDANIS? ℟ Videbaris tibi in terra & patria tua in pace securus versari, & tamen cupiunt te ibi occidere, quid ergo tibi expectandum erit *in superbia* (Arabicus in abyssō, id est, summa profunditate) Jordanis? id est in Hierosolyma, vbi sunt homines superbi, instar intumescentis Jordanis, ita Lyran. & Vatab. Est prouerbium eodem spectans, quo præcedens currentis cum equitibus. Prouerbialiter enim terram pacis vocat quietam & pacificam Jeremiæ patriam Anathoth. Superbiam verò Jordanis vocat superbos Hierosolymitas. Isid. aliter exponit, q. d. Deus: Nesciebas consilia & secreta tuorum ciuium volentium te occidere; & quomodo vis scrutari & scire consilia mea de felicitate impiorum. Chaldæus verò exponit q. d. Si ego Deus Nabuchodonosori & impijs Chaldæis quasi peditibus meis tot bona contuli, quid faciam patribus tuis, qui quasi equi cucurrerunt in mea seruitute & obsequio nimirum, propter eos vobis eorum filijs largas impertiar benedictiones, instar aquarum exundantium in Jordanem.

III. *De quo tempore intelligenda sunt verba* v. 8. FACTA EST MIHI HÆREDITAS MEA QUASI LEO IN SYLUA? ℟ De tempore Babylonico: quando dimissa fuit à Deo Jerosolyma, quia non aliter fremuit contra Dei mandata, prophetarumq; voces, omnia hæc conculcans atq; subsannans, atq; leo qui vrgente fame, è syluis egressus, quidquid habet obuium, vngue, rictuq; dilacerat. Est autem aptissima comparatio, quæ à leone de sylua sumitur. In quo spectamus duo, & naturalem sæuitiam, & ignorationem ejus, quem morsu appetit, aut vnguibus lacerat. Sic populus leonis instar contra Deum irrugijt, quasi numquam illum nosset, neq; ab eo ullum accepisset beneficium: nam leones beneficijs acceptis ferinam deponunt naturam, & ad eos à quibus humaniùs accepti sunt, mitiùs afficiuntur, & bene de se vtcumq; meritis gratiam, & officium rependunt.

IV. *Quis est sensus* v. 9. NUMQUID AVIS DISCOLOR HÆREDITAS MEA MIHI? NUMQUID AVIS TINCTA PER TOTUM? ℟ In varias hîc abeunt sententias Interpretes. Quidam ad calamitatem referunt Judæorum, quos ad exitium vsq; tam longinqui, quàm vicini populi vexarunt, in eoq; similitudinem esse volunt, quia auem versicoloribus plumis radiantem aliæ insectantur volucres aut inuidentes, aut amantes ejus pulchritudinem. Ita Vatabl. quem etiam sensum non improbat Maldonatus. Alij in aue discolore & tincta hostes intelligunt Judæorum, putà Nabuchodonosor, & hanc volunt esse sententiam: populum illum traditum esse in prædam aui rapaci, & alieno imbutæ sanguine, aquilæ videlicet, aut vulturi. Et quidem Nabuchodonosor Ezech. 7. *aquila* dicitur magnarum alarum, plena plumis & varietate. Chaldæus in vario colore dispersionem intelligit per varias prouincias. S. Thomas inconstantiam in religione, modò enim Deum colit, modò idola sectatur, & ideo tinctam vocatam esse putat, quia varijs infecta est sceleribus. Hieron. pauonem hîc intelligi putat, & in eo populum multis antea virtutibus illustrem, diuinisq; cumulatum muneribus, & sensum esse vult: quia populus sic est à me luculenter ornatus, vt nihil esset bonorum, quod non cerneretur in eo, & tamen contra me vocem dedit, qualem in sylua leo, ideo omnes bestiæ terræ congregamini &c.

CAPUT XIII.

In cingulo lumbari ad Euphratis ripas putrescenti, & in laguncula redundante vino ingentem Deus calamitatem populo portendit, quem deinde admonet propheta, vt institutum maturè mutet, diuinæq; laudi studeat. Quod quia populus ille facturus non est, duram illi seruitutem denuntiat.

Lumbare. QUæstio I. *Quomodo explicandum est Lumbare?* ℟ posside tibi Lumbare, Chaldæus eme tibi cingulum: cingulum, inquam coriaceum, non laneum sed lineum, seu ex lino contextum: neq; volo super vestem, sed *super lumbos* & nudam carnem *illud* induas, *& in aquam non inferes illud*, id est, macerabis illud lixiuio, vel alia aqua, vt candefiat & poliatur, sed rude, asperum, & fuscum, vti natum & textum est, relinques. Hieroglyphicum est populi Israeliti, quem, vt infra dicitur v. 11. instar cinguli seu zonæ, Deus sibi de terra assumpsit asperum, sordidum, illotum, nihil candoris, nihil pulchritudinis, nihil suauitatis, nihil amabile in se habentem, ob quod præ alijs populis eligeretur à Deo. Solo ergo Dei fauore & gratia assumptus est ab eo, non jam in mancipium, aut vulgarem amicum, sed in sponsam & in vxorem, quam symbolicè designat teste Pierio, zona hæc seu cingulum Lumbare. Nihil tamen fœmineum, vile aut infirmum præseferentem, sed eximia fortitudine, potentia, gloria, præfulgentem. Horum enim omnium

mnium ſymbolum ac typus eſt zona ſeu baltheus inquit idem Pierius hierogl. 40. Ad tanta bona euectus hic populus, vſu paulatim & puluere obſorduit, in varia ſcelera prolapſus, ob quæ tandem repudiatus à Deo, ad ripam Euphratis, in Aſſyriam & Chaldæam deportatur, vbi in foramine ſeu carcere defoditur, ſquallet, computreſcit. Putridus tamen & exeſus poſt aliquot annos educi jubetur & ad propria reduci. Sed reductus in pejora relapſus eſt, maximè cùm in Meſſiam ſuum tantis odijs exarſit. Ac tum demum planè rejectus à Deo, æterna perditione contabuit, inquit S. Hieron.

II. *Quomodo intelligendum eſt hieroglyphicum Lagenæ?* R. *Omnis lagunculæ implebitur vino*, id eſt, omnes incolæ Judææ, etiam reges, Joachaz, Joakim, Joachin, Sedecias; etiam prophetæ falſi & ſpurij implebuntur ebrietate, non voluptuoſa, vt fingunt, ſed exitioſa, & lethali, nempe tribulatione & calamitate tanta, vt inſtar ebriorum deſtituendi ſint omni conſilio, ratione, præſentia animi: nec jam reſtituri hoſtibus, ſed vt ebrij & amentes in obuia quæq; impacturi, in præcipitia incurſuri, vt lagunculæ fictiles collidendi, in fruſta diſſecandi, in omnes ventos diſpergendi, vir *à fratre ſuo*, id eſt, quisq; à proximo ſuo. ita ferè S. Hieron, Hugo & Lyranus. *Lagenæ.*

CAPUT XIV.

Prædicit ſterilitatem & famem Judææ obuenturam: oratq; pro populo, licet prohibitus à DEO.

QUæſtio I. *Quando contigit hæc ſiccitas?* R. S. Hieron. cenſet contigiſſe in ipſa obſidione Jeruſalem. Verùm tunc ſiccitas, indeq; conſequens agrorum ſterilitas nocuſſet Chaldæis obſidentibus, non verò Judæis obſeſſis, vtpote qui vrbe ad agros egredi non poterant. Meliùs ergo Sanctius cenſet eam contigiſſe ante obſidionem ſub Sedecia; tunc enim majores poterant emittere minores ad quærendam in agris aquam, vt dicitur v. 3. Priùs enim Deus puniuit Judæos ſiccitate, fame, & ſiti, mox gladio Chaldæorum, de quo agit v. 18. *Siccitas.*

II. *Quo ſenſu dicitur de DEO* v. 8. QUARE QUASI COLONUS FUTURUS ES IN TERRA, ET QUASI VIATOR DECLINANS AD MANENDUM? R. Queritur propheta, quòd non quaſi Dominus hæreditatis ſuæ tractarit populum illum Deus, ſed quaſi colonus, atq; mercenarius, qui non tam curat poſſeſſionem propriam, quam aut negligit, aut populatur alienam. Eò enim ſpectant coloni conſilia, vt fructus capiat fundi, quem mercede conduxit, an verò poſtea pereat, inutilisq; fiat, nihil habet penſi. Et ſicut viator, quia nullam ponit moram in eo loco, quem curſu peragrat, quid illi ſiue proſperi, ſiue aduerſi contingat, non laborat: neq; attentè conſiderat, quid in illo fiat, aut fieri debeat, quia ibi nihil proprium agnoſcit; ſed tantùm vnius noctis quærit hoſpitium: ſic Deus nihil curaſſe videtur de Iſraelitide gente, ſed illam tantùm ſpectâſſe properante oculo, cùm illam tam durè vexari ab hoſte, tam inclementer à cœlo vaſtari videat. *Viator declinans ad manendū.*

III. *Quomodo de DEO dicitur*, VELUT VIR VAGUS? R. Hebraicè eſt, attonitus, pauidus, præ ſtupore & pauore, huc illuc vagatur & diſcurrit, q. d. Videris Domine quaſi territus à nobis fugere & huc illucq; vagari; nimirum terrent te ſcelera noſtra, æquè ac clades nobis imminens. *Vt fortis.* Hebraicè, robuſtus, validus vt gigas. q. d. Videris Domine nobis eſſe, vt homo, qui, cùm videatur eſſe fortis vt gigas, aut ſe fortem & gigantæum eſſe jactet, opem tamen ferre non poteſt, quod ne Deus permittat ſibi exprobrari, à gentibus, orat Moyſes Num. 14. 16. ne ſcilicet gentes dicant: Deus non poteſt ſuum populum ab hoſte liberare, ergo non eſt potens: aut ſi olim eum liberans fuit potens, jam in eo cum ætate virtus iſta conſenuit & elanguit. ita Sanctius. *Vir vagus de Deo.*

IV. *Cur dicitur de populo:* QUI DILEXIT MOUERE PEDES SUOS v. 10? R. Quia dilexit à DEi cultu recedere ac vagus & inſtabilis, nunc ad hæc, nunc ad illa idola, nunc ad Ægyptios, nunc ad Aſſyrios opis cauſa, nunc ad illam voluptatem & peccatum diſcurrere. Ita reſpondet Deus Judæis rogantibus, cur quaſi hoſpes abeat. q. d. abeo à vobis, quia vos à me abitis: vagus vobis videor & peregrinus, quia vos vagi & inſtabiles ad hoſtes meos decurritis. ita S. Hieron. Theodor. Rabanus.

CAPUT XV.

Renuit DEus aliquem exaudire orantem pro populo, minaturq; ei gladium, canes, volucres cœli, beſtias terræ, certumq; Jeroſolymæ excidium. Hinc propheta ſe quaſi virum rixæ ſuis inuiſum deplorat, ſed à DEO roboratur, & communitur, vt ſit quaſi murus æreus.

QUæſtio I. *An ex verbis* v. 1. SI STETERIT MOYSES ET SAMUEL CORAM ME, NON EST ANIMA MEA AD POPULUM ISTUM, benè inferant hæretici, Sanctos non orare pro nobis? R. Perperam, contrarium enim inferre debuerant, pro nobis *Sancti orant pro nobis.*

jam defunctos intercedere. Si enim existentes in limbo intercedere poterant, quanto magis in cœlo. Uti legimus fecisse Jeremiam 2. Mach. vlt 14. Quando Dominus pondus negat Moysi, Samuelisq; precibus apud Jeremiam & Danieli, Job & Noe apud Ezechielem, fatetur primùm illos orare: quòd verò illorum preces apud ipsum nihil sint habituræ momenti, non ex eo fit, quòd sint ad impetrandum infirmæ: sed quia tot sunt populi peccata, vt Sanctorum precibus liberari non debeat. Quemadmodum si quis grauiter sit in aliquem animatus, de quo supplicium sumere jam omninò decreuit, dicere solet: nemo à me vnquam precibus extorquebit, quo minùs cogitata perficiam: non pater, cujus apud me grauis est auctoritas & summum imperium: non vxor, non filius, quorum suauis est amor, & vis ad exorandum maxima. Hic non negat, aut orare posse, aut impetrare solere parentem, vxorem & liberos, sed affirmat alicujus flagitium indignum esse veniâ.

II. *Quomodo jubetur Jeremias ejicere populum à facie DEI* v. 1. R. Ex vsu S Scripturæ, id à prophetis fieri dicitur, quod ab ipsis faciendum esse denunciatur. Quomodo Isa c. 6. excœcaturus scribitur cor populi, & aggrauaturus aures, quia excœcandos oculos, & aures aggrauandas prædicit. Sic etiam modò jubetur propheta ejicere à facie Domini, id est, declarare à facie Domini fore repellendum.

III. *Quo sensu dicitur* v. 4. ET DABO EOS IN FERUOREM VNIUERSIS REGNIS TERRÆ? R. Tantis plagis eos exercebo, vt pressi nimijs anguſtijs perpetuò commoueantur, ferueant & æstuent vbiq; terrarum, non secus ac solet olla ignibus superposita commoueri, feruere, & æstuare. Idq; faciam propter Manassem, seu Manassæa scelera idololatriam, propheticidia, & abominandas spurcitias 4. Reg. 21. Manasse auctore in Judæam inuectas; quæ licet priuata Manassis pœnitentia, ipsius personæ remissa sint, quia tamen è publico necdum sublata, quin potiùs aucta & multiplicata sunt, condignis quoq; pœnis semel eluenda censui. ita ferè Chaldæus & S. Hieron.

IV. *Quo sensu* v. 7. DISPERGAM EOS VENTILABRO IN PORTIS TERRÆ? R. Sicut ventilabro paleæ disperguntur quaquauersum à vento raptæ; ita & ego vos dispergam in portis, id est per portas vrbium totius terræ, per portas enim synecdochicè sæpè significantur vrbes ita Chald. & Vatab. idò & meliùs, portas terræ vocat vltimas terræ partes, quibus ex terra in mare exitur, & è mari in terram intratur, q. d. dispergam vos vsq; ad fines terræ, ita Maldon. D. Thom. Lyran. Aut vt Sanctius, portæ terræ sunt ortus & occasus, per quæ dies & nox quasi per portas positas in finibus terræ, in eam ingrediuntur. Alij sic explicant, q. d. depauperabo eos, ita vt ad portas & ostia cogantur mendicare.

CAPUT XVI.

Monet DEus Jeremiam, ne in Judæa vxorem ducat, aut liberos procreet: fore enim vt omnes è conjugio procreati è medio tollantur per Chaldæos, quorum sæuitiam miris modis exagitat. Tantorum verò malorum causam esse peccatum asseuerat. Tandem solatur Judæos spe liberationis è captiuitate.

Mors ægrotationis.

QUæstio I. *Quæ est mors ægrotationis* v. 4. R. Quæ non statim exstinguit, qualis est, quam gladius, seu præcipitium affert, sed lenta, & quæ paulatim debilitat, & conficit, qualis est fames, & pestis. His duobus modis credo præsertim perijsse, qui sub hoc tempus nati sunt in Jerusalem: vt enim multi infantium ferro sint consumpti, aut ad saxum allisi; tamen eorum pleriq; fame, aut peste, aut alio quouis morbo sublati sunt. Neq; enim infantilis ætas perferre poterat famis incommoda, donec tandem post longum tempus capta ciuitate, res est ferro atq; incendio peracta.

Piscatores & venatores.

II. *Qui intelliguntur per piscatores, & venatores multos* v. 16. R. Esdras, Zorobabel. Jesus, Nehemias, & multi alij, qui Judæos profugos, & dispersos terra mariq; instar piscatorum & venatorum, ex maximo numero pauculos capient, colligent; & in patriam reducent. De his enim ad literam hîc loquitur Deus: sed præcipuè allegoricum sensum hîc intendit, qui est de Apostolis Matt. 4. v. 19. Christi & viris Apostolicis, qui ex Judæis & Gentibus plurimos piscati & venati sunt DEO, ita Orig. Tertull. Amb. Aug. & Lyranus.

III. *Quæ sit reddam duplices iniquitates eorum* v. 18.? R. Idem est, ac multiplices iniquitates eorum, vt sic afflicti ad me recurrant & opem implorent. Ita puniuit Deus Judæos per Epiphanem, per Pompejum, Cæsarem, aliosq; Romanos. Ita pariter puniuit Gentiles, dum singula eorum regna & monarchias ante Christum bellis exhausit & destruxit: Sic enim Persas per Græcos, Græcos per Romanos, Romanos per sese inuicem, perq; bella ciuilia puniuit & vastauit. Isidorus per duplices intelligit iniquitates Patrum & filiorum. S. Hieron. *Duplices* inquit, quia duplo graviores fuerunt iniquitates Judæorum DEi legem cognoscentium, quàm gentium ignorantium.

CAPUT

CAPUT XVII.

Peccatum idolomaniæ Judæorum adeò tenaciter animis illorum inhærere docet, vt non possit, nisi pleno excidio eradi: maledictum esse, qui confidit in homine, benedictum, qui in DEO: recedentes à DEO in terra scribendos: sabbathum observandum, & reliquum cultum diuinum.

Idololatria Iudæorum.

QUæstio I. *Quæ est sensus* v. 1. *Peccatum Juda scriptum est stylo ferreo in vngue adamantino, exaratum super latitudinem cordis eorum, & in carnibus ararum eorum?* ℟. Per peccatum intelligitur idololatria. Unguis autem idem est, quod cuspis, calamus, stylus. Unguibus enim auium duris & acutis, quasi calamis vel stylis solebant olim vti ad sculpendum Pro *latitudinem cordis* legunt Orig. Vatab. Pagninus, tabulam cordis, id est, conscientiam. Vel vt Sanchez, laminam auream vel argenteam à collo vsq; ad cor demissam, cui imaginem idoli sui insculpebant, palàm ostentantes se talis idoli cultores esse. Solebat & in cornibus altarium inscribi nomen vel symbolum, aut imago idoli, cui ibi sacrificabatur. testis ara Athenienſis, cui S. Paulus inscriptum vidit, *ignoto Deo*, Act. 17. v 23. Duo igitur hoc loco indicantur: Primum idololatriam judæorum ex voluntate & mente eorum indelebilem esse, charamq; ipsis instar monilis pretiosi, quod pro pectore gestatur. Secundum, idem peccatum publicum esse, totiq; orbi conspicuum, neq; latere posse.

II. *Quid est,* MALEDICTUS HOMO, QUI PONIT CARNEM BRACHIUM SUUM? ℟. *Carnem*, id est, hominem carneum & fragilem, *brachium suum*, vt illo quasi brachio suo se tueatur, suaq; promoueat, subaudi semper, relicto & spreto DEO Talis enim DEO est maximè injurius, negans ejus prouidentiam, bonitatem, potentiam, sapientiam: quasi enim Deus nollet, vel non posset, vel non sciret opitulari, ideo confugit ad spem & opem hominum vel dæmonum ita à Castro, Sed hoc modo non confidimus in Sanctis, neq; confugimus ad Sanctos, sed ad magis honorandum Deum in Sanctis suis, opem horum deposcimus, vt sic facilius accessum impetremus ad Deum, inquit Maldonatus.

Myrica.

III. *Quid per myricas intelligitur* v. 6 ? ℟ Myrica duplex est, vna hortensis, fructum habens asperum; secunda sylvestris, de qua hîc, quæ humilis est. Hæc dicitur maledicta, &, vt ait Plin infelix & religione damnata: quia sterilis est, nec fert fructum, & in solitudine sola nascitur, vilis, depressa, abjecta. Unde myrica Hebræis symbolum est hominis humilis, abjecti & nullius pretij, S Basil. hom. 5. Hexam. ait myricam esse ambiuiam, id est aquaticam, & etiam nasci in desertis: sic peccator, qui Deo relicto in homine spem ponit, imò non habebit bonum successum, 2dò nullum fert fructum. 3tiò cœlestis gratiæ & sapientiæ pluuiâ destituetur. 4tò solus erit, à Deo & hominibus derelictus. 5tò dæmoni & tyrannis objectus, vt Sedecias Chaldæis. Omnes deniq; homines sunt quasi myricæ ambiuiæ, id est, dubiæ & inconstantis fidei. *Non videbit*, non experietur, non sentiet, *cùm venerit bonum*, id est, pluuia: hæc enim est votum & bonum exoptatum ab aruis, & plantis siccis & sitientibus. *Sed habitabit in siccitate*, q d. etiam cùm pluet super alios, non pluet super eum, aut super ejus agros: *pluuiam* enim *voluntariam segregabit Deus hæreditati suæ* ps. 67. 10. Talis ergo in summa erit desolatione.

Perdix fouit quæ non peperit.

IV. *Quo sensu dicitur* v. 11. PERDIX FOUIT, QUÆ NON PEPERIT &c Tradunt Arist. Plinius & alij perdicem alterius perdicis, id est, aliena oua furari, eis incubare, excludere pullos: qui cùm adoleuerint, & vocem excludentis audiuerint, ab ea quasi aliena auolant ad primam & veram matrem, quæ oua posuit, cujus vocem naturæ instinctu agnoscunt. Tales ait Jerem. sunt Sedecias & Judæi, alijq; diuites, qui non in judicio, id est, non justè, sed iniquè vsuris, rapinis, aliisq; malis artibus, per fas & nefas diuitias congregant, aliena rapiunt, & faciunt sibi diuitias, quas breui Babylonij diripient, vel subita mors aut casus subtrahet.

In terra scribi.

V. *Quid est*, RECEDENTES A TE, IN TERRA SCRIBENTUR v. 13. ℟ Terrenis delicijs, honoribus celebres fient, & innotescent ijs, qui in terra degunt, quod sanè breue & momentaneum erit, nulliusq; æstimationis aut pretij, vt solent, qui in puluere vel cinere scribuntur, præ alijs, quæ marmoreis vel æneis tabulis committuntur. ita ferè Orig. S. Hieron. Vatab. à Lap Quod idem alio mox symbolo confirmat, fossæ exarescentis & venæ seu fontis perpetuò scaturientis.

Dies hominis.

VI. *Quid est*, DIEM HOMINIS NON DESIDERAVI v. 16.? ℟ non desideraui prosperitatem, opes, delicias, honores, plausus, quibus à Deo pascuntur & inhiant homines, non exoptaui: nam si exoptassem, relictis oraculis tuis, & terrificis minis, dixissem illis placentia, & sic gratiam illorum mihi conciliassem. Sed absit, Quidquid *egressum est de labijs tuis*, non adulatorium, non mendax, non simulatum, sed verum, *& rectum fuit*, prout tu mihi inspirasti. Liberè te jubente principum vitia carpsi, nec vllius offensam timui, qui nullius gratiam ambiui, ita S. Hieron. S. Thom. & Lyran.

CAPUT XVIII.

Exemplo figuli vas dissipatum refringentis, ostendit Deus, posse se Judæos per Chaldæam & reliquum orbem dissipatos, in pristinum statum reducere, si pœnitere voluerint. Quod quia necdum volunt, prædicere jubetur Jeremias, eos per Nabuchodonosorem exscindendos. Unde Judæi Jeremiam ad mortem deposcunt.

Deus pœnitentiam agit.

QUæstio I. *Quomodo dicitur Deus acturus pœnitentiam* v. 8.? ℟ Humano dicitur modo: Deus enim accommodè ad hominum sensus, humanos affectus assumit: quales sunt dolere, dubitare, pœnitere, & similia: quia talia facit, qualia fieri ab hominibus assolent, qui eisdem afficiuntur modis. Vt enim homines, quos facti pœnitet, illud euertere, atq; damnare solent: sic Deus, quia hominem, quem antea creauerat, diluuio demersit, doluisse dicitur, & pœnitentiâ tactus, quòd illum creauisset Gen. 6. Adhunc modum, quia quod Deus aut boni aut mali agere statuerat in gentes & regna, mutaturus dicitur, quia mutatâ illorum vitâ, ipsius quoq; aut lenitur, aut efferatur animus, pœnitentiâ dicitur affectus, cùm tamen in illum pœnitentia cadere nullo modo possit.

Desperatio Judæorum.

II. *Quid intendunt dicere Judæi, dicentes,* DESPERAVIMUS v. 12.? ℟ Longa malè viuendi consuetudo, & spretæ sæpe prophetarum minæ, eò deduxerunt obstinatum illum & miserum populum, vt ex peccatorum multitudine, obduratoq; animo, desperatione concepta, non minùs vesano quàm audaci consilio responderit fieri non posse, vt aut studia mutent, aut ad Deum reuertantur. Certum jam esse viam illam persequi, quam ingressi fuerunt; neq; nuntium esse remittendum naturæ sentientis voluptariis motibus, quibus jam pridem obsequi statuissent; licèt probè nossent, prauam esse viam, & præceps consilium desipientis animi. Pro *desperauimus* Tigurtina *expectoratum* vertit, idq; valde significanter: quasi jam cogitatio de Deo excussa prorsus esset de Judæorum pectore.

III. *Quomodo intelligendus est* v. 14. *Numquid deficiet de petra agri nix Libani? aut euelli possunt aquæ erumpentes frigidæ, & defluentes?* ℟ Cùm cæteræ creaturæ, naturæ ordinem seruent, populus tantùm meus oblitus est mei. q. d. Citiùs debuissent niues deficere de Libano petroso, & siccari riui de montibus fluentes; quàm populus mei obliuisceretur, propter assidua beneficia, quæ à me in illum manant, quomodo ergo fieri potest, vt mei oblitus sit, libando scilicet idolis, & relinquendo *semitas sæculi*, id est, à sæculo & olim à Sanctis Patribus tritas, vt vias suas nouas, id est, auia & noua idola sequeretur. ita S. Hieron. Theod. Chald.

Linguâ peruertere

IV. *Quid est peruertere aliquem linguâ* v. 18.? ℟ idem est, quod accusare, aut falsum contra aliquem dicere testimonium. Neq; verò leue est, aut facile sanabile vulnus illud, quod infligit detractoria aut maledica lingua, de quo illud Eccli 28. *Flagelli plaga liuorem facit, plaga autem linguæ comminuet ossa.* Id est, moliuntur Judæi, qui grauiter ferebant à Jeremia sibi alienum vitæ genus improbari, vt illigatum illum priùs testimonio falso, morti dederent, quod certè tentarunt, aut illius linguam metu constringerent, ne quid deinde hiscere auderet, aut in occultum aliquem locum compingerent, vnde quantumcumq; clamaret, vox tamen illius audiri non posset.

CAPUT XIX.

Lagunculâ fictili contritâ in valle Tophet, præsignat conterendos ibidem Judæos, ibiq; cateruatim sepeliendos, vbi antè tot pecudum, imò & filiorum suorum, cadauera immolarunt idolo Moloch.

Lagunculæ figuli testea.

QUæstio I. *Quid innuit lagunculâ figuli testea* v. 1.? ℟ Sicut in vase recenti ac viridi, quod adhuc in figulari rota versabatur, significauit Dominus, quod jam ipse fingebat, parabatq; supplicium, mutatum iri, si modò antiqua viuendi ratio mutaretur; sic in vase testeo, jam excocto, quodq; si frangatur semel, instaurari non potest, ostendit, actum jam esse de re Judaica, cùm melior vitæ ratio incitatum vitæ studium non remoretur.

II. *Cur jubetur lagunculam frangere juxta introitum portæ fictilis* v. 2.? ℟ Porta illa non dicitur fictilis quia ex latrunculo constructa, sed quia juxta illam erant figulorum officinæ, aut quia per eam inutilium vasorum fragmenta exportabantur, aptè ibi confringi jubetur laguncula, vt ea actione hieroglyphica docerentur Judæi, non aliam sibi futuram esse breui conditionem, qui tunc integri videbantur & salui, quàm ijs qui mortui fuerunt, & abjecti, sicut luteum illud vas, quod proximè integrum fuerat, & humano usui non ineptum, repentè, confractum est, & inter inutilium vasorum fragmenta conjectum.

III. *Quorum innocentium dicitur repletus locus* v. 4.? ℟ Innocentes dicuntur filij Judæorum,

dæorum, quorum sanguine immolatum est Moloch & Baalim. Et facit, quòd locus designatur innocentium infectus sanguine: & repleuerunt locum istum id est Tophet, seu gehennam: in eum enim locum egressus fuerat, & ibi loquebatur propheta.

IV. *Quando minatur Deus se cibaturum Iudæos carnibus filiorum suorum, & carnibus filiarum suarum* v. 9.? ℟ In obsidione Chaldæorum; sicut etiam cum Ierusalem excisa fuit à Romanis, contigisse memorat Iosephus l. 7. de bello Iudaico c. 8. de Chaldæorum obsidione apertè Ier. Thren. 2. v. 20. *Ergòne comederunt mulieres fructum suum? parunculos ad mensuram palmæ?* & c. 4. v. 10. *Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos, facti sunt cibus earum.* Aliquid amplius addit Ezechiel c. 5. v. 10. *Patres comedent filios in medio tui, & filij comedent patres suos.*

CAPUT XX.

Phassur Sacerdos Ieremiam abripit in carcerem, eò quòd tam dira minaretur Ierosolymæ. Sed Ieremias etiam ipsi totiq; ejus familiæ & amicis extremum excidium prædicit. Interim queritur apud Deum, se ob tam tristia nuntia tam exosum reddi Iudæis, ac maledicit diei natiuitatis suæ.

QUæstio I. *Quis fuit iste Phassur?* ℟ Non fuit summus Sacerdos; qui enim summum illum ordinem tenuerunt sub illud tempus, numerantur disertis nominibus in scriptura: sub Iosia Pontifex Helcias fuit, qui librum legis inuenit 4. Reg. 22. illius posteri narrantur 1. Paral. 6. v. 12. vsq; ad Iosedech, qui cum Sedecia abductus est captiuus in Babylonem: deinde quia vt ex hoc cap. constat, Phassur exul in Babylonem abijt, & præter Iosedech, Sacerdotes alij in Iudæa mortui sunt: Nam Saraias illorum vltimus occisus est à Nabuchodonosor in Reblatha Ier. 52. v. 27. At Iosedech, qui parenti Saraiæ successit, qui Babylonem exul vidit, Princeps, in domo Domini jam excisâ, esse nullo modo potuit: sed Phassur Princeps esse dicitur. Adde quod 1 Paral 12. Genus traditur Phassur, & Emmer, quòd à genere illorum, qui summi dicuntur Sacerdotes, diuersum est. *Phassur.*

II. *Cur Phassur dicitur Princeps in domo Domini?* ℟ Varia in templo fuerunt ministeria, quibus è sacerdotum numero viri Principes præficiebantur: neq; vnus erat in Sacerdotibus Princeps, sed multi illi, qui 24 præerant sacerdotum familijs, de quibus 1 Paral c. 24. Hi verò illi existimantur, qui in Euangelio vocantur Sacerdotum Principes, vt putat Toletus in caput 18. Ioannis. Imò & hi *summi Sacerdotes* dicuntur, quia in suis classibus primi sunt & reliquis præpositi Marc. 14. & 15. Ex horum ordine, credo, erat Phassur, qui fortasse eo tempore in ordine vicis suæ ministrabat, quo Ieremias fractâ lagunculâ, minacem hanc prophetiam ad Principes habuit, atq; seniores populi. *Phassur Princeps in domo Domini.*

III. *Quo sensu queritur Ieremias de Deo* DECEPISTI ME v. 7 ? ℟ Theodor. & Vatab. explicant q. d. Detrectaui munus prophetæ, dicens puer ego sum, tu ad id me induxisti, promittens me fore quasi columnam ferream; & ecce nunc obruunt me omnes, & succumbo carceri, ærumnis, odijs, irrisionibus, & sannis Iudæorum, non tam ciuium quàm hostium meorum. Videor ergo mihi tacitè & callidè in hosce compedes & ærumnas inductus ac seductus. Huc referri potest expositio Sanchez: subinde, inquit, scriptura dicit factum esse aliquid eo consilio & affectu, quo plerumq; ab hominibus fieri solet, licet re ipsa longè aliter se habeat. Sic jubemur à Christo odisse patrem, matrem, quin & animam, id est eorum suggestiones relinquere, cùm legi DEi aut voci repugnant; quod tamen re ipsa est potiùs eos amare, quam odisse. Sic Christus Gal 3. dicitur pro nobis factus maledictum, quia talia passus est, qualia patiuntur, qui à Domino sunt maledicti. Sic Ieremias à DEO inductus dici potuit, quia talia pertulit, dum ei obsequitur, qualia, qui ab alio in insidias inducitur, sustinere solet. Loquitur Ieremias ex humano spiritu pusillanimitatis & anxietatis animi, vti & Iob c. 3. Præmonuerat enim Deus eum multa passurum, sed à se roborandum, vt omnia superaret, & ex omnibus eluctaretur. Lyranus sic explicat. q. d. Si sum seductus, & falsa propheto, vti Iudæi & pseudo prophetæ, dicunt, à te Domine sum seductus, quod est impossibile: ac proindè mentiuntur ipsi, ego autem vera dico & prædico *Fortior me fuisti & inualuisti.* Dum scilicet reluctantem me prophetæ munus suscipere fecisti c. 1. v. 6. *Decipere quomodo dicitur*

IV. *Quo sensu dicit propheta se non recordaturum amplius sermonis & oraculi diuini*, id est, mentionem eorum se non facturum v. 9.? ℟. Non dicit, se deliberatè hoc cogitâsse & decreuisse, quia sic peccâsset, sed tantùm sibi in humano motu & metu hoc in mentem incidisse, quem motum pariter sensit & expressit Christus in passione dicens, *transeat à me calix iste*, ita Maldon. Melius censet S. Hieron: Ieremiam victum pudore & irrisionibus Iudæorum, dicentium eum esse falsum prophetam, hostem patriæ, Chaldæorum amicum & proditorem, statuisse desistere à prophetia excidij Ierosolymæ, præsertim cùm per eam apud incredulos nihil proficeret. Qua in re peccauit aliqua veniali pusillimitate & timiditate.

Deus enim volebat eum pergere in sua prophetia, vt sequitur: *Et factus est* (sermo Domini) *in corde meo quasi ignis*, q. d. Dum sermonem DEi ex spiritu timoris humano contineo, nec prædicare volo, factus est quasi ignis ardens, & inclusus in ossibus meis, vt nulla ratione ardorem illius ferre possim. q. d. Donum prophetiæ Deus in me noluit esse otiosum, sed cogit me assiduè stimulando prophetare etiam rebellibus & obstinatis. ita S. Hieron.

Maledicitur dies natiuitatis.

V. *Quo sensu Jeremias maledixit diei natiuitatis suæ?* R. V. dicta Job c. 3. Est modus hebraicus, idem significans, quod, *Utinam natus non fuissem* hoc autem non in proprio sensu sed per hyperbolen enuntiat, nec absolutè & simpliciter, sed abstrahendo à DEi voluntate, dispositione, occasione merendi &c. vt ostendat Judæis, se illubenter ista vaticinari, & cum dolore suo Sensum ergo habent hunc. Tam illubenter vaticinor, & tam mihi acerbum est, credere mala ista meæ genti euentura esse, vt ferè malim natus non esse. Similiter abstrahit à peccato Originali, in quo nequaquam optat mansisse: sed præcisè ostendit luctum de malis populi sui.

CAPUT XXI.

Sedecias Jerosolymis à Chaldæis obsessus rogat Jeremiam, vt pro sui & vrbis liberatione, DEum oret: vnde respondet vrbem cum rege capiendam. Unde proponit eis viam vitæ, suadens, vt se dedant Chaldæo, vtq; ritè pauperibus & oppressis justitiam administrent: atq; viam mortis, si videlicet Chaldæo resistant.

QUæstio I. *Quid v. 2. indicant verba:* INTERROGA PRO NOBIS DOMINUM? R. Id videtur ex adjunctis colligi posse non obscurè. Illud enim *si fortè faciat Dominus &c.* potiùs orationem indicat, quæ diuinam misericordiam inflectit, quàm consultationem, quæ tantùm consilium & voluntatem explorat. Et ita putant Theodor. Chaldæus & Vatablus: Neq; aliud opinor sibi velle legationem hanc, quàm quæ c. 37. ab eodem rege ad eumdem prophetam data est, *ora*, inquiunt, *pro nobis Dominum Deum nostrum.*

II. *Ad quem referatur verbum recedat* v. 2. RECEDAT A NOBIS? R. Aliqui referunt ad Deum, nec temerè, quia vt sæpè ab Isaia didecerant Judæi, Deus futurus erat Chaldæorum Imperator, & in Nabuchodonosor manu diuini furoris virga, quod etiam proximè ab Jeremia audierant. Optare ergo non sine causa videntur, vt Dominus ab vrbe recedat, id est, ne vltor vires addat, & spiritus præferoces Chaldæis, quos tamquam Dux ex vltimis terræ finibus euocauerat: aut vt vindicem atq; armatam manum ab inferenda plaga contineat. Sed est magis expedita sententia, si jubeatur orare, propheta, vt recedat Nabuchodonosor, soluatq; obsidionem, quæ ciuitatem ita premebat angustè, vt omnes de salute, atq; adeo de libertate & vita desperarent.

III. *Quo sensu dicitur* v. 4. CONUERTAM VASA BELLI, QUÆ IN MANIBUS VESTRIS SUNT &c.? R. Inutilia reddam, ita Theodor. simpliciùs, *conuertam*, id est retundam arma vestra, id est, impediam, vt ijs vti, & Chaldæis resistere non possitis. ita Isidor. Simplicissimè Hugo, S. Thom Lyran, Vatab. *conuertam*, id est, reflectam, *vasa*, id est arma bellica, contra vos, vt scilicet Chaldæi ijs vos armatos videntes magis prouocentur ad pugnam contra vos, eaq; vrbe capta, vt fieri solet, vobis eripiant, & in medio, putà in foro, domo ciuica, vel armamentario ciuitatis colligant, ijsq; vos trucident.

Via vitæ & mortis.

IV. *Quæ est via vitæ & mortis* v. 8.? R. Do vobis optionem vitæ & mortis, atq; medium vnum propono, quo viuere possitis; aliud quo mortem accersetis: scilicet, si vultis viuere, tradite vos Chaldæo; si repugnetis, obsidionem in urbe sustinendo, peribitis gladio, fame & peste. Si ergo pereatis, id vestræ culpæ & inobedientiæ adscribite, nec me crudelitatis accusate. Itaq; manere in vrbe & obsideri, erat via mortis: confugere autem ad hostes, erat via vitæ. q. d. Tam malè vobiscum agetur, vt non possitis saluari, nisi per hostes: vt non possitis mortem, nisi per captiuitatem euadere.

Anima quasi spolium.

V. *Quo sensu dicitur* v. 9. ERIT EI ANIMA SUA QUASI SPOLIUM? R. Liberabit à morte animam, id est, vitam suam, eamq; habebit instar spolij; quia sicut spolium alienum est, non proprium, hosti enim abripitur: ita Judæi in obsidione vitam suam desperatam, perditam & in hostium potestate positam, saluabunt, & quasi spolium hosti eripient, dedendo se hosti. 2dò Sicut milites gaudent de spolio, quasi præmio præter spem obuenienti: ita Judæi gaudebunt de vita sua præter spem seruata, ita Vatab. & Maldon.

VI. *Quid est:* SUCCENDAM IGNEM IN SALTU EIUS v. 14.? R. In congerie domorum & palatiorum ejus instar syluæ condensatorum, & in altum quotidie excrescentium. ita S. Hieron. & Theodor. Nisi malis cum Sanchez, per *saltum* intelligere lucos & hortos suburbanos, varijs pergulis & arborum tractibus exornatos, instar syluæ cœlum obtenebrantes, & ad voluptatem & delicias compositos, ita sacrificijs idolorum & omnigenis spurcitijs incestos: ac proinde flammis jure merito objectos à DEO.

CAPUT

CAPUT XXII.

Mittitur propheta ad Joakim, reliquos principes, monitum, vt justitiam pauperibus administrent: aliquin euertendos omnes vnà cum regno Juda. Mox omnium filiorum Josiæ casus & fata exponit.

QUæstio I. *Cur domus regia vocatur Galaad?* ℟. Mons Galaad est caput ac Principium ac nobilissima pars Libani, est enim ferax resinæ, stactes & aromatum, vt patet Gen. 37. 25. Galaad significat hîc vel templum, vt vult Hugo, vel Jerusalem, vt vult S. Thom. & Vatab. vel potiùs vt patet ex v. 1. & 6. domum & stirpem regiam, cujus arx & domus instar Galaad montis erat edita in monte Sion, juxta templum, in quo erant tabulæ decalogi, arca & alia monumenta fœderis percussi (hoc est enim Galaad) inter Deum & populum. Adde sicut in Galaad & Basan ob syluarum densitatem erant leones & bestiæ ferociſſimæ; ita & in domo hac regia reges erant feroces instar leonum. *Domus regia Galaad*

II. *Quid sit sepeliri sepulturâ asini* v. 19.? ℟. Sepultura asini est sordidus & apertus locus, qui neq; tegat cadaueris horribilem & obscœnum aspectum, neq; canes & vultures à laceratione prohibeat: quod magis explicuit Jer. c. 36. v. 30. *Hæc dicit Dominus contra Joacim regem Juda &c. Cadauer ejus projicietur ad æstum per diem, & ad gelu per noctem.* *Sepultura asini.*

III. *Quomodo inhumatus dici potest Joacim*, qui tamen 4 Reg. c. 24. dormijsse traditur cum patribus suis? qui dicendi modus, Hieron. teste, sepultum esse tradit; item quia putrefactus extra ciuitatis portas projectus est; quod sanè fieri non posset si statim atq; occisus fuit extra ciuitatem esset eductus. Neq; præterea verisimile est, regium cadauer intra mœnia jacuisse insepultum, donec putrem persolueretur in saniem. ℟. Quidam sepultum fuisse dicunt Joacim à Judæis, postea verò à Chaldæis effossum è sepulchro, jam corruptum & tabidum, extractumq; extra portas. ita S. Thom. sed communiter alij inhumatum esse dicunt, quod verba Jeremiæ indicant tam hîc, quàm c. 36. Neq; admodum vrget objecta ratio. Nam licet *dormire cum patribus*, plerumq; significat in sepulchrum inferri, non tamen illud quocumq; modo fieri significat: illi enim cum patribus dormiunt, qui eodem cum patribus tumulo conduntur; at quomodo paterentur hostes Babylonij in parentum, id est, Regum Juda mausolæa inferri Joacim, cùm Regum Juda sepulchra disjecerint, & Regum ossa in solis, lunæq; conspectum extulerint, vt prædixerat Jer. c. 8. Quare qui tumulatos effodiunt, non paterentur, qui nondum humatus erat, terræ mandari. *Joacim inhumatus.*

IV. *Quid est pascere ventum, & quid pasci à vento?* ℟. Is dicitur ventos pascere, qui inani se labore conficit, & operam perdit; sumitur autem metaphora à pastore, qui pecudes agit obsequentes, hic operam sumit, non vtilem solùm, sed etiam jucundam, qui verò ventum ad omnium similitudinem pascere aut moderari vellet, rem sanè tentaret molestam, & stultam; neq; inde quidquam referret compendij, quo sensu dicitur Prov. 10. De illo, qui mendaces captat ac fucatas opes, vnde sperari nihil potest solidi: *qui nititur mendacijs, hic pascit ventos; idem autem ipse sequitur aues volantes.* Pasci verò à vento, nihil videtur esse aliud, quàm lactari ab aliquo falsa spe, aut vacuis promissionibus seduci: satis enim notum est, ventum pro re vacua atq; nugatoria vsurpari. Qui vitam ex aliena promissione suspensam trahunt atq; hiantem, quorum in Principum oculis ingens numerus, vulgus *Canalones* vocat, qui à vento solùm sustentari dicuntur. Cùm ergo Judæorum Principes atq; pastores externarum virium expectatione confirmati, à quibus nihil erant habituri subsidij, Prophetarum minas, & Chaldæorum offensionem & castra contemnerent, jure optimo dici potuerunt à vento pasci: neq; enim illis plus accedet ab illa expectatione subsidij, quàm exhausto & languenti corpori firmitatis à vento. *Ventum pascere.* *à vento pasci.*

CAPUT XXIII.

Increpat populi pastores, putà principes, sacerdotes, pseudoprophetas, qui suâ nequitiâ, malô exemplô & fallacijs, quasi lupi populum perdiderunt. Unde, eis amotis, promittit se missurum verum pastorem, scilicet Christum, ejusq; Apostolos, inquit S. Hieron.

QUæstio I. *Quos pastores promittit se suscitaturum* v. 4.? ℟. Apostolos qui congregarunt vndiq; oues ad vnum ouile, putà tam gentes omnes, quàm Judæos à Deo in Babylonem ejectos ad Ecclesiam, easq; pauerunt. Hos enim vocat *reliquas gregis mei*, Judæos scilicet è captiuitate & dispersione reliquos, quorum pauci conuersi sunt ad Christi Ecclesiam, sed plures conuertentur in fine mundi, cùm omnis Israel saluus fiet, nam eo vsq; extenditur hæc prophetia. *Pastores suscitandi*

II. *Quid innuunt illa* verba: CONVERTAM EOS AD RURA SUA? ℟. Ecclesia vocatur rus & habitaculum Judæorum. Imò quia est eadem Ecclesia noua Christianorum, & vetus Judæorum. 2dò quia noua cœpit à Judæis, scilicet à Christo & Apostolis in Jerusalem. 3tiò quia cognitio & cultus veri Dei, erat quasi proprium rus spirituale Judæorum; *Ecclesia rus.*

&

& Judæis propriè promissus & missus erat Messias, ejusq; bona: rursum patria & quasi rus anagogicum eorum olim, & jam nostrum est cœlestis Jerusalem, ad quæ duo eos reduxit Christus.

Germen justum Christus.

III. *Quod germen iustum promittit Deus se suscitaturum Dauidi* v. 5.? ℟ Messiam, id est, Christum, ita S. Hieron. Theodor. & omnes Hebræi ait Vatabl. Christum enim, Deus suscitauit Dauidi, quasi germen è terra virginea. idò ex trunco, id est, ex familia Dauidis pene emortua, suscitauit eum quasi germen hebraicè truncum, id est surculum, qui succrescat & suppullulet, ac ex paruo germine crescat in ingentem arborem, quæ pristinam regni Dauidis gloriam jam collapsam restauret. Notat à Lap. Christum, qua Deum per Verbum Patris esse germen è terra fœcundissima, id est, è natura & mente diuina (quæ mundus est intelligibilis, vniuersi perfectiones in se complectens) Patris æterni progenitum. Hoc diuinum germen humano insertum est germini, cùm naturam assumpsit humanam. Hoc germen ortum in cœlesti paradiso, inde in terram insertum & natum, factum est homo. Una inter alias ratio hujus nomenclaturæ est, quia sicut ad germen & fructum ferendum tota arboris plantatio & irrigatio refertur, ita totum vniuersum, & omnes creaturæ vnius Christi causâ conditæ sunt: quocirca ipse vniuersi germen appellatur. ita Vicgas in Apoc. 1. pag. 26.

Robur in malo.

IV. *Quo sensu dicitur* v. 10. FACTUS EST CURSUS EORUM MALUS, ET FORTITUDO EORUM DISSIMILIS? ℟ det Lyran. Ad mala currebant sine frœno rationis, & Diuinæ legis. Verùm quid? *& fortitudo eorum dissimilis*, respondet Hugo & Dissimilis, scilicet bonæ fortitudini, quam habent sancti, quæ est ad bona ardua aggredienda, eorum autem est ad peccata facienda. Sicut sunt asini, quorum fortitudo est in posterioribus, non in anterioribus. Quasi dicat. Qui in malo tanto pollent robore, vt nihil, nec frigus, nec calorem, nec famem, nec sitim, nec pericula timeant, nec quæuis excogitabilia formident incommoda. Hi in bono tam imbecilles aliquando & debiles sunt, vt robore majore præditus infans credatur Pœnitentiam ne minimam quidem aggredi, tergum vel parua describere disciplina, vel vnica duntaxat vice præter panem & aquam vel aliud obsoniorum in cibum adhibere, aut vni se victoriæ causâ opponere tentationi, deniq; nec vnam audent proterere passionem.

Paleæ & triticum.

V. *Quid per paleas & triticum intelligitur* v. 28. ? ℟ Pseudoprophetias comparat paleis, veras prophetias tritico: quia sicut paleæ, ait S. Hieron. sic & ipsæ medullam non habent, nec possunt nutrire credentium populos, & de inanibus stipulis conteruntur, ac ventorum flatibus disperguntur, cùm euentus ostendit illarum adulationes & promissiones fuisse mendaces. Contrà verò minæ diuini judicij & nouissimorum à veris prophetis intentatæ, veræ sunt certoq; implendæ ideoq; quasi solidum triticum animum timore pascunt, degrauant, sustentant, nutriunt, vt fructus pœnitentiæ edat.

Hæretici furantur verba Dei

VI. *Quo sensu dicitur de Pseudoprophetis, quòd furentur verba Dei* v. 30. ? ℟ Quasi fures surripiunt quædam dicta verorum prophetarum, eaq; vel suis mendacijs admiscent, vt ijs fidem faciant; vel falsa interpretatione detorquent ad sua figmenta. Sic Hæretici, ait S. Hieron. furantur verba Saluatoris, dum S. Scripturam ad suas hæreses torquent. *Qui assumunt linguas suas*, id est, pro suo placito & nutu moderantur & dirigunt linguas suas, vt populo placentia grataq; loquantur. Veri enim prophetæ non assumunt, neq; arrogant sibi ductum linguæ suæ, sed ductui diuino illam relinquunt. ita Chaldæus, Hugo & S. Thom Vatabl & Lyran. vertunt, qui *lenificant linguas suas* id est, leni, blando, melleo sermone & promissis detinent plebem. *Qui somniant mendacium* id est, qui sua somnia pro prophetijs venditant in suis miraculis, id est, verbis mirandis, quibus quasi in exstasi mira, ingentia & incredibilia promittunt.

CAPUT XXIV.

Duo corbes, vnus ficuum optimarum, alter pessimarum, disparem denotant fortunam Jechoniæ, & Sedeciæ regum Juda, nempe hunc perendum, illum exaltandum. 4. Reg. vlt. v. 7. ibid. v. 28.

Calathi duo ante templum.

QUæstio I. *Cur bi duo calathi erant ante templum?* ℟ quia prior continens bonas ficus, significabat populum Deo & Dei cultui conjunctum, & quasi domesticum, etiam eos, qui jussu Dei in Babylonem captiui iuerant, præsentes esse Deo, illi esse in oculis & curæ, atq; per hanc tribulationem patientiæ fructum dulcem, quasi calore tribulationis decoctum ac suauem Deo exhibere: calathus alter continens ficus malas, significabat eos, qui Jerosolymis manserant Deo inobedientes, licet templo viciniores in delicijs agerent, Deo inuisos esse, & ab eo exscindendos ob hanc inobedientiam.

Folia ficq.

II. *Quare per ficus intelliguntur homines?* ℟ S. Aug. multis in locis, maximè Serm. 31. de verbis Domini secundum Lucam: ait, ab eo jam tempore, quo primus homo post peccatum

peccatum foliis se ficulneæ texit, humanum genus similitudinis cum ficu induisse cognationem. Idcirco & S. Amb. l. de paradiso c. 13. ponderans, quomodo Adam foliis ficus lumbos succinxit: in posteros ejus vestem peccatricem ex arbore ficu transmittendam interpretatur, vt quasi ficu, id est, peccato induti, seu peccatores, nascerentur.

III. *Cur hæ ficus apparent propheta ante templum?* Rdet Ant Fernandius l. de Vision. vet. Testam. visione 12. rationem literalem esse, quia in atrio templi varia genera fructuum vendebantur, vt populus haberet in promptu, quæ offerret Domino, ante quem nemo vacuus apparere poterat juxta legem Exodi 23. 15. Verùm quia alter calathus visus est habere pessimas ficus, ac adeo ineptas, vt Deo offerri vix possent, id quoq; videtur desumptum ex eo, quod ferebat vsus, vt mali quoq; fructus venundarentur, libera vt esset offerendi potestas, ac adeo deuotionis bene vel malè exhibendæ occasio. Verum cùm per ficus bonas & malas, boni sub Jechonia, maliq; sub Sedecia intelligantur, visos fuisse, prædictos calathos ante templum Domini, significatur, malos pariter atq; bonos, præsentes esse Deo, sed in dispares euentus ps. 10. 5. *Dominus interrogat justum & impium.* Et sequitur: *pluet super peccatores laqueos ignis* &c. *justus Dominus justitias dilexit.*

IV. *Quid per incluſorem intelligitur* v. 1.? R S. Hieron. Hugo S. Thomas, Lyran. intelligunt incluſorem gemmarum, qui auro vel argento gemmas includit. Vatab. & Angelomus in 4 Reg. 24 *incluſorem* inquiunt, intellige castrorum, id est, castra metandi, & muniendi, valloq; includendi peritum. q. d. omnes fabros & artifices transtulit Nabuchodonosor, præsertim eos, qui ciuitatem instar castrorum possent munire, fossis; vallis includere, ne hi rursum Judæos, si rebellare vellent, adjuuarent vt fecerunt Philistini 1 Reg. 13. 19. *Incluſor.*

V. *Quæ sunt* FICUS PRIMI TEMPORIS v. 2.? R Vocantur, quæ primo loco, putà mense Julio, matureſcunt, quæ & præcoquæ dicuntur, quasi præ aliis majore calore excoctæ, vtpote primogenitæ, & in quas succum suum vires; præcipuas arbor profudit, vnde optimæ, id est, dulcissimæ & sapidissimæ sunt. E contrario serotinæ ficus, quia mense Septembri, quasi à senescente & effœta arbore protruduntur, languidæ vt plurimum, imperfectæ & insipidæ sunt. *Ficus primi temporis.*

CAPUT XXV.

Quod jam inde à decimo tertio anno regis Josiæ prædixerat, Judæos & vicinas omnes gentes, spatio 70 annorum seruituras Chaldæis, jam vigesimo tertio pòst anno rursus inculcat. Finitis porrò 70 annis etiam Babylonem euertendam prædicit, propinans omnibus Judææ hostibus calicem iræ diuinæ.

QUæstio I. *Quo sensu Deus vocat Nabuchodonosorem seruum suum* v. 9? R idem est, ac lictorem & executorem justæ suæ vindictæ. Perperam hinc infert Caluinus Deum esse auctorem operum malorum v. g. tyrannidis: sic enim peccati esset auctor. Seruiunt ergo Deo tyranni, omnesq; malæ voluntates: quia eorum tyrannide & malitia (quam non Deus sed ipsi ponunt) jam posita & præuisa Deus vtitur eamq; ordinat ad justam aliorum impiorum castigationem, vti docet S. Aug. S. Thom. & passim Theologi. *Nabuchodonosor seruus Dei.*

II. *Quomodo Jeremias calicem propinauit cunctis gentibus* v. 15.? R S. Thom Dionys Hugo, Corn. à Lap. putant id in visione imaginaria contigisse; neq; datum esse prophetæ poculum, sed oblatum: Sanchez verò censet hæc non per visionem, sed reipsa peracta esse à Jeremia, ideoq; eum instar Habacuc Dan. 14. ab Angelo traductum esse per omnes hasce prouincias cum calice diuini furoris pleno, aut potiùs eum ijs, qui ex singulis hisce gentibus Jerosolymam ventitabant, præsertim in festo paschæ, pentecostes, aut Tabernaculorum, calicem hunc propinasse, vt cùm in singulas singuli sedes remigrarent, docerent ciues suos, quid ad nationes illas in mandatis à Deo habuerit Jeremias. Sicut Act. 2. ad festum Pentecostes gentes eædem, atq; aliæ magis à Judæorum finibus submotæ conuenisse traduntur. Qui licet Judæi essent genere, domo tamen Arabes erant, Ælamitæ ac Medi, Ægyptii &c. & multò plures, magisq; remoti, quàm hîc commemorantur. Quodq; per legatos qui ex variis prouinciis, quæ hoc loco nominantur, illarum regibus porrectum sit poculum, id est, dura mandata, vaticinia, patet ex c. 27. vbi Dominus ad Jeremiam: *fac tibi vincula & catenas, & pones eas in collo tuo, & mittes eas ad Regem Edom, & ad Regem Moab* &c. *in manu nuntiorum, qui venerunt Jerusalem ad Sedeciam regem Juda & præcipies eis, vt ad Dominos suos loquantur.* Statim verò subdit, quid locuturi sint: Ego dedi *omnes terras istas in manu Nabuchodonosor Regis Babylonis:* & c. 26. statim in principio locutus dicitur Jeremias ad omnes ciuitates Juda, cùm tamen tantùm esset locutus ad ciues, qui in vrbem & templum ex illis ciuitatibus religionis gratiâ conuenêre. *Calix omnibus gentibus propinatus.*

III. *Cur Deus tam multas gentes Judææ vicinas jusserit excidi?* R det imò Theodor. quia

Judæis fuerunt causa & occasio idololatriæ, ad eamq; illos vel susu suo vel exemplo pellexerunt. 2dò Lyran. causam dat, vt earum clade Deus subtraheret Judæis spem ad eas recurrendi, earumq; opem contra Chaldæos aliosq; hostes implorandi. 3tiò S. Hieron. Hugo & Dionys quia inquiunt hæ gentes in Judæorum clade & excidio gauisæ sunt, imò in eo Chaldæos adjuuerunt. 4tò. Sanchez, quia inquit, hæ gentes populum Dei vexarunt, illumq; sibi seruire coëgerunt. Sed hæ rationes sunt partiales certarum gentium, non vniuersales omnium, quæ hîc nominantur, Reges enim Medorum, Insularum, Tyri, Sidonis &c. non fuerunt hostes, sed potiùs amici & confœderati Judæorum. Vnde Corn. à Lap. ait adæquatam causam excidij harum omnium gentium fuisse, quòd Deus impletâ jam mensurâ peccatorum earumdem more suo voluerit & decreuerit eas punire & exscindere.

Columba vincit leonem.

IV. *Quæ est columba* v. 38. A FACIE IRÆ COLUMBÆ? ℟. S. Hieron. S. Thom. Maldonat. & alij per columbam accipiunt Nabuchodonosorem & Chaldæos, quia Deus eos è Babylone, quasi è columbario emisit ad quærendum cibum in Judæam, quasi in alienam segetem. Sanchez dicit, leonem fuisse insigne & stemma Judæ & Judæorum Gen. 49. 9. & de eo hîc dici v. 38. dereliquit quasi leo vmbraculum suum; huic opponi columbam (vt quasi duellet cum leone) quæ erat insigne Chaldæorum, q. d. Dimicabunt & duellabunt leo, & columba, putà Judæi & Chaldæi, at columba vincet, & proteret leonem, putà Chaldæi proterent Judæos: fugiet ergo leo, derelinquetq; terram à facie iræ columbæ, cujus impetum sustinere non poterit, quia nimirum columba, & per columbam pugnabit Dominus Dominiq; furor, vnde subdit: & à facie iræ furoris Domini. Vide ps. 67. v. 14.

CAPUT XXVI.

Jeremias, quia in templo prophetat ejus excidium, capitur, & mortis reus agitur; sed ab Ahicam eripitur.

QUæstio I. *Quid est sensu* v. 15. SANGUINEM INNOCENTEM TRADETIS CONTRA VOSMETIPSOS? ℟. Est phrasis prouerbialis apud Hebræos cùm homicidij pœnas alicui denuntiant, clamare contra ipsorum caput, illorum sanguinem, quibus illata vis est: aut effusum sanguinem pœnas expetere. Sic Gen c 3. sanguis Abel clamare dicitur contra fratricidam Cain: sic sanguis prophetarum omnium super Judæos venturus traditur. Matt 13. Sic Judæi Matt. 27 imprecantur suo filiorumq; capiti sanguinem. Sic Job c 16. v. 9. sanguinis sui clamorem audiri vult: *terra ne operias sanguinem meum, neq; inueniat in te locum latendi clamor meus.* Sic ergo Jeremias clamaturum dicit sanguinem suum, iniquo judicio, ab impijs effusum, non solùm in suæ necis auctores, sed etiam contra ciuitatem ipsam.

Vrias propheta.

II. *Qui loquuntur v. 20. dicentes:* FUIT QUOQUE VIR PROPHETANS IN NOMINE DOMINI, VRIAS &c. ℟. Quidam putant hæc verba esse non illorum seniorum, qui in eo conuentu patrocinium suscepere Jeremiæ, sed aliorum, qui de illius capitali, aut alio duro atq; ignobili supplicio cogitabant Quasi veteri exemplo Ezechiæ recens opponant Joacim, qui Uriæ libertatem in loquendo impunitam esse passus non est. Quæ sanè explicatio facilis: neq; apparet vlla grauis ratio, cur hoc exemplum à senioribus in Jeremiæ defensionem afferri debuerit: neq; aptè hoc exemplum de Uria cum alio de Michæa conjungeretur. Adde quòd Sacerdotes & Prophetæ in ea disceptatione superiores videntur fuisse, quando non

Ahicam.

à senioribus, sed ab Ahicam filio Saphan liberatus dicitur Jeremias: *ne traderetur in manus populi, & interficerent eum:* quod suadet non leuiter illud, *igitur manus Ahicam* q. d. Cùm igitur nihil habuisset ponderis seniorum auctoritas, cùm grauiùs vrgerent aduersarij, & recens exemplum apud iniquum regem & sceleratum populum plus valeret, Ahican, cui magna apud omnes erat auctoritas, ex infensæ multitudinis & sacerdotum manibus Jeremiam exemit. Sunt, qui putent, à contrario exemplo suadere voluisse seniores, ne quid ftrueretur mali Jeremiæ vitæ. Nam Ezechias, qui Michææ nihil afferri mali passus est, pleno omnium ore laudatur; Joacim verò, qui secus in Uriam animatus fuit, in publicum odium & inuidiam incurrit.

CAPUT XXVII.

Vinculorum & catenarum gestatione, & ad vicinos reges transmissione portendit & prædicit Jeremias gentes illas omnes subdendas seruituti Chaldæorum. Unde suadet illis DEi nomine, subdant se sponte Nabuchodonosori, si se suaq; salua velint, nec credant pseudoprophetis pacem & prospera promittentibus.

Jeremiæ vincula.

QUæstio I. *Quid Jeremias vinculis & catenis constrictus portendit?* ℟. subeundam Judæis seruitutem. Incedebat Jeremias cum furca aut jugo tamquam seruus ignominiosè traductus, aut sicut bos ad jugum, siue ad plaustrum ligatus: quod symbolum erat duræ, atq; ignominiosæ seruitutis. Hoc jugum & lora constrinxêre Chaldæi,

vt qui

vt qui nobilem atq; ingenuam seruitutem subire noluerunt sub DEO magis benigno Domino, sub duro atq; inexorabili subeant ærumnosam & sordidam. De his, per Jeremiam dixerat c. 2. v. 20. A sæculo confregisti jugum meum; rupisti vincula mea; dixisti, non seruiam. Eisdem nunc per prophetam eumdem minatur jugum durum, ignobile, diuturnum.

II. *Quomodo dicitur* v. 7. SERVIENT EI OMNES GENTES, *& mox additur*, SERVIENTEI GENTES MULTÆ, *nonne in omnibus multa sunt comprehensæ?* R. est consuetudo linguæ sanctæ, quæ *in omnibus* aut *vniuersis* non omnia omnino & vniuersè significat. Sed accommodatè ad ea, de quibus sermo est: Constat, non omnes Gentes Nabuchodonosori seruisse, non Romanas, non Britannicas, non Germanas, quare has vox illa *omnes* non amplectitur. Seruierunt autem Idumæi, Ammonitæ, Tyrij &c. de quibus proximè Jeremias egerat, & ad quos seruitutis symbola mandarat Hæ omnes gentes seruituræ dicuntur, quia de his tantùm institutus sermo, & productum vaticinium. Reges verò magni, & gentes multæ alij sunt ab his: Nam Ægyptij, & Æthiopes, Ælamitæ, & Medi, subjugati sunt à Babylonio, & facti vectigales.

III. *Quis est sensus* v. 19. Hic dicit Dominus ad columnas, ad mare & ad bases, & ad reliqua vasorum &c.? R. Non loquitur ad vasa per prosopopœiam, sed de vasis transferendis, quæ relicta fuerunt post victum Joacim, & translatum Jechoniam, hæc idem expectat exitus, qui superiora, auchentur enim ipsa quoq; in Babylonem. Est in S. Scriptura non infrequens, vt *ad* & *in* adhibeantur pro *de*. Ut Marci 9. *Quomodo scriptum est in filium hominis*, id est, *de filio hominis*. Luc. 19. *Ait JEsus ad eum, quia hodie salus huic domui facta est.* id est, *de eo*. non enim sermo ad Zachæum dirigebatur, sed ad alios, qui loquenti aderant Heb. c. 1. *& ad Angelos quidem dicit*, id est de Angelis. Et c. 4 ad quem nobis sermo id est, de quo. Act. c. 2. *David quidem dixit in eum*. id est, *de eo*. Sic ergo hîc ad columnas, ad mare, & ad bases, idem est, quod de columnis, de mari, de basibus. Quomodo verò hæc omnia in Babylonem fuerint à Chaldæorum rege translata, habes hîc c. 52. & l. 4. Reg. c. 25. v. 13. & 16.

CAPUT XXVIII.

Hananias pseudopropheta, detracto jugo & catenis de collo Jeremiæ, conatur persuadere Judæis, irritum fore ejus vaticinium de excidio templi & vrbis. Sed jubet Jeremiæ Deus, vt pro catenis ligneis ferreas jubeat, quibus præsignet, durius jugum Judæis breui subeundum. Simulq; mortem denuntiat Hananiæ, qui eo ipso anno exstinguitur.

QUæstio I. *Quid est* CONTRIVI JUGUM REGIS BABYLONIS v. 2.? R. Imposuerat graue jugum Babylonius Iudæorum ceruicibus, cùm gentem illam, maximis spoliatam ornamentis, vectigalem fecisset. Veterator autem & pseudopropheta Hananias verbis maximè significantibus omnem felicitatem populo, quàm ocyssimè adfuturam esse denuntiat, tum quia ex ore DEi se loqui profitetur, cùm ait *hæc dixit Dominus*, tum quia tempore præterito vtitur, cùm tamen de futura libertate sit sermo, cùm dicit, contriuisse jam Deum Babylonicum jugum, & ex eo subjectas antè ceruices exemisse

II. *Cur dicatur:* ADHUC DUO ANNI DIERUM v. 3? R. Modus iste loquendi idioma olet aliquod Hebraicum; neq; existimo *dies*, qui cum anno conjungitur, aliquid addere annorum numero, sed tantùm explicare paulò magis, definireq; certius, quæ prius non accipiebantur anguste. Nam ex vsu Scripturæ duo anni dicerentur, etiamsi aliquot aut deficerent aut excederent dies, cùm verò duo anni dierum dicuntur, significantur, credo, duo anni completi, qui videlicet illis constant diebus, qui adæquatè tempus illud complent & absoluunt. ita Sanctius.

CAPUT XXIX.

Jeremias scribit Judæis, in Babylonem traductis, vt domos ædificent, quasi ibi mansuri ad 70. annos, nec credant duobus falsis prophetis, Sedecia & Achab (quos quia adulteri erant à Nabuchodonosor igne frigendos prædicit) contrarium prædicentibus. Hinc Semeias tertius pseudopropheta apud Judæos in Babylone captiuos, inde rescribit in Jerusalem, vt capiatur Jeremias, cui Jeremias exitium intentat.

QUæstio I. *Quid similitudine ficuum ostenditur* v. 17. *Et ponam eas quasi ficus malas, quæ comedi non possunt?* R. Ostenditur quantum sit futurum discrimen inter eos, qui se cum Jechonia Babylonijs dediderunt, & eos, qui cum Sedecia postea armis subacti, & in exilium ablegati sunt. Quidam existimant eos, qui cum Sedecia capti sunt etiam post annos 70, numquam in patriâ fuisse reuersos, sed hoc dici non potest, quia, quod hoc *Ficus mala.*

cap. de ſeptuagenario numero dicitur his, qui cum Jechonia translati ſunt, idem c. 25. promittitur omnibus indefinitè Judæis; neq; in Cyri decreto, quo laxata eſt Judæorum captiuitas, vllus exceptus fuit ex Judæorum populo. Nunc ergo videndum, in quo ſpectari poſſit diſcrimen illud, quod duo ficuum calathi, cum tanta diuerſitate portendunt. Hoc autem in eo ſpectari poteſt; quia in eos, qui cum Jechonia tranſmigrarunt, mitius fuit Chaldæorum imperium: ſic enim in aliena regione pacificè vixerunt, vt vixiſſent in ſua. Habuerunt quippe domos, plantauerunt hortos, & in alieno ſolo ſuam quoq; habuiſſe videntur rempublicam, qualemcunq;. Habuerunt quippe Judices, qui Judæorum cauſas, controuerſias q; diſcernerent, vt probant ſenes illi duo, qui Suſannæ pudori inſidiati ſunt Dan. 13. v. 5. Contrarium accidiſſe puto tam Sedeciæ quàm ijs, qui cum ipſo ſub jugum inuiti miſſi ſunt: de quibus multa nunc planè dura, ſicut ſupra c. 24. adeo vt futuri dicantur in maledictum, ſibilum & prouerbium. De his, credo intelligenda ſunt, quæ à Jeremia in Threnis de captiuorum ignominia, vexationibus & ſordibus dicuntur: vt, quòd amplexati ſint ſtercora, qui croceis olim amiciebantur, & eorum denigrata ſit facies ſuper carbones, qui priùs lacte fuerunt candidiores: quòd à fame fuerit ſicut clibanus exuſta pellis; quòd principes ſuſpenſi, oppreſſæ virgines, in nefarium libidinis vſum adacti iuuenes. Hæc ſanè ſpeciem referunt peſſimarum ficuum, quæ intueri nemo ſine nauſea poteſt, nedum guſtare.

Pſeudoprophetæ duo.

II. *Qui fuerunt duo pſeudoprophetæ* v. 21.? R. S Hieron. tradit Hebræos aſſerere illos fuiſſe duos illos ſenes, qui Suſannæ pudori moliti ſunt inſidias. Sanchez hanc opinionem improbat, quia non conuenit in Danielem, qui ſenes illos mendacij coarguit, nomen *pueri juniorâ*, cùm eo tempore jam eſſet grandior, quando hæc facta ſunt. Item quia ſenes illi lapidati dicuntur à populo, hi verò pſeudoprophetæ à Nabuchodonoſor igne combuſti, ſeu frixi in ſartagine. Adde quòd illi judices vocantur populi, hi verò prophetæ mendaces. Cùm verò pſeudoprophetæ verorum exprimere ſolerent imaginem, atq; ideo humanarum rerum contemptores videri vellent, veſteq; vterentur cilicina, id eſt, dura atq; horrida (hæc veſtis erat prophetica) contemnerent ipſi judicandi munus: neq; populus in habitu ſylueſtri, & ſordido præeſſe vellet homines conſilijs publicis.

III. *Cur tam grauiter Nabuchodonoſor animaduerterit in hos pſeudoprophetas?* R. Conjectare licet ex illorum inſtituto, & fallaci atq; odioſo vaticinio. Nam vt ex hoc capite liquet, pſeudoprophetæ, qui erant apud Babylonios exules; clamabant, frangendum eſſe propediem Babylonicum jugum, ipſoſq; breui libertatis ac patriæ futuros eſſe compotes: quod regi inſolenti ac barbaro non poterat non eſſe odioſum.

Ignis pro quouis cruciatu.

IV. *Quo ſenſu dicitur* v. 22 QUOS FRIXIT REX BABYLONIS IN IGNE? R. Ignis pro graui cruciatu ſumitur, à quocunq; ille inſtrumento proueniat, vt non rarò in Scriptura videmus. Nam filij Iſrael, quia dura apud Ægyptios ſubierunt, educti eſſe dicuntur de ferrea fornace Deut. 4. v. 20. & Joſue 7. v. 13. cùm præcepiſſet Dominus igne comburi, quicumq; de anathemate Jericho aliquid acciperet, tamen v. 25 propter illud ſcelus lapidatus eſt à populo, jubente Joſue, qui ſanè diuinum præceptum non eſt transgreſſus. Hinc puto *ollam ſuccenſam* hic c. 1. & *lebetem*, quibus ignis ſubjicitur, pro graui aliquo cruciamento ſumi, atq; ideo hoc loco frixura in igne pro lapidatione ſumi poſſet, vt vidimus in Achan, & in his duobus ſenibus etiam aliquid videmus non diſſimile: nam cùm lapidibus oppreſſi fuerint à populo, ſecandi tamen ac diuidendi medij dicuntur Dan. 13. Hæc tamen verba propriè opinor exponenda eſſe, non figuratè: tum quia quod eſt à lapidatione ſupplicium, licet apud Hebræos vſitatum & frequens, apud alias nationes vſitatum non eſt. Quod autem ab igne, id aut lege decretum eſt, aut receptum à conſuetudine. Sanè apud Babylonios & Chaldæos, extingui homines aut torqueri igne, teſtimonio nobis eſt Abraham, qui de Ur Chaldæorum, id eſt de igne liberatus dicitur à Domino: & ſub hæc tempora ab eodem Nabuchodonoſor tres pueri traduntur in fornacem conjecti: quomodo Antiochus ſuccendi juſſerit ollas, & ſartagines æneas ad Machabæorum cruciamenta. Vide l. 1. Machab. c. 7.

CAPUT XXX.

Promittit poſt aſperam captiuitatem, lætam per Cyrum liberationem: myſticè, poſt miſeram ſeruitutem diaboli & peccati, optatam redemptionem per Chriſtum.

QUæſtio I. *Quid jubetur Jeremias ſcribere* v. 2.? R. Incertum eſt, cùm non conſtet, quo tempore hoc acceperit verbum, vt inde, quid verborum ad illud vſq; tempus habuerit, conjectare poſſimus. Eſt tamen veriſimile, contigiſſe hæc poſt translatum Jechoniam, quo tempore datæ ſunt ad exules Jeremiæ literæ, & à Semeia ad Sacerdotes & populum de Jeremia puniendo tranſmiſſi libri. ita putat S. Hieron.

II. *An verba illa* v. 3. *Ecce dies venient, dicit Dominus & conuertam conuerſionem populi mei Iſrael & Juda*, intelligenda ſunt de captiuitate & reſtitutione poſt longa tempora populi Judaici ex Babylonica ſeruitute; vel de Chriſti tempore, & libertate longè majori,

& à grauiori jugo? R. de re Babylonica accipiunt Theodor S Thom & Hugo & alij plures, de Christo S. Hieron. Dionys. & alij. Sanchez hæc de Christi tempore accipit allegorico sensu, ita tamen vt historico sensu censeat de re Judaica ac Babylonica exponi oportere. Quod tenet Maldonatus, neq; negat S. Hieron. in hujus capitis procœmio, qui dicit: *quicquid populo Israel carnaliter repromittitur, in nobis spiritaliter completum esse monstremus.*

III. *Quis est sensus* v. 6. VIDETE SI GENERAT MASCULUS? R id est, an fœtum effundat ex utero, vt solet fœmina. q d. Cùm viri non experiantur dolores partûs vt fœminæ, quî fit, quòd Judæi quasi muliebri dolore pressi, manibus suis renes lumbosq; instar parturientium contineant ad dolorem comprimendum. Ita S. Hieron. Hac metaphsi indicat propheta acerbitatem dolorum. Ex his doloribus *conuersæ omnes facies* virorum in auriginem, id est, in pallorem auri: vt fit in ictericis, seu morbo regio laborantibus. Idem vitium segetes etiam corripit, quando nempe culmi pallescunt in modum auri vel æris, & illa aurigine vel ærugine paulatim arescunt.

CAPUT XXXI.

Sub typo liberationis Israelis ex Ægypto, Assyria & Babylone, describit liberationem mundi per Christum & multiplicia bona Ecclesiæ Christianæ, cum qua nouum fœdus sanciturum promittit Deus, legemq; suam scripturum non in tabulis aut in carne illorum, sed in cordibus. ita S. Hieron.

QUæstio I. *An rectè Judæi hoc caput*, vti & Isaiæ c. 54. Amos 9 Zach. 14 vbi promittitur Judæis reditus ex captiuitate, ac felicitas & abundantia rerum temporalium, ad literam accipiunt, quasi ea spectent ipsos & præsentem captiuitatem, à qua liberandi sunt per suum Messiam? R Non rectè. Nam imò prophetæ loquuntur de captiuitate illis præsenti puta Babylonica, quam soluit Cyrus & Zorobabel, non de Romana per Titum, quæ numquam soluta est, nec soluenda: imò hoc capite agit Jeremias de captiuitate Assyriaca; quam ad literam numquam solutam nec soluendam esse constat: ergo de mystica ejusdem solutione loquitur, quam fecit Christ. idò perennem fore hanc Romanam eorum captiuitatem docet Daniel c 9. v. 27. 3tiò quia Messiam jam venisse, ac proinde frustra alium venturum à Judæis expectari patet ex prophetia Jacob Gen 49. 10 de Messia venturo mox vt deficeret sceptrum de Juda, quæ jam in Christo impleta est Et ex Dan 9. v 25. & ex Isaiæ 53. Ubi passio & mors Christi nostri plane eodem modo, quo facta narratur ab Euangelistis aliisq; historicis, futura prædicitur. *Captiuitas Babylonica.*

II. *Quo sensu dicitur* v. 3 LONGE DOMINUS APPARUIT? R à longo tempore, jam olim visus est, & fauit mihi Dominus in Sina & deserto; at jam videtur me deseruisse in captiuitate Babylonica vel potiùs Assyriaca. Sunt verba Synagogæ, siue Israelis, id est, 10 tribuum, cui respondet Deus erras mi populi, non te deserui, & id est, imò, quinimo, charitate perpetua dilexi te. q d. eodem quo olim prosequor te amore, idq; non merito vitæ tuæ, sed meâ solâ misericordiâ.

III. *De quo intelligitur* v. 5. *Adhuc plantabis vineas in montibus Samariæ?* R De conuersione Samaritanorum ad fidem Christi *& per vineas* particulares Ecclesiæ q d Multos ad te ô Sion, ô Ecclesia Christi, conuertam in Samaria per prædicationem Euangelij, vt multas ibi fundes Samaritanorum Ecclesias. Ita factum esse patet Ioan 4 41 Act 8. 14. Constat enim Samaritanos, id est, 10 tribus, ab Assyrijs in Assyriam abductos, numquam in Samariam redijsse. Mystice ergo hæc peracta sunt per Apostolos in Samaria, de quibus Isa. c. 52. *Quam pulchri super montes pedes annuntiantis & prædicantis pacem.*

IV. *Quis est sensus v. 5. Plantabunt plantantes, & donec tempus veniat, non vindemiabunt?* R Hebr. & Chald. est, *plantabunt plantantes, & profanabunt* seu *communem facient.* q d. vti olim Leu. 19. 23. fructus arborum tribus primis annis immundi censebantur nec Judæis licebat eis vesci: quarto verò anno consecrabantur Domino, & quinto anno profanabantur, id est, fiebant communes, & licebat omnibus, etiam profanis & laicis, eis vesci: ita Apostoli & similes multis annis, & multâ patientiâ vineam Domini excolent, atq; longanimiter expectabunt fructum & tempus vindemiæ, qua tandem lætè fruentur.

V. *Quid denotat* v. 9. ADDUCAM EOS PER TORRENTES AQUARUM? R Faciam eos superare omnia obstacula, omnesq; viæ difficultates, eisq; quasi viam complanabo, vt omnes ad Ecclesiam expedite venire possint. Hoc est, quod promittit Isaias c. 40. 4. *Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt prava in directa & aspera in vias planas.*

VI. *Quid promittit Deus* v. 12. INEBRIABO ANIMAM SACERDOTUM PINGUEDINE? R Animas opplendas esse, non corpus, sacculos: & impinguandas pinguedine, id est *Gratia sacerdotibus data.*

abundantia gratiarum, inquit Hugo. Accinit S. Hieron. additq;. Vnde & locus, in quo comprehensus est Dominus, vocatur Gethsemani, quod in lingua nostra vallem pinguedinis sonat. Eximiè sanè. Dominus ac Saluator noster abiturus, vt se ipsum in holocaustum Patri æterno offerret, prior hortum Gethsemani subiit oraturus. Cur hortum priùs, quàm alium locum subiit? hoc mysterio: Gethsemani idem est, ac pinguedinis vallis, à loci circumstantia, ejusq; significato, denotare voluit, quòd planctibus suum impinguauerit sacrificium; fudit enim preces permixtas abundantissimis lacrymis: vt æterno Patri eò gratiores essent, & ad nostram salutem, nostrarumq; culparum satisfactionem receptæ. Ob lacrymas inebriatur anima Sacerdotum pinguedine seu gratiâ. Joel 3. v. 17. dicitur: *Plorabunt inter vestibulum & altare Sacerdotes ministri Domini & dicent: Parce Domine, parce populo tuo.* Et quid deinde secutum? *zelatus est Dominus terram suam & pepercit populo suo.* Hugo. *zelatus est* id est, *amauit populum pœnitentem.* Meretur illud attentam hîc considerationem; quòd ad pietatem moueatur Deus, parata flagella suspendat in gratiam nos denuò recipiat, vberrimas in nos depluat benedictiones quando plangunt Sacerdotes, ac cum magno spiritûs feruore sua Deo nuncupant sacrificia. Tanti ponderis sunt & momenti Sacerdotum lacrymæ.

VII. *Quis est luctus & ploratus* v. 15? ℟ Jeremiam quidem alludere in nominibus Israel, Ephraim, Sion, terra Aquilonis, ad Babylonicam & Assyriacam captiuitatem, ejusque planctum: reuera tamen de ea non loqui, sed ad literam loqui de planctu matrum Bethlehemitarum, ob infanticidium Herodis: toto enim hoc capite agit de tempore & Ecclesia Christi. ita Theodor. Hugo, Lyran. Vatabl. & alij. imò S. Matth. c. 2. 18. Per Rachel, vtpote matrem, intelliguntur omnes Matronæ Bethlehem. Est Metonymia, qua per personam locus aut posteri significantur. Rachel enim mater fuit Benjamin, qui cum Juda fuit mixtus, adeoq; Orig. ait, Herodem infantes occidisse non tantùm ex tribu Juda, sed & Benjamin: & Rachel sepulta in Bethlehem, suo corpore eam quasi possedit, vt videretur esse magna mater omnium Bethlehemitarum.

VIII. *Quod nouum creauit Dominus super terram, & quomodo fœmina circumdabit virum* v. 22.? ℟ Nouum hoc est nouus homo, scil. homo Deus, ex noua virgine matre, noua generatione, scil. absq; viri semine, sola Spiritus Sancti creatione productus: q. d. fœmina, id est B. Virgo, circumdabit & vtero suo claudet virum, id est, Christum, qui cùm Deus sit, nullis locis aut terminis concludi potest. Verbum *circumdabit* apprimè virginitatem B. Virginis in conceptu explicat. q. d. Hæc fœmina fœtum, non à viro accipiet (erit enim virgo) sed intra se cœlitus datum claudet in modum circuli vndequaq; integri & perfecti, nulla vel minima scissione violati. Hac de causa Cant. 4. 11. vocatur ipsa *hortus conclusus, fons signatus*, Eamdem virginitatem colligunt aliqui apud Corn. à Lap. ex voce *nouum*. Si enim mulier circumdet virum, id est, masculum, non est nouum, sed quotidianum, Nouum autem est, quod virgo circumdet masculum. Sicut ergo nouum, quòd prima fœmina, scil. Eua, creata sit ex viro putà & costa Adami: ita & magis nouum est, quòd secundus Adam, id est Christus conceptus & creatus sit ex secunda fœmina & virgine Deipara. Itaq; sicut prima Virgo (Eua) formata est ex primo virgine (Adamo) ita vice versa secundus Virgo (Christus) formatus est ex secunda Virgine (B. Maria)

Virgo circumdabit virum.

CAPUT XXXII.

Obsessa jam vrbe Jeremias in carcere conclusus, jubetur à Deo emere agrum sui patruelis; vt hoc facto suis, qui captiui ituri erant in Babylonem, spem det, quòd inde redibunt ad suos agros rursum possidendos.

QUæstio I. *Quid in mentem venit patruelli Jeremiæ, vt agrum venderet,* aut cur à Jeremia cognato postulat, vt jure propinquitatis illum redimat, cùm neq; alienus emeret, cùm res Judaica jam penè in Chaldæorum esset potestate; neq; æquitas postularet aut ratio, vt quis agrum redimeret ab externo possessore, ex quo nullum esset fructum percepturus. Adde, quòd Leuitis agros habere non licebat Num. 18 v. 20? ℟ Quod attinet ad emptionem seu redemptionem agri, satis videtur esse factum, si dicamus, illam Dominum dedisse mentem Jeremiæ propinquo, vt illa emptione qua hieroglyphica futura Judæorum tempora euentusq; portenderet. Diuino autem afflatu hæc fuisse comparata ipse statim Jeremias ostendit v. 8. Intellexi, inquit, quòd verbum Domini esset. Quod ad agrum attinet, placet, quod Hieron. probat, licere sacerdotibus habere suburbanos, id est, olitorios hortos, ad pecorum pabula, & ad laxandos animos opportuna diuertula, in quibus credo habuisse domestica sepulchra. Num. 35. v. 2. Quemadmodum propinqui redimendæ cognatorum possessionis jus habeant, vide Leu. c. 25. v. 21.

II. *Quo sensu dicitur de Sedecia rege* v. 5. *Quod mansurus sit in Babylone, donec eum Deus visitet?* ℟ Jeremias ambiguum verbum adhibuit *visitare*, quod ex Hebræo, tam aduersum

sum aliquid, quàm secundum significat, ne regem offendat. Quo sensu verò hoc loco accipiendum sit, *visito*, paulò obscurius est. Certum est Sedeciam ærumnosam egisse vitam, in vinculis ad mortem vsq; Jer. c. 52. Mortuus tamen regio apparatu & funere elatus est, vt prædixerat Jer. c. 34. *Secundùm combustiones patrum tuorum Regum priorum, qui fuerunt ante te, sic comburent te: & va Domine plange te.* Vide hic c. 34. q. 1. Ex videtur, *visitare*, in mitiorem partem esse sumendum: nam si quamdiu vixit, ignominiosam egit, & miseram ætatem, sanè cum illo actum esse videtur clementer, cùm visitatus est a Deo, id est, vitâ functus. Quid enim regi è sua deturbato sede, cœco, ignobili, captiuo jucundum accidere poterat præter mortem? Sanè miseri mortem optant tamquam dolorum suorum leuamentum, & vitâ defungi in beneficijs numerant, V. 3. Reg. c. 19. v. 4 Job c. 3. v 20. Apoc. c. 9. v 6.

III. *Quomodo dicitur* v. 20. *DEUS posuisse signa & portenta in terra Ægypti vsq; ad diem hanc?* R. Memoria portentorum, quæ fecit DEus in Ægypto, perdurat. Ita Lyran. imò & eorum vestigia, ita tradit Orosius l. 1. c. 10. in maris rubri fundo etiamnum apparere orbitas rotarum curruum Pharaonis in eo submersi. 2dò S Hieron. explicat, q. d. vsq; ad diem hanc durat continuatio miraculorum ejus, quando per Iosue, Eliam, Elisæum & alios miracula pergit edere pro Judæis contra eorum hostes, vt antiqua Mosis portenta videatur identidem renouare. 3tiò Quasi diceret, habemus hodie signa & monumenta, quæ portentorum Ægypti recentem conseruant memoriam, scil. agnum paschalem, azyma, scenopegiam, manna in vrna &c. ita Maldon. Sanchez.

CAPUT XXXIII.

Pergit promittere reditum è captiuitate in Judæam per Zorobabel, ac deinde per Christum reditum ad salutem & omne bonum.

QUæstio I *Cur jubetur Jeremias clamare ad DEum* v. 3.? R. non ad impediendum excidium Jerusalem, jam enim à DEO absolutè decretum erat, sed ad impetrandum reditum è captiuitate Hunc enim licet decreuerit DEus, decreuit tamen illum non concedere, nisi rogatus per preces Jeremiæ, Danielis, Ezechielis & aliorum Proinde monet, vt pro eo oret, imò clamet, promittit enim, quòd eum sit exauditurus ita S. Thom.

II *Quare dicit DEus* AD MUNITIONES ET AD GLADIUM v 4.? R Hierosolymitæ, cùm à Chaldæis obsiderentur, subuerterunt domos suas, vt munitiones bellicas in ijs erigerent contra Chaldæos: multi etiam ex omni Judæa venerunt in Jerusalem cum gladijs & armis, vt eam defenderent, factumq; est, dum resistere volunt, vt plures eorum telis & armis Chaldæorum caderent, & domus dirutæ cadaueribus, non hostium, sed Judæorum, Deo vlciscente, implerentur. Hoc est, quod hic dicit propheta. ita Chald. LXX & Vatab dicuntur hìc domus destructæ, quia ex vsu Scripturæ id factum dicitur, quod propè est vt fiat, aut quod certissimè futurum est: juxta quod Hebræorum idioma dixit Christus Matth. 9. de filia Archisynagogi, quæ verè jam erat mortua, *non est mortua puella, sed dormit*, quia proximè è mortuis erat excitanda. Sic ergo nunc destructæ dicuntur domus vrbis & regiæ, quia jam jam instabat illorum excidium.

III. *Quod est germen Dauid* v. 15? R. est Christus, quia secundùm carnem ex regia Dauidis stirpe natus: qui etiam alijs in locis, etiam secundum humanitatem, radix dicitur, Dauid s. *Germen Dauidis.*

IV. *Quo sensu accipienda sunt verba* v 17. NON INTERIBIT DE DAUID VIR, QUI SEDEAT SUPER THRONUM DOMUS ISRAEL? R. De temporali regno Judæorum exponi non possunt, cùm istud posteris Dauidis post Zorobabelem, & omnibus Judæis post excidium vrbis per Titum ereptum constet Ergo per virum hunc intelligendus est Christus, qui per se, perq; vicarios suos regnabit in domo Dauid, id est, reget Ecclesiam in sempiternum. ita SS. PP. & Doctores. Simili modo v. 18. *De sacerdotibus non interibit vir, qui incendat sacrificium.* Est catachresis, alludens ad ritus antiquæ legis, vbi occisæ victimæ cremabantur. Sed hic intelligi vult Sanctissimam Eucharistiam, antitypon & complementum omnium veterum sacrificiorum, in qua Christus metaphorico charitatis igne, quasi succenditur, cæditur, absumitur. Et hoc sacrificium durabit vsq; ad finem mundi. ita S. Hyppolitus Martyr, & alij Patres.

CAPUT XXXIV.

Prædicit Jeremias regi Sedeciæ Jerosolymam à Chaldæis obsessam, tradendam in manus eorum. Quo audito Sedecias, vt DEum placaret, populum excitat ad legem DEi seruandam, seruosq; & ancillas libertate donandas, vt septimo quoq; anno faciendum Exod. 21. v. 2. lex præscribit. Populus legis auctis obsequitur: & ecce mox solutur obsidio, Chaldæis

aduer-

aduersus Ægyptios in auxilium Iudæorum Ier. 37. v. 4. accurrentes castra mouentibus. Iudæi metu jam liberi, & auaritia exstimulati, seruos quos dimiserant, in seruitutem retrahunt. Unde & Jeremias reditum quoq; Chaldæorum prædicit, omnemq; Iudæam ferro & igne per eos exscindendam.

QUæstio I. *Quo sensu dicitur de Sedecia* v. 5. IN PACE MORIERIS? R. Pacifica seu naturali morte, non violenta. Testantur enim Hebræi in sua chronologia, quam vocant Seder-olam, id est, historiam sæculi, vbi & planctum ei exhibitum commemorant, nempe, *heu mortuus est rex Sedecias, bibens fæces omnium atauum*, id est, luens peccata priorum sæculorũ, ut Genebrardus ibidem exponit. Et hoc prædicit hîc Jeremias, cùm ait: *Ve Domine plangent te.* Quin & magnificâ pompâ sepeliendum prædicit, licet in carcere Babylonico exstinctum: *Secundùm combustionem patrum tuorum*, id est, eo ritu & apparatu, quo solent reges antecessores, & parentes tuos, etiam *te comburent*, vel vt alij ex Hebræo, vertunt, *tibi comburent*, supple aromata & vnguenta. Neq; enim solebant corpora flammis absumere Judæi, sed cadaueri lecto argenteo vel ferreo superposito, aromata & vnguenta partim injiciebant, partim apponebant, quæ mox flammis absumebant cadauere ex parte afflato & adusto. Ita regi Asa factum testatur Scriptura cùm ait 2. Paral. 16. v. vlt. & c. 21. 19. *Posuerunt eum super lectum suum plenum aromatibus & vnguentis, & combusserunt super eum ambitione nimia.* Ita Hugo, Lyran. Vatab. Sanchez, à Lap.

II. *Quo sensu dicitur* v. 17. PRÆDICO VOBIS LIBERTATEM? R. Ironico, q. d. Vos liberos demisistis seruos libertati suæ, sed eam reuocastis & violastis; hinc ego vos manu mittam, vt non sitis ampliùs serui mei, sitisq; liberi, non vt eatis quò vultis; sed deserens vos & hostibus exponens, permittam, vt abeatis in gladium, pestem & famem, vtq; hæc, quasi noui heri dominiq; vestri liberè in vos grassentur. ita S. Thom.

III. *Quid denotent verba* v. 18. NON OBSERUAUERUNT VITULUM, QUEM CONCIDERUNT? R. Non obseruarunt pactum mecum initum, hîc v. 8. quod concisione vituli confirmarant, recepto omnium gentium more. quæ vitulum mactando, & in duas partes dissecando ac per medium transeundo Gen. 15. v. 10. & Exodi 24. v. 8 censebantur hoc ritu similem sibi mortem ac dissectionem imprecari, si fœdus violassent. ita S. Thom. Lyran. Dionys. & Vatab.

IV. *Quid significat verbum* PRÆCIPIO v. 22. Chaldæis, vt ad obsidionem redeant? R. Præcipio, id est, permitto, ordino, dirigo, vt redeant ad excidium Jerosolymæ. Sic Deus hîc præcepit, id est, imò ordinauit omnia v. g. fortunando res Chaldæorum, dando eis facilem & celerem victoriam contra Ægyptios, addendo eis vires & animos, objiciendo menti eorum Jerosolymæ tot annis obsessæ & exhaustæ expugnationem fore facilem &c. quibus omnibus effectum est, vt Chaldæi sponte sua redirent ad eam obsidendam, & expugnandam, quod Deus in tota hac serie prouidentiæ & ordinationis suæ intendebat. Hinc 2dò præcepit, id est, hunc Chaldæorum reditum ordinauit, & direxit ad justam suam vindictam, vt scilicet hac ratione per eos puniret & plecteret impios & fœdifragos Judæos. Sic Deus dicitur præcepisse coruis, vt alerent Eliam, id est, ordinasse & dedisse eis instinctum afferendi panem ad Eliam. Sic Deus dicitur præcepisse, id est, directè permisisse, maledictionem Semei, eamq; ordinasse ad punitionem adulterij & homicidij Dauidis. Justa ergo & congrua pœna Judæorum fuit, vt, sicut ipsi contra legem seruos reuocarant in seruitutem, ità viciſſim Deus reuocaret Chaldæos ad eorum obsidionem & vastationem.

CAPUT XXXV.

Exemplo obedientiæ Rechabitarum, arguit Iudæorum inobedientiam, atq; his pœnam, scilicet captiuitatem: illis præmium, scilicet posteritatem perpetuam & suum patrocinium promittit.

Rechabitæ QUæstio I. *Qui erant Rechabitæ?* R. Erant origine Madianitæ, *Cinæi* olim vocati, ab Jethro socero Moysis, alio nomine Cinæo dicto, vtpote de stirpe *Cin* oriundo: sed inserti Judæis, legi Judaicæ perpetuò religiosissimè adhæserunt: posteaq; à *Rechab* viro præ cæteris illustri, parente Jonadab socio regis Jehu 4. Reg. 10. v. 23. Rechabitæ dici cœperunt.

Exedræ. II. *Quæ erant exedræ?* R. exedræ sic dictæ à *sessione*, erant cubicula seu cellæ in appendicibus templi constructæ, vbi Sacerdotes & Leuitæ sedere ac quiescere poterant, vt nunc Canonici in subsellijs chori. In ijsdem asseruabatur quoq; supellex & thesauri templi; vnde v. 4 exedra vocatur *gazophylacium*, & hoc multiplex erat, vnum *gazophylacium principum*, in quo dona à principibus oblata, vtpote pretiosa, seorsim asseruabantur: alterum populi. Tertium Gentilium. Et erant hæc ipsa quoq; multiplicia, & varij varijs gazophylacijs

lacijs præpositi: vnde vnum vocatur hic thesaurus; hebraicè *gazophylacium Massæ*; alterum *gazophylacium Filiorum Hanan, filij hominis Dei*, id est, filij prophetæ, vt Chaldæus vertit cum Vatablo & Lyrano.

III. *Quo sensu dicitur* v. 6. PATER PRÆCEPIT NOBIS? R. Regulam viuendi nobis præscripsit. Neq; enim in rigore præceptum fuit, quale in re tam graui non possunt parentes filijs imponere, v. g. de religione ineunda, de vita cælibe agenda, de perpetua abstinentia. Fuit ergo hoc consilium, sed valde religiosum & sanctum, & in lege imperfecta valde laudabile. Quid ni ergo etiam laudabilis obedientia, quæ prælatis Ecclesiæ similia subinde præcipientibus à populo Catholico exhibetur. inquit S. Hieron.

IV. *Quo sensu dicitur, Non defecturus de stirpe Rechab stans in conspectu DEI* v. 19.? R. Ipsa Rechabitarum pia vita & obseruantia, & quasi Nazaræatus, vocatur hîc statio, siue ministerium Domini; ipsi enim æquè vt Nazaræi vino abstinebant. Sicut ergo Nazaræi olim, & nunc religiosi dicuntur stare coram DEo illiq; ministrare: ita idem dici poterat de Rechabitis. Duo ergo hîc eis promittit Deus, imò quòd eorum stirps non deficiet 2dò, quòd posteri eorum in pia ista patrum obseruantia perstabunt, ideoq; DEo cordi & curæ erunt, imò quasi familiares amici in conspectu ejus jugiter cum eo versabuntur.

CAPUT XXXVI.

Jeremias dictat Baruch librum suorum oraculorum & minarum, jubetq; vt eum in templo coram omni populo legat. Rex Joakim librum comburit, & Ieremiam cum Baruch occidi jubet: fugit Ieremias, & mox jussu DEi secundum librum minaciorem conscribit.

QUæstio I. *Quem diem jejunij intelligit* v. 6? R. Jejunium antonomasticè, pro eo sumitur, quod celebratur ab Hebræis ad diem decimum mensis Tisri, qui apud Latinos September est, quod jejunij vocatur expiationis, de quo Leu. 23. v. 27. Dixi per antonomasiam hoc jejunium appellari, quia omnium antiquissimum, quia indictum à DEo in expiationem adorati vituli, quia in eo nihil seruile fieri poterat, neq; parari cibi, quod alijs festis præter sabbata concessum non est. Deinde quia seueriſſimè injunctum, *omnu anima, qua afflicta non fuerit die hac* (id est, qui non jejunauerit) *peribit de populo suo, & quæ operis quidquam fecerit, delebo eam de populo suo.* Non tamen, credit Sanchez, de hoc expiationis jejunio sermonem esse, sed de illo, quod in mensem nonum incidit, de quo v. 9. *Jejunium antonomasticè pro jejunio expiationis.*

II. *Quis est sensus verborum* v. 7. *Si fortè cadat oratio eorum in conspectu Domini*? R. Si fortè ipsi, proposita periculi magnitudine, deterriti procumbent ante Dominum suorum peccatorum veniam precantes. Huic affinis est alius Hebræorum dicendi modus, qui preces ante alicujus conspectum cadere significat, nempe preces prosternere, quo vsus est Jer. c. 38. v. 26. & Dan. c. 9. v. 18. & 20.

III. *Quomodo dicitur Deus abscondisse Jeremiam & Baruch* v. 26? R. Non puto, à Deo in alium locum esse translatos, in quem non essent regij satellites ingressi, sed non permisisse Deum, vt exploratores illi in prophetas incurrerent. Sicut de Christo Joa 8. & 12. dicitur, quòd abscondit se, quod, vt dicit Euthymius & Theophil. in c. 8. Joannis, non fecit in aliquem alium locum secedendo. Sic autem Theophylactus: non in angulum templi se conjecit, neq; in domunculam quamdam fugit, neq; post parietem, sed sua magna potestate inuisibilem se fecit insidiatoribus, quamuis per medium illorum exiuit. Et licet satis videatur factum esse literæ, si dicamus, illos in alium locum aufugisse; tamen magis est ad textum superior expositio, quæ id totum videtur adscribere diuinæ prouidentiæ, & ab humana remouere solertia.

IV. *Cur ex genere Joacim dicatur v. 30. nullus fore in solio Dauid*, id est, regnaturus in Jerusalem, cùm simul atq; è regio solio cecidit Joacim, statim ejus loco succesſerit Jechonias illius filius, qui & Joachin, & post exilium Babylonicum ex ejus stirpe in vrbem cum imperio redierit Dux Zorobabel. De Joachin seu Jechonia prompta est ratio: nam quemadmodum, cùm in principio diceret Jeremias, quorum Regum temporibus prophetauerit, non meminit Joachin, quia cùm tribus tantum regnauerit mensibus, exiguum illud spatium perinde habitum est, atq; si nullum esset; sic etiam hic nec regnasse dicitur idem, seu succesſisse in solio Dauid, quia tres menses, iidemq; à metu, ac perturbatione non vacui, non videntur regium alicui nomen dare potuisse. De Zorobabele & posteris dici etiam potest, numquam tenuisse Dauidis solium, quia neq; post excisam ciuitatem ex udæorum gente regium nomen auditum est; neq; qui sub alio nomine in ea gente dominati sunt, ex stirpe fuerunt Joacim, quia illi non solum duces, sed etiam sacerdotes fuerunt. Sanè Mathathias l. 1. Machab c. 2. de stirpe fuit Leui, id est, familia Joarib, quæ inter 24. familias posterorum Aaronis prima exiit 1. Paral. c. 24.

CAPUT XXXVII.

Jeremias Sedeciæ consulenti & roganti, vt pro se & vrbe oret, prophetat Nabuchodonosorem, qui à Jerusalem recesserat pugnaturus contra Pharaonem, reuersurum, & Jerusalem combusturum. Hinc quasi transfugere vellet ad Chaldæos, capitur & in tetrum locum conjicitur, sed deprecans Sedeciam, ab eo commodiorem custodiam, & quotidianam annonam impetrat.

QUæstio I. *Quid est*, NOLITE DECIPERE ANIMAS VESTRAS v. 9.? ℟ Nolite vobis ipsis imponere *dicentes*: euntes *abibunt Chaldæi*, id est, omnino & ex integro abibunt, non iterum reuersuri. Quin & adeo fixum Deo est Jerosolymam exscindere, vt, licet Chaldæi vel ab Ægyptijs, vel à vobis cæderentur, ita vt vix pauci cædem euaderent, ij grauiter saucij, Deus tamen vel per hos paucos, vniuersa vestra agmina prosterneret ac contereret, vrbemq; vestram absumeret. Ita Sanchez.

II. *Cum quo voluit Jeremias diuidere possessionem*? ℟ Non cum filijs suis, vt vult Chaldæus, nullos enim liberos habuit, sed virgo permansit: sed cum fratribus alijsq; propinquis suis. Et hanc forte prætexuit causam fugæ suæ ex vrbe adeo sibi infestæ & mox peritura, ita ferè S. Thom. Lyran. & Dionys.

Carcer domus laci. III. *Cur Carcer dicitur* domus laci v. 15. ℟ quia profundus erat & tenebricosus ac cœnosus, ideo vocari poterat lacus vel fouea. Sic Joseph Sap. 10. v. 13. dicitur *descendisse in foueam*, & Daniel c. 6. projectus in lacum leonum. A Christo vocatur carcer tenebræ exteriores Matt. 25. v. 30. id est, locus extremè tenebricosus. Hìc quoq; vocatur *ergastulum*, id est, operatorius locus, quia in carcere cogebantur, vt plurimùm vincti, maximè si serui essent, molere, pinsere, vel alijs modis operari. Porrò hanc foueam seu lacum Jeremiæ multis pòst sæculis insigni templo à Constantino Imp. exornatum fuisse, scribit Nicephorus l. 8. c. 30. Est hæc tertia Jeremiæ incarceratio. 1ma citatur c. 20. v. 2. Altera c. 32. v. 3. & c. 36. v. 3. Tertia hìc & c. 32. v. 3.

CAPUT XXXVIII.

Ex atrio carceris Jeremias hortatur omnem populum, vt se vltrò dedat Chaldæis, & idcirco in lacum limosum conjicitur à Principibus: sed mox ab Abdemelech Æthiope, conniuente Rege inde extrahitur; suadetq; Sedeciæ, vt se tradat Chaldæis; aliam nullam salutis viam vel spem superesse.

QUæstio I. *Quomodo dicitur Jeremias descendisse in cœnum?* ℟ Hebraicè est, *demersus est*, in puteum cœnosum, vt exponit Josephus l. 10. Antiq. c. 10, additq; collotenus immersum cœno, vt præfocatus moreretur. Erant hi putei vel cisternæ ad colligendam aquam, seu scaturientem seu pluuialem, frequentes in Judæa, & horum nonnullis vtebantur ad reorum supplicium, vt eos pædore, tabe & fame conficerent. Supernè enim patentes excipiebant pluuiam, quæ mixta terræ in fundo laci, lutum procreabat, eratq; species aliqua barathri vel inferni. ita Sanchez & Abul.

II. *Quid concludendum ex v. 17. & 18. Non capiendum Sedeciam, si vltrò se dediderit*? ℟ Deum certò prænosse omnia futura, non solùm absoluta, sed & conditiona etiam quæ defìciente conditione numquam euentura sint, sed euenirent, si talis conditio poneretur, vt fusè docet Molina, Vasquez, Lessius & alij Theologi.

CAPUT XXXIX.

Capitur Jerusalem à Chaldæis: fugit Sedecias Rex; sed è fuga retractus, videt filios suos coram se jugulari: ipse excæcatur, & vinctus Babylonem abducitur: proceres Judæorum occiduntur: Jeremias liberatur, & à Chaldæis benignè habetur: Abdemelech Æthiopi incolumitas conceditur.

Loqui judicia. QUæstio I. *Quid est* v. 5. *Locutus est ad eum* (Sedeciam Nabuchodonosor) *judicia*? ℟ Loqui judicia nihil est aliud, quàm disceptare regiam causam, & quid illorum quilibet commeruerit, expendi. Quid acceperit Sedecias à Chaldæorum rege, quid ipse contra rependere, etiamsi nullum intercessisset fœdus aut jusjurandum, debuerit. Multa objici poterant fœdifrago regi, quæ illum arguerent violatæ religionis, & fi-

dei-

dei, & capitis reum esse conuincerent, sed illud, credo, non fuisse tacitum, quòd assumpto Sedecias nomine Dei in juramenti fidem testis & arbitri extare voluit familiare documentum. Cùm enim Mathanias diceretur, vt constat l. 4. Reg. c. 24. cum regno à Nabuchodonosor nouum nomen accepit: ex eo namq; tempore appellari cœpit Sedecias. Cujus nominis ea ratio fuit, vt cum Hebræis putat Lyranus, quia cum in fœdere pangendo juramentum interposuisset Mathanias, qui postea Sedecias, vt justitiam, quam, teste & vindice Deo, sanctam & integram tueretur, Sedeciæ illi nomen imposuit, quod Dei justitiam secum importat: quasi futurus esset injurius non regi solùm, sed etiam Deo, cujus nomen contempsisse videri poterat. *Sedecias suo se nomine condemnat.*

II. *Quid de excæcatione Sedeciæ tenendum?* ℟ Statuerat Nabuchodonosor eruendos esse oculos Sedeciæ, non tamen illos priùs effodit, quàm liberi forent ante paternos oculos occisi, vt non tam ex luce, cœliq; conspectu voluptatem, quàm ex crudeli filiorum nece dolorem haurirent, vbi verò patris oculos acerbo filiorum spectaculo pupugit, statim non magis crudeliter & stylo aut alio quouis ad opus illud idoneo instrumento oculos exculpsit. Dignum sanè supplicium, vt qui cæcis semper abduceretur consilijs, & ad cæcorum similitudinem, illorum se ductui regendum commiserit, à quibus in cœno demersus, aut in lubrico vel præcipiti loco relictus est. Hæc itaq; injuria, siue plaga, quæ Regio corpori inflicta est, tanto posteris dolori, atq; ignominiæ fuit, vt indicto quotannis publico jejunio censuerint communi fletu deformatam regis faciem esse deplorandam: vt enim ex Hebræorum Kalendario constat, in mense Marcheshuan, qui nobis est October, ad diem sextum jejunium indicitur, ob excæcatum Sedeciam. *Sedeciæ excæcatio.* *Jejunium indictum à Judæis pro excæcatione Sedeciæ.*

III. *Quomodo hi. Jeremias dicit Sedeciam abductum fuisse in Babylonem*, cùm tamen Ezechiel c. 12. v. 13. affirmet, non videndam à Sedecia Babylonem, vnde etiam Rex (vt tradit Josephus l. 10. Antiquit. c. 11.) quia hæc duo conciliare non poterat, vanum putant vtrumq; vaticinium? ℟. Reuera compleuit Deus, quod vterq; prædixerat propheta: nam in Babylonem deductus est Sedecias, Regesq; vidit in Reblatha, quod à Jeremia priùs audierat, neq; tamen vidit Babylonem, quod affirmat Ezechiel, quia eò ingressus non est, nisi captus oculis.

IV. *Quid est, ponere oculos suos super aliquem?* ℟ Phrasis est hebraica, quæ singularem curam de aliquo atq; studium significat, sicut supra c. 24. v. 6. dicitur: *ponam oculos meos super eos* & ps 33. *Oculi Domini super justum.* Jubet ergo Rex militum præfecto, videat diligenter, nequid Jeremiæ accidat mali, &, vt de se, vt volet, statuat, integram illi potestatem permittat.

CAPUT XL.

Princeps militiæ cibarijs; hebraicè viatico & munusculis recreat Jeremiam, & optionem illi dat habitandi quocumq; voluerit loco. is patriam præferens deligit cum reliquijs Judæorum remanere in Judæa sub Godolia. Godoliæ struuntur & nuntiantur insidiæ, sed hic nuntiantibus fidem non habet.

QUæstio I. *Quomodo hic dicitur verbum à Domino factum Jeremiæ*, cùm neq; in hoc, neq; in sequenti capite, verbum vllum à Domino oblatum videatur esse prophetæ? ℟ Post longam duorum capitum parenthesim, vaticinium illud ponitur, quod nunc oblatum esse traditur Jeremiæ nempe c. 42. v. 11. *Si quiescentes manseritis* &c. Et iteratum est eodem cap. v. 9. quod hic in principio legitur, dum dicitur: *factum est verbum Domini ad Jeremiam*, multi putant hunc esse titulum libri in quo continentur omnia, quæ post excisam vrbem, captiuumq; populum Jeremias vaticinatus est: sed antequam vaticinium vllum proposuisset, præmisisse existimatur historiam, quæ futura fuerat omnium miraculorum siue materia, siue fundamentum.

II. *Quomodo dicit Nabuzaradan ad Jeremiam* v. 5 MECUM NOLI VENIRE, *cùm ei dixerit* v. 4. SI PLACET TIBI, VT VENIAS MECUM IN BABYLONEM, VENI? ℟ Maldonatus putat, Jeremiam nullam dedisse animi sui significationem, sed hæsisse aliquantulum cogitabundum: tunc verò suspicatum esse Nabusardan ex cunctatione & silentio malle ipsum in patria manere, quam mutare solum, & inter Judaici nominis hostes habitare; quare ad ejus vota magis, quam ad verba respondens ait: ne secum veniat, sed potiùs maneat apud Godoliam.

III. *Cur Godolias cum potestate relictus?* ℟ Hortante Jeremia ex vrbe ad Chaldæorum castra confugerat, cujus opera inutilis non fuisset Chaldæis, cùm rerum, locorumq; peritus, adjumento magno peregrinis hostibus esse potuerit. Quæ res ita demeruit Nabuchodonosoris, & militiæ Principis animum, vt propter merita Principem constituerent, & quasi parentem illorum, qui ab ipsis in patrijs sedibus essent relicti, & qui ex varijs locis ad quæ durante bello dilapsi fuerant, in vrbem recedente hoste, demigraturi credebantur, quæ res intempestiuæ mortis causa fuit. *Godolias cur cum potestate relictus.*

IV. *Quid est*, NE INTERFICIAT ANIMAM MEAM v. 15.? R. Hominem per animam circumscribi, Hebraico idiomate, res est satis explorata & certa. Vnde *anima mea*, idem est, quod *ego*, animæ jumentorum idem est, quod jumenta. Quare percutere aut interficere alicujus animam, nihil est aliud, quàm hominem percutere vel occidere. Deut. c. 19. *Percutiat animam ejus, qui non est reus mortis.*

CAPUT XLI.

Ismahel dolo occidit Godoliam, eiq; adhærentes Judæos ac Chaldæos, populum reliquum vrbis Masphath captiuum trahens in Ammonitidem: sed insecutus Johanan fundit fugatq; Ismahelem, & captiuos liberat. Veritus autem ne Chaldæi necem Godoliæ vlturi adcurrant, cogitat cum reliquis Judæis fugam in Ægyptum.

QUæstio I. *Quomodo v. 3. tot viri à paucis interfecti fuerunt*, & quomodo ita secretò cædes peracta, vt ejus fama tamdiu ad proxima ciuitati loca non permanârit? R. Cùm licet non magno numero, armati venerint, tempusq; captauerint opportunum, in quo alij tametsi plures, securi forent & inermes, non mirum si à paucioribus strages illa grandis edita fuerit. Adde, quòd repentino & miserando casu perturbantur animi, neq; in subita consternatione consilium aliquod opportunum occurrit. Cùm autem alij & instructi ad bellum, & meditatò rem essent aggressi, nihil mirum, si quod tentarunt facinus, ex voto successerit. Nam & nos à paucis capi ac diripi ciuitates videmus, quia pauci vigilantes, armatiq; ciuitatem inuadunt, plures alij imparati ac perturbati resistunt Multò sanè difficilius erat, à duobus filijs Jacob Simeon & Leui viros omnes in vna ciuitate perimi, & à reliquis filijs Jacob quidquid erat paruulorum & fœminarum in prædam agi. Quod posterius concernit, si altero die à cæde Godoliæ 80. viri venerunt in Masphath, non est difficile creditu, licet tanta fuisset cædes, vno die occultari potuisse: imò neq; dies intercessit integer, cùm multo jam die, imò nocturno tempore, vt Josephus tradit, patrata fuerit communis illa cædes. Multò sanè difficilius erat Palæstinæ proximas vastari ciuitates plurimas à Dauid, neq; id ad aures Palæstinæ Reges peruenisse 1. Reg. c. 27. Porrò tanto dolori fuit Judæis optimi ducis Godoliæ cædes, vt præterea indictum fuerit commune jejunium, vt liquet ex Hebræorum Calendario in mense Tisri, qui nobis est September ad diem tertium.

II. *Quomodo 80. hi viri munera & thus attulerunt*, vt offerrent in domo Domini, cùm eo tempore funditus esset excisa? R. Verosimile est in loco illo, quem Deus templo olim erigendo & pòst iterum instaurando delegerat, altare aliquod, jussu Godoliæ excitatum fuisse inter rudera templi, vbi victimæ offerri possent DEo. Patet ex Baruch 1. v. 10. vbi Judæi Babylone pecunias mittunt Jerosolymam, vt ijs victimæ còemantur offerendæ DEo. Sic pòst excidium Titi quotannis Jerosolymam aduolabant Judæi, vt lugerent vrbis & templi vastationem, inquit S. Hieron.

CAPUT XLII.

Occiso Godolia, Johanan alijq; principes timentes ne Chaldæi vlciscantur necem Godoliæ, consulunt DEum per Ieremiam, an in Ægyptum fugere, an in Judæa manere debeant? Ieremias respondet, vt maneant in Judæa, & obediant Chaldæis: ita saluos fore, si enim fugiant in Ægyptum, ibi interituros Chaldæorum gladio, fame & peste.

QUæstio I. *Quid est ponere faciem suam* v. 15.? R. Est Hebraismus, quo significatur animus in aliquam curam & consilium intentus. Est autem hic dicendi modus in Scriptura frequens, qui obstirmatum animum seu consilium indicat, quod etiam per alia verba explicari solet, qualia sunt *obstirmare faciem* seu *dirigere:* fieri etenim plerumq; assolet, vt qui alicui operi vehementer studeant, in illud omnino ferantur, & oculis animisq; defixis, illud spectent vnum, & quasi ad reliqua cœci nihil præterea vident.

II. *Quo sensu dicitur* v. 10. ÆDIFICABO VOS, PLANTABO? R. Comparat Judæos metaphoricè domui, id est, familiæ in Judæa quasi in suo loco extructæ, cujus fundamentum est Abraham & Jacob; parietes sunt variæ familiæ ex varijs lapidibus, id est, filijs coagmentati, & in altum surgentes. Ædò comparat eos horto, in quo pulchræ arbores, id est filij, sunt consiti. Utramq; metaphoram sequitur Apostolus 1. Cor. 3. v. 9. *DEI agricultura estis, DEI ædificatio estis*. Utraq; significatur firmitas synagogæ & Ecclesiæ solidè fundatæ & radicatæ, tum ejusdem incrementum, & propagatio, vt quasi basilica in altum ædificetur, & quasi arbor in frondes & fructus luxuriet, fiatq; quasi ingens sylua.

III. *Quo sensu dicitur*, CONFLATUS EST FUROR MEUS v. 18.? R. idem est, ac effusus est.

est. Est metaphora à metallis, quæ dum conflantur & liqueſcunt, magno impetu inſtar torrentis ignei erumpunt & effunduntur, q. d. Sicut ſubitò furore meo inſtar ferri aut plumbi liquati ebruti ſunt & adusti ciues Jeruſalem; ita vos eodem obruemini in Ægypto.

IV. *Cur ita DEus vetuit Judæos ire in Ægyptum,* cùm tamen eos permiſerit duci in Babylonem? R. Quia Ægyptij idolis multiplicibus colendis deditiſſimi, facilè pronos Judæos ad eadem colenda, moresq; ſuos erant conuerſuri, vti ſanè illico conuerterunt, vt patet c. 44. v. 19. 25. Melius enim erat Judæis ferreis vinculis conſtringi in Babylone, quàm in Ægypto idolis addici.

CAPUT XLIII.

Judæi DEo & Jeremiæ inobedientes, ac Jeremiam mendacij arguentes contra fidem DEo datam perjuri fugiunt, jecumq; Jeremiam pertrahunt in Ægyptum, qui ibi in Taphnis Ægypti vnaq; Judæorum excidium prædicit per Nabuchodonoſorem.

Quæſtio I. *Unde orta ſiniſtra ſuſpicio Judæorum contra Baruch* v. 3.? R. Quia ſciebant eum non minùs, quàm Jeremiam charum eſſe Chaldæis, ac proinde ab illis in communi vrbis excidio dimiſſum liberum benigneq; habitum. Quin & audacior ipſis atq; animoſior videbatur Baruch præ Jeremia, quòd auſus fuiſſet coram principibus totoq; populo minaces illas prophetias c. 36 v. 6. prælegere, Jeremia id non audente. Et hæc cauſa eſt, cur hîc fingant Jeremiam à Baruch incitari & animari.

II. *Cur jubetur Jeremias abſcondere lapides grandes in crypta ſub muro palatij Pharaonis* v. 9.? R. Quia verbis à veſano conſilio deterriti non ſunt, loquitur eis rebus & ſignis, quæ & percipi magis, ac diutiùs ab omnibus, & altiùs infigi mentibus ſolent, vt irati pectoris minas denuntiet, & oſtendat nihilò tutiùs in Ægypto futuros à Chaldæorum armis, quàm fuiſſent in Jeroſolymæ reliquijs, mandat, vt lapides aſſumat grandes, quales in magnorum operum fundamentis jaci à cæmentarijs ſolent, eósq; abſcondat in loco maximè illuſtri atq; frequenti prope regiam domum, qui futuri ſunt fundamentum & ſedes ejus throni, quem ſibi Chaldæus jam Ægyptiorum Dominus excitaturus eſt: vt inde diſcant increduli Judæi, quàm ſibi parum ſit vſui futura inauſpicata illa & à DEo damnata commigratio. Hoc planè eſt euerrere Ægyptiorum, ac Judæorum domos & Chaldæorum extruere. Quod ſæpe propheta dixerat: *vt ædifices & deſtruas.*

III. *Quis eſt ſenſus* v. 12. AMICIETUR TERRA ÆGYPTI? R. Vox *terra* non eſt nominatiui caſus, q. d. Terra Ægypti amicietur & vallabitur munitionibus ſuis, vt vult Hugo; aut militibus Nabuchodonoſor, vt vult Lyran. ſed eſt ablatiui caſus. Senſus ergo eſt, q. d. Nabuchodonoſor veſtiet ſe omnibus ſpolijs & opibus Ægypti, ſicut paſtor cùm educit oues ad pabulum in pluuia & frigore, ſe veſtit pallio ſuo, præter quod non habet alias opes, aut veſtes, ſed ſecum portat tectumq; laremq; quod Scythis ait Virg. q. d. Pari modo ex Ægypto egredietur Nabuchodonoſor ſpolijs onuſtus; opesq; omnes abducet.

CAPUT XLIV.

Pergit prædicere excidium Ægypti, & Iudæorum, qui eò confugerant: quos monet, ne ſaltem colant idola Ægyptiorum. Sed hi DEo & Prophetæ obſtrepentes, aſſerunt, ſe non minùs in Ægypto, quàm in Iudæa reginam cœli culturos. Hinc omnibus ſimul cum Pharaone famem, gladium, & excidium intentat. Eſtq; hæc vltima Ieremiæ prophetia.

Quæſtio I. *Quæ ſunt regiones Jeruſalem* v. 9.? R. Veteres diuidebant vrbes in partes vel vicos majores, quæ regiones vocabantur. Ita Roma ab olim in regiones varias (putà à Romulo in tres, ſcilicet Capitolij Palatini & Cœlij montium; à Trajano in 14; & totidem etiamnum numerantur) fuit diuiſa & diſtributa, quarum ſingulæ habebant, & etiamnùm habent ſuum caput ſiue Præfectum, cujus magna eſt auctoritas & poteſtas in interregno, mortuo pontifice. Hujus enim munus eſt ſuam regionem à tumultu, cædibus, furtis omniq; ſcelere tueri, ideoq; habet jus gladij & necis. ita Corn à Lap. *Regiones Ieruſalem*

II. *Cur Ægyptij colebant lunam vt Deam?* R. Quia influit, & dominatur rebus ſublunaribus, hinc illam velut earum reginam colebant. Hinc vetus fuit Ægyptiorum & Chaldæorum error, fatum ex ſiderum curſu ac diſpoſitione conſtitui. Hinc Orpheus in hymno aſtrorum, ſtellas vocat *fatales fatorum omnium indices.*

III. *Quis fuit Pharao Ephree* v. 30.? R. à LXX. vocatur *Vaſres*, ab Herodoto *Apries*, qui addit eum fuiſſe filium *Pſammis*, filij *Necbæo*, qui occidit Joſiam regem Juda 4. Reg. 23. v. 29. Clemens Alexand. dicit anno 2. Apries captam fuiſſe à Nabuchodonoſore Jeroſolymam. & Corn. a Lap. vult hunc poſtremum fuiſſe, qui nomen geſſerit *Pharaonum.* Nam Amaſis, *Pharao Ephree.*

qui à Nabuchodonosore illi suffectus est, nusquam Pharao vocatur, fortè quòd tantùm Vasallus esset Chaldæorum vt opinatur Genebr. Porrò hunc Apriem tradit Herodotus & Diodorus ab Amasi captum & suis hostibus traditum ad strangulationem. Quòd si per hostes Nabuchodonosorem intelligant, facilè concesserim: nam ab hoc illum occisum constat, tum ex hoc Jeremiæ loco, tum ex Ezechiele c. 29. v. 19. & c. 31. v. 11. 15. 18.

CAPUT XLV.

Jeremias consolatur Baruch scribam suum ob iras & minas Joakim regis non nihil afflictum promittendo illi incolumitatem in communi Judæorum strage. Subnectendum est hoc caput capiti 36.

QUæstio I. *Quo anno audiuit verbum hoc v. 1. Baruch à Jeremia?* ℟ Nominatur hîc annus quartus regni Joacim filij Josiæ, quando scripsit librum Jeremia dictante, de quo supra c 36. propter quem ab offenso rege comprehendi jussus est, à quo omnia extrema subiturus videbatur, nisi Deus contra Regis insaniam vtriusq; prophetæ incolumitati maturè cauisset. Contigit autem illa regis infensi vesania, & prophetarum liberatio anno ferme 18 ante Jerosolymæ cladem.

II. *Cur Baruch tantopere dolet* v. 2.? ℟ Eò quòd tam grauia patiatur quotidie ciuitas, & plura deinceps passura videatur, quodq; ad ipsum ex communi clade peruenerit, peruenturaq; existimetur non exigua pars. Seu certè quòd communes casus totius ciuitatis nomine deploret. Sanchez addit, Baruch eo tempore conquestum fuisse, quando iterum à Jeremia jussus est scribere librum, quem gladio discinderat, & in ignem conjecerat Joacim: cùm enim Rex ille efferus priùs audiisset, quæ in priore volumine Jeremias digesserat, ferre non potuerit minarum pondus, sed tam qui dictauit, quàm qui scribendo verba excepit dictantis, in carcerem compingi præceperit: jure timere potuit Baruch, ne rursus irritata regis potentia, cùm grauiora secundum volumen contineret, inflammaretur magis, & affligeret vehementiùs, & ideo putat notatum esse tempus, quo questus est Baruch, & ab eo labore siue leuatus, siue reprehensus

III. *Quid per grandia intelligitur* v 5. ET TU QUÆRIS TIBI GRANDIA? ℟ Sanchez hoc loco per grandia intelligit pacem & libertatem à communi malo, ita vt non aliter Baruch quietus esse velit, quàm si in ea ciuitate viueret, vbi nullus esset neq; metus ab hoste, neq; periculum à fame. Qui hæc petit, planè grandia desiderat & rara. Quod verò nihil aliud desiderare videatur, docet Domini responsio, quæ mortis timorem eximit, & libertatem in numeroso captiuorum agmine promittit.

CAPUT XLVI.

Prædicit instantem cladem Pharaoni Nechao, quem percussit Nabuchodonosor anno quarto Ioakim juxta vrbem Charcamis, subigens eâdem operâ totam Syriam Pelusium vsq;, exceptâ Iudæa, inquit Iosephus. Deus prædicit Nabuchodonosorem ipsam quoq; Ægyptum inuasurum & subjugaturum: quod reipsa contigit 17 anno post euersam Ierosolymam. Deniq; solatur tam Iudæos, quàm Ægyptios, quòd Deus tandem illorum miserebitur, atq; ex exilio reducet in patriam.

QUæstio I. *Quo sensu dicitur* v. 3. *præparate scutum & clypeum, & procedite ad bellum?* ℟ Ironico. q. d. Quantumcumq; armorum præparetis, animosq; offeratis ad pugnandum strenuos, & audaces, non tamen declinabitis, quod à Domino vobis paratum est malum. Patet ex v. 5. vbi dicitur: *Quid igitur vidi ipsos pauidos & terga vertentes.* Videt enim illas acies, quibus nihil videbatur opponi posse simile aut par, pallentes ac timidas, & regionem illam fluuialem Principum ac robustorum stratam cadaueribus; nihilq; ex Ægyptio illo apparatu fuisse reliquum, præter æternæ infomiæ documentum ignobile.

II. *Cur dicitur* v. 6. *Non fugiat velox nec saluari se putet fortis?* ℟ Quia vniuersalem cladem & exitium omnibus commune denuntiat. q. d. neq; qui fugerit, quantacumq; fuerit pernicitate, effugiet aut seruitutem, aut mortem: neq; fortis qui stare voluerit in acie, fortiterq; pugnare, recusare poterit, quin succumbat. Hac deniq; ratione proponitur ineluctabilis aut moriendi, aut seruiendi necessitas.

III. *Quæ est victima Domini exercituum in terra Aquilonis* v. 10.? ℟ Nihil est aliud, quàm cædes ingens Ægyptij populi ad Euphratem. Sic enim lacerabitur, sicut ad altare conciditur deuota cultro victima. Eadem est sententia imò & eadem metaphora Isa. 19.

vbi

vbi dicitur de Ierusalem, *& erit mihi quasi Ariel*, id est, quasi altare, quod circumstant laceratæ victimæ, & totum circumfluit, & quasi natat victimarum sanguine.

IV. *Quo sensu dicitur* v. 11. *Ascende in Galaad & tolle resinam virgo filia Ægypti: frustra multiplicas medicamina?* ℟ Amplificat plagæ magnitudinem, quam accipient Ægyptij ad ripas Euphratis, quam insanabilem fore significat, dum docet, nulla medicorum arte, nullo medicinæ fomento posse sanari. Est autem ironicus agendi modus. In Galaad esse multiplex & nobile medicamentum, quo stillant aromatiferæ plantæ docet Ieremias supra c. 8.

V. *Cur Ægyptus dicitur Virgo?* ℟ Quia delicata & mollis, quia sic se molliter & indulgenter tractat, sicut à matre virgo foueri assolet: aut quia numquam subjugata fuerat ab alijs, & inire compulsa thalamum externum. Erit igitur sensus: ô Ægypte, quæ ad hoc vsq; tempus tamquam virgo fuisti tenera & mollis, à nemine subacta, ac domita, adest jam tempus, cùm sic sterneris vilis & saucia, vt nullo fomento leuari dolor, nullo medicamento sanari vulnus possit.

IV. *Cur dicitur vox Ægypti quasi æris* v. 22.? ℟ LXX & Chaldæus vertunt *quasi serpentis*. q. d. Raucus erit & funebris ejulatus, qualem edunt tibicines ferali tuba ænea, cùm cæsorum cadauera efferunt ad sepulchrum: vel qualem edunt serpentes, dum lethaliter saucij, miserandum simul & horrendum sibilum emittunt. Ita Theodor. Vatabl. Maldonatus & Sanchez.

CAPUT XLVII.

Palæstinos omnes cum Tyrijs & Sidonijs per Nabuchodonosorem vastandos prædicit

Quæstio I. *Quid per aquas & torrentem significatur* v. 2.? ℟ In aquis significantur copiæ ingentes, & in torrenee incitatus illarum & vehemens impetus. Porrò modus ipse dicendi fremitus magnos & stragem quasi jamjam ingruentem importat: vt longè antè exundantes illas aquas ab Euphrate, suam sibi ruinam timere incipiant Palæstini.

II. *Quo sensu dicitur* v. 5. VENIT CALUITIUM SUPER GAZAM? ℟ Commune fuit gentibus, vt in luctu atq; mœrore ornamentum illud auferrent è capite, quod dedit natura spetiosum, & honestum; quare detonso capillo, sine quo turpe atq; deforme censetur esse caput, caluitium inducebant, quorum mores imitati sunt Judæi, etiamsi contra staret præceptum diuinum Leu. 2. *Caluitiũ.*

III. *Quomodo dicitur Ascalon conticuisse* v. 5.? ℟ *Tacere, silere, taciturnitas & silentium*, stuporem indicant, qui interdum loquendi facultatem eripit; interdum subjectionem, qua quis seruitutem subit, vsq; adeo ærumnosam, & miseram, vt neq; mutire audeat, neq; in suo dolore atq; ignominia, suam deplorare aut significare fortunam Quomodo terra Machabæorum cap. 1. Siluisse dicitur, in conspectu Alexandri; interdum verò silere dicitur id, quod ex frequentia maxima ad solitudinem redactum est, aut ab eo desertum, cujus gratia personare dicebatur: quomodo forum, bellorum tempore, silere dicitur à causis & judicijs, & agri hyemali tempore, cùm aues maximè vocales, aut discedunt, aut silent Est enim vsitatum in omni literatura, vt, quæ in loco fiunt, de loco interdum affirmentur: quomodo resonare dicuntur arbores, vbi resonant cantilantes aues, aut strepere bestiolæ, vt de arbustis & virgultis cecinit Maro, illud Eclogæ 1. *Ascalon conticuit.*

Sole sub ardenti resonant arbusta cicadis.

CAPUT XLVIII.

Prædicit excidium Moab per Chaldæos, propter factum, idololatriam, blasphæmias in Deum, & contumelias in populum ejus. Subnectendum est hoc & sequens caput capiti 37. Eadem de Moab prædixit Isaias c. 15 & 16. ex quo multa deprompsit Ieremias.

Quæstio I. *Quis est sensus* v. 9. *Date florem Moab, quia florens egredietur?* ℟ Est ironia q. d. Videte, vt Moab floreat opibus & gloria, floribus ergo eam redimite, coronamq; floridam capiti ejus imponite, imò ipsa genio & veneri indulgens coronet se rosis: sed scitote, eam cum suo flore desolandam, capiendam & egressuram in captiuitatem Ita Raban. Hugo & Lyran Vel date florem Moab, vt sciat tam breui se ad nihilum redigendam, quàm breui marcescit flos Isa 40 6 omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quasi flos agri, exsiccatum est fœnum & cecidit flos Talis nimirum est omnis terræ splendor, pompa & gloria: nam in cœlo duntaxat est solida, constans & perennis voluptas & gloria. Huc accedit expositio Sanchez, quæ talis est: quantumcumque in amœno & irriguo loco sit Moab, floreatq; ac niteat ab vbertate patria, florens tamen & nitidus abripietur ad alienum solum: *& ciuitates ejus* prius florentes & lautæ, *deser-*

te erunt

ta erunt squalentes & vastatæ, vt nullus prorsus illas inhabitet. Hic sensus est congruus. Ex eo enim discimus, tunc maximè vicinas esse vrbes cladi, & homines tribulationi & cruci, cùm maximè gloriâ, opibus & delicijs florent; sicut Moab florens & rosis se coronans, vicinissima est excidio. A Castro sic explicat q. d. Coronis floridis & odoribus, ô Moab, te & tuum funus adorna; quia in Chaldæa sepelieris & morieris, solent enim diuites coronis & omni pompa suorum funera exornare. Vnde Syrus & Arabicus vertunt, *date coronam Moab, quia destructione destruetur, & omnes ciuitates ejus in desertum erunt præ inopia incolæ.*

II. *De quo est sermo* v. 10. MALEDICTUS QUI FACIT OPUS DOMINI FRAUDULENTER? ℟. De Chaldæis. Benedictos eos vocat, qui operi sancto & benedicto iustitiæ diuinæ, putà excidio impiorum Moabitarum, quoquo modo, etiam materialiter tantùm cooperabuntur; renuentes verò & pigros in hoc opere vocat maledictos. Loquitur enim in genere, abstrahendo ab hujus vel illius Chaldæi tyrannide, tantumq; spectat opus hoc in se prout est opus iustitiæ diuinæ: sic enim in se sanctum est, & quicumq; illi cooperantur, sancti sunt & benedictione digni: milites verò & lictores, qui ei cooperari nolunt, iniqui sunt & maledictione digni. Sic Cyrus puniens & euertens Babylonem, itaq; peragens re ipsa iustum Dei contra eam iudicium vocatur beatus ps. 136. 8. *Filia Babylonis misera: beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis. Beatus qui tenebit & allidet parvulos tuos ad petram.* Hinc patet, quòd, si Chaldæi cognita voluntate Dei (vti cognoscere potuerunt ex hac prophetia Jeremiæ & aliorum) bona fide totos se ei conformassent, studuissentq; illam tantùm exequi, non peccassent, imò rectè & piè egissent, vastando Moabitas: verùm quia ipsi non tam Deo, quàm suæ ambitioni & auaritiæ seruierunt, in ejus & aliorum gentium excidio hinc tyranni fuerunt, ideoq; pariter & ipsi traditi sunt gladio Cyri & Persarum, vt refertur c. 50

Moab fertilis.

III. *Quis est sensus v. 11. & 12.* FERTILIS FUIT MOAB &c.? ℟. Comparat Moabitas vino, terram eorum dolio, pacem & abundantiam rerum fæcibus, mores eorum sapori & odori vini q. d. sicut vinum præsertim forte quale est in regionibus calidis, quamdiu in suis residet fæcibus, suum fortem austerum, & fæculentum saporem retinet & odorem; sed vt eum mutet & fiat purius, suauius & delicatius, de vase in vas aliud transfunditur: sic Moabitæ in sua regione hactenus resederunt in summa pace & opulentia numquam capti vel abducti, ac consequenter in germana sua superbia, solitisq; peccatis præsertim Sodomæ & Gomorrhæ, cui vicinissimi sunt, remanent quasi fæcibus, *& ideo mittam ei Ordinatores*, qui lagunculas aut dolia ordine solent disponere, putà vietores, vt vertit Vatablus, *& stratores*, non qui lagenas confringunt, & fragmenta calcant & sternunt, vti volunt aliqui: sed *stratores*, id est, qui solent prosternere, aut inclinare dolia, vt vinum ex vno in aliud fundant. Per hos intelligit Chaldæos, qui Moabitas ex Moab in Chaldæam, quasi in aliud dolium traduxerunt, vt ipsi ibi humiliati & afflicti nouum saporem, id est, nouos mores, nouam animi demissionem, nouum DEi cultum induerent. vnde sequitur *& vasa ejus exhaurient*, id est, vrbes Moab, incolis in captiuitatem abductis, euacuabunt. *Et lagunculas eorum collident*, id est, vrbes eorum destruent, pro eodem enim capit vasa & lagunculas. q. d. Postquam vinum transfuderint, vasa in quibus erat, confringent, hoc est, postquam Moabitas ex vrbibus abduxerint, vrbes ipsas vastabunt ac diruent, inquit Maldon. & Vatablus.

IV. *Quis est inebriate eum* v. 26.? ℟. O Chaldæi propinate Moab calicem furoris Domini, quasi lictores & executores iustæ DEi vindictæ; vino iræ & vltionis DEi eum implete, & inebriate, hoc est, afflictionibus ita eum opplete, vt quasi ebrius vomere cogatur omnes opes & gloriam suam, vtq; volutet se in suo vomitu, præ afflictione & dolore manus pedesq; terræ allidendo, itaq; alijs sit risui, vti ebrij & vomentes à sobrijs rideri solent.

V. *Quomodo dicitur* v. 33. ABLATA EST LÆTITIA ET EXULTATIO DE CARMELO? ℟. De loco culto & fertili Moab, qui in vbertate similis erat Carmelô monti Judææ, ita S. Hieron. Pagninus & Vatablus quia scilicet tam messem, quàm vindemiam Moabitarum tollent & vastabunt Chaldæi. Aliter Sanchez: Subaudiendo enim notam similitudinis *sicut*, sic explicat: sicut Judææ ab hoste vastatâ, cessauit lætitia de Carmelo, succisis pariter ejus vineis & incolis; ita sublata est lætitia à Moab, illa nimirum, quam ei vini & vindemiæ nobilitas æquè ac Carmelo, afferebat.

Vitula conternans.

VI. *Cur Segor dicitur* VITULA CONTERNANS v. 34? ℟. idem est, ac pulchra, fortis, succulenta, perfecta, exultans. Sicut enim in hominibus trigesimus annus, est perfectæ ætatis: ita in pecoribus tertius annus robustissimus est, q. d. Moabitæ & præsertim incolæ Segor, instar vitulæ triennis saginati & lasciuientes, jam euecti ad plenum robur, opulentiam & felicitatem temporariam, euertentur: habitabant enim in Pentapoli, quæ antequam conflagraret igne cælesti, erat amœnissima & fertilissima instar paradisi, vt dicitur Gen. 13. 10. Segor autem precibus Lot ab hoc igne manuit intacta, Gen. 19. 22.

Aquæ Nemrim quæ & quales.

VII. *Quæ & quales fuerunt aquæ Nimrim* v. 34.? ℟. Fuerunt amaræ ex aquis salsis maris mortui vicini, eò per meatus terræ se insinuantibus, indeq; vocantur heb. Nemrim, id est,

id est, amaræ. Ut ergo has aquas dulces conseruarent, ne à salsis affluentibus ex mari mortuo salsedinem contraherent, debebant accolæ meatus, per quos affluebant quotannis obturare; item aquas dulces aggeribus à salsis separare, & salsas percolando dulcorare. Verùm accolis per Chaldæos sublatis, incultæ, & vt, ait Isaias, desertæ manebant aquæ Nemrim, ideoq; amaræ, indeq; pessimæ erant. Rursum enim salsuginem contrahebant ex aquis maris mortui.

CAPUT XLIX.

Prædicit excidium per Chaldæos Ammonitis, Idumæis, Damasco, Cedar & Ælam.

QUæstio I. *Quomodo intelligendus est* v. 1. NUMQUID NON FILII SUNT ISRAEL &c.? R. Cùm Israel habeat filios legitimos hæredes, ad quos pertinet terra Gad trans Jordanem, cur Melchom, id est, Ammonitæ, quorum Rex, Dominus, & Deus est Melchom, occuparunt violenter terram Gad? Notat Theodor. cùm decem tribus abductæ sunt in Assyrios, tunc Ammonitas vicinam sibi Galaaditidem, (quæ erat terra & sors tribus Gad, Ruben & dimidiæ tribus Manasse, quas primò omnium abduxerunt Assyrij 4. Reg. 15.) vtpote jam vacuam & desertam, in odium & irrisionem Israelitarum inuasisse & occupasse, vti voluerunt facere sub Jephthe Judic. 11. 13. ideoq; Deus hîc eis quasi sibi suoq; populo injurijs & raptoribus excidium intentat. Justum enim est, vt priuetur suis, qui inuadit aliena. Rursum aliam excidij Ammonitarum causam dat Ezechiel c. 25. 6. quòd nimirum in Israelis excidio exultarint, illudq; adjuuerint. Ammonitæ erant cognati Israelitarum: erant enim filij Lot nepotis Abrahæ Gen. 19. v. 37. itaq; cùm viderent Israelitas pene abductos & abolitos esse, eorum hæreditatem, quasi jure suo occuparunt. Sed retorquet hoc Deus, aitq; Israelem adhuc sufficientes habere hæredes proximos, scilicet reliquias 10. tribuum, & ijs deficientibus, tribum Juda & Benjamin, vt cognati, scilicet Ammonitæ, de hæreditate ejus adeunda cogitare non debeant.

II *Quid propheta de Theman* v. 7.? R. vrbs erat Principum Idumææ, sapientibus abundans, sic dicta à Theman filio Eliphaz, filij Esau, ita Theodor. Gen. 36. 11. q. d. Quî factum est, vt Themani sapientes, jam inopes consilij non potuerint se contra hostes defendere? Videntur ergo in Theman fuisse Gymnasia & academiæ sapientiæ tam diuinæ quàm humanæ. Certè eam ostendit Eliphaz disputans de DEo, DEiq; prouidentia cum Job, fuit enim Eliphaz Themanites, *Descendite in voraginem*, in fossas ad latendum, inquit Theodor. est ironia, q. d. descendes & latebis in speluncis, sed frustra: ibi enim, te scrutabuntur & occident vel capient Chaldæi, patet v. 10. *Perditionem Esau adduxi*, id est, cladem definitam à me contra Idumæam, jam illi inducam. *Theman.*

III *De quo loquitur* v. 15. ECCE PARVULUM DEDI TE IN GENTIBUS? R. De Idumæa, quia angusta & montosa, paucos habebat incolas: hi tamen superbiebant in loci sui munitione, eò quòd habitarent in collibus & cauernis petrarum, vt ait v. 16. Sensus est q.d. O Idumæa dedi vobis regionem saxosam & montosam, ita vt vestræ domus videantur potiùs bestiarum, quàm hominum esse antra & latibula: paucos ergo paruulosq; & abjectos vos effeci: quin & rursum per Dauid & Joab, qui in vobis omnes masculos occidit 2. Reg. 11. 15. vos contudi, & pene extirpaui, & tamen superbitis, putatis vos ob loci munitionem inuictos, ob rupium asperitatem inaccessos, fallimini: hæc omnia peruadet Chaldæus. Aliter Vatabl. & Maldon. q. d. *dedi* id est, dabo & efficiam, te per Chaldæos paruum & contemptibilem, ô Edom, dejiciam te ac deprimam, cùm tu tibi magnus esse videaris: omnis enim qui se exaltat, humiliabitur.

IV. *Quis est sensus* v. 19. ECCE QUASI LEO ASCENDIT DE SUPERBIA JORDANIS AD PULCHRITUDINEM ROBUSTAM? R. Nabuchodonosor comparatur leoni ob furonem & fortitudinem, vnde de eo dixit c. 4. *Ascendit leo de cubili suo.* Idumæa autem vocatur per ironiam *pulchritudo robusta*, eò quòd Idumæi jactarent se habere, pulchras & robustas vrbes, sed falsò: quæ enim pulchritudo potest esse in cauernis petrarum? In hanc venit Nabuchodonosor de superbia Jordanis, id est, transito Jordane tumido (in messe enim ex niuibus in Libano liquatis, augetur & intumescit Jordanis, vt patet Josue 3. 15.) superbus, quasi victâ Judææ auctisq; copijs venit in Idumæam, q. d. Sicut Jordanis intumescens ingenti aquarum exundatione terram obruit, ita Chaldæus multitudine militum in Judæam confluentium & augescentium operiet Idumæam; idq; veniens à Jordane & Judæa.

V. *De quo loquitur* v. 19. QUIS ERIT ELECTUS, QUEM PRÆPONAM EI? R. ei, scil. Idumææ, q. d. Quem eligam, vt eum præficiam Idumææ, vt Chaldæis resistat? q. d. Nullum: tum quia ego Nabuchodonosorem mitto: tum quia nullus mihi est similis nullus est, qui mihi resistat. Ait ergo Deus, inquit Sanchez, Quis Idumææ gentis imperator tam fortunatus sit & robustus, qui mecum, qui Chaldæorum aciem rego, confligere audeat? quis me, qui Chaldæorum manibus contra Idumæam pugno, ardentem, versantem & commoruentem omnia sustinebit.

Cedar. IV. *Quæ est* CEDAR v. 28. ? ℟. est regio Arabiæ, sic dicta à *Cedar* Gen. 25. 13. secundo Ismaelis filio, quæ postea vocata est Arabia Petræa, in qua mons Sinai & Horeb. Incolæ *Cedareni* dicti, id est, à radice *Kadar*, quod nigrescere significat, quia ob solis æstum, quo torrentur, sunt corpore fusco. Dicuntur & *Agareni* ab Agar matre Ismaelis. Jam Saraceni dici malunt, mutuato nomine à Sara primaria Abrahæ vxore, vel, vt Stephanus l. de vrbibus opinatur, à Saraca metropoli sua. Ex his prognatus est Mahometus pernicies orbis. Agunt fere in rupibus, siluis, locisq; desertis instar ferarum, ex pecoribus viuunt & raptu: nec potest Turca prædones istos, omni sua potentiâ à prædis compescere.

CAPUT L.

Chaldæis excidium prædicit per Cyrum & Darium, euocat & immittit in Babylonem, describens eorum fortitudinem ac ferociam: Judæis interim salutem & libertatem pollicetur.

Gens ab Aquilone. QUæstio I. *Quæ est gens ab Aquilone* v. 3.? ℟. Medi & Persæ, qui Orientales sunt Babyloni, Aquilonares gentes, scil. Armenos, Hircanos, & alios conuocarunt, contra Babylonem vt Chaldæum communem tyrannum tollerent. Adde, Media aliquantulum vergit ad Aquilonem Babylonis. Vocat eos potiùs Aquilonares, quàm Orientales: quia Aquilo Judæis erat infaustus & infestus, æquè ac horribilis ex eo, quòd ex Aquilone, putà ex Chaldæa, acre sibi intentari flagellum primò audierant, deinde reipsa experti sunt. Hærebat in auribus & mente eorum illa Jer c. 1. vox: *ab Aquilone pandetur omne malum super omnes habitatores terræ.* Ergo Aquilo eis erat in prouerbium, vt cùm grandem cladem aut malum significare vellent, Aquilonem nominarent. Sensus itaq; est, q d. Vos, ô Judæi vestrum habuistis Aquilonem, putà Chaldæos; scitote & illos suum Aquilonem habituros, scilicet Persas & Medos, gentesq; eis confœderatas. ita Sanchez.

Hœdi ante gregem. II *Quo sensu Judæi jubentur esse quasi hœdi ante gregem* v. 8? ℟. Jubentur in reditu ex Babylone in Judæam primas tenere: vt quisq; conetur primus esse in agmine redeuntium: sicut hœdi, id est, hirci jam statæ ætatis & roboris generosè & festinanter, etiam per arduas rupes, montes & saxa gregem præcedere solent, & ante eum exilire. Læti enim & securi redibitis, esto ardua quædam superanda sint..

Babylon capta deriuatione Euphratis. III. *Quo sensu dicitur* v. 38. SICCITAS FUTURA SUPER AQUAS BABYLONIS? ℟ Hac arte Cyrus cœpit Babylonem: scil. Euphratem qui Babylonem interluit, in multas latas & altas fossas ad hoc à milite ante factas deriuauit, ea nocte, qua Babylonij quasi securissimi festa & conuiuia agitabant, ita vt sicco alueo militem in vrbem immiserit, & ciues somno vinoq; sepultos trucidarit

IV. *Quomodo dicitur v. 39. de Babylone*: NON INHABITABITUR USQUE IN SEMPITERNUM, cùm post Nabuchodonosorem etiam sub tempora Alexandri magni opibus inclyta fuerit, & vnum è septem spectaculis & miraculis mundi? ℟ Hæc prophetia non simul sed sensim & successiuè impleta fuit. Primò enim per Cyrum adempta est illi monarchia & imperium. 2dò rebellans Dario Hystaspis, mœnibus ab eo spoliata teste Herodoto l. 3. & Justino l. 1. 3tiò à Seleuco Nicanore ciuibus & opibus exhausta: transtulit enim omnia Seleuciam, quam in vicinia condiderat: Parthi postea transtulerunt reliqua Ctesiphontem, inquit Plinius l. 6. c. 26. 4tò igitur nihil præter muros illi relictum sub Adriano Imp. Pausania teste l. 8. Quorum ambitu non nisi bestiæ omnis generis pro venatione regia continebantur, teste S. Hieron.

CAPUT LI.

Pergit multis exaggerare excidium Babylonis, ob ejus tyrannidem in Judæos, quos monet vt Babylone profugiant. Et hanc suam prophetiam scripto dat Saraiæ eunti in Babyloniam, vt eam ibi prælegat & lectam in Euphratem dejiciat, subdens dejiciendam pari modo Babylonem æterna & irreparabili ruina.

QUæstio I. *Quo sensu dicitur* v. 3. NON TENDAT, QUI TENDIT ARCUM? ℟ Non opus est, arcum intendat, sagittarius, aut loricatus cominus digladietur cum hoste: ego enim Chaldæos epulis & mero soporatos dabo in manus vestras: trucidate sponte obuios & incurrentes in hastas & enses vestros. ita Maldonat. & Sanchez.

II. *Quis est sensus* v. 5. NON FUIT VIDUATUS ISRAEL ET JUDA A DEO? ℟ Israel & Juda non est quasi vidua, destituta marito vel sponso suo: sed viuit adhuc sponsus ejus Deus, qui curam illius, vtpote charissimæ sponsæ geret, vindicabitq; illatas ipsi injurias à Chaldæis, quorum *terra repleta est* omni genere scelerum, sed præcipuè *delicto à sancto,*

Se, seu in sanctum *Israel* admisso, cùm templum, cùm vrbem sanctam, cùm populum Dei omnem tot injuriis affecerunt. ita Hugo Vatabl. & Maldon.

III. *Quis est sensus* v. 13. VENIT FINIS TUUS PEDALIS PRÆCISIONIS TUÆ? ℟ Pedalem, breuem, certam ac definitam mensuram tibi tuoq; imperio duplicem præstituit Deus; primam opum & gloriæ, æquè ac scelerum: secundam temporis, vt nimirum teneas imperium per 70 annos. Vtramq; mensuram nunc implesti: vnde instat finis tibi & tempus præcisionis atq; excidij tui.

IV. *Quomodo Babylon vocatur mons, cùm sita fuerit in humili loco in campo Sennaar* Gen. 11. v. 2.? ℟ imò ob excelsam gloriam & fastum imperij. ædò ob celsa palatia. tio ob murorum altitudinem, qui ad 100 cubitos attollebantur. *Pestifer* vocatur, vel, vt est in Hebræo *vastans*, quia, sicut prodire solent è montibus feræ, quæ homines & armenta dilaniant: ita è Babylone prodibant milites, qui gentes alias euertebant, inquit Maldonat Sed ego viciſſim *evolvam te de petris*, id est, ejiciam te è turribus, mœnibus, propugnaculis tuis, quibus tamquam rupibus confidis: *& dabo te in montem combustionis*, id est, combustum, adeo vt omnes lapides tui vel in cineres, vel saltem in minuta fragmenta diſſiliant.

CAPUT LII.

Enarrat historiam cladis Jerusalem, mox Sedeciæ, deinde templi, eiusque vasa à Chaldæis evecta. Post hæc principes cæsos & populum abductum, denique liberationem & exaltationem Joachin.

QUæstio I. *An hoc caput sit Jeremiæ?* ℟ dent Theodor. Hugo & Lyran esse idq; translatum ex l. 4. Reg. c. vlt huc libri enim tertij & quarti Regum auctor est Jeremias, vt ex Procopio & Isidoro docent Sixtus Senensis l. 1 Biblioth & Abulens q. 4 in c. 17. Iudic. Inde ergo illud huc transtulit Baruch scriba & compilator oraculorum Ieremiæ, idq; tum vt ea quæ toto libro contra Jerusalem prophetauit Jeremias, impleta esse ostenderet, tum vt viam sterneret ad lamentationes sequentes Vnde Baruch quædam addidit ex se, scil gesta post mortem Jeremiæ, vt exaltationem Joachin factam post mortem Nabuchodonosoris sub Euilmerodach Certum est hoc caput esse canonicam scripturam

II *Cujus loci mala fit mentio* v. 1.? ℟ Non hujus prophetæ, hic enim erat de Anathoth fuitq; cælebs, sed alterius oriundi ex Lobna.

III. *Quomodo hic dicitur v. 1. venisse Nabuzardam decima mensis*, cùm 4 Reg 25. 8 dicatur venisse septima die? ℟ Septima die discessit ex Reblatha, in qua degebat Nabuchodonosor, & decima die (tridui enim est iter) peruenit in Jerusalem.

IV *Quomodo hic dicuntur v. 12, dicuntur columnæ fuisse decem & octo cubitorum altitudinis in una columna*, 2 autem Paral. 3. 15. dicuntur hæ columnæ habuisse 35 cubitos altitudinis? ℟ Utriusq; columnæ altitudo simul juncta erat 36 cubitorum, ergo vnius altitudo erat 18 cubitorum In libro tamen Paral. assignantur non 36, sed 35 cubiti, quia medius cubitus in quaq; columna abscondebatur in ejus capitello.

V. *Quomodo hic dicuntur fuisse in quaq; columna malagranata 96* & 3 Reg 7 20. dicuntur fuisse ducenta id est, centum in quaq;. ℟ centum erant, sed 96 tantùm videbantur, corpus enim sphæricum videri vndiq; non potest vno obtutu, quatuor ergo latebant. ita Vatab. & Lyran.

IN THRENOS
SEU LAMENTATIONES JEREMIÆ PROPHETÆ.

Quibus deplorat vastitatem & desolationem Jerosolymæ sub Sedecia, vt docet Origenes, Theodoret. & Procopius; & consummatè sub Tito, inquit S. Hieron. & à Lap. Solis enim posterioribus casibus aptari potest, quod hîc maximè inculcatur, captam, vastatam, desolatam jacere vrbem.

CAPUT I.

Plangit desolationem Jerosolymæ, & per antithesin confert bona prioris status ac felicitatis cum malis posterioris status, putà captiuitatis & excidij ejusdem.

QUæstio I. *Quomodo Jerusalem dicitur sola sedere?* ℟ vel quia nullus illi aderat, qui dolorem consolando leniret vel quia sola erat. & deserta à ciuibus, & in syluarum efferata asperitatem q. d frequens illa ciuitas solitudo facta est Forte sola sedebat, sicut solæ sedere solent menstruatæ, quæ quia omne vas & locum, quem attigerint, pollutum reddunt, se ipsas commouere non audent. *Jerusalē sola sedet.*

Facta quasi vidua.

II. *Quomodo dicitur facta* QUASI VIDUA DOMINA GENTIUM? ℟ Domina gentium, Syriæ emporium, paradisus Asiæ, ocellus Orientis, gemma mundi, tot regnorum princeps, jam facta est quasi vidua, orbata suo rege, pontifice, templo, principibus, & magistratibus. Dicitur autem vidua Jerusalem, non quia sponsus ejus obierit, qui immortalis est Deus, sed quia ab sponso Deo derelicta, & quasi alijs exposita ludibrio ac prædæ. Ex vsu pene omnium gentium, viduæ vocantur fœminæ, à quibus viri longè absunt, aut quæ à viris præsentibus ita tractantur quasi alienæ: quia neq; bene conuenit inter conjuges, aut quia grauiter peccauit vxor contra connubij fidem. Non dicitur simpliciter *vidua* sed *quasi vidua*, quia non est orbata à marito defuncto, sed ab offenso & indignato ad tempus derelicta.

Plorans nocte.

III. *Cur dicitur ploraſſe in nocte?* ℟ Quia nox ob silentium, solitudinem, vacationem in labore, tranquillitatem, collectionem, & contractionem animi, aptior est meditationi, compunctioni & lacrymis. ita Orig. Sanchez addit rationem, quia, inquit, sicut seruis nefas erat queri de Dominorum imperio, licet crudeli & acerbo, sic etiam coràm lugere, aut animi languorem ostendere, capitale erat crimen. Sic coram Ariouisto rege, *nemini ità dolore summo mutire, nedum lacrymari licuit.* ait Cæsar l. 1. de Bello Gallico. Ita Jerusalem hîc subacta & serua coram Chaldæis interdiu plorare non audebat. *Lacryma ejus in maxillis ejus* scil. hærent & perennant, q. d: jugiter lacrymatur, juges lacrymarum riui ex oculis per maxillas ejus decurrunt; vt non curet eas abstergere, quia nouæ semper affluunt, aliæq; aliis continuò succedunt. Aliter Hugo & Sanchez: q d hærent in maxillis ejus lacrymæ: quia barbari Chaldæi non permittunt ei otium, vt faciem abluat: aut potiùs, quia ipsa, cum sit tota in luctu, non laborat de cultu & munditie: sed perennibus lacrymis luctum præ se fert & profitetur.

Ignis in ossibus.

IV. *Quid est*, MISIT DE EXCELSO IGNEM IN OSSIBUS MEIS v. 13.? ℟ Vindicta Dei hostibus meis quasi faces suppeditauit & accendit, quibus non modò carnem, & cutem, id est, agros & villas, sed ossa quoq; mea, id est munitissimas quasq; arces, turres, templum, palatia, quæ vrbem quasi ossa firmabant, expugnaret, succenderet, & in cinerem redigeret. ita Orig. Theodor. Hugo & alij. Hæc metaphoricè accipit Sanchez: ignis, ait, significat acrem cruciatum, ossa significant interiora & viscera. q. d. Deus de cœlo immisit acrem cruciatum in intima mea, vt cor meum dolore emori, viscera mea angore dissolui videantur.

V. *Quis est sensus* v. 14. VIGILAUIT JUGUM INIQUITATUM MEARUM? ℟ Jugum supplicij mihi infligendi ob meas iniquitates, me dormiente, nec cogitante, vigilauit, vt, cùm impleta esset mensura peccatorum, à Deo præstituta, & vindictæ destinata, me inuaderet, mihi incumberet, id est, vt LXX Deus & justitia diuina vigilauit, vt me puniret citò. Hoc jugum per prosopopœiam vigilans, non est aliud, quàm *virga* illa *vigilans* Jer. 1. v. 11. nempe diuina vindicta, & pœna ad fores peccatorum excubans, instar prætoris fures & latrones persequentis.

VI. *Quale tempus vocauit Deus aduersùs Jerusalem?* ℟ Per tempus intelligitur vltio, quæ fit in tempore. Sic dicitur Luc. 21. *Et Jerusalem conculcabitur à gentibus, donec impleantur tempora nationum*, id est, tempus vltionis sumendæ de nationibus *2do vocauit aduersum me tempus*, id est, quæsiuit opportunitatem & tempus aptum ad me puniendum. Vel vocauit tempus scil. annum & diem statutum meo excidio. Sic ps. 74. *Cùm accepero tempus, ego justitias judicabo.*

VII. *Quis est sensus* v. 15. TORCULAR CALCAUIT DOMINUS VIRGINI FILIÆ JUDA? ℟ Peccata Judæorum calcauit Dominus in torculari Diuinæ justitiæ & judicij sui, exprimens inde vindictam & pœnas, nempe vinum amariſſimum ex vua fellis & botro amarissimo, quo Judæos ad ebrietatem & insaniam impleuit. ita Orig.

CAPUT II.

Altero alphabeto carminis lugubris plangit vrbis Jerosolymæ & templi excidium per Chaldæos, refricans memoriam pristini ejus splendoris & gloriæ.

Scabellũ pedũ Dei.

QUæstio I. *Quod est scabellum pedum DEI* v. 1? ℟. est arca testamenti. Propitiatorium enim cum Cherubinis erat quasi sedes DEi, arca verò ei subjecta, erat quasi scabellum ejusdem. Sub arca metonymicè locum arcæ & totum templum accipe: alioqui enim arcæ ipsius memor fuit Deus, cùm eam per Jeremiam è templo eduxit, & abscondit, ne in Chaldæorum manus incideret. 2. Machab. 2. 5.

Funiculus Dei.

II. *Quid per funiculum intelligitur* v. 8.? TETENDIT FUNICULUM SUUM? ℟. Funiculus id est regula, quæ ab architectis æqua rectitudine extenditur, & libratur pondere plumbeo, vt ad perpendiculum construant domos, vel eas destruant & complanent: ne quid inæquale, curuum, eminens, depressum, hians, vel impolitum relinquatur. q.d. cogitauit Deus, &

us, & quasi fune extenso designauit justam Jerosolymæ demolitionem, atq; sicut designauit, ita & reipsa perfecit, effecitq;, vt Chaldæi eamdem, quasi ad justam hanc diuinæ sententiæ regulam, vastarent & destruerent. Sicut ergo Jerusalem fuit olim bellè ad regulam constructa, ita & nunc ad eamdem planè destructa est: atq; complanata quasi ad filum, à Chaldæis, qui velut securi, otiosè, & sinè metu cum deliberatione & certa destinatione, id vnum constanter agere videbantur, ita Hugo. Per funiculum ait S. Bonav. justitiæ diuinæ rectitudo intelligitur, secundum merita illi populo infelici retribuentis.

III. *Quis est sensus verborum* v. 11. EFFUSUM EST IN TERRA JECUR MEUM? R. est hyperbole, q. d. Cùm deficerent, scilicet præ nimia fame & siti, mei paruuli & lactentes emorientes; ita præ commiseratione afflicta fui, vt viderer meum jecur, & viscera ac interiora omnia effusura in terram. Nominat jecur præ alijs visceribus, quia jecur sedes est commiserationis & amoris. Sic sæpe psaltes queritur, præ dolore enuia esse viscera sua. *Jecur effusum.*

CAPUT III.

Plangit Jeremias multiplices calamitates suas, carceres, vincula, famem, verba, quibus durante obsidione à ciuibus suis afflictus fuit. Sic mul tamen in seipso repræsentat populi Judaici afflictionem à Chaldæis.

QUæstio I. *Cur Jeremias dicit de se* v. 1. EGO VIR VIDENS PAUPERTATEM MEAM? R. Quia alij prophetæ prædixerunt calamitatem, quæ Judaicum populum oppressit, at nemo illorum calamitatem illam vidit. Isaias enim & Sophonias ac alij prophetæ cladem hanc futuram prædixerunt, sed eam non viderunt, jam antè defuncti. Ezechiel viuebat, sed procul aberat, degens in Babylone. solus Jeremias præsens cladem Jerosolymæ aspexit, ac eius pars magna fuit. Ille ego sum, cui videre contigit occumbentem patriam, quo tempore contra illam Dominus vltricem indignationis suæ virgam extendit, & ad quem illius stragis pars aliqua pertinuit.

II. *Quæ sunt filij pharetræ* v. 13.? R. Apud Hebræos filiæ dicuntur, quæ in aliquo loco continentur, vt insulæ filiæ maris, messes filiæ areæ, & sagittæ filiæ pharetræ, quia non aliter ibi conditæ sunt, quàm in materno vtero ac sinu conduntur, aut fouentur liberi. Item, quæ ab aliquo exeunt, aut emittuntur, quia similia sunt fœtui, quem mater emittit. quomodo sagittæ dicuntur filiæ arcûs. *Filiæ pharetræ.*

III. *Quis est sensus* v. 16. FREGIT AD NUMERUM DENTES MEOS? R. Chald. & LXX. vertunt, *confregit lapide dentes meos.* Misti nimirum erant in carcere lapilli panibus Jeremiæ, qui attriuerunt dentes illius, idq; vel ex malitia Judæorum, vel potiùs ex fame & penuria: sic enim dum pauperes sub cinere coquunt suos panes, multum pulueris & lapillorum eis admiscetur. Sic ergo Jeremias panem scrupulis plenum comedit, qui magnum ei dolorem & molestiam attulit.

IV. *Quis est sensus* v. 18. PERIIT FINIS MEUS? R. idem est, ac perijt mihi spes videndi finem malorum meorum, q. d. Numquam miseriæ meæ finientur, non est, quòd exspectem vmquam liberationem ab his malis, non est quòd deinceps sperem vllam quietem, libertatem, gaudium aut consololationem. Est Hebraismus. Sic enim Hebræi dicunt: Perijt fuga à me, perijt spes, perijt gaudium, hoc est, nullum mihi est effugium, nulla spes, nullum gaudium; sic ergo perijt & finis, hoc est, nulluserit malorum meorum finis.

V. *Quæ ignorauit Dominus* v. 36.? R. Quæ præcedunt v. 34. & 35. scilicet *conterere* instar tyranni *sub pedibus suis vinctos terræ*, id est, miserijs adstrictos in terra, inquit S. Thom. vti nunc per Chaldæos conterit omnes vinctos Judæos terræ Palæstinæ ita Hugo. Multò minùs v. 35. *declinat à justo iudicium*, seu causam cujuspiam *in conspectu vultus altissimi*, id est, coram se ex inordinato affectu vel fauore libram deprimendo in vnam vel in alteram partem: v. 36. ad peruertendum *hominem*, id est, hominis causam seu judicium. Hæc omnia *ignorauit Dominus*, id est, numquam practicè nouit, id est, numquam talia fecit Deus Quid igitur? si mala hæc omnia, quæ nunc Judæis incumbunt, non obuenerunt ipsis ex corde, seu ex beneplacito DEi (vt Theologi loquuntur) an ergo à fortuna, vel casu omnia ipsis occurrerunt? R. deo impium & insulsum esse id dicere, nec in cerebrum vllius cadere posse. ita Theodor.

VI. *Quis est sensus* v. 37. *Quis est iste, qui dixit, vt fieret, Domino non jubente?* R. Quis tyrannus dicat, jubeatq; aliquid mali fieri, ita vt id statim fiat, etiam præter DEi voluntatem? q. d. id fieri nequit, tyrannus enim est tantum instrumentum, & virga furoris DEi Isa. 10. 5. *Ex ore altissimi non egredientur, mala aut bona?* q. d. Quis tam impius sit, vt dicat, nec aduersa, nec prospera euenire nobis ex ore, id est, ex præcepto & ordinatione DEi? Est hæc consolatio efficax in omni tribulatione, si cogitemus nihil euenire nobis, cujus auctor non sit Deus, & omnia ab eo attemperari ad nostram salutem, vt interim culpam nostram agnoscamus, ejusq; clementiam & opem humiliter imploremus. *DEus author omnium.*

Hinc est, quod ait Amos 3. 6. *Si est malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit. Quid murmurauit homo viuens, vir pro peccatis suis?* v. 39. id est, pro pœnis peccatorum suorum, siuè cùm pro peccatis affligitur. q. d temere & injustè murmurat homo viuens, cùm pro peccatis punitur: quia tantum & plus commeruit: Deus enim citra condignum punit, & judicium misericordia temperat in hac vita.

Oculus deprædatur animam.

VII *Quo sensu dicitur* v. 51. OCULUS MEUS DEPRÆDATUS EST ANIMAM MEAM? ℟. Oculus eripuit mihi animam flendo, anima mea per oculos mihi in lacrymas effluxit q.d. Miserabilis aspectus filiarum mearum captiuarum, ab hoste illusarum, animam mihi expectorauit. Paulò aliter Sanchez q. d. Ex quo oculo meo intuitus sum tantam populi mei stragem, nihil in me reliquum est, quod voluptati esse possit & solatio, neq; alicui rei vacandum mihi video, nisi lacrymis.

CAPUT IV.

Urbis, templi, ac totius populi miserandum plangit lapsum ac ruinam, imò ac propriè sub Nabuchodonosore; deinde etiam sub Vespasiano & Tito. Deniq; auolat ad Messiam: cladem minatur Idumææ: ac Judæos spe melioris sortis aliquando obuenturæ consolatur.

Aurum obscuratum.

QUæstio I. *Quo sensu & de quo dicitur* v. 1. QUOMODO OBSCURATUM EST AURUM &c.? ℟. Vult dicere, mutatam esse rerum speciem, & quæ prius bene videbantur constituta ac splendida, vt copiosam aut lautam ciuitatem addecet; sic esse jam deformata, ac sordida, vt nullum appareat ex antiqua dignitate vestigium Sed quia nihil in tota ciuitate cum templi splendore, atq; opibus conferri poterat, imò templum solum totius ciuitatis splendorem & opes longè superabat, ideo de templo multis in locis inaurato sermonem esse arbitror, quod fumus & incendium miserandum in modum deformauit

Lamia.

II *Quæ est Lamia* v. 3.? ℟. Lamia est draco Africanus, facie & mammis humanis totoq; corpore ita speciosa, vt detectis vberibus homines ad se alliciat ac deuoret, de quo Philost. l. 4. de vita Apollonij. Similia de Manticora, quæ est capite humano, corpore Leonino scribit Arist l. 2. de hist nat c. 1. Alterutrum animal intelligit hìc propheta & dicit; Cùm etiam lamia lactet catulos, crudelior videtur mater Judæa, quæ præ fame lactare non potest: sed est quasi struthio, qui oua posita in terra negligit, vel sole excludenda, vel pedibus conterenda Lamia humanam faciem habet, inquit S. Hieron. sed corpus bestiale Filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto. De hoc struthione, & in libro Job legitur: induratur ad filios suos, quasi non sint sui.

Matres similes struthioni.

III. *Quid affinitatis habet struthio cum nonnullis matribus?* ℟ In multis malæ matres similes sunt struthioni. Primum illud, quòd derelinquat oua sua, ac subtus arenam conspeliat, & obliuiscatur. Altera struthionis proprietas est, quòd tam vehementem habeat à natura insitum calorem, vt ferrum concoquere possit. Ita nunc sunt matres plurimæ comparatæ, quæ cùm proles genuerint, omnem earum, quasi suæ non essent ponunt memoriam Ipsæ feræ & Dracones majorem adhibent solertiam & curam de fœtibus, quàm matres nonnullæ Illi lactant catulos, illorum inuigilant conseruationi, tutantur & defendunt. Impiæ matres partus suos vix luci editos à suis arcent pectoribus, vilium & agrestium nutricum curis illos transcribunt: vnde miseri illi & infelices combibunt cum lacte mores viles, abjectos, subrusticos; à natiua sanguinis nobilitate degenerant, & ab auita antenatorum generositate turpissimè deflectunt. Sanè S. Chrysost. docet hom 60. in Matth. summè damnanda est patrum nonnullorum hoc in genere incuria & negligentia, *qui majorem curam equorum habent, quàm filiorum.* Quod idem S. Doctor hom 35. in Matt. deplorat. Desiderant patres filios suos in sæculo isto valere, & non curant, quid passuri sint in alio. Alij militias filiis suis prouident, alij honores, & nemo filijs suis prouidet Deum. Quibus verbis, quasi coloribus expressum nobis, parentum aliquorum genium reliquit, cùm diuitias, voluptates, honores & alia hujusmodi, quæ filij optant, soliciti quærunt; veris autem illorum animas ditare bonis negligunt. *Et nemo filijs suis prouidet Deum.* An turpius, vnquam dici potuit? nemo est, qui filijs diuinos procurare fauores, qui omnes mundi gazas longissimè superant, satagit? Tam exiguus est in hoc mundo, tanta fidei penuria! Ah parentes! filiis vestris prouidete Deum. Imitemini Tobiam, qui de fortunæ bonis minimè solicitus, prius animam filij Tobiæ virtutibus, quàm corpus diuitijs cumulare volens accersito eo ad se seriò inculcauit & dixit: *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum, & cauz, ne aliquando peccato consentias, & præterimittas præcepta Domini Dei tui.*

IV. *Quis est sensus*, QUI VESCEBANTUR IN CROCEIS, AMPLEXATI SUNT STERCORA v. 5.? Qui voluptuosè ac delicatè nutriebantur cibis croco conditis, nunc vrgente fame gaudent etiam stercoribus v. g columbinis, quod contigit in Samaria tempore Elisæi. ita Hugo. S. Thom. & Dionys. Alij de byssinis vestibus id explicant crocei coloris, quas

Gelli-

Gellius dicit non minùs ſpecioſas & pretioſas eſſe, ac coccineas ſeu purpureas. Porrò talibus olim ornati nobiles Judæi, jam ſtercoribus operiuntur, id eſt, lacinijs ſtercore & luto fœdatis, ex ſordido miniſterio, quod recentibus heris ſuis Chaldæis præſtare coguntur. Sic Joſephus cophino ſeruiuit in Ægypto pſ. 80.

V. *Quomodo major eſt effecta iniquitas Solymitanorum peccato Sodomorum?* R. Pœna iniquitatis Jeroſolymæ major eſt effecta peccato, id eſt, pœnâ peccati Sodomorum Quia *Sodoma momento vno ſubuerſa eſt* igne cælitus depluente, *& non ceperunt in ea manus* hoſtiles ſpolia & captiuos, quos lenta morte diſcruciarent, vt accidit Jeroſolymitis.

VI. *Quis eſt ſenſus* v. 14.? R. *Errauerunt* paſſim *in plateis* & foris vagabundi Judæi quaſi *cæci*, effugium quærentes, vt ſine cadauerum attactu Num. 19. v. 11. impolluti euaderent. Sed fruſtra: nam plateis multitudine cadauerum oppletis, impingebant vbiq; & *ſanguine* ex eis defluente polluebantur. Quidam cùm aliter tranſire *non poſſent*, continuerunt & leuauerunt *lacinias ſuas*, & fluidam veſtem contraxerunt, & ſic ſine cadauerum contactu pauculi pertranſierunt mundi & impolluti: qui dum alijs occurrunt jam attactu cadauerum pollutis, ne vel horum affrictu contaminarentur, *clamauerunt* obvijs *eis, recedite à me pollutis, nolite* immundi mundos *tangere*, & veſtro contactu polluere. Sed hi quaſi cœci nihil de talibus ſoliciti; impingebant vbiq; in obuios. Inde jurgia, & animorum commotiones, & pugnæ, & ſcandala, etiam gentilibus paſſim ijs inſultantibus, *non audet vtra* hæc tam impia gens, vt diutiùs *habitet* in his terris, vbi ita rixantur.

ORATIO JEREMIÆ PROPHETÆ.

CAPUT V.

Iteratis breuiter & ſummatim pœnis populo Judaico ob ſua ſcelera illatis, ſupplicat DEo, vt populum ſuum priſtino ſtatui ac felicitati reſtituere dignetur.

QUæſtio I. *Quæ eſt hæreditas* v. 2? R Judæa quam jure hæreditario poſſidebamus, jam facta eſt Chaldæorum, eiſq; eſt tributaria. Hæc prædicta fuerant antea ſæpe & expreſsè c. 6. v 12. Tranſibant domus eorum ad alteros, agri & vxores pariter. Credo hîc alluſum eſſe ad c 32. vbi Jeremias juſſus eſt à Deo, quo tempore vrbs à Chaldæis obſeſſa de ſalute, ac libertate deſperabat, agrum emere; ex quo fructum ſperabat nullum, quia ferme datus jam erat in Chaldæorum manus. Ait ergo jam propheta, accidiſſe, quod ipſe multò ſuſpicabatur antè, hæreditatem nempe ſuam, quam à patruele pretio, tempore valde importuno, compararat, veniſſe in hoſtium poteſtatem: quod idem de domibus magno aliorum labore, & ſumptu conſtructis affirmat: quæ res valde facit ad commiſerationem. Hoc tamquam vulnus ad ignominiam graue plangit Iſaias c. 1. v. 7. *Regionem veſtram coram vobis alieni deuorant.*

II. *Quid eſt ceruicibus noſtris minabamur* v. 5.? R Agebamur, ducebamur inſtar pecorum, quorum cornibus vel ceruicibus funes alligantur, & ſic per vias trahuntur. Sic & nos trahebamur, cùm cateruatim in Chaldæam velut pecora cogeremur. Minari autem ſuis ceruicibus dicuntur: quia ex heſterno opere conjectabant, quid ſibi ferendum eſſet oneris in craſtinum; quocirca illud ſibi indicebant, dicebantq;; ô collum ingenuum quondam & liberum, quot te manent onera ſeruilibus etiam ceruicibus indigna

III. *Quid eſt, in animabus noſtris afferebamus panem noſtrum?* R Cùm animæ, id eſt, vitæ periculo, ob Chaldæos vbiq; palantes, & in locis deſertis inſidiantes ac graſſantes, tam in obſidione quàm vrbe jam capta egreſſi ſumus pabulatum, vt annonam & victum ex agris in vrbem inveheremus. Sed & modicum illud panis, quod nobis ab Aſſyrijs comparabamus & afferebamus, rapiebatur in itinere, nec erat, qui nos liberaret de violentia ipſorum.

IN BARUCH PROPHETIAM.

Baruch nobilis familiæ vir, vtpote qui fratrem habuit Saraiam principem juxta Jer. c. 51. 59. collato cum c. 11. ipſius Baruch, & ſcriba Jeremiæ, poſtquam Jeremias in Ægypto à Judæis lapidatus eſſet, & Nabuchodonoſor mox Ægyptum vaſtaturus eſſet, ipſe inde ſeceſſit in Babylonem, vt Judæos ibi captiuos conſolaretur, ibiq; anno quinto poſt exciſam Jeruſalem ſcripſit hunc librum, quamuis ipſe non tam auctor, quàm ſcriptor ſit, eò quòd ſcripſerit id, quod juſſerat antè & dictauerat Jeremias. Hinc citatur à Patribus ſub nomine Jeremiæ, & à quibuſdam dum recenſent libros ſacros ideo omitti videtur, quod ſpeciali nomine Baruch non inſigniretur. Quòd autem idem

liber

liber in canone Hebræorum non habeatur, non concludit eum non esse Canonicum; nam etiam libri Machabæorum, Tobias, Judith, Ecclesiasticus, Sapientia in eodem non sunt. Satis est, hujusmodi libros esse in canone Christianorum juxta Florentinum & Tridentinum.

CAPUT I.

Epistola est Judæorum Babylone captiuorum ad suos contribules in Jerusalem, qua significant se lectione libri Baruch (quem eâdem operâ transmittunt) compunctos fuisse, rogareq;, vt orent & sacrificium offerri faciant pro se, & pro Nabuchodonosor, ejusq; filio Baltassare.

QUæstio I. *Quid est*, SINT DIES EORUM SICUT DIES CÆLI v. 11.? ℟ Sint dies eorum diuturni & longæui, vt viuant quamdiu cœlum durabit. 2dò sint tranquilli, constantes, & felicissimi, sicut vita cœlicolarum tranquilla est, constans, & felicissima. Est hyperbole. Sic dicitur de Salomone ps. 88. 30. *Et ponam in sæculum sæculi semen ejus, & thronum ejus sicut dies cæli.* q. d. vivat & regnet Salomon diutissimè, adeoq; si fieri posset, optaremus ei regnum semper durans & perpetuum, sicut cœli perpetuò durant, idq; constanter in eodem semper tenore, modo & ordine, cùm elementa & elementaria quotidie mutentur, nascantur, crescant, senescant, oriantur, occidant.

II. *Quid est* ILLUMINET OCULOS NOSTROS v. 12.? ℟ Non ad cognoscenda peccata, vt vult Theodor. sed vt luce, id est prosperitate & lætitia perfundat nos. Lux est symbolum & causa prosperitatis & lætitiæ, sicut tenebræ aduersitatis & tristitiæ 2dò illuminet oculos nostros, vt scil. videamus, quæ nobis agenda, quæ fugienda sint, quomodo cautè & religiosè inter barbaros viuere, quomodo prudenter & decenter cum Chaldæis agere debeamus.

CAPUT II.

Pergit confiteri, quòd justè Judæi à Deo puniantur. Deinde pro eis intercedit, oratq; veniam, eò quòd ipsi sint populus Dei, cui pœnitenti eam Deus promisit, & quia per hoc celebrabitur Dei nomen, & magnifica clementia ac potentia.

QUæstio I. *Quo sensu dicitur* v. 17. MORTUI NON DABUNT HONOREM ET JUSTIFICATIONEM DOMINO? ℟ Non prædicabunt gloriam & justitiam diuinam, nempe ore & lingua sua, idq; apud homines hujus mundi: nam horum respectu, laus quam sola anima dat Deo, nulla est, vti nec vox nec vita, quia non sentitur à viuentibus. Laus ergo Dei, quam inculcat toties vetus scriptura per antonomasiam, est externa illa & perceptibilis laus, quæ alios ædificet & excitet, qualis est publica pœnitentium oratio, vel diuinam misericordiam pro se, pro alijs implorantium, vel laudantium v. g. in templo, in synagoga & alijs locis. Vt ergo non planè intereat hæc laudatio, & glorificatio ne sinas nos miserijs & ærumnis hujus exilij & captiuitatis emori atq; exstingui: nam nobis extinctis, à quibus solis publicè coleris, nobiscum extinguetur omnis cultus publicus, omnis laudatio, omnis glorificatio nominis tui in terra Quod si nos miseros & ærumnosos saluaueris, en tibi segetem vberrimam laudis & glorificationis.

Mortui non laudant Deum.

II. *An sancti sint inuocandi, cùm mortui non laudent Deum*, vt hîc dicitur & ps. 113. 26. & Eccli 17. 26.? ℟ inuocandos esse. Mortui dicuntur non laudare Deum, non quasi id omnino non faciant, vt volunt hæretici, sed falsò & imperitè. Si enim ipsi putant, mortuos non posse laudare Deum, quia nihil sunt, quasi anima cum corpore eorum interierit, sunt athei. Si nolle, sunt blasphemi in animas justas & sanctas, & contrarium patet Apoc. 5. v. 14. vbi S. Joannes vidit 24. seniores Deum adorantes & glorificantes. Dicuntur ergo mortui non laudare Deum imò quia quà mortui sunt non possunt suo corpore, ore & lingua (hæc enim jam mortua & in puluerem redacta sunt) Deum laudare: & hoc est quod ait Ecclus c. 17. 26. *à mortuo quasi nihil, perit confessio*, id est, laus DEi. 2dò mortui non laudant Deum ea laude qua viuentes id faciunt, nec ea laude quæ à viuentibus audiatur vnde respectu viuentium nulla est eorum laus, vt nec vox aut vita. Vide q. præced.

CAPUT III.

Continuat preces vsq; ad v. 9. Inde docet tam Judæos quàm gentes periisse ob neglectum sapientiæ; quæ consistit in cognitione Dei ejusdemq; amore & cultu, maximè per obseruantiam legis diuinæ.

Quæ-

QUæstio I. *Quos intelligit* v. 4. AUDI ORATIONEM MORTUORUM ISRAEL? ℟ Eos qui manu Chaldæorum occisi sunt; qui licet peccarint, pœnituerunt tamen, & jam in limbo supplicant tibi pro filiorum suorum liberatione, inquit Theodor. Sed Maldonatus per mortuos mauult intelligere captiuos Judæos adeo afflictos, vt nihil à mortuis differre viderentur.

II. *Quia est* DISPERSISTI NOS IN PECCATUM v. 8.? ℟ In pœnam & opproprium peccati, vt ab omnibus vocemur magni peccatores, quòd ob peccata tantas ærumnas patiamur. ita Hugo & Lyran. Aliter Dionys. *in peccatum*, inquit, id est, in peccati v g idololatriæ occasiones, quas habemus in assidua cum Chaldæis idololatris conuersatione.

III. *De qua domo loquitur* v. 24. O ISRAEL QUAM MAGNA EST DOMUS DEI? Per Domum Dei non intelligit templum Jerosolymitanum, vt vult Hugo; non etiam cœlum tantùm, vt vult Lyranus, nec enim in templo aut cœlo fuerunt gigantes; templum etiam suum habet finem, quorum hic vtrumq; de domo Dei negatur. Domus ergo Dei hic est totus mundus. ita S. Amb. l. 6. Hexam. 4. & alij.

IV. *Quando Deus in terra visus est & cum hominibus conuersatus est* v. 38? ℟ In terra visus scil Deus, qui est ipsa sapientia, dum carnem induit & cum hominibus per 33 annos conuersatus est: visus est, id est, nascetur & videbitur, conuersatus est, id est, conuersabitur, loquitur enim propheticè ita passim SS. PP vbi nota. In Incarnatione tam arcta fuit vnio Dei cum homine in Christo, vt viso hoc homine, putà Jesu, verè Deus videri diceretur, & hoc homine inter homines ambulante & conuersante, verè Deus ipse ambulare & conuersari cum hominibus dici posset, adeoq; eumdem hominem digito demonstrantes, verè dicere possemus: hic est Deus noster. Per incarnationem enim Deitas & humanitas ita vnita sunt in vna hypostasi, vt ipsæ idiomata & attributa mutua sibi inuicem communicarint tamq; dici possit, quòd Deus sit natus, visus, passus, crucifixus, mortuus; quàm quòd hic homo, putà Jesus, sit filius Dei, homousios Patri, æternus, immensus &c. Vox enim *hic homo* & vox *Deus* in Christo vnam eamdemq; hypostasin significant, scil Verbi & Filij Dei, quæ vtramq; naturam, diuinam scil. & humanam sustentauit, cui proinde omnia, attributa & actiones, æquè ac passiones tam humanitatis, quam diuinitatis competunt, verèq; attribuuntur, ita à Lap. *Deus in terris visus.*

CAPUT IV.

Pergit hortari suos ad amplexandam legem diuinam, Deumq; colendum: hanc enim esse summam sapientiam. Inde inducit Jerosolymam quasi matrem lugentem filiorum suorum captiuitatem, sed hanc mox lætatur, prædicens excidium Babylonis & Judæorum liberationem.

QUæstio I. *De quo libro sit sermo* v. 1.? ℟ Sapientia quam commendauit cap. præced. continetur libro *mandatorum Dei*, imò est ipsa lex per Mosen vobis tradita, *quæ est* duratura *in æternum*, in seipsa, quo ad præcepta moralia. in antitypo suo, quo ad cæremonialia, quæ per ea, & in eis quæ præsignificabant, & adumbrabant, putà mysteria Christi & Ecclesiæ Christianæ, complentur & durant æternum, & *omnes qui tenent* & obseruant hanc legem, *peruenient ad vitam* æternam. Saluabantur enim, quicumq; eam ex charitate & obedientia obseruabant, inquit Maldonatus.

II. *Quia est*, NE TRADAS ALTERI genti GLORIAM TUAM ET DIGNITATEM? ℟ Ne patiaris tibi ab vlla gente quantumcumq; blandiente & vrgente, eripi gloriam obsequij mandatorum Dei, & dignitatem cultus diuini ac religionis, qua tam celebris es ac splendes apud omnes gentes. ita Maldon. & à Lap.

III. *Quam nutricem intelligit* v. 8. ? ℟ Synagogam, seu Ecclesiam Dei, cujus caput & nobiliora membra residebant Jerosolymis; sed ipsa se extendebat ad omnem Judæam, imò & extra Judæam, & omnia loca, in quibus Judæi commorabantur. Hanc vocat nutricem, seu matrem Judæorum, quia illos in fide & lege diuina, ejusq; cultu nutrierat. Et meritò quidem contristata hæc fuit tum ob scelera vestra, tum ob pœnas sceleribus debitas.

CAPUT V.

Jubet Jerusalem induere vestem lætitiæ, ob lætum filiorum è Babylone reditum, DEo præeunte, ac rebus omnibus in via illis collatantibus. Allegor. in salute, liberatione & gloria per Christum parta.

QUæstio I. *Qua est diplois* v. 2.? ℟. Diplois, seu duplex vestis, erat tunica talaris matronarum primæ notæ, panno & pellibus inserta ac suffulta, & ideo duplex dicta, seu duplicata. Hanc vocat justitiæ diploidem, quia promissam Israeli pœnitenti, ac proinde debitam illi ex fidelitate ac justitia. Sic per mitram ornamentum capitis muliebre intelligit, q. d. Sicut regina ornatur suâ mitrâ ac diploide, ita Jerusalem rursus sua *Diplois.*

priſtinâ gloriâ ac decore reueſtietur atq; exornabitur. ita Maldon.

II *Quid eſt, nominabitur tibi nomen:* PAX IUSTITIÆ ET HONOR PIETATIS v. 4.? R. Nominabitur, id eſt, imponetur tibi nomen à DEo, ſcil. *pax juſtitiæ & honor pietatis.* Vocari & nominari ponitur pro eſſe q. d. O Ieruſalem eris ciuitas, in qua abundabit pax nata ex juſtitia, & honor ſiue gloria ex pietate prouenieus, ita vt vocari meritò poſſis imò pax juſtitiæ, id eſt, abundans pace, hoc eſt, proſperitate & rerum copia, quæ tibi obueniet ex juſtitia, qua Deus juſtè tuos oppreſſores & tyrannos Chaldæos euertet, teq; ex eis liberabit: item ex juſtitia, quam coles, quaq; tuos ciues gubernabis. 2dò eris & vocaberis *honor*, id eſt, gloria *pietatis*, vt omnes gentes perpetuò tuam pietatem, id eſt, DEi cultum & religionem celebrent. Hæc & ſequentia inchoatè competunt Jeruſalem Judaicæ è Babylone redeunti ſub Esdra. plenè verò competunt eidem Chriſtianæ, hoc eſt Eccleſiæ, quæ in Jeruſalem cœpit, & à captiuitate peccati & diaboli liberata eſt per Chriſtum. ita Theodor. Hugo, & Lyran.

III. *Quis eſt ſenſus* v. 6. *Adducet illos Dominus ad te portatos in honore ſicut filios regni?* R. Honorificè reductos, equisq; & curribus vectos quaſi filios regum. Cyrus enim dedit redeuntibus aurum, argentum, equos, camelos 1. Esdræ 2. 66. Quin & Darius rex miſit cum eis equites mille, donec deducerent eos in Jeruſalem cum pace, & cum muſicis & cum tympanis, & cum tibijs, & omnes fratres erant ludentes, vt dicitur 3. Esdræ 5. 2.

IV. *Quo ſenſu dicitur* v. 7. CONSTITUIT DOMINUS HUMILIARE OMNEM MONTEM? R. Eſt allegoria ſignificans tantùm, quòd Deus redeuntibus è Babylone omnem vitæ aſperitatem leniet & auferet, ait Theodor. atq; hoſtes vel apertè in montibus, vel clàm in latebris vallium Judæis inſidiantes reprimet & compeſcet, vt eis nocere non poſſint: nec enim legimus Deum propriè eis complanaſſe montes, & valles impleſſe.

CAPUT VI.

Epiſtola Jeremiæ, qua Judæos in Chaldæam deportandos hortatur, ne ad Chaldæorum idola colenda pertrahi ſe ſinant: illa enim nihil aliud eſſe, quàm truncos vel lapides, ad nihil aptos aut vtiles.

QUæſtio I. *Quomodo intelligendum* v. 2. *Eritis in Babylone, vsq; ad generationes ſeptem?* R. Usq; ad expletos 70. annos. Per generationem, græcè Genean, id eſt, ætatem vel progeniem intelligit ſpatium decem annorum, inquit & probat Corn. à Lap. vel ſpatium 7. annorum, vt ſolent medici, dum vetant ante duas generationes venam puero incidi, id eſt, ante annum 14. ætatis: & Orpheus apud Suidam dicitur vixiſſe nouem generationes, id eſt 63. annos. Secundùm has varias acceptiones vario modo & à varijs initijs inchoandæ ſunt hæ 7. generationes: nempe veroſimiliùs à 13. anno Joſiæ, regis Judæ, ſi ſingulis generationibus denarium annorum aſſignes: ſin ſeptenarium, à 4. anno regis Joakim, à quo vsq; ad annum primum monarchiæ Cyri fluxerunt anni 49. id eſt, ſepties ſeptem anni.

II. *Cur dicitur* v. 41. *Quaſi poſſint ſentire, quæ non habent motum?* R. Quia non poteſt quippiam, quod totum ſit atq; integrum, & ſuam naturam retineat, tali motu carens, habere ſenſum. Omne ergo quod ſentit, per ſe & moueri poteſt, vel progrediendo, vel ſe dilatando & contrahendo. Dico per ſe: nam per accidens, putà per morbos, & in toto animali, & in parte poteſt perire motus manente ſenſu: in toto quidem, vt per catalepſim; in parte verò, cùm paralyſis non procedit vsq; ad ſensûs ſublationem. Adde, ex motu nos judicare de ſenſu & vita: vnde Eccleſia non baptizat abortiuos fœtus, niſi motus alicujus ſpeciem præſeferant. Hæc & plura Valeſius ſacræ Philoſophiæ c. 79. Ratio à priori eſt, quia animalia omnia habent cerebrum: à cerebro autem quaſi à proprio principio manat tam motus, quàm ſenſus, per inſtrumenta, ſcilicet per neruos & muſculos.

Mulieres circumdatæ funibus

III. *Quis eſt ſenſus* v. 42. *Mulieres circumdatæ funibus in vijs ſedent ſuccendentes oſſa oliuarum.* R. Herodotus lib. 1. refert: Babylonias & Cyprias virgines, ante matrimonium, imò omnes eorum mulieres ſic coluiſſe venerem; vt ſemel ſaltem in vita ad Veneris templum deſiderent, ſuamq; pudicitiam exponerent, vt qui primus obuius vellet, eis abuteretur, dato tamen pretio cum hac imprecatione: *Tanti ego tibi Deam Melyttam*, id eſt, Venerem, *imploro*, hocq; pretium iſtæ illuſæ templo Veneris dicabant, ſicq; virginitate quaſi Veneri dicata, putabant ſe fauſtas inire nuptias. Hæ mulieres cingulo vel funiculo corpus vinciebant, vt ſignificarent ſe virgines & Veneris religione & amore captas detineri, hocq; ſigno quaſi Veneri ſacras, primo obuio ſui copiam facere, & petere vt funem ſoluat, & nefaria ſacra Veneri faciat: ſicq; inceſta copulatione, ceſto ſeu zona diſrupta, matrimonium inibant. Idem faciebant conjugatæ ſi Veneri ſe dicare vellent. Hinc ceſtus ſeu zona priſcis ſignum erat virginis & virginitatis, quam tum primùm ſoluebant mariti, cùm noua nupta primò eorum thalamum ſubibat. Mulieres ergo amaſios quærentes funibus cinctæ ſedebant ad fores Veneris, ſiue fani illius, expectantes juuenem, qui cingulum rumperet, ita proſtituebant virginitatem in honorem Veneris. Aliæ cùm eſſent deformes & nulli placerent, oſſa oliua-

Oſſa oliuarum.

rum

rum cremabant, & harum cineres supra capita spargebant, philtri faciendi causa, carminibus adhibitis, Hanc turpitudinem eis exprobat Propheta.

IV. *Quid per formidinem in cucumerario intelligitur* v. 69.? ℟. Terriculamentum v. g. puer stramineus positus in horto cum arcu, vt aues terreat & fuget, quæ cùm vident puerum non moueri, pulso timore libere in cucumeres inuolant. Comparat idola hisce terriculis auium, quæ fructus verè non custodiunt, sed tantùm ex opinione & phantasia auium, quæ putant ea esse veros homines, cùm tantùm sint simulacra hominum, sic enim & idola non sunt Dij, sed simulacra. 2dò comparat ea spinæ hortensi, id est, rhamno, cui aues liberè insident, cùm videant spinam esse sine aculeis. 3tiò cadaueri mortuo & insensibili. *Formido in cucumerario.*

V. *Quid est: A purpura quoq; & murice, quæ supra illos tineant, scietis itaq; quia non sunt Dij* v. 71.? ℟. à vestibus idolorum, purpureo & muriceo seu conchyliato colore infectis, quæ statuis impositæ tineant, id est, à tineis arroduntur, & consumuntur; *scietis itaq;*, Maldonatus ex Græco legit, *vtiq;*, quòd *non sunt Dij*, sed *opprobrium in regione*, id est, passim omnibus risui & probro Quis enim non rideat, cùm videt truncum cariosum, pedibus, manibus, naso mutilum adorari, vel adoratum fuisse. Ex quibus omnibus hoc toto capite deductis manifestè refellitur Caluini mendacium, quo ait, Gentiles non adorasse ligna vel lapides, sed in ijs tamquam in imagine, verum Deum, vt nunc faciunt Catholici. Nam singuli pene versus hujus capitis perstringunt hîc Babylonios, quòd ipsamet ligna & lapides pro Dijs colerent, & hoc eodem nomine Gentiles alios rident passim Arnobius, Lactantius, Tertull. Justinus, & alij Patres.

QUÆSTIONES EXEGETICÆ IN PROPHETIAM EZECHIELIS.

Ezechiel fuit Sacerdos, teste ipsomet c. 1. v. 3. Cæpit prophetare anno quinto, postquam abductus est in Babylonem, siue anno quinto transmigrationis Joachin, qui idem fuit quintus regni Sedeciæ. Cœpit ergo post Isaiam annis 199; post Jeremiam 34. ante Danielem 22. si historiam Susannæ excipias, quando Daniel etiamnum junior Prophetam egit. Argumentum ei idem est, quod Jeremiæ. In hoc solùm varietas, quòd quæ Jeremias clarè & apertè Judæis Jerosolymæ, eadem Judæis in Babylonia Ezechiel tectè per figuras & ænigmata proponat. Unde illum S. Hieron. Oceanum Scripturarum, & mysteriorum DEi labyrinthum appellauit in commentarijs super Ezech. Martyrem fuisse, à Judæis imò à duce populi Judaici occisum, quòd eos idololatriæ argueret, docet Martyrologium Romanum 10. Aprilis.

CAPUT I.

Ezechiel videt currum glorioſum, Deumq; in ſolio ei præſidentem. 1mò ergo videt turbinem, nubem & ignem venientia ab Aquilone. 2dò ex igne videt prodeuntia animalia 4, ſingula cum quaternis faciebus, ſcil. hominis, & à dextro ejus leonis, à ſiniſtris bouis, deſuper aquilæ, quæ ibant inſtar fulguris. 3tiò videt 4 rotas horrendæ altitudinis, plenas oculis, quæ pariter cum 4 animalibus incedebant, habebant enim ſpiritum vitæ. 4tò videt ſuper animalia firmamentum inſtar cryſtalli horribilis, & in eo ſolium ex ſapphiro. 5tò videt in ſolio ſedentem hominem, ſupernè ſimilem electro, infernè totum igneum & amictum iride.

QUæstio I. *Cur juxta aquas Ezechiel & Daniel viderint ſuas viſiones, & myſteria diuina?* ℟. Quia prophetæ juxta fluenta, quasi loco silenti & amœno, & suaui murmure aquæ, quasi musica Elizæi (4 Reg. 3, 15.) delectati & excitati, mentem in Deum eleuabant, itaq; per orationem & contemplationem ad visiones & raptus diuinos se disponebant.

II *Quid indicat ventus turbinis* v. 4.? ℟. Indignationem Dei & vindictam validam, & celerem quæ venit ab Aquilone, id est, è Babylone: significat enim Babylonios, qui ad Aquilonem erant respectu Jerusalem, eam euersuros. Eosdem specie ollæ succensæ venientes ab Aquilone vidit & prædixit Jeremias c. 1. Licet enim Ezechiel in Babylone esset, ibiq; hæc videret, tamen quia de Judæa agit, ita loquitur, ac si Jerosolymis esset. *Vindicta Dei.*

ita Maldon. Simile est Jer. 23. 19. *Ecce turbo Dominica indignationis egredietur, & tempestas erumpens super capita impiorum.*

Nubes magna ira Dei.

III. *Quid significat nubes magna?* ℟ iram Dei, jam tela omnia, & dira in Judæos hostes suos parantem. Nubes enim copiam & inundationem hastarum & telorum significat, ait Theodor. & S. Hieron. Quòd nubes, inquit, magna describitur, intelligimus eam imbres euersionum super Judæam, pluuiasq; allisionum portare.

IV. *Cur in circuitu nubis splendor se effundebat eximius?* ℟ Quia Deus & Sedeciæ cum suis parabat excidium, & Jechoniæ cum captiuatis restitutionem, ideo in ipsa nube effectus vtriusq; signa commonstrauit, in igne vindictam, in splendore felicitatem. ita S. Hieron. & Rup. Utrumq; autem in aëre suspensum ostenditur, hinc ignis inuoluens, inde circumfusus splendor, ad indicandum, duo illa, scil. perniciem ac felicitatem in potestate liberi arbitrij posita: liberumq; Judæis, vtrolibet inclinare.

Electrum.

V. *Quid est electrum?* ℟ est æs selectum & præstantissimum, quod vocatur aurichalcum, quasi aureum æs, quia fulget, vt aurum, durum est, vt æs. Vel etiam *aureum æs*, quia non rarò aliquid auri admiscebatur: saltem instar auri splendebat, imò splendore aurum superabat. teste S Hieron. Theodor. Scaligero & alijs. Vnde & præ omnibus metallis apud veteres habitum fuit in pretio, vt Seruius scribit, & ex eo plurima vasa templi Salomon confecit teste Josepho & 3 Reg. 7. v. 45.

Animalia 4 in medio ignis.

VI. *Quid sentendum de 4 animalibus in medio ignis* v. 5.? ℟ Non erant vera & bruta animalia, sed tantùm animalium figuræ & similitudines. Erat enim visio symbolica; & symbola rerum erant quæ videbantur, non realia animalia, *Similitudo hominis* erat *in eis*, id est, forma eorum erat humana, nempe facie reliquoq; corpore videbantur esse homines. Fuisse autem non vnum animal multiplex ac polymorphum, sed plura fuisse & hîc aperitur & clariùs exponitur Apoc 4. 6 Repræsentabantur autem per ea, siue significabantur, 4 Principes Angelorum, Dei stipatores. *Quatuor facies vni* &c. Itaq; vnumquodq; animal habebat in vno suo corpore quadruplex caput, vel potiùs in vno capite, 4 facies: faciem hominis tamquam præcipuam & eminentem, cui ad dexteram inserta erat facies leonis, & ad siniſtram facies vituli, sursum autem facies aquilæ assurgebat. Reliquo corpore (exceptis pedibus vitulinis) erant similes pulcherrimis juuenibus armatis, vt eos depingit Alcazar, qui instar militum stipabant currum bellicum Dei, ad excidium Judæorum & aliarum gentium properantis. Solebant enim olim milites, teste Plinio & Plutarcho in Mario terrifica monstra animalium ac ferè hiantium præferre in galeis ad virium & roboris ostentationem, simul & ad hostium terrorem.

VII. *Cur Cherubini facies leonu, vituli & aquila potiùs quàm lupi, agni vel vulturis aut aliorum animalium sibi pro Galea assumpserunt?* ℟ Causam dat Pererius & Alcazar, quia tria ista animalia principes & quasi reges sunt in suo genere, leo inter feras, bos inter armenta, aquila inter volucres, sicut homo inter omnia animalia. Allegoricè, quatuor facies Cherubim quadriformem in Christo dignitatem principaliter designant, Aquila diuinitatem, homo humanam naturam, leo regiam majestatem, vitulus sacerdotij simul & victimæ præcellentiam.

Pedes recti.

VIII. *Qui sunt pedes recti* v. 7.? ℟ Sunt humani, quia brutorum sunt recurui, in poplite enim curuantur: homo autem poplitem non habet in pedibus, vti bruta, sed in genibus illa ergo curuat homo, pedes verò habet rectos. Itaq; licet planta eorum esset vitulina, puta vngula bifida, pedes tamen, siue tibiæ erant humani non vitulini. Vnde *recti* vocantur, ne quis eis ob vngulam, porportionem, aut pulchritudinem deesse suspicaretur. Hinc patet hæc animalia, non 4. vt volunt Dionys. Carthus. & aliqui alij, sed duos tantùm habuisse pedes, erant enim specie humana, vt patet v. 5. homo autem bipes est non quadrupes. Perperam etiam ait Serranus, hæc animalia quaternos habuisse pedes, vti quaternas habebant facies, alas & manus. De pedibus enim id falsum est, de cæteris verum. Porrò hæc pedum rectitudo, Cherubinorum promptitudinem & alacritatem insinuat, quasi expeditorum ad omnem aurigæ sui nutum.

Æs candens.

IX. *Quo sensu dicitur* ET SCINTILLÆ QUASI ASPECTUS ÆRIS CANDENTIS v. 7.? ℟ Per æs candens Vatablus intelligit chalybem, q. d. Mittebant scintillas tales, quales chalybs politus emittit. Animalia hæc habebant pedes ex ære polito, siue ex aurichalco, ac proinde fulgentes & scintillantes. Rursus insistebant in medio ignis, ergo igniti scintillabant. Deniq; ex igne elatæ scintillæ, & ab animalibus eorumq; pedibus repercussæ, coruscabant quasi æs vel chalybs candens.

Pennæ junctæ.

X. *Quomodo junctæ erant pennæ alterius ad alterum?* ℟ Quando hæc 4 animalia explibant & expandebant alas ad volandum, tunc inter duos priores Cherubinos, vnus suâ alâ alam alterius tangebat: similiter & inter duos posteriores, qui erant ad duas vltimas rotas currûs Dei, vnus suâ alâ alam alterius contingebat. Porrò hæc conjunctio significabat tum eorum vnionem, tum motum parem & vniformem, quòd scil. vno eodemq; impetu omnia simul in eamdem partem, æqualiq; celeritate, volare possent, & reipsa volarent. ita Maldon.

XI.

XI. *Quomodo dicit* v. 14. IBANT ET REVERTEBANTUR? R non retrò: hoc enim negauit v. 7. & 17. sed in latus vel in gyrum. q. d. ad nutum aurigæ putà aurigantis Dei, nunc huc, nunc illuc, se flectebant, aut circumvoluebant. ita aliqui. idò & melius Vatablus q d. Dum irent Cherubini non aspiciebant huc, illuc, sed rectà ad locum, ad quem impetu spiritus Dei agebantur, tendebant: cùm autem venissent ad locum, ad quem impetu spiritus Dei agebantur, tendebant, cùm autem venissent ad locum quò mittebantur, reuertebantur, id est, conuertebant se, & ibant quocumq; Deus jubebat: aut reuertebantur, vt rursum se sisterent Deo, quasi prompti ad alia ejus jussa excipienda, & pari rectitudine & fortitudine exequenda.

XII. *Qualibus oculis totum corpus rotarum plenum erat?* R Canthi rotarum erant pleni oculis, quales sunt in caudis pauonum, nempe ex lucis & coloris marini commistione ac reflexione. Alludit ad cœlos stellis quasi lucidissimis ocelis & flosculis ornatos. Significat autem motus omnes ac designationes diuinas, vt oculatissimas ita certissimas esse ac infallibiles, inquid Fernandez. *Rotæ plenæ oculis.*

XIII. *Quo Spiritu Dei dicitur fuisse in rotis* v. 21. ? R Quocumq; animalium spiritus impellebat animalia, eò spiritus rotarum impellebat & rotas. Erat enim vnus idemq; hic Dei spiritus, æqualiter non animans, sed impellens tam rotas quam animalia. Sensus est: hoc Dei vehiculum non trahebatur equis, bobus aut camelis; sed per se currebat, ac si vitam habuisset, animalibus præcedeutibus & rotis subsequentibus per se motis ex vi & impulsu, quem Deus ijs per Angelos imprimebat. Hinc Cherubim præeunt, eorumq; ductum ac motum per omnia sequuntur rotæ. *Spiritus Dei in rotis.*

XIV. *Cur animalia audita voce super firmamentum, subitò alas suas submiserunt, volantumq; suum siterunt* v. 25? R det S Greg. hom. 2. in Ezech in sensu morali animalia illa alata adumbrasse feruentes illas in DEi seruitio animas quarum conuersatio est in cœlis. In homine mansueti, fortes in leone, in boue laborioli, docti in aquila signabantur. Vox super firmamentum auditur tunc, quando creata omnia transcendens, oculos fidei in Creatoris lumen defigit qui vbiq; est, & tamen ab impij cogitatione longè abest. Sed nec ibi deficit, vbi abest, vbi enim per gratiam præsens non est, adest per vindictam. Hæc igitur occulta judicia profundè cogitare sunt verba S Gregorij, quid est aliud, quàm alas deponere, id est, de nulla jam virtute considere, sed sub magno timore trepidare? siue enim omnipotentis DEi naturam considerent, siue ejus judicia perpendant, trepidant & pertimescunt. Eis ergo, quasi alas deponere, est virtutes, quas habent, humiliare. Hæc ille. Diuinorum judiciorum consideratio justorum corda palpitare facit, nesciunt enim, quid eis olim futurum sit. Quis nostrûm, inquiunt, nouit, an finalis perseuerantiæ dono beandus sit? Incertum illud & dubium est. Et nonne per occulta sua Deus judicia, quemuis nostrûm deserere potest? Virtutis cujusdam in nobis apparentia est, sed quis scit, an vera sit & germana, an non sit etiam adulterina? Nonne nostra opera subtilissimo arrogantiæ quodam spiritu attaminata esse possunt? & quàm exigua illa sunt, quæ operati sumus, eorum aspectu, in quæ nos debuimus explicare: quàm malè diuinis respondemus fauoribus? *Judicia Dei.*

CAPUT II.

Visione capitis præced. interiùs instructus Ezechiel, atq; exteriùs verbis à Deo confirmatus, mittitur ad prophetandum contumaci populo Judaico: accipit à Deo librum plenum lamentationibus, carmine & væ, vt horum comminatione obstinatos reuocet ad pœnitentiam & ad Deum.

QUæstio I. *Quæ est visio similitudinis gloriæ Domini* v. 1.? R. De qua actum est c præced. Visio currûs Cherubim, 4. animalium quadrifacialium, 4 rotarum plenarum oculis, firmamenti crystallini, solij & in eo sedentis regis, supernè instar electri, infernè instar ignis. Hæc erat visio gloriæ & magnificentiæ Domini, quam ipse his figuris & symbolis repræsentabat. Gloria enim Domini in se nulli mortali, sed solis Beatis visibilis est.

II. *Cur Ezechiel vocatur filius hominis, hebr. filius Adam?* R. Vult dicere: etsi verseris inter Cherubinos, etsi fruaris sublimi visione, etsi eucharis ad cælestem contemplationem, & ad munus propheticum, semper memineris te hominem esse, ex terra & puluere concretum, & in cineres mox resoluendum. Ne superbias, cùm eleuo te ad prophetiam hanc, & ad visionem tam admirabilem DEi & Cherubim, inquit Vatabl quasi sis Angelus: es enim Adam, id est, homo, ab humo rubra, miser peccator, & filius Adæ. Memento quis sis ex infirmitate, ne extollaris de contemplationis magnitudine, ait S Greg. hom. 14. Memento tuæ conditionis, vt videas, quantum ab Angelis, quorum colloquio frueris, distes, idq; grata mentis cogitatione pertrectes. *Ezechiel Filius hominis.*

III. *Quo sensu dicitur, Ezechiel cum scorpionibus habitare,* v. 6.? R det S Greg hom 9. in Ezech. Scorpio palpando incedit, sed caudâ. Nec mordet à facie, sed à posterioribus nocet, *Scorpio.*

cet Scorpiones sunt omnes blandi & malitiosi; qui bonis quidem in faciem non resistunt, sed mox vt recesserunt, derogant. Scorpiones sunt, qui blandi & innoxij in facie videntur, sed post dorsum portant, vnde venenum fundant. Hæc S. Greg. Gemina ora habet scorpius, & vtroq; velle te osculari, quasi ore vno suum nequiret in te exprimere amorem, apparet: sed interim cùm suis te amplexibus stringit, crudeliter ferit, sauciat, & intoxicat. Haud aliter nonnulli faciunt, qui in facie quidem homines laudant, ac mirè extollunt, sed à tergo, & cùm parum ab eis recesserint, illos vilipendunt, ac maledictis lacerant. Gens, quæ tota deforis placida apparet & mansueta intus tamen & in corde feri sunt & turbati. Quò magis hujusce farinæ socij blandiuntur, eò pernicioſiùs insidiantur. Mel ore, nouaculam manibus circumferunt. Mala vestra madentibus deplorant oculis: cor tamen intus jubilat & tripudiat. Fauſtos apprecantur dies, sed interim æternam noctem vouent. Manus basijs onerant, quas sæpius obtruncatas mallent.

Lamentatio, carmẽ & væ.

IV. *Quid per lamentationes, carmen & væ scriptis in libro Ezechielis denotatur?* ℟. Lamentatio est simplex planctus; carmen est vehementior, & præmeditatus; væ etiam tunsionem & complosionem significat. q. d. Scripta erant in eo excidium vrbis & templi, exilium & captiuitas Judæorum, omniaq; mala eis euentura. Hic ergo liber non continebat totam prophetiam Ezechielis: nam in ea sunt multa læta multaq; promissa; sed tantùm priorem ejus partem, quæ minax est, tristis & funesta. Aquila, Orig. S. Hieron. S. Amb. S. Greg. per carmen accipunt læta promissa. S. Greg. hîc hom. 9. Lamentationes ait esse pœnitentium, carmina beatorum, væ damnatorum. S. Amb. l. 2. de Pœnitentia c. 6. Ezechiel ait jussus est flere Jerusalem, & accepit librum, in cujus capite scripta erant lamentatio & melos, & væ: duo tristia, & vnum delectabile: quoniam ille saluus erit in futuro, qui in hoc sæculo plùs fleuerit. Prior tamen sententia est textui conformior, vt nimirum carmen interjectum inter lamentationes & væ ejusdem cum ijs sit rationis, sitq; carmen triste, & threnodum. Omnia enim minacia sunt & funesta.

CAPUT III.

Deuorato volumine mittitur Ezechiel ad Judæos Babylone captiuos: vbi iterum visione gloriæ DEI corroboratus, exstimulatur ad officium propheticum strenuè obeundum.

Voluminis comestio.

QUæstio I. *Quomodo jubetur Ezechiel comedere librum?* ℟ Non ore corporali, sed per visionem imaginariam, qua hæc omnia Ezechieli repræsentabantur, vnde dicitur v. 10. *Omnes sermones meos, quos loquor ad te assume in corde tuo.* q. d. hæc traditio voluminis, symbolum est legationis tuæ, tibiq; infundi spiritum prophetiæ, comestio verò significat ea, quæ in illa audis & vides, in intima animæ tuæ ruminando & meditando transmitti; vt cum affectu & ex calore interno ac toto animo & spiritu, ea populo proloquaris: sic vinum & cibus sanguinem & spiritus excitant, & nouos suggerunt, qui linguam faciunt disertam.

Volumen dulce sicut mel.

II. *Quo sensu factum est volumen dulce sicut mel in ore Ezechielis?* ℟ Valde suaue est nosse diuina & arcana Dei consilia ac judicia, inquit S. Hieron. & Theodor. Dulce item est zelanti Dei justitiam, prædicere ac minari, quin & videre peccatorum punitionem. Subinde tamen amaricatur venter hîc v. 14. & Apoc. 10. v. 9. ex condolentia seu compassione, vel etiam ex persecutione inde emergente: mox enim obuium sensit Manassen, Joakimum, Sedeciam, Herodem &c. sicut fit pilulis medicorum, quæ foris sunt deauratæ vel saccharatæ deglutiuntur cum suauitate; sed cùm in ventre dissoluuntur, alòe, myrrha, crocus &c. ventrem amaricant, & torminibus eum cruciant, ac quasi lacerant. Sic ait S. Thom. in Apoc 10. Verbum Dei dulce est rationi, sed amarum sensualitati.

III. *Quo sensu dicit Ezechiel* v. 14. ABII AMARUS IN INDIGNATIONE SPIRITUS MEI? ℟ in indignatione, qua cum Deo indignabar sceleribus populi mei, propter quæ Deus vrbem & templum volebat euertere; simul anxius quid facerem. Dicebam enim intra me: si hæc quæ Deus jubet prædicem populo, eum contra me concitabo; si non, Dei majestatem offendam. Hîc ecce pilula voluminis in ore dulcis, quia exterius saccharata, in ventre dissoluta operatur, & ventrem torquet & lancinat.

CAPUT IV.

Varijs symbolis repræsentat ad viuum instantem Jerosolymæ obsidionem, famem & pressuram, quæ anno pòst sexto contigit, nempe anno 11 regni Sedeciæ.

Aries bellicus.

QUæstio I. *Qualis erat Aries bellicus?* ℟ erat trabs, quæ pendens ex funibus & retrorsum ab obsidentibus repulsa, ferro in fronte instar cornu prominente, quasi aries mœnia & portas magno impetu percutiebat & dejiciebat. Plin. l. 7. auctorem

rem hujus machinæ facit Epeum, qui equum Trojanum (hunc enim ait fuisse arietem) fabricauit quo capta est Troja.

II. *Cujus rei symbolum fuit Sartago* v. 3.? Rdet Maldon. vrbis Jerusalem, quia sartago ferro quasi circumdatur: ferrum autem significat vrbis munitionem, quòd inexpugnabilis esse videatur, ac si ferreos muros habuisset; fore tamen vt ab ira Dei, quæ fortior est ferro, expugnetur. Verum obstat, quòd Propheta jubetur hanc sartaginem ponere inter se & vrbem; ergo non fuit vrbs ipsa, sed medium quid inter vrbem & prophetam Nota ergo imò. Propheta gerens personam Dei, inter se & laterem, in quo Jerusalem delinearat, posuit sartaginem ferream, vt significaret, quasi ferreum murum interjectum esse inter se & ciues, id est Deum, Deiq; decretum & sententiam contra eos latam esse inexorabilem, nec Deum ciuium preces & querimonias auditurum, aut misericordiâ flectendum. ita Theodor. S. Hieron Vatab. & alij. Sartago ergo sint atrocia crimina, quæ iter ad Dei misericordiam impediunt, quasi rupes Isa. 59. 2. aut quasi nubes Thren 3. 44 scil. corda Judæorum ferro duriora & fuligine turpiora, quæ Deum naturâ suâ mollem, misericordem & melleum, durum & ferreum efficiunt, atq; decretum ferreum duræ punitionis & vindictæ ab eo extorquent, adò hæc sartago significat igne comburendam vrbem, ciuesq; grauissimè cruciandos & quasi frigendos. Idem significat olla succensa Jer 1

Sartago symbolum Jerusalē.

III *Quis est, obfirmabu faciem tuam ad eam* v. 3.? Rk Vultu immoto & seuero, atq; implacabili aspicies obsessos, quasi judex inexorabilis. Porrò delineatio hæc & figura obsessæ vrbis in laterculo, *signum est domui Israel*, id est symbolum datur Judæis veræ & realis obsidionis vrbi Jerosolymæ à Chaldæis propediem imminentis.

IV. *Quid designat decubitus Ezechielis*? Rk Dies 390 repræsentant dies totidem obsidionis vrbis, quæ cœpta est obsideri anno nono Sedeciæ, decimo die decimi mensis; capta autem anno vndecimo quarti mensis die nono, faciunt autem dies 390 menses 12 dies 25. Omittit ergo aliquot menses respirationis Jerusalem, quibus hostis, Judæis pœnitentibus, recesserat juxtà Jer. 34. Per dies autem 40. denotat ipsam vastationem, quæ 40 diebus durauit facile. Nam 4 Reg 25. 8. die nona mensis quarti capta est vrbs, & die decima mensis quinti incensum est templum: vbi habes 30 dies. Addere facile possumus 10 pro euersione ædium ac murorum. Dies porrò 390 obsidionis respondent annis 390 impietatis, cœptæ à Jereboam, vsq; ad vltimum annum Sedeciæ, quo capta est vrbs. 40 verò dies speciatim designant 40 annos, quibus viguit improbitas Manassis, de quo 4 Reg. 21. 16. Tantum enim temporis emergit, si ab annis 55. quibus vniuersim regnasse dicitur, sustuleris 10 captiuitatis & fere 5 annos, post reditum à captiuitate, post quos duobus tantùm annis, solus regnauit filius ejus Ammon.

Decubitus Ezechielis

V. *De quo fit sermo* v. 4.? Rk Iniquitates, id est peccata, seu potiùs pœnam debitam peccatis Israelitarum seu totius populi conflati ex tribubus 12 mixtim tunc Jerosolymis totaq; Judæa habitantibus. Neq; enim sermo hîc est de 10 tribubus jam pridem ante 150 annos, euersa Sammariâ in Assyram abductis. Vt quid enim minaretur jam euersis obsidionem? sed sermo est de ijs, qui jam tum degebant in Judæa, & propediem obsidendi erant per Chaldæos. Et ita esse constat ex v. 13. *Domus* autem *Juda* v. 6. significat antonomasticè domum seu familiam regiam.

CAPUT V.

Jubetur Ezechiel radere caput & barbam, atq; vnam tertiam partem pilorum comburere igni, alteram concidere gladio, tertiam dispergere in ventum; vt per hoc portendat tertiam partem ciuium Jerosolymæ consumendam peste & fame, tertiam gladio, & tertiam dispergendam per orbem.

QUæstio I. *Quem indicat gladius acutus radens pilos* v. 1.? Rdet S. Hieron. Nabuchodonosorem carnificem Judæorum, qui instar gladij & nouaculæ, Jerosolymæ capillos, id est, decorem & pulchritudinem ac barbam, id est, virilitatem, scil robur omne, putà juuenes speciosos ac viros robustos ex Judæa resecuit Barba enim symbolum est virilitatis, coma libertatis & nobilitatis. Quocirca apud priscos ingens erat probrum barbam alicui præscindere aut vellere, quasi in hoc ipso virilitatem & virile decus ipsi abstulissent.

Gladius radens pilos.

II. *Quid significant pauci capilli* ex tertia & vltima parte sumpti & ligati in summitate, id est, extremitate vel ora pallij Ezechielis? Rk Significant Dei prouidentiâ & clementiâ, aliquot Judæos à vastatione Chaldaica seruatos, scil eos, qui cum Jeremia, eo suadente, se dediderunt Nabuchodonosori cum Joachin rege. Verum cum hæc audiret Ezechiel, jam antè se Chaldæis dediderat Joachin: hinc melùs accipias reliquias profugorum Judæorum Dei prouidentiâ seruatas in seminarium & propaginem gentis suæ, hi enim quasi

Capilli ligati in ora pallij

angulo

angulo pallij Domini colligati, protecti sunt Dei prædestinatione & protectione.

Capilli projecti in ignem.

III. *Quid significant capilli* ex hac tertia parte accepti & projecti in ignem v. 4.? R. Eos, qui post reuersionem ex Babylonia, ob noua peccata à Macedonibus, præsertim Antiocho Epiphane grassante instar ignis interempti sunt ita Apollinaris. Item, & magis, qui à Tito & Romanis cæsi & capti sunt; tunc enim tota domus Israel eversa est. Denique Galatinus l. 4. de arcanis fidei c. 21. ex priscis Rabbinis hæc refert ad stragem Judæorum, quam post Titum fecit Hadrianus Imp. in Judæa, præsertim in vrbe Bitter, vbi & eorum ducem occidit, qui se vocabat *Barchochebas*, id est, filium stellæ (dicebat enim se diuinitus missum, essèq; stellam, de qua prædixit Balaam Num. 24 *Orietur stella ex Jacob*, quasi ipse excusso Romanorum jugo lucem & libertatem Judæis esset allaturus) cùm reuera esset *Barchosba*, id est, filius mendacij, putà impostor; fingebat enim se esse Messiam. Quocirca Hadrianus cecidit ad 50 Judæorum millia, totamq; gentem protriuit.

CAPUT VI.

Montibus, aris, excelsis, idolis & idololatris, atq; vniuersæ Judææ vastitatem minatur, ac desolationem paucis reliquijs exceptis.

QUæstio I. *Quos montes & cur alloquitur*? R. Sion, Moria, montem oliuarum, montem offensionis, in quibus Judæi collocarunt, & coluerunt idola. Israel enim non vocat decem tribus: illæ enim jam abductæ erant, sed Judæos. Montes ergo Judæ puniendos & desolandos prædicit, quia peccato idololatriæ fœdati sunt. Peccatum enim non tantùm hominem, sed & elementa, & creaturas omnes maculat, imò soluit harmoniam universi. Res inanimas, scil. montes alloquitur, quasi dedignatus homines tam impios alloqui, vt sic eos prouocet ad verbum DEi audiendum, quod inanima audiunt auditu, id est, instinctu naturæ, eiq; obediunt. ita Prado.

II. *Quid est contriui cor eorum fornicans, & oculos eorum* v. 9.? R. Conteram q. d. faciam, vt eos peccati pœniteat, affligens eos longa captiuitate. Afflictio & dolor vehemens est quasi pondus graue, cor premens & angens, ac quasi malleus conterens & molliens cor lapideum, vt quasi cera verbum DEi suscipiat; *& oculos*, vt ex cordis contritione soluantur in lacrymas. Verè S. Aug. *Oratio*, ait, *DEum lenit, sed lacryma cogit: illa rogit, hæ pungit.* Fletus est lauacrum scelerum, & refectio animarum. Tota aqua maris non extinguit vnam prunam purgatorij; & lacrymæ omnes ejus flammas extinguunt.

CAPUT VII.

Prædicit, jam jam imminere vastationem vniuersæ terræ Israel: ex pauore & trepidatione defluxuros Judæos, templum polluendum, thesauros expilandos.

QUæstio I. *Cur DEus dicit* v. 3. PONAM CONTRA TE OMNES ABOMINATIONES TUAS? R. Quia erunt quasi accusatores tui coram me. Tu enim es rea, peccata tua te accusant, ego sum judex & vindex. Vel etiam tuas abominationes oculis tuis obuertam, vt earum deformem speciem, & conscientiam ijs turpissimè fœdatam cogaris intueri, quæ soles manticam scelerum à tergo portare & obliuisci. Graue supplicium sibi est, se intuens fœda conscientia, & magis si se intueri semper cogatur, vt à fœditate sua nequeat oculos auertere.

Gloria montium.

II. *Quæ est gloria montium* v. 7.? R. est lætus clamor, gloriatio, laudatio, ouatio colligentium vuas in montibus: vel vt Vatablus, est echo, id est vox lætitiæ, quam referunt & reuerberant montes vitiferi clamantibus vindemiatoribus, Jer. 48. 33. vel etiam idololatris, circa idolum in montibus saltantibus, & cantantibus. q. d. Non audietur in montibus celeusma vindemiantium, sed clamor hominum, qui occidentur, aut hostium irruentium, & sese inuicem ad cædem cohortantium.

Ira Deus est incapax.

III. *An in Deo proprie sit ira* v. 14.? R. dent SS. Patres & Scholastici in Deo non esse propriè iram, sed metaphoricè: quia scil. objurgat & punit, occiditq; reos, ac si eis iraseretur. Nam *ira*, vt Arist. l. 1. de Anima c. 1. textu 16. in corpore, *est sanguinis effernescentia circa cor*; in anima verò *est appetitus doloris vicissim aduersario malum inferendi.* Ira supponit dolorem irati; Deus autem est doloris incapax; ergo & iræ. Rursum, ira versatur circa vindictam arduam & difficilem: in Deo autem vti nulla est cupido & libido vindictæ, ita nec vindicta ardua & difficilis.

IV. *Quo sensu dicitur* v. 16. ET ERUNT IN MONTIBUS QUASI COLUMBÆ? R. Profugi Judæi erunt quasi columbæ trepidæ, quæ ex vallibus, vbi degunt, metu aucupum ad montes conuolant. Alij vt columbæ volitantes in montibus, quæ tempestate imminente ad valles se demittunt, quasi in locum apricum.

CAPUT

CAPUT VIII.

Propheta raptus ſpiritu è Babylone in Jeruſalem videt nefarias abominationes & idolatrias, quas etiam tum Judæi admittebant in templo Domini.

QUæſtio I. *Cur Dominus propoſiturus cauſas euerſionis Jeruſalem, ſolùm oſtendit Prophetæ peccata, quæ in templo fiebant?* ℟. Quia ijs peccatis, quæ contra religionem patrabant, bene perſpectis, facilis erat conjectura de cæteris. Sic enim Iſaias c. 1. 5. vt oſtenderet totius populi corruptionem, optimâ metaphorâ dixit: *Omne caput languidum, & omne cor mœrens à planta pedis vsq; ad verticem capitis, non eſt in eo ſanitas.* Ubi nomine capitis & cordis, intelligit Principes, maximè Eccleſiaſticos, quòd ab illis non doctrinæ modò, quæ in capite omnes continente ſignificatur, ſed etiam vitæ ſpiritualis, cujus cor principium vitæ corporis, ſymbolum eſt, ſperantur auxilia. Quòd ſi vitijs corrupti ſint, eamdem illicò corruptionem reliquis membris communicant. Præterea quoniam ægerrimè fert ea peccata, quæ in loco ſacro fiunt. Sic Iſa. c. 26. 10. peccata impij quaſi perpendens, illud maximum comperit: *in terra Sanctorum iniqua geſſit, & non videbit gloriam DEi.*

Perſpectis ſacerdotũ peccatis, facilis conjectura de cæteris.

Peccata in loco ſacro.

II. *Quod eſt idolum zeli* v. 5? ℟. Erat ſimulacrum Baal in loco illo ſacro ac in altari collocatum. Idolum planè zeli, ſiue irritationis, quia nihil erat propinquius ad inflammandam iram Dei, quàm talis abominatio. Manaſſes in templo poſuit idolum Baal, hoc abſtulit Joſias 2. Paral. 34. ſed repoſitum eſt ſub Joakim & Sedecia 4. Reg. 23. 37. 2. Paral 36. 14.

Idolum zeli.

III. *Cur vati aperitur foramen poſt monſtratum idolum zeli, & quid eſt excauare foramen in pariete?* ℟. Voluit vatem docere, hoc ipſum, quod publicè patrabatur, perexiguum malum eſſe, ſi cum peccatis alijs occultis conferretur, foramen vnum in pariete paruum oſtendit, quo vix introſpici poterat, quid intra domum fieret, q. d. parum aut nihil vidiſti circa idololatriam, & peccata populi, cultus idoli zeli foris exhibitus, leue indicium, quid ſi videres infinita idola, quæ intus ſeruant & obſeruant? excaua parietem, & ex hoc paruo foramine effice amplius, hoc eſt, conſiderationis acumine latius, quæ occultè peccant, introſpice. *Et ecce omne ſimilitudo reptilium &c.* Ita explicat Theodor. Cùm oſtendiſſet, inquit, Dominus eam impietatem, qua illi apertè audebant impia facinora committere, oſtendit ſimiliter, quæ ab ipſis occultè patrabantur. Significatur ergo hîc parum eſſe, ſi vnum idolum Baal in atrio immundorum publicè colerent, qui intus eſſent quaſi templa quædam immundiſſimis omnium gentium ac vitiorum idolis conſecrata.

Foramen in pariete.

IV. *Cur reptilium mentionem facit* v. 10.? ℟. Quia Hebræis, ab eo etiam tempore, quo fuerunt in Ægypto, adhæſit ſemper magna quædam procliuitas ad Ægypti idola, quæ quidem erant omnigenûm reptilium monſtra, quod ipſis quoq; Ethnicis erat monſtroſum. Unde rectè Rupertus ad hoc quæſitum reſpondens: quoniam, inquit, adhuc Ægyptum ita mente portabant, vt foramine facto, id eſt, data quaſi occaſione, erumperent ſtatim in nefandos cultus. Quanta verò infelicitas, vt ſuper imaginem Dei, animis noſtris impreſſam ducat diabolus imagines ſuas? & detritis cæleſtibus (ait S. Aug. ſerm. 1. de Septuageſima) appingat colores ſuos, id eſt, varia flagitia, quæ quidem intra ipſa mentium penetralia intolerabili tyrannide etiam adoranda proponit.

Ex Ægyptijs didicerunt Judæi reptilia colere.

V. *Quid innuitur per* 70. *ſeniores ante hæc idola thurificantes?* ℟. Innuitur facinus viſu indigniſſimum. In ſenioribus enim id facinus longè erat turpius. Magnum enim (vt S. Amb. ait) pondus habet in vtramq; partem canities, id eſt, ſiue in bonum, ſiue in malum; nam virtus æquè ac vitium autoritatem nanciſcitur in ſenioribus, trahitq; ſecum in vtramq; partem populares. De Jechonia verò quòd Princeps inter thurificantes viſus ſit, rectè quadrat, quod Hieron. ait, inter malos peſſimum eſſe Doctorem, & quaſi in exedra vitiorum (vt vocat Tertull. l. de pœnit.) Ludimagiſtrum eſſe & ſedere in Cathedra peſtilentiæ.

Thurificatio in ſenibus longè turpior.

VI. *Quid de Adonide ſentiendum* v. 14.? ℟. Adonis creditur fuiſſe Amaſius Veneris, teſte Hieron. Quem nos Adonidem, inquit, interpretati ſumus, Hebræus & Syrus ſermo Thamas vocat. Vnde quia juxta gentilem fabulam in menſe Junio Amaſius Veneris, pulcherrimus juuenis occiſus eſt, & poſtea reuixiſſe narratur, Junium menſem eodem appellant nomine, & anniuerſariam ei celebrant ſolemnitatem, in qua plangitur à mulieribus, quaſi mortuus, & poſtea reuiuiſcens canitur atq; laudatur. Hucusq; Hieron. Fabulantur quoq; Pœtæ, Venerem Adonidem ſuum percuſſum Apri dente ſub inguine, in florem ſui nominis conuertiſſe. Hanc igitur Gentilium turpiſſimam ſuperſtitionem intra ambitum templi admittere non recuſarunt Jeroſolymitani.

Adonis.

VII. *Quid denotant* 25. *viri in oſtio verſis in ipſum templum dorſis, ac adeo verſùs Orientem ſtantes & adorantes ſolem in ortu ſuo?* ℟. Templum Domini, auctore Joſepho 8. Antiq. habebat oſtium verſùs Orientem, ita vt ſol inde emergens illicò per templi & oraculi oſtia radium dirigens. Arcam ipſam ac Propitiatorium colluſtraret, ac veluti primus adoraret ſedentem Deum in medio Cherubim. Igitur adorantes in templo dorſis in Orientem verſis, ſignificabant ſe ritum Gentium execrari, qui ſolebant Orientem ſolem adorare. At verò

obstare potest antiquissima traditio manans ab ipsis Apostolis, teste Basil. Origen. Tertull. Christianos Orientem versus adorare, ac adeo in eo conuenire cum Gentilibus, sed ejus varias causas dant SS. Patres, quarum illa vna satis fuerit quam Tertull. affert in Apolog. vt eo vel maximè nostra adoratio à Judaica differret. Specialis autem ratio illa est; quoniam Dominus ascendit super cœlos cœlorum ad Orientem, & quasi adhuc nos teneant ascendentis desideria, illuc intendimus.

CAPUT IX.

Ostenditur Ezechieli per visum cædes patranda Jerosolymæ, à qua liberantur signati signo thau.

Viri sex armati.

QUæstio I. *Quos denotant 6. viri armati* v. 2? ℟. Theodor. interpretatur Angelos ad constitutum supplicium paratos. Et profectò, ait, Assyriorum multa millia vnus Angelus confecit; vnus item Ægyptiorum primogenitos; hîc verò propter impietatis exuperantiam, sex Angeli interfectioni deputantur. Quod autem veniant à porta templi, quæ respicit ad Aquilonem, ideo est, ait idem Theodor. quòd supplicium ibi reperit aditum vbi & commissa culpa. Jure per eamdem portam, qua scelus idololatriæ patratum est, egrediuntur sex viri armati ad delendos idololatras: sunt enim & boni Angeli administri suppliciorum nostrorum. Ponderare oportet illud ps. 103. 4 *Qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem vrentem.* Cur enim addidit *vrentem*? Profectò si per illos prospera tantùm, & læta exequeretur erga nos, satis fuisset ponere, ignem splendentem, videlicet illuminantem, calefacientem: vrentem, ergo cùm dixit quo verbo significatur id, quod in igne dolorem ingerit, profectò significauit, Angelis quoq; suis Deum vti ad cruciandos peccatores.

Vir septimus vestitus lineis.

II. *Quem denotat vir septimus, vestitus lineis, habens atramentarium ad renes?* ℟. Ad literam vir hic fuit Angelus tutelaris piorum Judæorum. Hic non habuit vestem militarem & arma, vt priores sex, ad puniendum & occidendum; sed sacerdotalem, vtpote qui supplicaret pro redimendis à strage Chaldæorum & salute dignis, eosq; quasi notarius atramento literâ Tau signaret. Unde allegorice repræsentabat Christum verum Sacerdotem, & vnicum sequestrum inter diuinam justitiam & homines inquit Hieron. Nostræ carnis, inquit Rupertus, vestitus lineis venit in mundum, vt electos suos jam dictæ vltioni excipiendos conscriberet in libro viuentium; cujus rei signum illud fuit, quòd protinus nascituro illo exijt edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis. Jure autem Verbum diuinum sub specie Saluatoris in lege veteri cernitur, quoniam (vt rectè D. Irenæus asserit 4. contra hæreses) Verbum ante incarnationem suam salutes præstruebat, præludens, videlicet, & quodammodo exercens simulacra salutis in veteri testamento, præstando illam multis, non in verò, sed in simulato corpore, vt quasi addisceret, quomodo eam in vero esset corpore præstiturus.

Imago electrina.

III. *Quid per gloriam intelligitur* v. 3.? ℟ imago illa electrina, quam Ezechiel in quadriga Cherubinorum viderat c. 1. quoniam ab ea gloria Dei, dicitur propheta sublatus in cincinno capitis, vsq; ad templum Jerusalem. Eam igitur esse volunt, quæ hîc dicitur à Cherubim, quibus insidebat, discessisse. Et probant ex eo, quia cap. seq. eadem gloria Domini jussit virum, qui lineis indutus erat, ingredi sub rotas, & prunis manus implere. Est probabilis sententia. Verùm omnes tum Hebræi, tum alij Chaldæum sequuti Paraphrastem, gloriam Domini vocari putant, quæ in templo super Cherubim, qui tegebant Propitiatorium, sedem habebat, juxta illud ps. 79. 2. *qui sedes super Cherubim.* Notandum ergo, intra Sanctum Sanctorum, vt narratur Exod. 25. 10. fuisse arcam Testamenti, & super illam Propitiatorium, quod nihil aliud erat, quam operculum ipsius arcæ duorum Cherubinorum manibus paululùm eleuatum ab arca. In hoc Propitiatorio, ac adeo inter duos Cherubinos sedebat Deus, quando populo per Sacerdotes responsa dabat. Ab hoc igitur loco, sub aliqua specie, quæ non exprimitur à propheta, visa est illi descendere gloria Domini extra fores templi, vt 7. illis viris, qui foras stabant, denuntiaret, quid acturi essent.

Gloria Domini de loco cessit.

IV. *Cur gloria Domini de loco suo cessit, & non ex Propitiatorio ad hos viros locuta est?* ℟ quia non propitia nunciatura erat, sed dura vehementer ac calamitosa vrbi. At Propitiatorium ex mandato Domini factum erat in sedem placationis. Egreditur è loco suo Deus, & quasi extra centrum naturale manet, dum perditos punit: nam quies ejus est, occasio benefaciendi, quod notauit S. Amb. ad quietem ejus in die septimo post creatum hominem, habens scilicet, cui benefaceret, quieuit; peccante autem homine, soluta quiete graditur, quærens hominem ad supplicia.

CAPUT X.

Describitur iterum quadriga gloriæ Dei visa in atrio templi: jubeturq; vir lineis indutus accipere prunas è medio currus Cherubici, easq; effundere super vrbem Jerosolymam: & portendere hoc signo incendium eo jusdem vrbis per Chaldæos.

Quæstio

QUæstio I. *Quomodo is, qui salutis paulò antè executus est munera, signans thau super frontes gementium, modò non mutato habitu, vindictæ primitias infert, ignitas in urbem jaciendo prunas?* ℟ juxta duplicem dicendi modum positum cap præced. nam si indutus lineis est Angelus, apparet, quòd ibidem dixi, Angelos etiam bonos, non modò præmiorum, sed etiam suppliciorum administros esse: si verò est diuinum verbum, continet visio grande mysterium: Christum scil. ipsum, qui operatus est salutem in primo aduentu, armandum igne in secundo, ad ultionem impiorum Vnde illud Isaiæ c. 1. v. 25. *conuertam manum meam & excoquam ad purum scoriam tuam*, de aduentu Christi ad judicandum mundum interpretantur aliqui; quòd scil. Christus, qui in primo aduentu salutari manu signauit plurimos litera thau, quasi conuersa manu scorias hoc est, impios, igne consumet, vt sit quasi admonitio ad signatos, ne interim negligenter agant. nam eadem illa manu, qua signati sunt ad salutem litera thau, conuersione facta igne torquebuntur in condemnationem. ita Ant. Fernandius. Visione 16. *Manus Domini salutem & pœnas infert.*

II. *Cur illico post egressum ejus, qui incensurus erat urbem, apparet similitudo manûs sub pennis* v. 8.? ℟ Manus hæc non erat exerta, sed sub pennis, quasi gladius intra vaginam, vt significetur hæc esse comminatio, sed quæ habeat alas ad celerem & efficacem executionem. Ita Ferdin. l. c. qui & aliam dat causam: manus, inquit erat sub alis, quasi sub penicillo, quo clades vrbis depingebatur Prophetæ, vt innueret incendium hoc esse pictum, sed tale, quale hîc pictum erat realiter Jerosolymæ obuenturum. *Manus sub pennis.*

III. *Cur hic v. 14. pro facie vituli ostensa c. 1. apparet facies Cherub?* ℟ Cap. imò vbi Deus nitebatur per Ezechielem conuertere populum ad pœnitentiam, per faciem vituli ea vis significatur in beatis spiritibus, qua circa nos colendos laborant, vt fructus reddamus pœnitentiæ dignos: nunc verò hîc per faciem vituli mutatam in faciem Cherub ostendit Vates per ejusmodi Sanctorum spirituum labores mutari sæpe homines interuentu pœnitentiæ, in Cherubinos quosdam, quoniam resipiscendo, ad veram sapientiam perducuntur qua fiunt cautiores in posterum. *Facies Cherub pro facie vituli.*

CAPUT XI.

Judæis qui cum Sedecia remanserant Jerosolymæ, prædicit excidium: qui verò cum Jechonia, se dediderant Chaldæis, promittit reditum in patriam.

QUæstio I. *Qui erant 25. Viri* v. 1.? ℟ Duces, capita, præfecti 24. regionum, in quas ciuitas Jerosolymitana diuidebatur, vt ex Hebræorum scriptis accepimus, inquit Pradus. Vigesimus quintus videtur fuisse princeps illorum omnium præfectorum. His 25 præfectis incumbebat de rebus publicis in commune consultare, idcirco conueniebant ad portam, vt & Jer. 26. 10. fecisse legimus. *Viri 25.*

II. *Cum quo loquuntur hi 25 viri* v. 3.? ℟ cum Jeremia suadente c. 38. Tradite vos Chaldæis & viuetis, alioqui cum vrbe omnes perituri, respondentq; ei: *nonne dudum ædificatæ sunt Domus?* id est, an vrbs non est munitissima, frequentissimis ac fortissimis cincta propugnaculis, turribus, portis ac muris? quid tali vrbi metuendum à Chaldæis? vrgenti Jeremiæ, sic cælitus decretum: visam à se Jerosolymam quasi ollam igne succensam; reponunt ipsi per ironiam: sit sanè, vt dicis, vrbs *hæc ollæ*, seu olla, & *nos* quasi *carnes*, in ea coquamur, malumus igne concremari, quàm gladio Chaldæorum, si nos illis dedamus, trucidari. Jocus est, volentium indicare, nihil minus futurum, nihil tale metuendum. Et sic v. 8. aptè illis respondet.

III. *Quis est sensus* v. 15. FRATRES TUI &c.? ℟ Propinqui, scil. Judæi tecum abducti in Babylonem, & tradentes se Chaldæis ridentur ab Jerosolymitanis, id est, à Judæis, qui se dedere Chaldæis noluerunt. Hi enim eis subsannando dicunt: *Recedite à Domino* id est, ab vrbe & templo, ac hæreditate Domini, abdicate vos jure Israelis. Vos Dominus à se procul esse voluit, nobis autem promissionis terram distribuit. Idcirco ait Propheta, imò per eum Deus: è contrario omnia fient. Nam vos neci tradam, illos verò reducam, vt sint seminarium posteritatis, & hæredes Jerusalem. Ita Theodor. & S. Hieron. Sensus ergo est, q. d. Judæi qui contra Dei jussum Jerosolymæ manent, nolentes se dedere Chaldæo, quiq; gloriantur suo templo, quòd illud retineant & incolant: hi, inquam, verè non habent templum, quia solos templi parietes retinent, sine Deo. Nam ego Deus, omnisq; mea gloria jam à templo & Judæis receßit c. præced. v. 4. & 18. Rursum hi ab illis ipsis templi & vrbis parietibus, quos retinent, paulò pòst ignominiosè à Chaldæis ejicientur: Judæi verò qui me jubente se dedidêre Chaldæo, & transmigrarunt in Babylonem, quoq; alij manentes in Judæa putant esse sine templo, & sine Deo, hi in Babylone templum habent, quia me habent qui ero eis in templum inuisibile ad modicum tempus, donec paulò pòst eos in patriam, ad templum visibile reducam. ita Maldon.

CAPUT XII.

Jubetur Ezechiel conuasare sua, & transmigrare vespere velatis oculis, vt portendat fugam regis Sedeciæ & principum illius ex vrbe capta à Chaldæis, eorumq; comprehensionem, excæcationem regis, & cædem Principum.

Domo exasperans. QUæstio I. *Quæ est domus exasperans* v. 2.? R rebellis, incredula, inobediens. Nempe Judæi Babylonem cum Iechonia abducti dolebant querebanturq;, quòd ex consilio Jeremiæ Prophetæ se vltrò dedidissent Chaldæis, dissuadebantq; relictis Jerosolymæ, ne quid simile tentarent. His prædicit per Ezechielem Deus, certò ac citò visuros eos excidium Jerosolymæ.

Vasa transmigrationis. II. *Quæ sunt vasa transmigrationis* v. 3.? R Supellectilia necessaria transmigraturo, seu peregrinaturo, putà galerum, baculum, calceos, peram, penulam, saccos, cistas, currus &c. His instructus *transmigrabis* & omnia supellectilia tua transferes aliò, idq; *per diem*, id est, interdiu, clara luce, omnibus inspectantibus. Præmissis verò sarcinis per diem. *Tu*, more aliorum transmigrantium, *egredieris vespere*, sed tamen coram eis, præsentibus adhuc & videntibus. Sic portendes Regem Sedeciam Jer. 39. 4. vespere, imò noctu, capta vrbe, fugam cum principibus initurum.

Parietis perfossio. III. *Cur jubetur Ezechiel perfodere parietem, & per rupturas erumpere?* R Vt portendat, Sedeciam regem cum principibus non per portam vrbis, sed per ostium horti regis Jer. 1. c. quasi per angustum muri foramen, instar muris perrupturum.

CAPUT XIII.

Exitium minatur pseudoprophetis & prophetissis, pacem & prospera quæq; populo Judaico pollicentibus.

QUæstio I. *Quo sensu dicitur ad pseudoprophetas* v. 5. *non ascendistis ex aduerso, neq; opposuistis murum pro domo Israel*? R Eo tempore, quo Deus quasi Dux agminum hostilium præliabatur contra populum suum, & diuina ira ac vindicta sæuiebat in Judæos *non ascendistis ex aduerso* Dei, per preces, per sacrificia, per pœnitentiam, per pia opera iram diuinam placantes, & compescentes: *neq; opposuistis murum*, qui hostiles irruptiones arceret, neq; monita & præcepta & exempla pia. Quin potiùs vestris adulationibus & mendacijs euertistis populum, occultè, dolosè & ex insidijs eum vastantes instar vulpium, & præpedientes, ne periculis ingruentibus saluti suæ consuleret.

II. *Quis est sensus* v. 10. IPSE ÆDIFICABAT PARIETEM, ILLI AUTEM LINIEBANT EUM LUTO ABSQUE PALEIS? R Ipse populus, sepem & murum vineæ, seu regni sui, ruentem ac disruptum (putà diuinam protectionem, quæ Judæis pro muro semper fuit, sed jam se subducebat) conabatur restaurare humano auxilio, maximè Ægyptiorum. Hunc vanum populi conatum cùm impedire deberent pseudoprophetæ, lactant potiùs & promouent, promittentes euentum felicem, & sic malè compactum parietem *linunt luto absq; paleu*, id est, vana & mendaci fiducia, & falsis promissis. ita Theodor. Pradus, Maldonatus & alij. *Dabo*, id est immittam in hunc malè cæmentatum murum, *lapides prægrandes* è catapultis (vt LXX vertunt) emissos: item *ventum procellæ, spiritum tempestatum, & imbrem inundantem*, putà Chaldaicos exercitus, qui instar procellæ Judæam obruent & euertent. *& reuelabitur fundamentum*, id est, euertetur vsq; ad fundamentum, ita vt illud reueletur & appareat.

III. *Quomodo intelligendus est* v. 18. VÆ QUÆ CONSUMUNT PULVILLOS SUB OMNI CUBITO MANUS, ET CERUICALIA SUB CAPITE? R. Væ prophetissis falsis, quæ Judæis in suis sceleribus & rebellione adulantur, applaudunt & fouent, vt in eis securè ac molliter conquiescant, promittentes pacem, id est, securitatem, abundantiam omnium bonorum. Adulationes enim, teste Plutarcho, similes sunt puluillis, & ceruicalibus, quæ vt sunt inflata, videntur incumbentium capitibus velle resistere ac reniti, cùm mox vt tanguntur, cedant ac obsecundent magis ac magis. ita S. Hieron. Theodor. Gregorius & alij. *Viuificabant animas*, id est, promittebant hominibus vitam, salutem, & omnia prospera, *cùm* reuerà *caperent animas* Isa. 3. v. 12. & exitiali laqueo innecterent ac strangularent.

IV. *De quibus dicitur* v. 19. *Ut interficerent animas, quæ non moriuntur, & viuificarent animas, quæ non viuunt.* R det S. Greg. hom. 27. in Euang. Non morientem viuificat, qui justum damnat: & non victurum viuificare nititur, qui reum à supplicio absoluere conatur. Magna in remp. discordia irrepit, & rerum omnium confusio, si ciuilium legum judex caret notitiâ. In forensi judicio ei res adjucat, cujus illæ propriæ non sunt, verumq; Dominum earum remouet Domino. In criminalibus homicidas absoluit, innoxios condemnat.

V. *Quid est*, VIOLABANT ME AD POPULUM? R profanabant oracula mea sancta, fidem

fidem illis detrahentes, & ſuamet ſomnia ac figmenta venditantes pro diuinis oraculis. Quorum vtrumq; mihi extremè injurium eſt, & populo noxium. Viuificabant enim animas, *quæ non viuunt*, id eſt, prædicebant victuros, qui non viuent (vt eſt in Hebræo) ſed gladio Chaldæorum abſumentur. Alludit ad eos, qui cum Sedecia permanſerunt in Judæa Et interficiebant *animas, quæ non moriuntur*; hebraicè, qui non morientur, nempe qui cum Jechonia ſe vltro dediderant Chaldæis, ita Maldon. & à Lap. & patet ex v. 22. Vide autem quàm vili pretio venditent ſua vaticinia; *propter pugillum hordei*, ſeu *fragmen panis hordeacei*: tam ſordido lucello animas ſuas immortales dæmoni, inferno & æternis ignibus tranſcribentes.

VI. *Quibus puluillis capiebant animas volantes?* ℟ adulationibus & mendacijs, quaſi affabrè contextis, capiebant ſeu venabantur *animas volantes*. Nempe quaſi aucupes inſidiabantur popularium ſuorum animabus, quæ ſunt quaſi volucres ſeu aues, & dum volant, ſibiq; ſecuræ videntur, laqueos illis & retia tendunt, & in exitium pertrahunt. Sed ego laqueos hos *dirumpam*, oſtendendo promiſſionum falſitatem, & pro pace hoſtem immittendo: ſic *animas* captas *dimittam ad volandum*, id eſt, captiuos Babylone educam in libertatem, quaſi auiculas è laqueis ereptas. *Animæ volantes.*

CAPUT XIV.

Hypocritis, de Verbo Dei fictè ſciſcitantibus, addicit reale reſponſum, nempe per plagas & verbera: nec ijs parcitum iri, etſi Noë, Job & Daniel pro ijs intercederent: reliquias tamen Iſraelis ſeruandas promittit.

QUæſtio I. *Quid ſibi vult illa ejusdem vocis ingeminatio:* HOMO HOMO *de domo Iſrael.* v 7? ℟ det Orig. Omnes homines nati ſunt homines, ſed non omnes homines ſumus. Eſtote homines homines, quia non omnes homines homines ſunt. Homo pius homo homo dicitur, quia homo re & nomine dicitur, vnde duplicato nomine ſignificatur. At peccator non eſt homo homo, ſed homo jumentum, quia bruti more viuens nomine & ſpecie tenus tantùm homo eſt, moribus verò & ingenio bruta refert. Clamabat olim Matt 12. v. 34. S. Ioannes: *Progenies viperarum, quis demonſtrauit vobis fugere à ventura ira?* Judæos viperas nominabat veneno & rancore ſcatentes, gentem ſceleratam & malitioſam, tigrides fraudulentas, ora ſerpentina, quæ ſuo anhelitu venenato, ac maledicarum linguarum toxico, homines, terram, aërem, ipſumq; ferè cœlum inficiebant. Viperæ prorſus rabidæ, efferatæ, & ingratæ, quæ benefacientem læſerunt, genitorum viſcera diſcepſerunt, contrucidarunt prophetas, qui fidem eis attulerunt, Deoq; genuerunt. Talis non eſt homo homo, inquit Orig. ſed ſerpens homo. Hominum ſui æui laſciviam & impudicitiam plorans Jeremias, eos non tam homines, quàm equos appellabat c 5 v 8. *Equi amatores & emiſſarij facti ſunt, vnuſquiſq; ad vxorem proximi ſui hinniebat.* En ait Orig. qualiter libidinoſos vocarit, non quidem homines, ſed equos Quisquis enim libidinoſus eſt, iſte non eſt homo homo, ſed homo equus. Humana facie & loquela præditus eſt, ſed moribus equus eſt & jumentum. Homo vt ſis, non ſufficit ille exterior homo, ſed debet, idq; vel maximè, interior iſte homo juxta imaginem perſeuerare conditoris, animoq; & corde naturæ humanæ debitam referre ſimilitudinem, juxta rationis ac virtutis amuſſim viuendo; ac tunc duplicato vocabulo homo homo erit. De Herode loquens Dominus, vulpem vocat, non hominem. Luc. 13. v. 30. *ite & dicite vulpi illi.* Quaſi dixiſſet, aſtutia, fraudes & doli Herodis me non latent. Specie & externis corporis lineamentis ac figura homo eſt; morum tamen impuritate, intus & in cute vulpes eſt, adeoq; jure meritiſſimo vulpis non hominis nomine nuncupandus. En quo pacto fraudulenti, inſidiatores, politici, & quid aliud ore promptum, aliud pectore clauſum tenent, *non ſint homines*, inquit S Hieron *ſed homines vulpes.* *Homo non homo.*

II. *Quo ſenſu dicitur* v. 9. EGO DOMINUS DECEPI PROPHETAM ILLUM? ℟ Decipi permiſi, non coargui, cùm poſſem, toleraui ejus mendaces prophetias & promiſſiones; vt per eum puniam interrogantes, non me, ſed idola & eorum prophetas. Par enim eſt, vt fraudulento conſultori, mendacem Deum & prophetam conſulenti, ab eodem fraudulentum, captioſum & mendax reſponſum, ſiue oraculum detur. Agit enim de idololatris, & pſeudoprophetis, vt patet v. 7. & ex eo, quod ſubdit: *delebo eum de medio populi.* Nam quomodo Deus decipiat prophetas ipſe declarat 3 Reg. 20. 21. vbi decepit prophetas Achab, non aliter, quàm permittendo, vt ſpiritus mendacij, putà diabolus, eos deciperet. Et ratio ipſa & pietas docet, Deum non poſſe eſſe auctorem mendacij, vt blaſphemat Caluinus. *Deus decepit prophetam falſũ*

III. *An hæretici* ex v 20. *rectè inferant, ſanctos in cœlis non eſſe inuocandos?* ℟ Perperam. Nam imò Noë & Job hoc tempore Ezechielis non erant in cœlo, ſed in limbo, id eſt, in ſtatu non beatitudinis & viſionis, ſed pœnitentiæ & caliginis: Daniel verò in terris viuebat Ex quo juxta argumentationem hæreticorum, à pari inferendum eſſet, non eſſe poſcendas preces juſtorum adhuc viuentium, quas tamen ſæpe expoſcit S. Paulus, poſtulans *Inuocatio Sanctorũ.*

vt fideles orent pro se, & pro gentium conuersione, ac Euangelij propagatione. 2dò non vetat hîc Deus, ne Sancti inuocentur, sed asserit se eos non exauditurum; non quòd eos non amet, vel aliàs non exaudiat: sed quòd jam tanta sint Judææ scelera, & obstinatio, vt eam prorsus per Chaldæos vastare decreuerit, nec vllis precibus flecti se sinet, vt illi parcat.

CAPUT XV.

Sub parabola vitis resectæ & in ignem abjectæ prædicit Jerosolymam flammis absumendam.

Lignum vitis.

QUæstio I. *Quo sensu dicitur* v. 2. QUID FIET DE LIGNO VITIS? ℟ Quare præstat vitis alijs arboribus, si nullum fructum fert? nempe adeo non præstat alijs, vt sit omnium abjectissima, nec ad aliud vtilis, quam vt comburatur.

II. *Quid est sensus* v. 4. VTRAMQUE PARTEM EIUS CONSUMPSIT IGNIS? ℟ Vtrumq; extremum stipitis consumpsit ignis, ita vt vix titio fumans è foco, diuini agricolæ prouidentia ereptus sit. Alludit ad multiplicem cladem Judææ per Chaldæos illatam, imò, sub Joakim; secundò sub Joachin, 3tiò sub Sedecia breui inferendam.

CAPUT XVI.

Sub persona adulteræ describitur Jerosolymæ, id est, Synagogæ ortus, educatio, nuptiæ, adulterium, id est, idolatria, castigatio, repudium, & rursus reuocatio, pœnitentia, reconciliatio cum Deo.

QUæstio I. *Quo sensu de Jerusalem dicitur* v. 3. PATER TUUS AMORRHÆUS ET MATER TUA CETHÆA? ℟ Licet filia naturalis sis, ô Jerusalem Abrahæ & Saræ; tamen per imitationem & conuersationem, videris filia Amorrhæorum; quia eorum mores æmularis. Ita S. Aug. tract. 42. in Joan. tom. 9. Quia ait, erant impij Amorrhæi & Cethæi, Judæi autem imitati sunt impietatem illorum: inuenerunt sibi parentes, non de quibus nascerentur, sed quorum mores sectantes, pariter damnarentur.

Israelis ortus.

II. *Quid sentiendum de ortu Israelis* v. 4.? ℟ S. Chrysost. hom 33. in Matth. in opere imperf. *Ortus Israelis*, ait, *est vocatio Abrahæ; juuentus, dum Jacob cum suis descendit in Ægyptum; virilis ætas tempore regum; senectus à captiuitate Babylonica ad Christum.* 2dò S. Hieron. & Polychron. Ortus, inquiunt, Israelis fuit exitus de Ægypto; tunc enim quasi orta est Ecclesia vetus siue Synagoga, cùm data est ei lex in Sina 3tiò ait Prado, ortus fuit Israel post mortem Joseph. Tunc enim in Ægyptp Israel multiplicatus est, vt inciperet esse non familia Israelis, sed populus: esset autem quasi puer projectus & expositus tyrannidi Pharaonis; quasi puer, inquam, neglectus, cui nec vmbilicus præscinditur, quiq; nec lauatur, nec salitur, nec inuoluitur, vt sequitur.

Umbilici præcisio.

III. *Quid denotat præcisio vmbilici* v. 4.? ℟ Solet recèns natis præcidi fistula pellicea, instar farciminis ab vmbilico pendens, per quam Embryo matri in vtero cohærebat, & ex ea alimentum trahebat, teste Plutarcho & Medicis. Nato verò fœtu cùm deinceps ore sugere debeat, nullus ampliùs est vsus illius pelliculæ, ac proinde præscinditur. Videtur ergo dicere propheta ex materna aluo, id est ex Ægypto, trahebas adhuc impietatis alimentum, ac sordes idololatriæ & gentilissimi, ac præsertim libidinem. Simpliciter ergo exponitur, q. d. cùm primum nata es in Ægypto, legem & directorem non habens, in sordibus Ægypti pudendis vitam vixisti, inculta & informis, æquè ac sordida fuisti; egisti vitam & mores Ægyptiorum, atq; vt ait Theodor, *quasi ex terra natiuitatis nondum præciso vmbilico, adhuc ex vtero materno impietatis Ægyptiacæ alimenta accepisti.* Nam infans per vmbilicum nutritur & augetur.

IV. *Quo sensu dicitur* v. 4. *aquâ non es lota in salutem, nec sale salita, nec involuta pannis*? ℟ Non es lota in salutem, id est, ad sanitatem & incolumitatem. Aquâ enim calidâ lauantur recèns natorum corpuscula, non solùm vt à sordibus vteri pugentur, sed etiam vt membra antè in vtero contracta extendantur, & concinnè formentur. Solebant olim etiam *salire* adhuc calentia membra, vt solidiora fierent, teste Galeno: & pannis seu fascijs, constringi, ne diffluant, curuentur vel deprauentur. Ergo in memoriam reuocat Synagogæ, quòd, cùm nasceretur in Ægypto, nemo illi adesset, qui matris vel obstetricis officia illi præstaret, sed lege, Doctore, directore destitutam, informem, incultam, sordidam vitam egisse in fœda luxuria, idololatria, & alijs sceleribus Ægyptiorum. *Non peperit super te oculus* cujuspiam hominis; hebraicè, *nemo ex compassione contexit oculum in te.* Sed vt eras ejecta ex vtero matris, cooperta secundinis, & sordibus fœda, abominabilis, nuda, illota, insulsa jacebas *super faciem terræ*; hebraicè *in agro* cœli injurijs, & bestijs exposita, *in abjectione animæ*, id est, personæ *tuæ* vel etiam vitæ tuæ. q. d. projecta es, vt morereris, inquit Maldonatus. Id factum cùm Pharao jussit infantes omnes masculos occidi & demergi: adultos autem relegauit in agros, ad lateres formandos.

V.

V. *Quid intendit vates* v. 44. SICUT MATER, ITA ET FILIA EIUS? ℟. vult dicere: ô misera Ieruſalem, non mitior tibi & blandior ſors obtigit, quàm hujus mundi mulieribus, quæ quales ipſæ ſunt, tales & filiæ erunt. Mater tua, quæ te nutriuit, plebs fuit Ægypti, illa ſe idololatriæ contaminauit ſpurcitie, & tu matrem idololatrando es æmulata Qualis mater, talis filia. Huc commodè ſeruit, quod Seneca narrat de Clitemneſtra mulere impudica, quæ filiam interrogauit: *putásne te virginem eſſe?* ad quod illa: *natam tuam.* Filia tua ſum, per omnia tibi ſimilis. Michol vxor Dauidis plenis buccis in eum conuicia effudit, cùm ante arcam eum ſaltantem vidit. *Michol filia Saul proſpiciens per fenſtram &c: deſpexit eum in corde ſuo.* Cur tunc non vocata fuit Dauidis conjux, ſed filia Saulis? Vt innuatur, inquit Gloſſa, ipſam matris ſuæ faſtum, & arrogantiam patris hæreditaſſe, ac propterea ſtulto & inſano diſtendebatur tumore, quòd regia ſtirpe prognata eſſet. Non ſtitit hîc malorum impetus. fuit vltra hoc ob ſuum faſtum caſtigata ſterilitate, & quare hoc genere pœnæ magis, quàm alio quouis mulctata fuit. Hoc myſterio. Si enim & ipſa alias genuiſſet proles, omnes vt mater arrogantes fuiſſent. Obſeruauit hoc S. Amb. ep. 36. quando inquit: Illa quæ ſaltationem hujuſmodi reprehendit, ſterilitate damnata non dedit ſobolem regiam, ne ſuperbos crearet. Qualis mater, talis filia: ſi mater elata & ſuperba, filij totidem erunt Luciferi: à matribus malitia in proles transfunditur. Ozias rex impius fuit, ſed à matre hoc hæreditauit. 2. Paral. 22. v. 3. *Ipſe ingreſſus eſt per vias domus Achab, mater enim ejus impulit eum, vt impiè ageret.* Ingreſſus eſt per vias domûs Achab, id eſt, inquit Hugo, *fuit idolatra,* vt Achab ejusq; tota familia. Sed iſtud non miremur, mater eum in idololatriam præcipitem egit Erat illa idololatriæ vitio infecta, & ad exemplum malum, malumq; à matre datum conſilium, tantumdem eſt, ac impellere ad vitia. Infelix filia eſt. quæ matrem idolis litare videt, tandem & ipſa eodem hamo capietur. Bene Chryſoſt hom. 9. in 1. ad Timoth. *Quid igitur ſi mater peſſima fuerit, atq; innumeris ſceleribus plena, ex hac inter orum educatione intrabitur? nempe eos ſimiles neceſſariò faciet.*

Filia ſimilis matri.

Michol ſterilis.

VI. *Quando & quomodo reducet Deus Sodomitas* v. 53. *cùm omnes cœleſti igne conſumpti ſint?* ℟ Per Sodomam hîc accipi totam Pentapolim, ex Pentapoli autem incendium Sodomiæ euaſit vrbs Segor, cum ſuis villis & pagis ob preces Lot Rurſum ſub Sodoma intelliguntur vicini Moabitæ & Ammonitæ. Hi enim orti ſunt ex inceſtu Sodomitico filiarum Lot cum patre in Sodomis, puta in Segor, vti notauit Lyran. & Vatab. hic ergo origine & natiuitate fuerunt Sodomitæ. Hoſce omnes in captiuitatem Babylonicam abduxit Nabuchodonoſor. Hic ergo Propheta de more triſtibus læta ſubjungens prædicit earum liberationem & reditum.

CAPUT XVII.

Aquila Chaldaica debellat Aquilam Ægyptiam. Rex Sedecias adhærens aquilæ Ægyptiæ, regno, patriâ, oculis priuandus: Jechonias, ſubdens ſe aquilæ Chaldaicæ, exaltandus prædicitur.

QUæſtio I. *Quem deſignat aquila magnarum alarum?* ℟. Nabuchodonoſorem regem Chaldæorum, magnarum alarum, id eſt, magnos ſecum trahentem exercitus: hæ enim ſunt alæ militares. *Longo membrorum ductu*, id eſt, imperio amplo, forti & diuturno, regnauit enim 45. annis *plena plumis & varietate*, id eſt, plumis verſicoloribus. Significatur exercitus conflatus ex varijs gentibus. *Venit ad Libanum*, id eſt, in Judæam, cujus terminus eſt Libanus, & quæ inſtar Libani florebat, vigebat, ſuperbiebat, maximèq; Jeroſolyma. Et tulit *inde medullam* Hebræi vertunt *cacumen Cedri*, id eſt regem Jechoniam cum regia familia, & primis Judææ principibus *ſummitatem frondium*; Chaldæus *proceriores ſtolones*, ſeu ſurculos. Alludit ad teneram ætatem Jechoniæ, (vtpote ſolum 18 annorum 4 Reg. 24. 8.) & quorumdam aliorum principum. *Et transportauit* eos *in terram Chanaan*, id eſt, mercatorum, *in vrbem negotiatorum*, id eſt, Babylonem, emporium omnium mercium, potentiâ, opibus, hominum frequentiâ nulli ſecundum Ita S. Hieron Maldonatus & alij. Et *tulit de ſemine*, regio ejusdem *terra* Judææ, ſcil. Sedeciam patruum Jechoniæ, & præfecit eum regno *pro ſemine* conſeruando, nempe vt ſceptrum maneret penes ſtirpem regiam, & radix ejusdem firmaretur, ac ſtabiliretur *ſuper aquas multas*, id eſt, ſuper populos multos Apoc. 17. 2. quibus tunc imperabat rex Juda. Non altè tamen infixit terræ hunc ſurculum, ſed *in ſuperficie poſuit illum*, vt poni ſolent vites. q. d. Nabuchodonoſor non valdè firmauit Sedeciam, ſed fractis ejus viribus ita illum præfecit regno, vt cùm vellet, facilè poſſet remouere. *Creuit* hæc *in vineam latiorem* palmitibus luxuriantem, & laſciuientem, ſed *humili ſtatura:* ſubditus enim manſit Sedecias Babylonio: *reſpicientes radices ejus ad eam* aquilam, *& radices ejus ſub illa*, & quamdiu ſub alis ejus fuit, pace ac proſperitate vſus fuit Sedecias cum omnibus ſuis. ita S. Hieron.

Aquila magnarũ alarum.

II. *Quomodo allegoricè exponitur aquila?* ℟. Origenes ſic exponit: Aquila iſta diabolus eſt, grandis ob eminentiam naturæ ſuæ, ob ſcientiam & poteſtatem ſuam. Grandis propria

Dæmon aquilæ ſimilis.

pria opinione, arrogantiâ & ſuperbiâ inflatus, ita vt paritatem cum Deo prætendere non erubuerit, *Plena plumæ*. LXX. interpretantur: *plena vnguium*. Plenus enim eſt vnguibus dæmon, vt feriat, vt laceret, vt diſcerpat, vt rapiat accipitris inſtar. *Et varietate.* Dæmon quippe falſum vero permiſcet, & diuerſimodè tentat pro diuerſitate inclinationum, modò aduerſitatibus, modò proſperis rerum ſucceſſibus, ſæpe alijs modis. Magnas ille alas explicat, ingenio velox,& mille artificijs abundans, & quocumq; vult perſpicaciſſima mentis ſuæ acie velociſſimè euolat. Longo & multiplici membrorum ductu circumfertur, ob innumeram improborum copiam, qui in vnum coaleſcunt corpus, ipſiq; veluti perfidorum, peruerſorumq; capiti & duci vniuntur. Hæc aquila venit ad Libanum, hoc eſt ad Eccleſiam, ad fidelium congregationem. Libanus enim interpretatur candor, & Eccleſia nuncupatur Virgo candidiſſima & puriſſima. Libanus altiſſimus mons eſt, & Eccleſia ſublimis ille mons eſt, in quo Deus habitat. Aquila cedrum vnguibus ſtringit. Cedrum, inquam, quæ inter montis illius arbores nobiliſſima eſt, non ſtirpes, non truncos, non ſpinas, non dumeta, non plantas ſteriles inuadit, ſed Cedrum, id eſt ſanctos, & virtutum ac ſanctitatis cultores. Et quod pejus eſt, ſæpe finem ſuum conſequitur, viſcera eorum rapit, gratiam euellit, cordis teneritatem extrahit, verarum virtutum medullam excerpit, & ex Libano tam ſublimi in terram Chananæorum, ac in Babyloniam transfert, eosq; reddit confuſionis incolas, peccati mancipia & Luciferi ſeruos. Attamen Cedrus viriditatem ſuam conſeruat, quia ſæpe illi qui peccant, in exterioribus tamen priores actus exercent, & tales apparent, quales priùs fuêre.

Pharao aquila.

III. *Quæ eſt altera Aquila* v. 7.? ℟. Pharao Vaphres rex Ægypti, ad quem vinea Judaica, rupto fœdere, & violato jure jurando cum Nabuchodonoſore, extendit ramos, id eſt, legatos miſit, & copias ei conjunxit, contra Nabuchodonoſor, *vt irrigaret eam* felicitate ſua & fertilitate fluminis ſui Nili. Nempe volebat juuari milite & apparatu bellico, atq; annona Ægyptia. Non quòd egeret illis. *In terra* enim *bona*, pingui & fertili, *ſuper*, id eſt, juxta, *aquas multas*, ſub alis potentiſſimi regis Babylonici *plantata* erat vinea Judaica: ſed ex mera ſuperbia & ambitione deflexit ad Ægyptium. Sed quid ad hæc Babylonius? v. 9. *nonne radices ejus euellet*, & robur ac fundamentum funditus exſcindet? *& fructus ejus diſtringet*, ſeu decerpet, id eſt, filios regis immatura nece tollet de medio 4. Reg. vlt: & *ficcabit omnes palmites germinis ejus*, ſeu germinantes? id eſt, proceres ac principes trucidabit: vt euellat vineam radicitus. Neq; ad id opus habebit *brachio grandi*, aut *populo multo*, vnico enim conflictu ſuperatis, Ægyptijs quaſi ludibundus hærens in Reblatha, per ſatrapam vnum ſuum Nabuzardan reliquum belli conficiet, vt videre eſt 4. Reg. vlt.

CAPUT XVIII.

Docet, filios non puniri pro peccatis parentum, ſed vnicuiq; pro meritis proprijs reddi vel vitam vel necem.

Peccata parentum non punit Deus in filijs.

QUæſtio I. *Quomodo dicitur Deus peccata parentum non punire in filijs*, cùm Exod. 20. 5. dicitur: *Ego Deus zelotes, viſitans peccata patrum in filios in tertiam & quartam generationem.* Rurſum 2. Reg. 24. ob peccatum Dauidis cæſa ſunt 70. millia populi. Ob peccata Dathan, Abiron,& Sodomitarum tota familia & gens cum paruulis innocentibus eſt deleta. Sic in Madian Deus omnes etiam paruulos occidi juſſit. Num. 31. 17. Sic in Jericho juſſit Joſue omnes etiam infantes occidi, Joſu. 6. v. 17. & 21. ℟. Propheta loquitur de adultis filijs pijs, qui impiorum parentum peccata deteſtantur; Moyſes verò loquitur de impiorum patrum impijs filijs, qui peccata parentum imitantur: in his enim peccata parentũ punit Deus. Tunc enim parens & in ſe punitur,& in filio: ac filius punitur ob peccatũ patris,non quatenus eſt peccatũ patris; ſed quatenus illud imitatus eſt,& ſibi proprium effecit. Verũ tamen eſt,quod non puniretur,ita citò,& grauiter filius,niſi peccata patris præceſſiſſent: qui a grauiùs peccat, eò quòd majorum ſcelera imitans, ea approbet, & complacendo participet, ideoq; impudentior ſit & peruicacior, dum ijsdem ſua addit & adjicit, vt faciat cumulum. ita S. Hieron. Dico, de adultis; quia paruulos pœnâ mortis temporalis ſubinde punit Deus, & communi parentum cladi inuoluit, vt patet in Sodomis, in Jericho, in Chanaan, in Madanitis, in Dauide. Ratio eſt, quia paruuli ſunt quaſi vnum adhuc cum parente, ejusq; quaſi pars & poſſeſſio. Unde paruuli inſontis morte grauiùs cruciatur parens, ſceleris ſui conſcius. Ipſis autem paruulis hac morte bene fit; quia ſi peccato originali expiati ſunt, ſaluantur, & periculis damnationis eripiuntur. Sin in eo ſunt, vti fuerunt Sodomitarum paruuli, præſtat cum eo ſolo mori, quàm cum multis & infandis actualibus, in quæ incidiſſent certò, ſi vixiſſent. ita Corn. à Lap.

Pœnitentia.

II *Quomodo intelligendus* v. 21. SI IMPIUS EGERIT POENITENTIAM &c.? ℟. Si corde conteratur, ſi ſeriò doleat ac deteſtetur peccata propter offenſum Deum ſummum & infinitum bonum cum propoſito cauendi deinceps, legesq; omnes obſeruandi; *vitâ viuet*, tum temporali, tum ſpirituali, tum æterna: *omnium iniquitatum ejus non recordabor*, ſeu ad imputandum illi, ſeu ad puniendum. Eſt enim quaſi naturale veræ contritioni, abolere peccata omnia, tum quoad culpam, tum quoad pœnam æternam, licet ſubinde non quoad omnem

pœnam

pœnam temporalem, vel pœnalitates connexas. ita Trid. & Scholastici passim. Vnde cùm dicit Deus, *non recordabor*, intelligit, quasi manens illi infensus aut hostis, cum voluntate se de accepta injuria vindicandi, ut ante pœnitentiam. Non autem intelligit, quòd non recordabitur quasi medicus, amicus & parens, imò justus judex, qui studio corrigendi, quod delictum, purgandi, quod fœdatum, & compensandi, quod Diuinæ gloriæ detractum fuit, etiam in charissimis amicis & filijs suis punivit, seu hîc, seu in purgatorio, si quid subinde reliquum reatus manserit.

III. *An merita priora per subsequens peccatum tollantur?* R. Ezech hic v. 24. *Si averterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur.* Omnia bona opera ante peccatum præstita obliuioni tradentur, ac si durante peccato ea quis præstitisset. Peccatum mortale, dum committitur, omnia merita ad illud momentum vsq; congesta & cumulata delet, jejunia euertit, confessiones expungit, communiones annullat, eleemosynas absorbet. Si homo 80. aut 100. annis pro fide passus esset, & pluries pro Christo sanguinem sparsisset, si carnem acerbissimis flagris dilacerasset, si Hilarionis cilicio asperius induisset, si parcissimè somno in terra vsus esset cum S Martino, si possessiones & regna distraxisset, & collatum pretium in pauperum erogasset subsidium, si plures annorum decades cum Simeone Stylita in columnæ vertice absoluisset, si generosiora facta præstitisset, quàm Apostoli, si majore fuisset succensus feruore, ac Magdalena, deinde verò vnicum peccatum mortale committeret, omnia perderet, & nihil eorum prodesset, quod egit. Meritò exclamat S. Cyprian. lib. de lapsis. Hoc sunt peccata lapsis, quod grando frugibus, quod armentis pestilens vastitas, quod navigijs sæva tempestas.

CAPUT XIX.

Duplici metaphora, leonum, & vineæ, describit & plangit cladem Jerosolymæ, & miseram sortem filiorum Josiæ, scilicet Joachaz, Joakim, Joachin & Sedeciæ regum Juda.

QUæstio I. *Quis est sensus* v. 2. QUARE MATER TUA LEÆNA &c.? R. Leænam vocat Jerosolymam ob nobilitatem, audaciam & sæuitiam incolarum: Leones sunt vicini reges gentium: q. d. Olim Jerusalem citra vllum metum versabatur inter reges gentium, perinde atq; leæna intrepida inter leones ita Orig. S Hieron. & Theodor. *In medio leunculorum*, id est, inter aliorum regum ac principum filios, *enutriuit* in medio seu palatio suo *catulos suos* Jer. 22. 6. Josiæ filios. *Et eduxit unum de catulis suis*, puta Joachaz 4 Reg. 23. v. 30. alio nomine *Sellum*, quem licet secundò vel tertiò genitum filiorum Josiæ, tamen primo loco populus succedere instit parenti defuncto, & sic *factus est Leo* id est, rex Juda. Quo audito, *gentes* quæ erant in castris Pharaonis indignatæ, secundo genitum eripuisse sceptrum primogenito, castra aduersùs eum mouerunt, & in bello (sed non incruento) deuictum *ceperunt*, & vinctum catenis adduxerunt in Ægyptum, substituto ei vno altero leunculo nempe Joakim primogenito, hic *factus Leo*, id est, Rex, *didicit viduas facere*, occisis earum maritis & bonis fisco addictis, *& ciuitates eorum* hominum, quos occiderat vel expilârat, *desertas reddere.* Vnde ob sæuitiam hujus leonis, *desolata est terra*, & destituta incolis, qui antea eam implebant. *Mater leæna.*

II. *Quid per vineam intelligitur* v. 10? R Jerusalem, quæ ex sanguine regio Dauidis produxerit frondes regias; tanquàm ex succo uvarum rubeo. Sed hæc vitis *euulsa* jam *est* in, seu per *iram* furoris diuini, & ventus urens, nempe Chaldæorum impetus *siccauit* omnem *fructum ejus*, id est, omnes filios, incolas & opes Jerosolymæ, putà sub Sedecia, quando capta & exusta est vrbs à Chaldæis: *Et nunc transplantata est in desertum*, translatis ciuibus in Chaldæam, vbi destituti aquis donorum ac benedictionum Dei, quasi in arido deserto, omnium indigi degunt. Nisi malis per desertum, ipsam Judæam incolis & opibus spoliatam accipere cum S. Hieron. Vnde sequitur v. 14. *Et egressus est ignis de virga ramorum* hujus vitis, nempe Ismael Jer. 41. 2. è regio semine oriundus, qui inuidens Godoliæ principatum Judææ, fructum ejus reliquum *comedit*, id est, abstulit e medio Godoliam & omnes illi adhærentes Judæos, & non fuit in vite alia virga tam fortis, ut succedere posset in sceptrum dominantium, id est, in regnum Juda. *Vinea est Jerusalē vel Judæa.*

CAPUT XX.

Deus per Ezechielem consultus à senioribus Judæorum Babylone de euentu belli Judaici, negat se illis pro voto responsurum, sed exprobrat illis peccata tum parentum, tum propria. Quo verò magis eos ad æmulationem prouocet, asserit se breui ab alijs veris Israelitis piè rectèq; colendum. Denique nova parabolâ ignis & flamma extremum Judæis excidium intentat.

QUæstio I. *Quo sensu dicitur* v. 25. ERGO ET EGO DEDI EIS PRÆCEPTA NON BONA? ℟ dedi, id est, permisi eis dari præcepta gentilium & idololatrarum de ritu colendi idola q. d. permisi eos sequi suos affectus, quibus ferebantur in idola; permisi eos sequi suas pravas cupiditates, ut eos punirem. ita Chald, S. Hieron. & Maldon. At Corn. à Lap. putat hic *erg* significare pœnam consequentem & inflictam propter culpam præteritam. q. d. Quia Judæi suauem meam legem, rejecerunt; hinc permisi eos subdi hostibus & tyrannis, qui præcepta tyrannica, & intoleranda eis darent, sub quibus vix traherent animam, vix viuerent.

II. *Quomodo dicitur* v. 26 POLLUI EOS IN MUNERIBUS SUIS? ℟ Quia sabbata mea, ritus, victimas optimas, sanctissimas, facillimas, & jucundissimas rejecerunt, permisi eos pollui in muneribus, id est, oblationibus suis, ut offerant *omne, quod aperit vulvam*, id est, suos primogenitos, propter delicta sua expianda, in sacrificium Saturni & Moloch. Hunc esse sensum patet ex v. 31. In maxima enim clade pueros, quasi gratissimam victimam dijs, ut eos propitiarent, immolabant, ùt Agamemnon Iphigeniam, rex Moab suum primogenitum 4 Reg. 3. v. vlt.

III. *Quomodo dicitur* v. 47. COMBURAM IN TE OMNE LIGNUM VIRIDE, ET OMNE LIGNUM ARIDUM? ℟ Omne omnino lignum, nullo excepto. Omne enim lignum vel viride est, vel siccum. Sensus est, q. d, Omnes, principes & subjectos; senes & juvenes, diuites & pauperes, igni, id est, vastationi Chaldæorum, tradam. S. Hieron. *lignum* ait *viride vocat justos, aridum verò peccatores*, q. d. interficiam in te omnes, Sanctos æquè ac peccatores. Sanctos, vt ipsi captiuitatis mala effugiant morientes: peccatores, vt supplicijs tradantur æternis.

CAPUT XXI.

Explicat parabolam flammæ grassantis in syluam. Prædicit Nabuchodonosorem in bivio ex sagittis commixtis omen capturum, an prius Judæos, an Ammonitas inuadere debeat: atq; omine in Judæos vergente, illos primo loco excisurum: secundo, Ammonitas & alias gentes. Deniq; ipsos etiam Chaldæos in terra sua perdendos per Cyrum & Darium.

Justus cũ impio punitur.

QUæstio I. *Quomodo Deus minatur* v. 3. OCCIDAM IN TE JUSTUM ET IMPIUM? ℟ Cùm impius propter delicta propria plectitur, justus propter aliorum peccata punitur, dum ab illis non recedit, & inter ipsos commoratur. Deplorat hoc S. Pet. Damiani opusc. 12 c. 14. dum ingemiscens ait: Valde miserum est à propijs quidem recessibus reprimi, & alieni reatûs maculis inquinari, cum alijs non delinquere, & alieni delicti supplicia sustinere. Istis periculis se exponit ille, qui cum impijs conuersatur. Non rarò renovatur, quod filijs Israel accidisse memorat David ps. 105. 35. *Commixti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & seruierunt sculptilibus eorum*, & factum est illis in scandalum, id est, in ruinam, in præcipitium, & exterminium populi à Deo tantùm amati. Optimè monet Spiritus S. Eccles. 7. 1. *Discede ab iniquo, & deficient mala abs te.* Imprime pectori tuo dictum S. Aug. tract. 36. in Joan. *Ubi malorum nullus erit, ibi bonorum nullus peribit.*

Omen Nabuchodon. per sagittas quale?

II. *Quale fuit omen Nabuchodonosoris per sagittas* v. 21. ? ℟ Vni sagittæ inscriptum erat nomen Rabbath, alteri nomen Jerusalem, deinde commiscens eas in pharetra, & clausis oculis vnam educens, sorte discere voluit, eò sibi esse eundum, cujus nomen illa continebat; Deo autem volente Jerusalem per eum punire, & manum ejus dirigente, eduxit illam, cui inscriptum erat Jerusalem; contra eam ergo perrexit. ita S. Hieron. *ad dexteram ejus facta est divinatio* v. 22. Per sortes sagittarum, fortè etiam per responsa idolorum & aruspicum intellexit ineundam sibi esse viam versùs Jerusalem. Eò enim ire verebatur Nabuchodonosor, ait S. Hieron. memor ibi ab Angelo cæsa esse Assyriorum 185 millia vna nocte, & sciens vrbem esse munitissimam.

III. *Quo sensu dicitur v. 23. Eritq; quasi consulens frustra oraculum in oculis eorum*? ℟ Judæis videbitur frustra ex sua divinatione Nabuchodonosor venire contra Jerusalem. Putant enim ipsi eam esse inexpugnabilem: sed ignorant non idola, sed Deum sortes ita moderatum, vt rex Jerusalem sibi expugnandam deligeret, ac proinde illum Dei nutu & ope eam certò expugnaturum.

Corona datur humilibus.

IV. *Quem humilem sublevauit, & sublimem humiliauit corona* v. 26. ? ℟ Joachin. Euilmerodach enim videns Joachin humilem, regium ei habitum & coronam restituit: vel potius q. d. Hæc corona Sedeciam, cùm humilis esset, in regnum & gloriam evexit: jam eundem ob superbiam dejiciet & humiliabit: corona enim hæc amat & sequitur humiles, odit verò & fugit superbos. Honor enim & celsitudo sequitur fugientes, fugit sequentes & ambientes. Aliter Hector Pintus, q. d. Hæc est potestas regia Sedeciæ, quæ justitiam

peruer-

peruertit, scil. humiles & viles, quos debebat abjicere, extollendo, & sublimes ac egregios, quos extollere debebat, humiliando. Hinc propone ei iniquitatem triplicem: primam, quam fecit contra me; secundam, quam fecit contra populum; tertiam, quam fecit contra Nabuchodonosor, dum fœdus cum illo initum violauit.

CAPUT XXII.

Recenset varia Jerosolymitanorum scelera, cædes, idololatriam, adulteria, incestus, vsuras &c. quæ igni expianda prædicit.

QUæstio I. *Quomodo domus Israel dicitur versa in scoriam* v. 18? R. Israel priùs erat quasi argentum, quia sanguine nobilis, moribus candidus, religione splendidus, opum & potentiæ famâ celebris; nunc versus est in scoriam; quia omnia hæc obscurauit suâ idololatriâ & sceleribus; & gloriam ac opes perdidit, per arma hostium & captiuitem.

II. *Quo sensu dicitur de Judæis* v. 18. *omnes isti æs & stannum, & ferrum & plumbum in medio fornacis: scoria argenti facti sunt?* R. det S. Greg. 3. p Pastor. c 14. Purgare, ait, eos per ignem tribulationis volui, & argentum illos vel aurum fieri quæsiui; sed in fornace mihi in æs, stannum & ferrum & plumbum versi sunt. Æs quippe dum percutitur, amplius metallis cæteris sonitum reddit Qui igitur positus in percussione erumpit ad sonitum murmurationis, in æs versus est in medio fornacis. Stannum verò cum ex arte componitur, argenti speciem mentitur. Qui verò simulationis vitio non caret in tribulatione, stannum factus est in fornace. Ferro autem vtitur, qui vitæ proximi insidiatur: ferrum itaq; in fornace est, qui nocendi malitiam non amittit in tribulatione. Plumbum quoq; cæteris metallis grauius est. In fornace ergo plumbum inuenitur, qui sic peccati sui pondere premitur, vt etiam in tribulatione positus à terrenis desideriis non leuetur. Hinc rursum scriptum est Ezech. 24. Multo sudore sudatum est, & non exiuit de ea nimia rubigo ejus neq; per ignem. Hæc S. Greg.

III. *Quo sit sensu* v. 19. & 20 CONGREGABO VOS IN MEDIO JERUSALEM CONGREGATIONE ARGENTI ET ÆRIS &c. R. det Theod. quia vos scelerum colluuionem admisistis, & facti estis quasi argentum adulterinum, fornacem vobis constituam ipsam Jerusalem: & carbonum instar hostes injiciam; meamq; vim & iracundiam, quasi ignem adhibebo, vt igne tribulationis, scil. peste, fame gladio vos conflem; vt illos, qui insanabili morbo, id est, peccato laborant, quasi alienam materiam consumam & conficiam; eos verò qui purgationem admiserint, expiem, depurem, & quasi quoddam purgatum argentum reddam. Hoc est, quod subdit, *& requi scam & conflabo vos*, id est requiescere faciam, seu dimittam vos in fornace, id est, in gladio, fame & peste, vt ijs vel purgemini vel consumamini.

IV. *Quomodo intelligenda verba* v. 18 PROPHETÆ LINIEBANT EOS ABSQUE TEMPERAMENTO? R. Adulabantur Principibus, eosq; animabant in sua tyrannide, promittentes eis securitatem, & omnia bona, sed falsò & mala fide, ac deceptoriè: inuenient enim se ab eis deceptos, cùm Dei minas re ipsa incurrent & sentient: perinde ac ille, qui incrustat parietem luto, nec temperat lutum paleis, vt sibi cohæreat, decipit herum suum; nam lutum friabile, non hærebit, sed defluet.

CAPUT XXIII.

Sub parabola duarum meretricum, Oollæ, & Ooliбæ, describit fornicationem, id est, idololatriam, tam Jerusalem quàm Samariæ, id est, tam duarum Juda & Benjamin, quàm 10 tribuum Israel. Imò asserit Jerusalem in scelere superâsse Samariam: vnde vtriq; pœnam intentat adulterarum & homicidarum, putà lapidationem, incendium, gladium, & excidium.

QUæstio I. *Quæ sunt duæ mulieres matris vnius?* R. Samaria 10 tribuum, & Juda duarum, vnius matris Saræ, vel Synagogæ. Samariam appellat Oollam id est, *tabernaculum ejus*, quia fecit schisma, & quasi fornicarium tabernaculum in Dan & Bethel. Judam appellat Oholibam, h. e. *Tabernaculum meum in ea*, quia ipsa retinuerat cultum Dei. Est parabola, & nomina ficta sunt & pòëtica. *Fornicata sunt* mysticè, id est, idola coluerunt. *Ibi suctacta sunt vbera.* Ubera erecta & solida signa sunt virginitatis, laxa corruptionis tum enim concidunt. q. d. perdidit Israel in Ægypto virginitatem, id est, primogenium veri Dei cultum, in adolescentia, id est, sub Moyse, vnde laxus defluxit in varios errores, quos quasi lac alijs propinauit: vti meretrix vberibus suis lactat filium. ita Theodor. *Oolla & Ooliba.*

II. *Quis est sensus* v. 31. *In via sororis tuæ ambulasti, & dabo calicem ejus in manu tua.* ℟ Imitata est mores sororis, id est, idololatriam Samariæ, idcirco ijsdem pœnis te afficiam. Nota. Calicem vocat mensuram supplicij à Deo decretam, *Calicem sororis tuæ bibes.* id est, idem cum sorore tua supplicium feres, *profundum*, pœnarum magnitudine; & *latum*, amplo tempore captiuitatis 70 annorum.

CAPUT XXIV.

Metaphora lebetis pleni carnibus, appositi ad ignem, significat Ierosolymam cum ciuibus obsidendam, & igni absumendam. Moritur inde vxor Ezechielis, quam vetat plangi Deus, vt portendat in communi clade & excidio neminem planctum singulari planctu mortem, seu vxoris, seu patris, seu fratris sui.

Olla est Jerusalem.

QUæstio I. *Quæ est interpretatio ollæ?* ℟ Olla est Ierusalem, immissio aquæ sunt miseriæ & calamitates ex longa obsidione in vrbem invectæ, frusta pecoris pinguissimi, sunt membra reip. admodum lasciuientis, omnis pars bona, id est, optimus quisq; & ditissimus incolarum, nempe caput, id est, rex: cor, pontifex: viscera & adeps, sacerdotes: femora, milites: armi, magnates, crura, opifices: electa & ossibus plena, id est, optima & solidissima quæq; membra, quæ ossibus & medullis plena esse solent, sunt magistratus.

II. *Quæ sunt ossium strues sub olla* v. 5. quæ vnà cum lignis ardeant & focum augeant? ℟ sunt ossa innocentum à Judæis jugulatorum, quæ causa sunt majoris tormenti ossibus, quæ in olla coquuntur, id est, magistratibus & judicibus. Adeo verò *efferbuit*, paulatim procedente obsidione, *coctio* ollæ, vt *discocta*, id est per cocta, seu coquendo consumpta sint & in minuta frusta dissilierint etiam *ossa* alioqui durissima, id est, attriti & absumpti sint fame, peste, gladio, etiam potentissimi Judæorum

III. *Quæ est rubigo* v. 6.? ℟ hebraicè *adustio*, est illa immunditia seu sordes, quæ ob nimiam adustionem carnium, ollæ adhærescunt, designat impœnitentiam & obstinationem obsessorum.

IV. *Quid est* PER PARTES ET PER PARTES SUAS EIICE EAM v. 6.? ℟ Euacua ollam frustatim, & frusta dejice quoquouersum. Hoc symbolo denuntians, obsessos, postquàm omni genere afflictionum per cocti fuerint, tandem vel morte educendos, vel si in viuis manserint, in omnem ventum ventilandos, idq; temerè & citra delectum, neq; enim cecidit, aut cadet *sors ulla super eos*, qua exquiratur quot & quinam perituri sint, quinam seruandi: sed manet omnes communis interitus. ita S. Hieron. Maldon. & alij.

CAPUT XXV.

Etiam Ammonitis, Moabitis, Idumæis ac Philisthæis prædicit excidium per Chaldæos, eò; quòd de Judæorum vastatione exultârint, & ad eam juuerint, etiam cum exprobratione diuini Numinis, quasi se suosq; ac templum tueri non posset.

QUæstio I. *Quibus Orientalibus vult Deus tradere Ammonitas?* ℟ Chaldæis ita S. Hieron. & Hebræi. Nam quinto anno post excisam Ierosolymam excidit Nabuchodonosor etiam Ammonitidem, vt refert Josephus l. 10 Antiq. c. 11. Possunt etiam per Orientales cum Theodoreto & Maldonato intelligi Arabes, qui passim in scriptura Gen. 25. v 6. &c. vocantur filij Orientis, erantq; tunc socij & adjutores Chaldæorum: alioqui vt plurimùm pastoritiam exercebant: quibus apertissimè conueniunt, quæ de caulis, pecoribus, & camelis hìc subjunguntur.

II. *Quid est, aperiam humerum Moab* v. 8? ℟ Chald. conteram fortitudinem Moab. Viri enim fortitudinem suam habent in humeris & brachiis. *Idò* Vatablus, humerum siue latus aperire, ait, est aditum facere ad firmissima & munitissima loca, vt hostibus pateant. Habent enim arces, vrbes munitæ & propugnacula speciem humerorum.

CAPUT XXVI.

Etiam Tyro idem quod alijs regnis excidium minatur, hoc, & duobus sequentibus capitibus, eò; quòd & ipsa inuidens & æmula gloriæ Ierosolymorum, in eorum clade exultârit.

Quæstio

QUæstio I. *Quomodo dicit se raſuram puluerem de Tyro?* R. Est hyperbole. q. d. Tyrum euertam, & eradam vſq; ad ſun lamenta, faciam, vt ne puluis quidem in ea remaneat. Erat enim Tyrus extructa in rupe, in medio mari. Incolæ verò terram ad fabricandum & hortos conſtruendos eò comportauerant, quam Deus dicit euertendam, imo radendam, vt rupes nuda relinquatur, qualis erat, antequàm vrbs conſtrueretur.

II. *Quomodo de Tyro dicitur* v. 14. *nec ædificaberis vltrà* cum Iſaiæ 23. 17. dicatur Tyrus inſtauranda poſt 70 annos? R. det S. Hieron. inſtauratam fuiſſe Tyrum in vrbem, ſed non in regnum, nam Tyrus deinceps ſubfuit Chaldæis, Græcis, Romanis. 2dò R. det Scholiaſt. ciues Tyri omnes penè fuiſſe deletos, ac proinde poſtea aliam fuiſſe quaſi Tyrum, quæ ab alia hominum natione, alijs legibus & moribus, imò, vt aliqui volunt alio loco inſtaurata ſit. *Tyrus inſtaurata.*

III. *Quomodo ad ſonitum ruinæ Tyri commouebuntur inſulæ* v. 15? R. Est hyperbole, q. d. Sicut turre ruente omnia vicina commouentur; ita Tyro ruente vicinæ inſulæ, id eſt, inſulani, ad famam & nuntium vaſtationis Tyri commoti ſunt, id eſt, commouebuntur pauore & admiratione.

CAPUT XXVII.

Sub nauis onerariæ allegoria ſuperbiam, diuitias & gloriam Tyri commemorans, ejusdem ruinam naufragio non abſimilem prædicit.

QUæstio I. *Quo ſenſu dicitur Tyrus in corde maris ſita* v. 4.? R. In medio mari q. d. dixiſti ſuperbe, ô Tyre, ego ſum munitiſſima æquè, ac ſpecioſiſſima Domina ac regina maris, circumquaq; mari cæruleo circumdata & quaſi coronata, Iſa. 23. 8. Erat enim Tyrus rotundâ formâ ſuper rupem duriſſimam, vndiq; quaſi inſula mari cincta, 4. ſtadijs, id eſt, 500 paſſibus, id eſt, medio milliari diſtans à terra. Sed Nabuchodonoſor, & pòſt Alexander, terra, lignis, lapidibus mare vna ex parte impleuit, vt Tyrus pedibus adiri, & expugnari poſſet, ſicq; ex inſula fecit peninſulam. Ita S. Hieron. Plinius l. 5. 19. & Curtius l. 4. *Tyrus in corde maris ſita.*

II. *Quo ſenſu dicitur* v. 26. IN AQUIS MULTIS ADDUXERUNT TE REMIGES TUI? R. Sicut triremis valde onerata, ſi in altum mare ducatur à remigibus, periculo exponitur, ne vento, & fluctibus, & ſuo onere mergatur: ita tui, ô Tyre, gubernatores volentes te in altitudinem gloriæ & opum euehere expoſuerunt te periculo excidij. 2dò in aquas multas, ſcil. calamitatum vel populorum, & militum Nabuchodonoſoris gubernatores te induxerunt; dum eos diuitiarum ſuarum & rerum copia allexerunt ad tui obſidionem & expugnationem.

III. *Quis ventus Auſter contriuit Tyrum* v. 26.? R. Contriuit, pro conteret te, quaſi arborem in medio mari ſuper rupem plantatam, in hanc enim ſæuit, imò furit Auſter. Hic eſt Nabuchodonoſor, quem rectè comparat Auſtro, quia ipſe ab expugnatione Jeruſalem, quæ ſita erat ad Auſtrum, Tyrum venit. 2dò Auſter procelloſiſſimus aptè procellas, tempeſtates & naufragia Tyri ſignificat. Vnde Auſtrum ab hauriendis aquis dictum volunt, ita Theodor. & S. Hieron. qui ait, omnes diuitiæ Tyri flante Auſtro diſpereunt.

CAPUT XXVIII.

Regem Tyri de ſuperbia & arrogantia redarguit, ejusq; ruinam deplorat. Sidoni ſimile excidium prædicit: è contrario Iſraeli reditum è captiuitate, & felicem patriæ inhabitationem promittit.

QUæstio I. *Quem intelligit per Principem Tyri* v. 2.? R. S. Hieron. ad Damaſum ep. 146. S. Aug. 11. de ciuit. Orig. Amb. & alij intelligunt diabolum. Polychr. vult hunc principem eſſe ipſum regem Tyri, qui ſuperbiuit maximè hoc nomine, quòd à Nabuchodonoſore ſuperari non potuiſſet. Apollinaris & ex eo Theodor. cenſent hîc quædam de diabolo, quædam de rege Tyri dici, quædam de vtroq; Corn. à Lap. putat, prophetam propriè loqui de rege Tyri, vt patet ex ejus verbis, ſed ita, vt ſub typo diaboli, quem imitatus eſt rex, regis ſuperbiam & ruinam deſcribat. Sic Iſaias c. 14. ſub typo Luciferi Balthaſaris ſuperbiam & lapſum ſimilem deſcribit. Vbi notat Corn. vtrobiq; quædam dici, quæ propriè & grammaticè competunt diabolo, ſed hyperbolicè & metaphoricè explicari debent de rege Babylonis vel Tyri. vt quod ait Iſaias: *quomodo cecidiſti de cælo Lucifer?* & quod ait hîc Ezechiel dixiſti: *Deus ego ſum, & in cathedra Dei ſedi.* quæ verba, ait S. Hieron. propriè ſunt inſanientium dæmonum, ſed hyperbolicè regis Tyri, qui ita intumuit felicitate ſua, & regni potentiâ, vt præſentia bona putans perpetua eſſe, hominem ſe eſſe neſciêrit, & æternum ſibi imperium vendicârit.

II. *Quo ſenſu dicitur* v. 2. IN CATHEDRA DEI SEDI (id eſt ſedeo) IN CORDE MARIS?

RIS? ℟ In excelso throno eminentis rupis, quæ mari vndiq; cincta omnem habet pulchritudinem, munitionem, opes, merces, & gloriam; sedeo quasi Deus, tam fortis & securus, vt neminem timeam: ago Deum quemdam in mari: sedeo in Tyro excelsa & inaccessa, quasi Deus in cœlo, quem nemo potest attingere, aut lacessere, quod Deo cœlum, hoc mihi est mare: tam enim ego tutus & munitus sum hac insula cincta mari, quàm Deus muris cœlestibus.

Luciferi lapsus defletur.

III. *Cur Ezechiel jubetur flere ob Luciferi lapsum, quem persona regis Tyri notat* v. 11. FILI HOMINIS LEVA PLANCTUM SUPER REGEM TYRI &c. ℟det Rupertus Abb. Ille reuerà vtiliter plangit, ille planctum rationabilem leuat super regem Tyri, qui contrito corde, & humili spiritu scrutatur propria pericula, & perpendit, quid sibi faciendum sit pulueri & cineri: cùm ille summus Angelus tam magnus, tam sapiens, tam speciosus, ita terribiliter projectus sit, pro eo, quòd Creatori suo subditus esse noluit, tamq; vilis, tam fatuus, tam deformis sit effectus, vt turpissimum sit vniuersi monstrum. Ille reuerà planctum leuauit supra Regem Tyri, condolens sibimet, quòd vel de imitatione ejus aliquid iniquum admisit, vel, quod fieri potest, vt admittat, si nondum admisit. Et quis meritò non plangat, qui cinerem se & puluerem cogitat? Cadit Angelus, ô quàm facile cadet homo? franguntur ænea vasa, quantò faciliùs vitrea conterentur? Si aurum rubigine obducitur, quam rubiginem non attrahet ferrum? Si is, qui in cœlo constitutus erat, perit, quomodo is, qui in terris degit, non peribit? si lux caligine obfuscatur, quæ obscuritas eum manere non potest, qui in tenebris ambulat? Altissimæ montis Libani Cedri, vnico superbiæ vento prosternuntur, ô quid debilissimæ plantæ euenire non poterit.

IV. *Quomodo de Lucifero dicitur* v. 17. PERDIDISTI SAPIENTIAM TUAM IN DECORE TUO, IN TERRAM PROJECI TE? Ergóne Angeli eximius formæ decor, à Deo tam perfectè, & eleganter adstructæ sapientiam ejus perdidit? ℟ si non causa, sed occasio præcipitij ejus fuit. Bene S. Hieron. dum vis plus esse, quàm conditus es, & magis sapere quàm à Deo acceperas, etiam id perdidisti, quod non habebas, & pro pulchritudine & doctrina, deformitas te atq; stultitia possederunt] Ex Angelo formosissimo horrendus Dæmon effectus es, & olim Angelus lucis, vilis jam vespertilio in tenebris erras. Sed Bern. notat illa verba *in decore tuo*. Ser. 74. in Cant. Quæris, quis ille decor, tam noxius, tam pernicioſus? Tuus: planiùs audi: priuatus, proprius. Non in decore, sed in decore suo, dictus est ille perdidisse sapientiam &c. Proprietas in causa est. Quòd sibi sapiens fuit, quòd non dedit gloriam Deo, quòd non retulit gratiam pro gratia, quòd non secundùm veritatem ambulauit in ea, sed ad suam eam retorsit voluntatem, istud est, cur eam perdidit, imò istud est, quod eum perdidit Hæc ille.

V. *Quomodo de rege Tyri dicitur* v. 14. *Tu Cherub extentus & protegens, & posui te in monte Sancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulasti*? ℟ Tu à me positus es *in monte sancto Dei*, nempe in finibus terræ Chanaan, quæ perpetuò in scripturis sancta vocatur Sap. 12. 3. quia populo sancto destinata. Erat autem Tyrus intra terminos tribus Aser Deut. 22. v. 8 & 9. licet eam numquàm obtinuerint Judæi. Ergo in terra sancta positus fuisti velut Cherub *extentus & protegens*, nempe vt alis potentiæ & prouidentiæ tuæ quaqua versùm extentis & expansis populos tibi subditos, quin & ipsam terram sanctam, & in ea templum meum protegeres, haud secus quàm Cherubini arcam & propitiatorium protegunt in sanctuario meo, ita S. Hieron. & alij Patres. *In medio lapidum*, id est, inter lapides ignitos seu pretiosos, & instar ignis splendentes. q. d. positus es intra terminos 12 tribuum Israel, quæ 12 lapidibus pretiosis in rationali Pontificis insculptæ erant, & per eosdem adumbrabantur Sap. 18. v. 24.

CAPUT XXIX.

Ægypti excidium per Chaldæos bis prædicit, semel anno decimo, & iterum anno vigesimo septimo transmigrationis Jechoniæ: & idem prosequitur per tria sequentia capita.

Pharao crocodilus

QUæstio I. *Cur Pharao vocatur Draco magnus seu crocodilus* v. 3.? ℟ Quia sicut crocodilus piscibus in Nilo, sic Pharao Ægyptijs in Ægypto dominabatur. 2dò quia sæuus erat & rapax vt crocodilus. 3tiò nec aliud animal ex minori origine in majorem crescit magnitudinem, magnitudine excedit plerumq; duodeviginti cubita. Ita Pharao è paruo creuit adeo, vt aspiraret ad monarchiam orbis. 4tò, vnguibus hic armatus est, contra omnes ictus cute inuicta. Dies in terra agit, noctes in aqua, tepori vtrumq; ratione inquit Plin. l. 8. c. 25. Ita Pharao & terræ & aquis dominabatur, ijsq; ita cingebatur, vt videretur inuictus, imò inaccessus. 5tò Subdit Plinius crocodilum tres habere hostes imò ichneumonem; 2dò Delphinum; 3tiò Tentyritas; Ita Pharao tres habuit hostes, Æthiopes, Syros, Chaldæos.

II. *Quo sensu dicitur* v. 4. AGGLUTINABO PISCES FLUMINUM TUORUM SQUAMIS

MIS TUIS? ℟ Vt subditi tibi Ægyptij, tam principes, quàm ciues & plebeij tibi jungantur in clade & captiuitate, quam inferent tibi Chaldæi. Alludit ad pisces gregales, qui suum regem habent, eumq; sequuntur, & cum eo capiuntur vti sunt haleces.

III. *Quomodo Pharao dicitur Domui Israel fuisse baculus arundineus* v. 6.? ℟ Quia Israelitas concitavit, ut rebellarent Chaldæis, fisi ejus ope & viribus, fuit eis baculus, seu sustentaculum in promissione, sed in solutione arundineus, id est, infirmus, vacuus, inanis & fallax, quia promissis non stetit; imò causa fuit, cur Judæi à Chaldæis, vtpote suis æmulis, grauiùs sint afflicti, vt patet Isaiæ 36. 6. Appositè Ægyptios comparat arundini, tum quia Ægyptus in longum excurrit secus Nilum, estq; instar longæ arundinis; tum quia Ægyptus arundinibus tam papyriferis, quàm aliis abundat, vti docet Plinius l. 13. c 11, tum quia arundo omnis cassa, inanis, fragilis & infirma est. Causa ergo iræ Domini contra Ægyptum est, quòd populum Dei suo deceperit auxilio, ne speraret in eum, itaq; Deum ad iracundiam prouocârit, ait S. Hieron. *Pharao baculus arundineus.*

IV. *Quomodo Ægyptus data est in mercedem Chaldæis pro expugnata Tyro* v. 19.? ℟ Videtur Nabuchodonosor inscius materialiter tantùm seruiuisse Dei providentiæ & justæ vindictæ in vastanda Tyro formaliter vero, & ex intentione, onsecutus esse suæ superbiæ, & ambitioni regnandi. Dicitur ergo merces ei data à Deo, non propriè, sed materialiter, id est, voluit Deus & statuit, vt ipse, quia voluntatem suam in Tyro punienda compleverat, ornaretur & honoraretur regno Ægypti. Voluit Deus hîc ostendere, quàm sancta, ipsiq; chara sit scelerum & sceleratorum vindicta; vtpote qui eam, licet materialem tantùm, in Chaldæis tam ampla mercede, scilicet spoliis Ægypti, & monarchia sit remuneratus. Chaldæi enim materialiter tantùm impleverant vindictam & voluntatem Dei, quia scilicet materialiter fecerunt volitum Dei, siue id quod volebat & optabat Deus, nimirum vt Tyrus puniretur, & vastaretur; cùm formaliter non intenderent Dei, sed suam implere voluntatem dominandi. Sic ergo improprium fuit hoc eorum meritum, & impropria adimpletio voluntatis Diuinæ; ita & impropria fuit eorum merces: propriè enim fuit donum Dei, non merces. Ita Corn. à Lap. *Ægyptus data in mercedē Chaldæis.*

CAPUT XXX.

Pergit describere cladem Ægypti, simul & vicinæ illi Æthiopiæ. Eusè de ijsdem vaticinatus fuit Isaias & Jeremias, quæ huic loco etiam subseruiunt. Isa. c. 19. 30. & 31. Jer. c. 24. 43. 44. 46.

QUæstio I. *Qui nuntii dicuntur egressuri à facie Dei in trieribus* v. 9. ? ℟ Aliqui intelligunt Chaldæos, quasi legatos missos à Deo, terrâ suâ egressuros, vectos triremibus ad conterendos Æthiopes. Verùm quia Chaldæi, è Chaldæa terrestri itinere venerunt non navali, hinc melius Maldon. putat, Nuntios ex Ægypto per Nilum in Æthiopiam ituros, qui nuntiantes Ægypti vastationem, Æthiopiæ nimis securæ, sibiq; confidenti terrorem incutient. Dicit autem Deus à facie sua egressuros, quia ejus consilio & providentia egressuri erant.

II. *Quo sensu dicit Deus* v. 12. *se facturum alueos fluminum aridos*? ℟ Dicit se puniturum Ægyptum siccitate & sterilitate. Si enim Nilus non exundet, & oblimet Ægyptum, erit quasi sterilis, vel etiam ait, tantam futuram Chaldæorum multitudinem, vt ebibant aquas fluminum. Sic enim gloriatur Sennacherib 4 Reg. 19. 24. *Bibi aquas alienas, & siccaui vestigijs pedum meorum omnes aquas clausas.* ita Maldon.

III. *Quale brachium Pharaonis & quando confregit Deus*? ℟ Confregi Pharaonem Nechao præliantem in Charcamis contra Chaldæos anno quarto Joakim regis Juda q. d. Rex Ægypti Chaldæis resistere non poterit; quia ex superiori prælio jam dicto fractum habet brachium, id est vires ita contusas, ut gladium tenere non possit. Nec enim hæc contusio curari hucusq; potuit, quia vires suas & regiones, præsertim Syriæ, illo prælio amissas recuperare non potuit. Ita Pintus, Maldon. & Hebræi. Quare brachium ejus ita fractum & confusum, facile paulò pòst confringam & comminuam. Vnde sequitur: *Comminuam brachium ejus forte, sed confractum*. q. d. Ægypti rex olim duo habebat brachia, id est, regna, scil. Ægypti & Syriæ: alterum scil. Syriæ, jam confractum est, eiq; ademptum; restat alterum, scil. Ægypti, quod adhuc tenet, sed illud pariter conteram, ita vt vtroq; brachio & manu mutilus, imbellis sit, nec gladium hac illâue manu ad Chaldæis resistendum tenere possit. ita Hebræi.

CAPUT XXXI.

Sub parabola Cedri, Assyrij, id est, Ægyptij, regis gloriam, superbiam ac v. 10 casum & cladem describit.

Quæstio

Pharao vocatur Assur.

QUæstio I. *Cur Pharao vocatur Assur* v. 3.? ℟ Quia Ægyptij ab Assyrijs erant oriundi, vel potiùs, quia gloriâ, potentiâ & regno se jactabant pares regibus Assyriorum: & quia æquè ac Assyrij à Chaldæis erant vastandi. Assur enim fuit exemplar tyrannorum, ideoq; quosuis tyrannos significat. Porrò per Assur intelligi hîc Pharaonem patet ex eo, quia toto hoc cap. prophetans contra Pharaonem, continuè agit de hoc Assur: ergo Assur est Pharao. Deinde postquàm fusè egit de Assur, non explicat, nec comparat eum Pharaoni; ergo quæ de Assur dicit, ea de Pharaone intelligenda relinquit. Deniq; quia Pharaonem non tam comparat Assyrio, quàm cedro, vti patet in sequentibus. Vnde concludens v. 18, *ecce*, ait, *assimilatus es, ô inclyte, inter ligna voluptatis? ecce deductus es cum lignis voluptatis ad terram vltimam.* Pharaonem ergo vocat Assur & cedrum, eo schemate quo c. 28. 14. Regem Tyri vocat Cherub; & Isaias c. 14. v. 12. Balthasarem vocavit Luciferum.

Pharao comparatur Cedro

II. *Cur Pharao comparatur cedro?* ℟ imò ob amplitudinem ramorum, id est, prouinciarum, item ob animi altitudinem & fastum. 2dò quia cedrus cariem non sentit: vnde cedro digna dicuntur, quæ promerentur immortalitatem, & æternæ posteritati consecranda sunt: Hinc & cedri succo libros illinebant, ne tineas sentirent. Hanc æternitatem spectabat Pharao. Dicitur v. 4. *pulcher ramis*, id est, filijs ornatus, & *frondibus*, id est, magnatibus & principibus multis. Regem vocat cedrum, filios ramos, principes frondes. Vel potiùs ramos vocat extensionem, & amplitudinem imperij ejus, ejusq; opes & potentiam; frondes verò ejusdem gloriam & pompam, vnde sub ramis ejus, ait, v. 6. nidificâsse omnes volucres cœli.

III. *Quis est sensus v. 13. In ruina ejus habitauerunt volatilia, & in ramis ejus bestiæ?* ℟ in trunco hujus cedri prostratæ *habitauerunt*, id est, habitabunt *volatilia*, id est, magnates & principes Pharaoni subditi, aut confœderati, *& in ramis ejus bestiæ*, id est, plebeij & populi eorumdem, q. d. Priùs aves & bestiæ erant sub ramis ejus, postquàm autem corruerit, sedebunt super eam, id est, conculcabunt eam. Significat fore, vt gentes, quæ priùs in Pharaonis tutela erant, eò à Chaldæis prostratò, contra eum conuertantur, eumque dispolient. Persistit semper in metaphora arboris cedri.

CAPUT XXXII.

Pergit in Pharaonis gloria & ruina, ac clade prædicanda, eamq; per lugubre carmen deplangit, ac describit.

QUæstio I. *Quomodo dicitur v. 2. assimilatus Leoni gentium & draconi maris?* ℟ erat inter gentes quod Leo inter bestias syluæ, & balæna inter pisces maris: nempe summâ ferociâ & crudelitate dominabatur, sæviebatq; in subditos, & cùm libueret, etiam illos devorabat. Ventilabat potentiâ suâ quasi cornu in 7 Nili fluminibus, terrens, fugans, sternens obuios quosq;: nempe tyrannide suâ, & insanis bellis turbabat omnia.

II. *Quomodo dicit Deus retiaculo suo extracturus Pharaonem?* ℟ reti, id est, exercitu Chaldæorum *extraham te* ex aquis & finibus Ægypti, & extractum *projiciam te* in aridam, ut rebus omnibus ibi exuaris, & habitent super te ac possideant te corvi ac lupi aliaq; *volatilia cæli & bestiæ terræ*, his designat milites Chaldæos, qui Ægyptum dilaniârunt, deprædati sunt & devorârunt. *Valles* imò & *colles implebuntur ex te*, & natabunt in cruore tuo. Est hyperbole, ùt & illa v. 7. *operiam* tenebris *cælum* & *nigrescere faciam stellas*, nempe subtracto lumine, & extincto splendore tuo, qui tu priùs ea omnia collustrare videbaris. Non quòd illa verè obscuranda sint, sed quòd tanta sit futura doloris acerbitas, & mentis ac sensuum perturbatio in hominibus, ut eis sol ac stellæ obscurari vel sedibus excidere videantur.

CAPUT XXXIII.

Docet, officium Prophetæ & Prædicatoris esse, præmonere populum de instante clade: inuitat peccatores ad pœnitentiam: edicit Jerosolymam à Chaldæis ob indigenarum scelera captam esse & vastatam. Quod postridie superueniens ex Judæa nuntius, verum esse confirmat: vnde Judæis quoq; à Nabuchodonosore in Judæa relictis cladem intentat, si præcedentium scelera imitentur.

Deus non vult mortem impij

QUæstio I. *Quomodo dicitur* v. 11. NOLO MORTEM IMPII? ℟ Nolo antecedenter, & quantum est ex parte mea: quia, vt sequitur, volo vt conuertatur impius à via sua & viuat; ideoq; te, Ezechiel, alioq; prophetas & prædicatores ad eos mitto, eisq; sub pœna mortis præcipio, vt eos moneant, arguant, ac ad pœnitentiam inuitent.

vitent. Atq; ſicut exteriùs per prædicatores, ita & interiùs per ſanctos gratiæ impulſus, perq; terrores & conſolationes, quas eis immitto, ad eandem illos inuito. Sine his enim fruſtranea & inanis foret omnis prædicatio. Quòd ſi tot modis à me excitati, ipſi aures obturent, & converti nolint: tunc ego conſequenter volam & decernam eorum mortem, quaſi juſtum eorum ſupplicium, quo cæteri terreantur. Non ergo per Deum, ſed per peccatores ſtat, quòd ipſi in peccatis maneant, pereant & damnentur.

II *Quo eſt ſenſu* v. 32. ET ES EIS QUASI CARMEN MUSICUM? ℟ Audiunt te voluptatis & recreationis ergô, non doctrinæ, ut vitam corrigant, quaſi audirent te ſcitè pulſantem inſtrumentum muſicum, ſolo concentu delectati, LXX. *& es eis quaſi vox pſalterij* Chald. *quaſi canticum Organorum*. Vatabl. *velut canticum amorum* vel *amatorium: canticum*, id eſt canens amatoria. q. d. Tu es illis ludibrio, vident te, quaſi hiſtrio eorum eſſes.

III. *Quo ſenſu dicunt Judæi* v. 24. UNUS ERAT ABRAHAM, ET HÆREDITATE POSSEDIT TERRAM? ℟ q. d. Gaudendum eſt nobis, deſolatione perditam eſſe gentem, & ad paucos redactam; ſic enim opulentiores erimus, & adhuc ſumus multi, cùm uni Abraham promiſſio facta ſit. Sed malè loquimini, inquit Propheta, quia niſi pœnitentiam agatis, non redibitis.

CAPUT XXXIV.

Submotis paſtoribus, qui non gregem ſed ſeipſos paſcunt, ſpondet ſe brevi verum paſtorem Judæis miſſurum, putà Meſſiam, qui gregem diſſipatum colligat, paſcat, ſalvet.

QUæſtio I. *Quid ſunt lac & lana ovium* v. 3.? ℟ Sunt opes ſubditorum, è quibus alimenta ſuperioribus, cæteraq; vitæ ac ſtatui fovendo neceſſaria præſtari debent: ſed iniqvum eſt, voluptatis causâ occidere, quidquid craſſum ſeu pingue eſt in gregibus, id eſt, divites vitâ ſpoliare, vel exilio mulctare vel iniquis ſententijs opprimere, ut opibus illorum ditêris Iniqvum etiam exſugere lac, & lanam ovibus detrahere, nec tamen ipſis de commodo paſtu proſpicere: officiorum ac beneficiorum lucra captare, penſiones penſionibus accumulare, nec tamen ſaluti ſubditorum invigilare aut communi bono, ſed proprijs ſolùm commodis ſtudere. *Lac & lana ovium*

II *Quem paſtorem promittit ſe ſuſcitaturum* v. 23? ℟ moderni Judæi intelligunt Zorobabelem. Sed antiqui Judæi id intelligunt de antitypo Zorobabelis, puta Meſſia, qui per excellentiam in ſcripturis vocatur *filius David*, vel etiam abſolutè *David* inquit S. Amb. Aug. & alij Patres, & vocatur hic *ſervus* patris ratione humanæ naturæ aſſumptæ.

III. *Quas beſtias peſſimas ceſſare faciet* v. 25? ℟ Vitia hominum malorum ac dæmonum poteſtatem q. d. auferam dæmoni poteſtatem, quam habuit in homines. *Ponam eos in circuitu collis*; Chald. *ſanctuarij* vel Eccleſiæ, *benedictionem*, ut ſint benedictio, id eſt, benedicti, id eſt, felices & fœcundi. Faciam ſcil, ut omnia proſperè, ſalutiferè, & feliciter eis ſuccedant

CAPUT XXXV.

Prædicit excidium Idumæorum, eò; quòd Judæos ſemper divexârint, & nominatim, eò; quòd exultârint in Jeroſolymæ excidio, ejuſq; cives à Chaldæis afflictos magis afflixerint, ac terram eorum invaſerint.

QUæſtio I. *Cur minatur monti Seir?* ℟ Per Seir intelligitur Edom vel Idumæa: Eſau enim cultor Idumææ dictus eſt Edom, quia ruſus; & Seir quia piloſus Gen. 36. 8. & 9. minatur, *eò quòd concluſerit filios Iſrael in manus gladij* v. 5 id eſt, eò quòd Judæos à Chaldæis profugos, & aſyli causâ ad te confugientes, partim occideris, partim captivos feceris, ut ait Abdias v. 14. *in tempore iniquitatis extremæ*, id eſt, ultimæ punitionis & calamitatis Judæorum per Chaldæos, inquit Maldon.

II. *Quid eſt ſanguini tradam te* v. 6.? ℟ cædi vel cæſoribus & ſanguinarijs tradam te. Hebr. ad verbum eſt, ſanguinem faciam te. q. d. ita vulnerabo & cruentabo te, ut videaris totus conuerſus eſſe in ſanguinem, nec aliud eſſe quàm ſangvis. *Et cum ſanguine*, id eſt, cædem & occiſores *oderit*, illi tamen perſequentur te.

CAPUT XXXVI.

Promittit Judæis liberationem è captivitate Babylonica per Cyrum: allegoricè è captivitate diaboli, peccati & mortis æternæ per Cyri antitypum Chriſtum.

QUæstio I. *Quomodo Idumæi gloriantur se Judæam à Chaldæis vastatam possessuros jure quasi hæreditario?* ℟ Quia erant Judæorum affines & cognati: nam Esau parens Idumæorm fuit frater Jacob, parentis Judæorum: Ammon verò & Moab fuerunt filij Lot, nepotis Abrahæ, qui fuit avus Jacobi: ergo Judæis è Judæa abductis, putant se in Judæam, quasi hæreditatem suam debere succedere.

Aqua munda

II. *Quam aquam mundam promittit Deus se effusurum* v. 25. ℟ Judæi per aquam intelligunt abundantiam temporalium bonorum, ac nominatim pluviam, quæ segetes riget ac fœcundet, sed hæc non emundat peccata. Aqua ergo hæc est gratia, & bonorum Spiritualium abundantia, quæ à Christo per Sacramenta dimanat: sed proprijssimè est aqua baptismi, peccata omnia emundans, de qua ait Apost. ad Tit. 3. 5. mundans eam (Ecclesiam) *lavacro aquæ in verbo vitæ* ita Patres passim. Unde has omnes promissiones ad novum testamentum pertinere docet S. Aug. l. 3. de Doct. Christiana c. 34. & alij passim.

Cor lapideũ mutatur in carneum.

III. *Quomodo Deus cor lapideum mutat in carneum* v. 26.? ℟ Cor lapideum dicitur voluntas libera, sed vitijs assuèta: aufert illam Deus, non aliam potentiam, aut libertatem indendo; sed, ùt sequitur, dando spiritum novum, scil. mulcendo, & molliendo eam suis minis, promissis, consolationibus, aliisq; sanctis inspirationibus, quibus allecta ipsa, corroborata ac elevata liberè se flectit ad DEi nutum. Hoc ergo modo Deus etiam rebelles hominum voluntates ad se compellit, non vi cogendo, sed svadendo; non tantùm per leges & concionatores exteriùs, ùt volebat Pelagius, sed etiam interiùs, mentem vel terrendo, vel suaviter alliciendo, ac affectiones pias ei indendo: itaq; facit, ut in præceptis suis ambulent, itaq; operatur in nobis velle & perficere, ut ait Apost. Philip. 2. 13.

CAPUT XXXVII.

Captivorum è Babylone liberationem; & symbolicè, peccatorum à morte animæ suscitationem, eleganti parabola ossium & lignorum aridorum infusione spiritûs vitalis revivscentium adumbrat.

Manus Domini.

QUæstio I. *Quid per manum Domini intelligitur* v. 1.? ℟ Ant. Fernand. visione 17. sect. 1. manum sumit pro locutione, qua aliquid faciendum præcipitur, manu enim impellimus subditum eò, quò volumus. Theodor. per manum accipit vim & impulsum DEi, quem præsentiebant prophetæ, antequàm prophetarent. S. Hieron. manum interpretatur ipsum Dei Verbum, quoniam per ipsum facta sunt. Unde est illud Aug. in ps. 104. Christus se in prophetis prædicabat, quoniam ipse est Verbum Dei: annunciabant ergo Christum pleni Christo. *Facta* ergo *est super me manus Domini* vel Angeli, apprehendens me, non corporaliter, aut revera, sed *in spiritu Domini*, id est, per visionem à Deo submissam. Sic enim visus sum mihi educi *in campum plenum ossibus* aridis: nempe in campum *Sennaar*, seu Babylonicæ Provinciæ, ubi tum degebant Judæi, instar ossium aridorum exsucci & quasi emortui. Ex hoc loco vult Dominicus Soto & Joan. Salas colligi, omnium mortuorum ossa ex toto orbe in hunc campum per Angelos sub tempus judicij transferenda, ut uno eodemq; loco omnes simul homines reviviscant. Sed verisimilius est, quod Richard. Suarez & alij docent, quemq; resurrecturum, ubi fuerit cujusq; cadaver, vel major illius pars: indeq; singulos jam redivivos manu Angelica tranferendos in vallem Josaphat ad tribunal Christi.

Ossa arida.

II. *Quid intelligit per ossa arida?* ℟ Ad literam ossa arida vocat Judæos in Babylone captivos, squalore confectos, & quasi aridos ac emortuos, eò quòd non haberent spem reditûs in patriam, ùt patet v. 11. consequenter suscitationem & vitam eorum vocat liberationem à captivitate, quæ eis erat instar mortis. *Per resurrectionis parabolam de restitutione Israelis prophetat* ait S Hieron. Itaq; grammaticè quasi in cortice literæ inquit Corn. à Lap. significat resurrectionem mortuorum & sub hac quasi parabola significat liberationem Judæorum è captivitate, in qua quasi ossa arida sine spiritu & vita, id est, omni carentes consolatione & vigore, sine ulla spe inde evadendi jacebant.

Resurrectio mortuorum.

III. *An ex hoc loco rectè probatur futura resurrectio mortuorum?* ℟ rectè *Non enim*, inquit Tertull. l. de Resurr. carnis c. 29. *posset de ossibus figura* (parabola) *componi, si non idipsum & ossibus eventurum esset.* Sic S. Amb. l. de fide resurectionis. Theodor. Iustin. & alij. S. Hieron. idipsum sic probat: nunquàm enim poneretur similitudo resurrectionis ad restitutionem Israelitici populi significandam, nisi staret ipsa resurrectio, & futura crederetur: quia nemo de rebus non extantibus incerta confirmat. Hinc S. Amb. l. de fide resurrectionis, ossa hominum in sepulchris jacentia vocat *semina æternitatis*, quòd ea post carnem consumptam superfint, sicut post pomum semina, ex quibus DEus hominem suscitabit, quasi novam arborem, qui in æternum vivat. In ossibus ergo est quasi vis seminalis resurrectionis, non naturalis & physica; sed moralis & obedientialis: quia à DEo destinata, & reservata sunt resurrectioni, ita Suarez 3. p. disp. 50. Sect. 4.

IV.

IV. *Quid indicant duo ligna seu duæ virgæ adunatæ?* ℟ Duo regna, scil unum Juda, alterum, 10 tribuum, quod vocat Samariam, Joseph & Ephraim: quia ex tribu Joseph, sive Ephraim (Ephraim enim fuit filius Joseph, & ab avo Jacob, Manassi fratri seniori prælatus, factus est primogenitus Gen. 48. 20. quasi tribus Joseph vocata est tribus Ephraim Num. 1. 10.) ortus fuit Jeroboam, primus Rex Israelis, sive 10 tribuum, rebellionis contra Judam & domum Davidis author. Jubetur ergo Vates prænuntiare, regna illa duo conjungenda esse sub uno rege Christo, ut cum cæteris gentibus constituant ejus regnum sempiternum. Hæc adunatio duorum regnorum non est facta statim post reditum duarum tribuum è captivitate Babylonica, quoniam 10 tribus (ait S. Hieron.) usq; hodie in montibus & urbibus Medorum serviunt captivæ; fiet ergo conjunctio regnorum, cum omnes illæ tribus educentur, & in unam Ecclesiam cum duabus tribubus, cæterisq; ex gentilitate fidelibus uni regi Christo servient, quod Vates hîc futurum esse prædicit, cœptumq; jam fieri, tandem absolvetur ad finem mundi sub eodem æterno rege. *Virgæ duæ adunatæ.*

CAPUT XXXVIII.

Describit Principis tyranni Gog arma, copias & gentes auxiliares, item vim & impetum, quo Ecclesiam, ac nominatim Jerosolymam, circa finem mundi concutiet: mox stragem ejusdem subjungit, nempe mutuis cædibus peste, lapidibus, igne cœlesti & fulmine omnes interituros.

Quæstio I. *Quid per Gog & Magog intelligitur?* ℟ Gog secundùm corticem literæ (ait Tirinus) est Antiochus Epiphanes, Magog (quæ teste Plinio & Ptolemæo urbs est Syriæ, à Græcis ob multitudinem templorum dicta Hierapolis) subditæ Antiocho gentes Scythæ, Tartari, & alij Asiatici: qui Duce Antiocho valde afflixerunt Judæos in libris Machab. ita ferè Theodor. Pererius & Alcazar. Sed sensu allegorico, principaliter intento à Spiritu Sancto, Gog est Antichristus, ut vult Lyran. & Vatablus, vel potiùs primarius, copiarum Antichristi princeps, seu archistrategus, ut Bellarm. Valentia & à Lap. contendunt, hujus enim figura seu typus fuit Antiochus. Magog subditæ Antichristo gentes Scythæ, Tartari, Turcæ & alij Asiatici. Magogos enim posteros Japhet, ut constat ex Gen. 10. Scythas esse & Tartaros, qui à monte Caucaso & palude Mæotide prope mare Caspium, ad Indiam usq; protenduntur, docent Josephus, Hieron, Theodor. & alij. Et nunc enim princeps, Tartarorum vocatur Gog ut Gog Cham, Gog Elph. Pro quo Turcæ dicunt Gioc, Mogores Gio, teste Serario in Tob. 14. q. 4. Porrò Gog non solorum Magog princeps erit sed etiam capitis seu regis *Mosoch*, id est, Capadocum, *& Thubal*, id est Iberorum, qui Scythis vicini sunt ad Aquilonarem Asiæ partem juxta Pontum, inter Colchidem & Armeniam, quæ Caucasijs montibus circumdatur. Unde educta olim colonia Europæorum Iberorum, qui Hispani vocantur. Ita Ribera & Maldonatus. *Gog & Magog.*

II. *De quo loquitur v. 8 In novissimo annorum venies ad terram, quæ reversa est à gladio?* ℟ De Ecclesia, quæ liberata à cædibus & persecutione, quas passa fuit à tyrannis. Alludit ad Jerusalem, id est, Judæos è Babylone reversos: Jerusalem enim est typus, & symbolum Ecclesiæ. Adde propriè venturum Antichristum & Gog ad Jerusalem, quia in Jerusalem regiam suam collocabit Antichristus, & juxta eam cum fidelibus confliget ac cædetur. Hoc enim est, quod ait S. Joan. Apoc. 20. 8. *Et ascenderunt* (Gog & Magog.) *super latitudinem terræ, & circuierunt castra sanctorum* (Christianorum) & civitatem dilectam (Jerusalem) *& descendit ignis de cælo, & devoravit eos ad montes Israel*: id est, in terram sanctam, scil. in Jerusalem venies. Aliter alij. q. d. Venies ad Ecclesiam, quæ montibus Israel, id est Sanctis Patriarchis & Prophetis, insita est per eandem fidem: *qui fuerunt deserti jugiter* id est longo tempore, putà 70 annis captiuitatis Jer 25. 12. Imò à Christo & Tito usq; ad Antichristum & finem mundi per tot annorum centurias deserti & derelicti à DEo & hominibus fuerunt Judæi, æquè ac Judææ montes.

III. *Quid per umbilicum terræ intelligit* v. 12? ℟ Judæam, quæ erat in medio terræ tunc habitatæ, præsertim quia ex Judæa cœpit Christianissimus, & inde Christiani circumquaq; propagati sunt toto orbe. Sicut enim infans per umbilicum sugit alimentum à matre: ita cæteræ gentes per Jerusalem suxerunt fidem, sapientiam, gratiam & salutem à Deo. *Umbilicus terræ.*

CAPUT XXXIX.

Pergit describere cladem Gog, tantam; ut per 7 annos foco struendo deservituræ sint hastæ, clypei, arcus, conti, reliquaq; ejus arma. Feras omnes & aues invitat ad epulum tot cadaverum. Deniq; prædicit, Judæos cæso Gog & Antichristo ad Christum convertendos.

Pœnitentiæ locus dabitur in fine mundi.

QUæstio I. *An post Antichristum plures anni dabuntur lapsis ad pœnitentiam?* ℟ Dandos, colligunt id Interpretes ex v. 9. ubi dicitur, cæso Antichristo, Gog, omniquè ejus exercitu, tanta fore cæsorum spolia, hastas & arma, ut Judæi ex omnibus urbibus confluant ad ea diripienda, & 7 annis sat habituros ad ea comburendum, nec alia lignatione & siluis egeant, inferuntq; post mortem Antichristi, fluxuros plures annos, antequàm adveniet dies judicij, ita Pintus, Barradius, Ribera & Lessius de Attrib. Diu. c. 19. Et confirmatur ex Apostolo Rom. 11. v. 15. prædicente, omnes tunc Iudæos ad Christum convertendos, quod verisimiliter fiet, fundatis tota Iudæa Ecclesijs, ut vult Ven. Beda in Luc. c. 21. Dionys. Carthus. Lyran. & alij. Deus enim Iudæis æquè ac gentilibus tempus concedet sufficiens ad conversionem, & ad Ecclesiarum fundationem, ut religio Christiana solidè etiam apud ipsos stabiliatur. Et erit toto tunc orbe summa Ecclesiæ pax. Quamdiu autem præcisè duratura, solus novit, qui omnia novit.

II. *De qua reductione captivitatis Jacob loquitur* v. 25.? ℟ de reductione post occisum Antichristum. Tunc enim reliquiæ Israel ab eo deceptos se videntes, convertentur ad Christum, itaq; saluæ fient. Et hoc est, quod ait Daniel: & post hebdomades 62. occidetur Christus; & non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem, & Sanctuarium dissipabit populus (exercitus Titi) cum duce venturo; & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio &c.

CAPUT XL. Et reliqua usq; ad finem.

Exhibitam sibi à Deo visionem de templo & civitate reædificanda proponit, & per octo capita digerit usq; ad finem libri.

Templum Ezechielis.

QUæstio I. Quid Recentiores Hebræi sentiunt de templo Ezechielis? ℟ Dicunt visionem hanc Ezechielis adhuc non esse completam, sed complendam tempore Messiæ, quem venturum expectant, ac regem temporalem futurum omnium gentium, quibus debellatis, ac communi pace per orbem constituta asserunt ædificaturum urbem Hierosolymitanam, ac templum ad hanc formam, qua per Ezechielem describuntur. Confirmant id ex Aggæo. Nam c. 2. 10. suæ prophetiæ, sic alloquitur Zorobabelem ac Socios reædificantes hoc templum. Magna erit gloria domus istius novissimæ, plusquàm primæ. Cùm enim secundum templum fuerit priori illo, nempe Salomonico, longè inferius, omnino credunt intelligendum prophetam de templo Ezechielis magnificentissimo, quod à Messia ædificandum est; quare hinc argumentum sumunt contra nos, quòd Dominus IEsus Nazarenus non fuerit Messias, quia non ædificavit templum & urbem promissam per Ezechielem.

II. *Quid sentiendum de hac Hebræorum opinione?* ℟ Vanam esse, quia nusquàm in scriptura promittitur, quòd Messias ædificaturus sit civitatem aliquam, ac templum materiale. Quod verò attinet ad locum Aggæi, omnino cæcutiunt, cùm in eo oppositum asseratur, ac ipsi volunt: nam velint, nolint de secundo templo prophetiam accipere debent, quod sic apertè demonstratur ex textu. Aggæus videns populum mœrentem, ac ab opere pene deficientem, eò; quòd templum humile ædificarent, consolans eos dixit: *Nolite timere, magna erit gloria domus istius novissima plusquàm prima.* Quomodo autem consolaretur eos, ac ad prosequendum cœptum opus erigeret, si de templo alio, quàm de secundo illo loqueretur? est ergo sermo de templo per Zorobabelem instaurato. Appellatur autem ab Aggæo novissimum, quia non est exspectandum aliud à Messia ædificandum. Quod verò attinet ad majorem gloriam, quæ futura in illo asseritur, explicari debet, vel de ingressu Christi in illud (ut Patres communiter asserunt) vel quia revera ab Herode auctum, ex aliquorum opinione longè superavit gloriam primi templi. Vide Riberam Aggæi 2.

III. *Quæ est opinio Lyrani de templo Ezechielis?* ℟ Putat in hac templi ac urbis visione monstrari Prophetæ idipsum templum ac urbem, quam Deus post solutam captivitatem ædificari volebat; mirum tamen non esse, si non est executioni mandata talis Dei voluntas, quia absoluta non fuit, sed conditionata, scil. si filij Israel rectè se gessissent, quod quidem secus evenit: Nam Cyro rege per divinum impulsum potestatem faciente omnibus Hebræis revertendi in terram suam ad reædificandum templum atq; urbem, plurimi redire noluerunt, capti amore possessionum ac conjugum, quas in exilio duxerunt. Præterea ex ijs, qui redierunt, non pauci alienigenas fœminas matrimonio sibi copularunt contra præceptum Domini, ideo digni habiti non sunt, qui templum juxta præscriptam ab Ezechiele formam ædificarent, sed aliud longè inferius. Hæc Lyranus pluribus exemplis à simili confirmare nititur, è quibus illud unum satis fuerit, quòd cùm Deus promiserit Hebræis possessionem Palæstinæ sub amplissimis limitibus. Exod. 23. Deut. 11. ad eos tamen nullo unquàm tempore, etiam sub Salomone felicissimo rege pervenerunt, idq; ob peccata populi. Similiter ergo, & si Deus per Ezechielem promiserit

templum

templum & urbem sub tam magnifica forma, populi ingratitudo fecit, ne ad executionem perduceretur unquàm.

IV. *Quid de hac Lyrani sententia sentiendum?* R. Non esse probabilem. quia non potest ullo modo expedire, quomodo aquæ illæ egrediantur de templo: quod fatetur inchoatum, sed non perfectum, & quomodo mortui maris aquas dulces reddant. Nam quod ait Lyran. non videri impossibile, quòd aquæ illæ inde prodirent, ac virtutem haberent naturalem edulcorandi, cùm Deus mirabiles alias virtutes pluribus in orbe fontibus indiderit, etsi negare nemo debeat, tamen nec res ita evenit, nec apparet, quomodo id probabile reputemus: quando enim tanta aquarum vis è templo egredi, aut per tot milliaria ad sanandum progredi potuerit, non satis expeditum. Unde in re difficili satis fuerit, imò necessàrium recurrere ad mysterium. Similiter arguitur de arboribus, quæ à Vate per ripas fluminis visæ sunt, ac singulis mensibus, singulos fructus reddere, quod quidem licet facile concedat Lyran, tamen rei ipsius novitas, ac admirabilitas sacratius aliquid, ac omnino extra materiam, innuere videtur. Ita Ant. Fernandius.

V. *Quæ est probabilior sententia de hoc templo & urbe?* R. Per templum & urbem significari mysteria fidei & morum in Ecclesia, & maximè duplicem ejus principatum, spiritualem in templo, temporalem in urbe. Ita sentiunt S. Hieron. in hæc capita, S. Greg. Hugo Card. Dionys. Carthus. Maldon. Fernandius. Recti autem cohærere hanc interpretationem cum ipsa litera, is facile perspiciet, qui observatum habuerit, in scriptura sacra divinas promissiones, quo ad temporalia, sæpe ita exhiberi solitas apud prophetas, ut necessàriò fieri debeat transitus ad spiritualia, de Christo & Ecclesia. Hanc regulam statuit S. Hieron. ad cap. 9. Amos. At S. Aug. egregiè demonstrat 17. Civit. 10. ad illa verba ps. 88. 36. *Semel juravi in Sancto meo, si David mentiar, semen ejus in æternum manebit, & thronus ejus sicut sol &c.* Nam hæc promissio in solo regno temporali David impleta non est; cùm defacto finitum fuerit, ac adeo in unius Christi filij ejus spirituali ac æterno regno plenum sortita est eventum. Unde inquit Aug. ne putaretur Deus contra sua promissa fecisse continuò subjecit Vates: *Distulisti Christum tuum.* Non est ergo ille Salomon, aut David, si in eis dilatus est Christus Domini: cùm enim Christi ejus dicerentur omnes Reges mystico Chrismate consecrati: erat tamen unus verus Christus, cujus illi figuram prophetica unctione gestabant. Hæc Aug. Ostenditur ergo instauratio templi & Ierusalem materialis, sed quia plurima involvuntur, quæ in tali restauratione nec fuerunt unquam, nec esse poterant, idcirco quasi dilatata & extenta est ad significandum illum duplicem, in Ecclesia Christi principatum.

VI. *Cur templum dicitur ædificatum quasi civitas super montem?* R. Mons iste est Christus, qui robore suæ omnipotentiæ sustinet Ecclesiam, eamq; omnibus conspicuam, ac reliquis in mundo sectis longè reddit eminentiorem, cum verò dicitur *quasi ædificium civitatis*, innuere sine dubio videtur, (ut observat S. Greg.) de spirituali ædificio sermonem esse. Qui non ædificium, inquit, sed quasi ædificium nominat, cor audientium ad spiritualem fabricam mittit. Deinde quasi ædificio comparatur, quoniam ad similitudinem ædificij extructa est Ecclesia Matt. 16. 18. *Ædificabo super hanc petram Ecclesiam meam.* Quam propterea S. Paul. Eph. 2. 22. vocat. *habitaculum Dei in spiritu.* Ad quæ verba sic Theodor. ædificationem Ecclesiæ facit gratia spiritûs, divinas doctrinas afferens per prædicatores veritatis. Architectus ergo Spiritus Sanctus; operarij, prædicatores veritatis. In quam sententiam S. Amb. Luc. 19. Hoc, inquit, templum est, quod fidei series, non lapidum structura fundavit,

VII. *Cur dicitur ædificium templi vergere ad Austrum?* R. Auster in scriptura sacra significat Spiritum Sanctum. Quòd ergo civitas hæc visa fuerit vergere in Austrum, ostenditur, Ecclesiam quasi in declivi humilitatis positam, totam se ad diuini spiritus flatus expandere. ita S. Greg. Quia electorum, inquit, Ecclesia cogitationes suas in affectu Sancti Spiritûs aperit, atq; ab omni superbiæ suæ vertice discedens, in Deo, cui credit, amoris calorem concipit.

VIII. *Qui sunt tres muri Ecclesiæ?* R. Est triplex custodia. Primus murus, qui omnia complectebatur ædificia, ostendit divinæ custodiæ vim, dum universam Ecclesiam latè ambit ac munit, ps. 124. 2. *Dominus in circuitu populi sui.* Quæ verba continent probationem ejus quod præcesserat: *non commovebitur in æternum, qui habitat in Ierusalem.* Ad literam: Cives Ecclesiæ, quod attinet ad divinam custodiam, tutos omnino esse ab æterna perditione, quandoquidem ipse illis Deus est pro muro. Secundus murus significat custodiam Angelorum, de quibus ps. cit. dicitur: *montes in circuitu ejus.* Pro Angelis S. Aug. Ambiunt, inquit, Ecclesiam Angeli, & quasi murum faciunt. Tertius murus repræsentat humanam custodiam per Sacerdotes ac Prælatos Ecclesiæ: ideo proximus atrio Sacerdotum & minoris ambitûs, quia humana custodia minoris est efficaciæ. De hoc muro dicitur Ezech. 13. 5. *Non opposuisti murum pro domo Israel.* Sermo est ad literam de Sacerdotibus, quòd cùm ex officio deberent tueri populum Domini, eum tamen impiè diripiebant.

IX. *Quid per tres portas ad tres orbis partes ſpectantes, Orientem videlicet, Septentrionem & Auſtrum ſignificatur?* ℟ à tribus præcipuè orbis partibus patere ingreſſum in Eccleſiam; nimirum ab Aſia, quæ ad Orientem jacet; ab Africa, quæ ad Auſtrum; ab Europa, quæ ad Septentrionem, comparatione reliquarum duarum. In tribus autem muris, ſunt tres portæ ſe invicem directè reſpicientes, per quas ſignificantur tres gradus venientium ad fidem, incipientium, proficientium, perfectorum. Frontes in portis, ſummos viros interpretatur S Greg. qui cæteris in Eccleſia virtute & ſapientiâ eminent, idq; ſignificare 60 cubitos, per quos eriguntur Nam ſenarius numerus perfectionem innuit. Horum igitur eſt, verbo & exemplo prælucere, etiam adverſa tolerando, nam & frontes portarum expoſitæ ſunt injuriis temporum, & in hoc, ait, cœleſtis ædificij frontes faciunt: quia horum pulchritudo operum, ornat & durat ædificium Dei. Idcirco in prima porta non aſſignantur gradus; in ſecunda ſeptem; in tertia octo; quoniam qui incipiunt nihil altum adhuc meditantur, ſed quaſi humi repunt, inſtar infantium; proficientes aſcendunt, euntes de virtute in virtutem: perfecti ſumma tenent inter brachia ſponſi.

X. *Quid ſibi volunt feneſtræ obliquæ in frontibus, in porticu, & in cæteris manſionibus?* ℟ Significant, ait S. Greg. univerſos fideles, ſummos videlicet, medios & infimos divinitus illuſtrari; hoc eſt omnibus curæ eſſe debere, ut obliquè, id eſt, anguſto quaſi ore divinum lumen recipiant, poſtea in omnes mentis ſinus dilatandum; quoniam in receptione gratiarum, cautâ conſiderationis trutinâ opus eſt, ne ſcil. cum multitudine donorum irrepat elationis ſpiritus: per obliquas enim feneſtras, ait S. Greg. lumen intret, fur non intret.

XI. *Quid denotant interſeminata toto ædificio portarum & porticuum pictura palmarum?* ℟ Oſtenditur his (ait Greg.) ſpecies præmiorum in ſingulis fidelium bonis operibus: notanter enim adhibitum ait, *picturas palmarum*; in cœlo victoriæ palmæ erunt, in mundo ſolùm picturæ palmarum, ſeu imagines ac promiſſiones præmiorum. Hæc igitur proficientium, & perfectorum cura eſt, pluribus ſe virtutum ædificijs in altum erigere, cùm tamen incipientes nihil adhuc moliantur altum.

XII. *Cur gazophylacia tertij atrij pauciora erant, ac rebus ſacratioribus, hoc eſt, ſacerdotibus, cantoribus hebdomadarijs deputata?* ℟ repræſentat id differentiam hominum prophanorum ac religioſorum, quod horum memoriæ theſauri ſunt, ac velut gazophylacia altiſſimarum rerum, in quibus nihil non ſacrum ac divinum aſſervatur: cùm tamen ij qui in ſæculo vivunt, etſi ſint in gratia, tamen multas cogantur rerum malarum ſpecies admittere, & eas vel nolentes, memoriâ retinere, ad recordationes aliquando turpiſſimas.

XIII. *Cur in thalamis tertij atrij, à populi frequentia remotioribus, longè tranquilliùs quieſcebatur?* ℟ Quia in veris religioſis, ac Deo propinquiùs ſervientibus, longè major eſt quies conſcientiarum, quàm in ſæcularibus. Quod quidem expreſſum habemus Cant. 1. 15. in eo, quod ait omnium religioſorum nomine anima illa ſancta: *lectulus noſter*, inquit, *floridus*, quaſi ſibi complacens, quòd conſcientiam habeat, in qua divinus ſponſus non modò quieſcere poſſit, ſed etiam cum delectatione; utpote inter flores bonorum operum, cùm tamen in conſcientiis hominum prophanorum cum moleſtia decumbat, quaſi inter ſpinas peccatorum. Eſt interpretatio Bernardi Serm. 47. ſuper Cant.

XIV. *Qua eſt porta clauſa* c. 44. v. 3. *qua non aperietur, & vir non tranſibit per eam, quoniam Dominus Deus Iſrael ingreſſus eſt per eam.* ℟ Ss. Patres omnes, & Interpretes dicunt hanc portam uterum eſſe virginalem Deiparæ, nulli pervium, niſi ſoli Principi ſupremo Deo. Quod etiam Zvinglius & plures alij hæretici teſte Caniſio l. 2. Moral. c. 6. agnoverunt; ex hoc loco perpetuam ejus virginitatem non modo ante, & in partu, ſed & poſt partum (unde & tertiò *clauſa* hîc dicitur) ſtabilientes. Plurimi Doctores hinc etiam colligunt, portam hanc nullo inſtanti, ne primo quidem conceptionis, patuiſſe dæmoni, ſed abſq; originali peccato conceptam fuiſſe Virginem Deiparam. Alij per ipſam, quaſi per cœli portam, dona omnia cœleſtia ad nos derivari, ut pulchre S. Bern. ep. 74. & Serm. 3. ſuper miſſus demonſtrat.

QUÆ-

QUÆSTIONES EXEGETICÆ IN DANIELEM.

Daniel Anno regni Joakim primo natus, ut vult Salianus, in captivitatem puſio adhuc & infans abductus juxta S. Epiph. Ea contigit anno Joakimi tertio, quando Daniel tertium circiter agebat annum, cui nomen puſionis & infantis rectè convenit. Nec abſurdum eſt infantem in eam captivitatem delatum, quoniam ibi non tam captivus, quàm obſes futurus erat, ut, qui erat regij ſangvinis, ut tutò Joakim remitti poſſet in regnum ſuum. Sed & Suſannæ judicium, quod pleriq; Sancti Patres, anno Danielis duodecimo contigiſſe dicunt, cum hac poſitione rectè convenit. Fuiſſe verò illum de tribu Juda, ſicut & ſocios ejus, Ananiam, Azariam & Miſaëlem, atq; adeo de ſemine regio, & tyrannorum, ſive Dynaſtarum & optimatuum Judaicæ gentis, ex primo cap. Dan. intelligitur. Liber Danielis trifariam dividi poteſt: partim enim continet nudas Prophetias & viſiones, ut cap. 7. 8. 9. 10. 11. 12. partim prophetias & viſiones, ſimul tamen cum quibuſdam hiſtoriis confertas atq; contextas: ut c. 2. 4. 5. & 13. partim denique nudas hiſtorias velut c. 3. 6. & 14. Atq; tale eſt caput primum.

CAPUT I.

Deſcribitur tempus & occaſio captivitatis Danielis: tum educatio ejus & inſtitutio apud Chaldæos: poſtea mirabilis ejus abſtinentia. Denique facultas interpretandi ſomniorum myſteria divinitus ipſi conceſſa.

QUæſtio I. *Quomodo potuit Nabuchodonoſor venire Jeruſalem, tertio anno regni Joacim* v. 1. cùm dicatur Jer. c. 25. primum annum regni Nabuchodonoſor, fuiſſe quartum annum regni Joacim? ℟ Primum annum Nabuchodonoſor, cœptum eſſe anno tertio Ioacim inchoato, & quarto item anno inchoato ejuſdem regis, eſſe finitum: ita; ut primus annus Nabuchodonoſor, tertium & quartum annum Ioacim contigerit. Venit igitur regni ſui initio, quod in tertium Ioacim incidit.

II. *Cur Nabuchodonoſor adeo infenſus Regi Joacim, ut eum bello appetitum captumq; Babylonem duxerit vinctum, ac tandem ignominioſiſſima morte necavit?* ℟ Principalis cauſa referri debet ad juſtitiam Dei, per Nabuchodonoſor vindicantis & punientis deteſtabilem impietatem, & adversùs Dei ſervos crudelitatem Regis Ioacim. Is enim Uriam ſanctum virum, & Dei prophetam crudeliter interfecit Jer. 26. quin ipſum quoq; Ieremiam occidere voluit, & vaticiniorum ejus librum ſcalpello ſcindi, & igne cremari juſſit, ùt ipſemet Ieremias memorat c 36. His addunt auctor Hiſtoriæ Scholaſticæ, Lyranus & Hebræi in cadavere ejus reperta eſſe inuſta ſtigmata, & impreſſas notas, quæ erant veluti inſignia variorum Deorum, quos impius ille Rex colebat ac venerabatur. Atq; hoc illi ſignificari putant l. 2. Paral c. 36. illis verbis *Reliqua ſermonum Joacim, & abominationes ejus, quæ operatus eſt, & quæ inventa ſunt in eo.* Illud *& quæ inventa ſunt in eo*, id, quod dixi de variorum Deorum inſignibus corpori ejus impreſſis, indicare exiſtimant. *Joacim Regis peccata.*

III. *An Daniel fuerit Eunuchus?* ℟ Negativè. Sic enim non venrationi apud ſuos, ſed ſummo probro fuiſſet, cùm ſpadones lege Deut. 23, arcerentur ab Eccleſia, & populo Dei, eſſentq; publicè infames, inquit S Epiph Lyran. Maldon. & à Lapide. Coluit tamen perpetuò atq; illibatam ſervavit caſtitatem. Quin Damaſc. l. 4. de fide orthodoxa c. 25. affirmat propter excellentem caſtitatis virtutem, & Danielem à Leonum ſævitia, & tres pueros ab incendio fuiſſe inviolabiles. *Daniel non fuit Eunuchus*

IV. *Cur Daniel abſtinuit à cibis regijs?* ℟ imò, quia delicatis epulis & generoſo vino juvenilis ſangvis plus æquo accenditur, etſi non corporis, ſaltem animi polluendi periculum creatur. 2dò quia regiæ menſæ carnes porcinæ, & alia lege Moyſis vetita permiſcebantur, quæ Judæos polluiſſent. 3tio ùt plurimùm Belo & alijs idolis oblati erant cibi regij, priuſquàm menſæ imponerentur: ſaltem non ſine idolorum benedicebantur, quæ omnia horrori & execrationi erant Iudæis. Et ſanè pergratam fuiſſe Deo hanc religioſam Danielis ſociorumq; abſtinentiam, patet ex inſignibus præmijs, quibus illam Deus miraculosè proſecutus eſt, ut v. 15. & ſeqq. narratur. *Daniel abſtinet à cibis regijs.*

V. *Quo-*

Temperantia. V. *Quomodo vultus puerorum meliores & corpulentiores apparuerunt, præ omnibus pueris, qui vescebantur cibo regio* v. 15. ℟ Sanitas non ex ciborum lautitie & copia, sed ex vera oritur parsimonia & temperantia. Hæc nutricat & fovet humidum radicale, naturalemq; calorem, qui per intemperantiam suffocatur, illudq; vel maximè, si moderatum quoddam corporis exercitium adjungatur. Unde Xenophon de Cyro: *Cyrus numquàm prandebat, nisi sudâsset.* Confert non minùs ciborum temperantia animi tranquillitatem, curas omnes & fastidia tollit. Conducit non minùs ad mentis hilaritatem, lætitiamq;. Hinc illud Salernitanæ Scholæ:

Si tibi defuerint medici, medici tibi fiant,
Mens hilaris, requies facilis, moderata diæta.

Ita abstinentia plurimùm prodest, humores consumit malos, purificat vitales spiritus, distillationes & catharros desiccat, corpus reddit expeditius & agilius, illudq; à malis vindicat incommoditatibus, plurimùm ad pudicitiam & castitatem conducit, superfluum enim sangvinem, qui ad libidinem provocat, subtrahit. Vis ad serpentis exemplum, inquit Pet. Dam. l. 2. ep. 18. novus fieri, & languentis animæ senectutem in pubescentis adolescentiæ reflorere decorem? jejuna cum serpente, te à carnalibus desideriis tempera. Scribit autem serpentes, dum senescunt, per 40 dies & noctes impastos manere, sicq; postea per angustum foramen glisendo vetustam pellem sibi detrahere.

Visiones & somnia VI. *Quid vocabulo* VISIONUM & SOMNIORUM intelligitur v. 17.? ℟ Visionum vocabulo hîc significantur visiones, quæ singulari quadam ratione vigilantibus contingunt, expressæ signis corporalibus, quæ sensus ipsos feriunt, cujusmodi fuit manus illa scribens in pariete visa regi Balthasari: vel quæ per similitudines imaginarias effictæ, homini ab usu sensuum externorum abstracto, ut fit in extasi & raptu, objiciuntur, quales fuerunt aliquot Ieremiæ, plurimæ Ezechielis, omnes fermè Ioannis in Apocalysi. Vocabulo autem *somniorum* denotantur visiones, quæ dormientibus accidunt. Intelligentia igitur somniorum divino munere data Danieli, non aliud fuit; nisi facultas quædam intelligendi, & interpretandi somnia, vel sibi vel alijs divinitus missa.

Somnia quæ à Deo VII. *Quibus signis cognosci potest, an aliquod somnium à Deo missum sit?* ℟ det Perarius, duobus modis. imò ex præstantia rerum, quæ per somnium significantur: nimirum si ea innotescant homini, quorum certa cognitio, solius Dei concessu ac munere potest homini contingere: hujusmodi sunt futura contingentia, arcana item cordium, quæq; intimis animorum inclusa recessibus ab omni penitus mortalium intelligentia obliteſcunt, deniq; præcipua fidei nostræ mysteria, nulli, nisi Deo docente, manifesta. Somnium igitur, quod ejusmodi rerum cognitionem & demonstrationem continebit, divinum esse existimari poterit Deinde hoc ipsum maximè declaratur interiori quadam animorum illuminatione atq; commotione, qua Deus sic mentem illustrat, sic voluntatem afficit, sic hominem de fide & auctoritate ejus somnii certiorem facit, ut Deum esse ejus auctorem ita perspicuè agnoscat, & liquidò judicet, ut id sine ulla dubitatione credere & velit & debeat. Rectè Eccli. 34. *Nisi à Domino missa fuerit visitatio, ne des in somnis cor tuum.* Ex quo significatur, nonnulla somnia dari hominibus à Deo, animos eorum mirabiliter visitante.

CAPUT II.

Videt Nabuchodonosor in somnio statuam portendentem quatuor imperia, mundi, quæ à lapide de monte abscisso, id est, à Christo contrita est. Somnium hoc solvere, narrare, & explicare potuit Daniel. Unde à Rege & Chaldæis honoratur, totiq; Babyloniæ præficitur.

Somnij oblivio. QUæstio I. *Qua causa fuit, cur Nabuchodonosor nequaquàm recordari potuerit somnij sui* v. 1.? ℟ det Rupertus, quia superbus erat & arrogans millenis distractus & occupatus bellorum ac statûs negotijs, aliorum usurpabat bona, totus accumulandis thesauris deditus, sensuum delectationibus devotus, demum & adorari voluit. Quomodò anima stulti & impij, inquit Rup. l. 6. de Vict. Verb. c. 6, anima discissa, & nulla saltem divini nominis religione composita, continere posset rem tanti Sacramenti; quam viderat? Fuit divini verbi semen densissimarum curarum spinis in eo suffocatum

II. *Quomodo hîc dicitur, quòd Daniel anno 2. Nabuchodonosoris prophetârit, eiq; somnium explicârit,* cùm c. 1. dicatur, quòd anno tertio Ioakim, qui fuit primus Nabuchodonosoris, Daniel fuerit puer, indeq; tribus annis fuerit eruditus in literis Chaldæorum? ℟ juxta Iosephum l. 10. Antiq & S Hieronym. hoc loco secundùm annum hîc memoratum computandum esse ab exordio Monarchiæ Nabuchodonosor, cùm scilicet Amonitas, Moabitas, Scythas, Ægyptiosq; subegit, quibus victorijs crevit regnum, & omnino dedu-

deductum est in rationem veræ Monarchiæ, fuitq; annus vigesimus tertius, quibus additi duo sequentes, de quibus hoc loco, efficiuntur anni 25.

III. *An unus tantùm fuit Nabuchodonosor?* R. fuisse duos; alterum quidem, de quo hìc fit mentio, & 4. Reg. item apud Jer. & Ezech., alterum autem in libro Judith. Fuisse autem diversos ex eo patet. imò, quia Nabuchodonosor, de quo fit mentio in lib. Judith, regnavit in Ninive, ut in eodem libro dicitur. At Nabuchodonosor, qui à Daniele ponitur, regnavit post eversam Ninivem in Babylone. ut constat Dan. 4. & ex Josepho priori lib. adversus Apionem. idò ille Nabuchodonosor, qui in lib. Judith refertur, imperij sui anno decimo tertio misit Holofernem cum exercitu, qui Judæos tum primò sibi subjugaret, ùt ait Perer. l. in Dan. At iste Nabuchodonosor, cùm annum decimum tertium imperij ageret, jam Hebræos ter subegerat. *Nabuchodonosores duo.*

IV. *An Rex Nabuchodonosor injustè coëgerit sapientes illos, ut somnium suum sibi edicerent?* Nam somnia per se occulta sunt, cum sint interiores affectiones phantasiæ: unde nemo illa certò cognoscere potest, nisi à somniantibus proponantur? R. Regem suppositâ scientiâ, quam illi jactabant, non cõegisse illos injustè: nam Chaldæi, ad quos præcipuè Rex sermonem direxit, erant ex ipsa professione Genethliaci, seu judiciarij, qui ex syderum observatione futuros rerum eventus, etiam liberos, se nosse prædicabant. Cur ergo injustus habebitur, qui rem professioni eorum convenientem exigebat? Re tamen ipsa postulatum regis erat injustum, quia somnia per se occulta sunt saltem hominibus; nam Angelis nota esse possunt, cùm sint affectiones corporeæ, quæ subjacent naturali cognitioni Angelorum; homines verò non nisi per objecta sensuum externorum notitias rerum nanciscuntur. *Somnia possunt cognoscere Angeli, non homines.*

V. *Utrum sapientes verè potuissent somnij, si à Rege propositum fuisset, interpretationem dare?* R. Hoc somnium, cùm prorsus fuerit Divinum, ex institutione scilicet DEI, futuros rerum eventus prænuntians, nequaquàm potuisse naturali cognitione per se attingi à sapientibus, solumq; ab ipso DEO edoceri; jure autem arguuntur à Rege, quòd qui præteritum somnium expiscari nequeant, interpretationem ejus ad futurum tempus spectantem multò minùs adhibere queant.

VI. *Quomodo DEus mutat tempora & ætates* v. 21.? R. Mutat tempora vel naturaliter, vicissitudines faciens dierum & noctium, æstatis atq; hyemis, temporis sereni ac nubili, salubris & pestilentis: vel modo supernaturali, aut longiùs producendo diem, quàm natura fert, sicut evenit tempore Josve, ac Regis Ezechiæ, aut mutando naturalem rerum ordinem atq; processum: sicut accidit in ecclipsi solis tempore passionis Domini nostri. Mutat ætates, vel minuendo in commune vitam hominum, quemadmodum post diluvium factum est: vel privatim minuendo vitam alicujus hominis, vel in pœnam ejus, ùt contigit Moysi & Aaroni, vel in ejus bonum & utilitatem, ut Sap. 4. *raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus.* Contra verò quibusdam prorogat vitam, ùt regi Ezechiæ, annos 15, ultra naturaliter ei vitæ spatium præfinitum, adjiciens *Tempora & ætates mutat DEus.*

VII. *Quomodo dicitur DEus revelare profunda & abscondita, & in tenebris constituta* v. 22.? R. significari possunt tria genera rerum, quæ sunt supra omnem naturæ creatæ cognitionem. Unum est rerum supernaturalium, cujusmodi sunt mysteria nostræ fidei ùt Trinitatis, Incarnationis, & Eucharistiæ, quæ dicuntur hìc profunda. Alterum eorum, quæ vocantur arcana cordium, uti sunt propriæ voluntatis, & intellectûs actiones. nominantur autem hoc loco abscondita. Tertium est eorum, quæ in scholis appellantur futura contingentia, quæ nec sunt actu, nec fuêre unquàm, nec in causis suis determinatè continentur, ob idq; certam cognitionem parere non possunt: hæc nominantur hìc in tenebris constituta, atq; hujus triplicis difficultatis intelligendi similitudinem quandam in visu licet cernere minimè alienam, cui quædam ignota sunt quia longè distant, alia quia sunt in tenebris; nonnulla, quòd aliquo impedimento ab ipso visu obliteścunt.

VIII. *Cur imperium Babyloniorum vocatur caput aureum* v. 38.? R. Dicitur caput, quia ordine temporis primum, & sapientiâ reliquis præcellens, ùt patet Isa. 47. v. 13. Aureum, quia maximè opulentum ac splendidum, simulq; amplissimum & felicissimum, ùt, ait hìc Daniel v. 37. & c. 4. v. 19, &, quod omnia superat, orbi longè carius cæteris. Unde brevissimo tempore, Tertull. l. contra Judæos & alijs testibus extendit se in universam Asiam, & majorem partem Africæ & Europæ. Adeo ut respectu illius subsequentes Monarchiæ, licèt vi & robore potentiores (nam ferrum majoris violentiæ, & roboris symbolum est quàm æs, & hoc quàm argentum vel aurum) tamen amplitudine, felicitate, & imperij tum adipiscendi & retinendi, tum administrandi facilitate multùm cesserunt Chaldaicæ. *Caput aureum imperium Babylonicum.*

IX. *Cur imperium Persarum comparatur argento?* R. quia eo abundavit, fuitq; opulentissimum: unde præter thesauros obvios & apertos, DEus promittit Cyro thesauros absconditos Isa. 45. 3. Plinius lib. 33. 3. ait Cyrum ex debellata Asia extulisse *Imperium Persarum argenteum*

quinquaginta millia talentorum argenti, id est, trecentos milliones. Athenæus l. 12. ait, Regem Persarum in suo conclavi ad caput semper habuisse triginta milliones auri, quod cervical regis dicebatur; & ad pedes 18. milliones argenti, Gaza Persica, qua potitus est Alexander, fuit 180. millium talentorum, teste Strabone, id est, centum & octo millionum.

X. *Cur imperium Persarum dicitur inferius Chaldæorum imperio, sicut argentum inferius est, & cedit auro.* v. 39. POST TE CONSURGET REGNUM ALIUD MINUS TE? R. Non in amplitudine, potentia, aut divitijs. In quovis enim ex ijs majus fuit Chaldaico. Nam quod attinet ad amplitudinem, dicitur Esther 1. & 10. de Assvero Rege Persarum, quòd regnaverit ab India usq; ad Æthiopiam super 127. Provincias, cunctasq; maris insulas. Præterea Cyrus Persarum rex Chaldæorum imperium bello expugnatum adjunxit suo, ergo quod ex utroq; conflatum est, evidenter fuit amplius. De potentia Cyri habetur Isa. 45. *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cujus apprehendi dexteram; ut subjiciam ante faciem ejus gentes, & dorsa regum vertam, & aperiam coram eo januas, & portæ non claudentur. Ego ante te ibo, & glorioſos terræ humiliabo, portas æreas contenam, & vectes ferreos confringam.* De opulentia etiam liquidò constat ex q. præced. Fuit tamen Regnum Persarum minus Chaldaico diuturnitate & antiquitate: nam quod attinet ad diuturnitatem, regnum Chaldæorum ab ortu suo sub primo rege Nino, usq; ad interitum sub Baltasare ultimo rege, stetit 1500. annis; cùm tamen Persarum Monarchia intra 140. annos, & condita & eversa fuerit.

Græcorum regnum.

XI. *Quod est tertium regnum* v. 39? R. esse regnum Græcorum, quod quidem Alexander magnus ita longè lateq; amplificavit, ut meritò dicat Daniel, imperaturum illud universæ terræ. Atq; ob hoc ipsum ventri & stomacho assimilatur: Solet enim stomachus ad se trahere omnem cibum, identidemq; subigere & conficere, quem tamen non diu in se retinet, sed ad alia membra transmittit. Ita Alexander plurima quidem regna imperio Græcorum adjunxit, quæ tamen in eo non diu perdurârunt, sed inter plures divisa Duces ab amplitudine illa Monarchiæ omnino defecerunt. Idq; Theodor. significari vult per divisionem femorum, in quam visus est scindi ventèr Statuæ.

Regnum Æreum.

XII. *Cur vocatur æreum?* R. det S. Hieron. quia æs non tantùm forte est & durum, sed & vocalissimum & sonantissimum. Talis fuit Alexandri & Græcorum fama & gloria, non tantùm ob potentiam, & bella fortiter gesta, sed etiam ob sapientiam & eloquentiam, quæ apud Græcos floruit.

Romanum Imperium.

XIII. *Quod est quartum imperium, tibijs ferreis & pedibus, partim ferreis, partim fictilibus repræsentatum?* R. Hoc pertinet ad Romanos, quod instar ferri omnia comminuit, atq; perdomuit, & cæteris omnibus latius imperavit. Ex forti autem & fragili compositum ait Daniel, & quidem in pedibus, quia postremis temporibus delicijs langverunt, in Asia, Græcia, Ægypto, quas imperio suo adjunxerant. Romanum imperium prius robustissimum, deniq; imbecillimum evasit; usq; adeo; ut petiti bello à diversis Gentibus, externas copias in sui defensionem evocarent, qui nationibus antea ubicunq; Gentium laborantibus præsidio erant; Itaq; Romanum imperium per annos ferè 1200. extitit ferreum, deinceps fictilè, id est fragile, ac indies imbecillum magis: nam post prædictos annos ab Alarico Gothorum Rege capta est Roma, Imperatore Honorio, & Summo Pontifice Innocentio I. deinde verò multis cladibus afflicta per consequentes annos, ùt ferè nulla fuerit Gens Imperio Romano antea serviens, quæ de illo postea non triumphaverit, ut latè ostendit Paulus Orosius l. 7 c. 40.

Regnum divisum.

XIV. *Quomodo dicitur* v. 41. REGNUM DIVISUM ERIT? R. divisum erit, tum in capita duo, v. g. Duum-viros, binos Consules, binos Imperatores, unum in Oriente, alterum in Occidente, unde & illius insigne est aquila biceps: tum in factiones & discordias, ùt, cùm plebs in Senatum, Sylla in Marium, Cæsar in Pompejum, Augustus in Antonium, alij in alios insurgent. Maximè verò, cùm subditæ illi gentes se ab illius obedientia subducent, propriosq; sibi reges statuent, ùt fecerunt Hispani, Poloni, Angli, Franci & tot alij populi. Deniq; cum sub finem mundi dissecabitur Romanum imperium in decem reges, quasi in totidem digitos pedum, alios alijs majores vel robustiores. Porrò hæc *divisio* orietur *ex plantario ferri*, id est, ex ipsa planta, seu radice pedis ferrei. q. d. non cauſabitur.

Regnum Christi & Ecclesiæ.

XV. *De quo regno loquitur* v. 44.? R. de regno Christi & Ecclesiæ ejus; quod quamvis in mundo sit, *non est* tamen *de hoc mundo*, ùt ait Christus, & omnes Prophetæ ubiq; declamant: *Comminuet autem & consumet universa regna*, non quoad temporale regimen eorum (quia istud est parvi momenti, & regnum Romanorum debet sic durare usq; ad finem mundi Dan. 7.) sed quoad Spirituale imperium, quod in animas usurpabant, jubendo & præscribendo ubiq; idololatricum cultum, seu sui seu aliorum hominum, seu Dæmonum, ùt de Nabuchodonosore c. seq. & de Xerxe, Alexandro, Antiocho Ephinane, Augusto, Caligula, Domitiano, alijsq; regibus Persis, Græcis Romanis constat ex

omni-

bus historijs. Hoc ergo idololatriæ, cæterorumq; scelerum imperium tollet ubiq; & evertet Christus, per se, per suos, sibi, suoq; cultui, & obedientiæ paulatim omnes terræ nationes subjiciens. Ita nato recens Christo Magi relictis idolis adjuncti sunt cum suis, & in Ægyptum fugiens Christus idola pluribus locis prostravit, testes citat Baronius. Imp. Claudius multa Deorum sacrificia, multa festa aliud agens abrogavit, ut scribit Dio Cassius. Apostoli & Apostolorum successores maximam idolorum stragem varijs locis ediderunt. Constantinus deniq; totum *Romanum imperium*, eliminata idololatria, *Christo subjecit, & cum subjectis populis tota ad Deum mente convertit*, inquit S. Greg. Quo ad temporale verò regimen etiam hæc aliaq; omnia regna terræ destruet Christus; sed sub finem mundi, inquit Tertull. & Theodor. quando nempe inchoatum hic regnum suum transferet è terris in cœlum, ubi perfectum & consummatum per gloriam durabit in omnes æternitates.

XVI. *Quis est lapis sine manibus abscissus de monte* v. 45.? ℟ est Christus lapis fundamentalis & angularis Ecclesiæ, qui qua Deus à Patre genitus est sine manibus creationis inquit Amb. Serm: 70: & qua homo è Virgine conceptus sine manu, id est, opere virili, ut S. Hieron. Epiph. Aug. & alij passim exponunt. Neq; est insolens in Scriptura, inquit Pererius, generationem alicujus ex aliqua, præsertim mirabilem ac supernaturalem appellare excisionem ex petra. Nam Isa. 51. legitur: *Attendite ad petram unde excisi estis, & ad cavernam laci, ex qua præcisi estis.* Quam metaphoricam locutionem mox declarans subjungit: *attendite ad Patrem vestrum Abraham, & ad Sarram, quæ peperit vos.* Significat autem Propheta, Isaac, ex quo progenerati sunt Hebræi, ex parentibus infœcundis, & ad modum petræ sterilibus, mirabiliter esse generatum. *Lapis de monte abscissus.*

XVII. *Cur B. V. dicitur Mons?* ℟. propter singularem omnium virtutum excellentiam: quarum tanta est sublimitas, ut quod est summum & excellentissimum in virtutibus aliorum Sanctorum, id comparatione virtutum B Virginis, sit infimum. Unde non incongruè de B. Virgine dici posset, quod est in ps. 86. *fundamenta ejus in montibus sanctis.* Etenim Deipara Virgo verticem & culmen perfectionis Sanctorum habet tanquam fundamentum perfectionis & sanctitatis suæ *Maria dicitur mons.*

XVIII. *Quomodo Christus fuit Lapis primò parvus, tum paulatim crescens, tandem replens universam terram?* ℟ Parvus fuit propter assumptam humanitatem quæ Divinitatis comparatione parvum quid & prope nihil est: Verbum enim abbreviatum fecit Dominus, cùm Verbum Caro factum est: puer natus est nobis, atq; parvulus datus est nobis &c. Crevit autem Christus non coram DEo coram quo semper æque magnus fuit: neq; crevit secundùm gratiam & gloriam animæ, quam inde ab exordio usq; sui conceptus tantam habuit, quam jam nunc habet, sed crevit coram DEo & hominibus tam secundùm gloriam corporis post resurrectionem, quàm secundùm famam atq; gloriam sui nominis quod toto orbe celebratum est. Deniq; crevit in corpore suo mystico, quod est Ecclesia, quam per universum mundum diffusam & dilatatam cernimus. Christus autem replevit universam terram imò prædicatione Evangelicæ doctrinæ, quæ per Apostolos & Discipulos ejus toto orbe personuit ps. 18. *in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Tum scientia Dei: nam per Christi doctrinam, pernotuit mundo, unum esse Deum ab homine colendum: Deos autem esse inania simulacra & fallaces Dœmones Is. 11. *repleta est terra scientiâ Dei.* *Christus lapis parvus.*

XIX. *Quomodo dicitur Rex Danielem adorasse* .49.? ℟ Adoratione latreutica, quæ soli debetur DEo. Patet tum ex humili prolapsu in terram ad genua Danielis tum ex sacrificio, quod illi jussit offerri. Sic enim c. seq voluit Rex se quoq; adorari, & usu receptum erat apud gentiles, ut homines virtute & sapientia præcellentes quasi numina & Deorum filij adorarentur & sacrificijs colerentur, ut patuit in Paulo & Barnaba Act. 14. v. 10. Sed absit consenserit in hoc scelus Daniel (ut olim Porphyrius, & nunc Calvinus blasphemè illi impingit) nam executionem mandati regij inhibuisse & præpedivisse vel inde colligitur, quòd nulla executionis facta mentione mox subdatur, Danielem à rege aliis honoribus affectum fuisse, nempe præfecturâ totius Babyloniæ. Ita Lyran: Maldonatus & alij. *Adoratio Danielis.*

CAPUT III.

Aureâ erectâ statuâ Nabuchodonosor vult in ea ab omnibus adorari, quod dum recusant Sidrach; Misach & Abdenago, mittuntur in ardentem fornacem: in qua ab Angelo servati illæsi, canticum Deo canunt. Quo miraculo Rex perculsus, Dei majestatem, potentiam & providentiam celebrat.

Statua Nabuchodonosoris.

QUæstio I. *Quæ sunt scienda circa hanc statuam?* ℟. Nabuchodonosor Rex ex tot victorijs, tot triumphis jam insolentior factus, maximè cùm à Daniele audisset, se inter orbis Monarchas *caput* esse & quidem *aureum*, occasione *statuæ* quadrifidæ sibi tum in somnis exhibitæ aliam illâ nobiliorem, putà ex mero auro, quæ suam repræsentaret personam, erigi jussit, instar novi Dei publicè ab omnibus adorandam. ita Theodor. Pererius & Maldonatus, qui vult suggestione ariolorum & Chaldæorum id factum, ut invisо sibi Danieli ejusq; socijs Judæis Sidrach, Misach, & Abdenago, quos scirent nunquàm hoc idolum adoraturos, insidias & exitium struerent, ùt aliàs eidem Danieli struxerunt Medi c. 6. v. 13. Nazianzenus censet orat. 47 fuisse filios Ezechiæ, Tirinus putat fuisse ejus nepotes. Nam juxta eum à morte Ezechiæ hucusq; fluxerunt facilè anni 136.

Danielis non fit mentio in adoratione statuæ.

II. *Quare nulla fit mentio Danielis?* ℟. det Lyran. Aliò ad negotia missum fuisse à rege. Forsan morbo præpeditus domi remansit. Vel, si præsens adfuit regi, proximus astabat, utpote primus aulicorum, cui rex innitebatur. Unde sicut Rex suammet Statuam non adorabat, ita nec Daniel adorare cogebatur. Quid si dicamus, sat notam regi fuisse Danielis religionem: ipsumq; chariorem ei fuisse, quàm ut pateretur ob hanc similemvè causam quidquam mali illi inferri?

Principes adorant statuam.

III. *Cur Principes ad adorandam Statuam convocati sunt?* ℟. Quia omnes gentes, hujus regis imperio subjectæ, ad ejus statuæ adorationem convenire non poterant, principes & præsides omnium gentium convocantur, ut illis adorantibus, omnes quoq; adorâsse videantur. Adjice, quòd Principes & divites regi subjecti, & ab eo honorati & locupletati, metu perdendi honores & divitias, ad omnem voluntatem & nutum ei serviunt atq; obediunt. Deniq; istiusmodi homines, facillimè ad DEI & divinarum rerum contemptum; difficillimè verò ad earum venerationem, cultum & observantiam adducuntur. Unde Salomon Prov. 30. orat DEum, ut sibi tribuát tantùm victui necessária, nec divitiarum abundantiam largiatur: *ne fortè*, inquit, *satiatus illiciar ad negandum, & dicam, quis est Dominus.* Voluit etiam rex ille principum exemplo, ad sui adorationem cæteros omnes cogere: vulgus namq; ducitur auctoritate, & exemplo principum, eorumq; facta & exempla imitatur, ideo Eccli. 10. dicitur: *qualis rector civitatis, tales & habitantes in ea.*

Juvenes tres tantùm accusati.

IV. *Cur de plurimis Judæis, qui erant Babylone, tres tantùm juvenes accusati sunt à Chaldæis?* ℟. Fortassè Principes tantùm & Magistratus ad statuæ adorationem vocabantur, nulla vulgi habita ratione. Unde cùm hi tres Juvenes publico munere fungerentur, ad Statuam adorandam compellebantur, eorumq; recusatio notabilis erat, & ad regem deferenda videbatur. Vel credibilè est, plerosq; Judæorum metu mortis adorâsse Statuam, præsertim cum essent Judæi valdè proclives ad idololatriam, qui autem boni viri erant, & Divinæ legis observantes, sed quibus tamen non satis animi erat ad tolerandos cruciatus, mortemq; subeundam, aliò profugerant, vel se abdiderant. Posset etiam dici, quòd hi tres erant omnium Judæorum honoratissimi, & apud regem gratiosissimi, erantq; Chaldæis præpositi à Rege, propterea fuisse eos Chaldæis invidiosos & exosos, ideo libenter Chaldæos arripuisse occasionem hanc accusandi eos apud regem, &, si possent, omni dignitate, vitaq; privandi.

Providentia DEI.

V. *Cur DEus non semper servos suos malis, quibus afficiuntur, aut præripit, aut eripit.* ℟. Ut stet ratio suæ providentiæ, qua sapienter & svaviter gubernat omnia, sinere debet causas secundas ferè suas vires naturales exercere, suos motus agere, & ordinem sibi à Conditore suo impositum tenere. Deinde ut cùm servi DEI miraculosè à DEO liberantur, clarissimè appareat, illud esse Divinæ omnipotentiæ opus, nec ad aliquam naturæ occultam vim referri posse, ut de Psyllis & Marsis, qui serpentes & venenata animalia innoxiè tractabant, ab antiquis proditum est. Si enim liberatio Sanctorum, semper vel frequenter fieret, non haberet admirationem: ideoq; cessaret ratio miraculi, & ex eo ad multos promanans utilitas, nec tam puro & sincero animo, ad fidem Christi amplectendam homines accederent, nec in tolerantia omnis generis cruciatuum, & acerbissimæ mortis perpessione, tanta fidei & gratiæ Christi efficacitas, tanta servorum ejus magnitudo animi & constantia, tanta Divini nominis gloria eluceret. Ideo hos tres juvenes ex manibus Nabuchodonosor liberavit DEus, septem autem pueros Machabæos, de manibus regis Antiochi liberare noluit.

Abraham Dilectus DEI.

VII. *Cur Abraham dicitur Dilectus DEI, Isaac servus & Jacob sanctus* v. 35.? ℟. Abraham vocatur dilectus, quia primus ex media idololatria eductus & segregatus à DEO est, &, ut princeps ac Pater esset futuri populi sui, peramanter electus est, amplissimisq; promissis in se & in posteris suis à DEO donatus. Isaac vocatur *servus*, propter singularem obedientiam, quam Patri suo præstitit, passus ab eo se tanquàm servum colligari, & quasi victimam immolari. Jacob vocatur *sanctus:* vel quia primus se sanctificâsse videtur, & dicasse DEO, vovens illi decimas omnium, quæ possideret: vel

Jacob sanctus.

quia

quia plenus Spiritu Sancto, futuros omnium fidelium ſuorum, & qui ex illis naſcituri erant, caſus, & eventus prævidit, & prænuntiatum & nobiliſſimum de tempore adventus Meſſiæ vaticinium edidit: cujus exſpectatione lætiſſimo animo moriens dixit: *Salutare tuum exſpectabo Domine.*

Juvenes ex incendio ſervati.

VII. *Quomodo tres Juvenes ex incendio Babylonico ſervati ſunt?* R. Id dupliciter fieri potuit. Potuit enim DEus cohibere ignem, ne vim ſuam urendi in illos juvenes exerceret: potuit, inquam cohibere, tantùm, non concurrendo cum igne ad actum urendi. Siquidem absq; DEI concurſu, nulla res creata, vel puncto temporis conſtare, vel quicquam agere poteſt. Atq; hac ratione credibile eſt, factum eſſe, ut cùm primùm illi juvenes, manibus, pedibusq; vincti, in medias flammas injicerentur, nihil tamen detrimenti caperent. Potuit etiam DEus aliter eos ſervare ab incendio: ſcilicet ignem ab illis tam longè repellendo ac removendo, ut vis ipſius nequaquàm eos attingeret, quin etiam interponendo corpus aliquod ita frigidum & humidum, ut non modò reprimeret fervorem ignis, ſed etiam ingenti cum voluptate eorum corpora refrigeraret.

Filius DEI.

VIII. *Quis eſt Filius DEI* v. 92.? R. Similis filio DEI, id eſt, ſimilis Angelo, ut vertunt LXX. teſte S. Hieron. Erat enim revera Angelus, ut patet v. 49. habebatq; vultum Angelicum. Et quem Rex hic filium DEI vocat, eundem ipſe v. 95. vocat Angelum. Porrò miſit DEus Angelum, qui appareret Regi, ne Rex putaret pueros in igne ſervari illæſos per maleficium.

Nabuchodonoſoris converſio.

IX. *An vera fuerit hujus regis converſio?* R. Veram fuiſſe ſunt manifeſta ſigna. Nam primò ſurgens è throno ſuo acceſſit ad fornacem, & blandis verbis tres illos juvenes evocavit, magnitudinem animi eorum & conſtantiam prædicans & magnificans ſcilicet, quòd non dubitaverint regis juſſa contemnere, & ſe morti offerre, ne alio, quàm DEO ſuo divinum cultum atq; honorem adhiberent. Ideo eos juvenes, ad majorem, quàm haberent antea, poteſtatem & dignitatem rex promovit. Deinde ſummis laudibus extulit Deum ipſorum, propter omnipotentiam, propter ſingularem curam, quam ſervorum ſuorum gerit, propter miniſteria Angelorum, ipſi ad nutum famulantium, propter effectionem prodigiorum & miraculorum, deniq; propter regni & Dominationis ejus amplitudinem atq; æternitatem. Ad hæc magna DEI opera & miracula quæ ipſe viderat, per omnem imperij ſui ditionem divulgari & prædicari juſſit, pœnamq; capitis atq; amiſſionis omnium bonorum in eos conſtituit, qui Deum Judæorum vituperare & blasphemare auderent.

CAPUT IV.

Epiſtola Nabuchodonoſoris, qua alterum ſuum ſomnium enarrat de procera arbore ab Angelo ſuccisa: quam Daniel interpretatus eſt eſſe ipſummet Nabuchodonoſorem è regno ob ſuperbiam expellendum, & in beſtiam commutandum. Quod cùm reipſa impletum eſſet, ſe poſt 7. demum annos reſipuiſſe narrat, ſuoq; regno reſtitutum eſſe. Quo nomine DEum cœli laudat & glorificat.

Nabuchodonoſor quomodo mutatus in beſtiam.

QUæſtio I. *An Nabuchodonoſor verè mutatus fuit in beſtiam aut feram?* R. 1. Nabuchodonoſor in hac transformatione verè manſit homo. Id patet 1. ex tota narratione v. 30. & ſeqq. 2. quia alioqui anima rationalis debuiſſet ei adimi & dari anima bovis: & ſic non fuiſſet idem; nec rex qui peccaverat, fuiſſet punitus ſed bos. 3. quia anima humana non poteſt informare corpus bovis; nec anima bovis corpus hominis. Manſit ergo idem omnino Nabuchodonoſor, idem corpus, eadem anima; ſed humanus tantùm ſenſus, quo ad exercitium, putà, humana ſenſatio, præſertim in guſtu; ac rationis uſus ei fuit ad tempus ablatus, & poſtea redditus. R. 2. do aliqua tamen ratione dici poteſt eum converſum eſſe in beſtiam, putà, in urum aut biſontem, idq; patet 1. quia, ùt ait S. Thom:, ſecundum vitiatam ſuam imaginationem in urum ſibi converſus videbatur. 2. quia cordis & corporis ejus temperamentum ita immutatum & efferatum eſt, ut eſſet ſimile feræ beſtiæ, quantum fieri potuit citra humanitatis ſeu naturæ humanæ amiſſionem. 3. quia rationis uſu privatus & mente captus, tantùm utebatur phantaſiâ, eaq; ferina, qualis eſt uri; & hoc eſt, quod hîc dicitur, *cor feræ detur ei* q. d. privetur ſenſu humano, fiat amens & inſanus; videatur ſibi non eſſe homo, ſed beſtia. 4. quia habitus ejus magis ferinus erat, quàm humanus: nam incedebat ſemper nudus, rori, imbri, & alijs cœli injurijs, ut fera, obnoxius. Deinde adeo ei creverant capilli; ut totum ferè corpus contegerent, ungves quoq; creverant ad ſimilitudinem avium. Deniq; cute erat non molli, ſed dura & ferina, pilosq; habebat craſſiſſimos, ut referrent plumas avium, qui à copioſa fuligine craſſiſſimæ melancholiæ

oriebantur, inquit Valesius 5. Incessus ejus & figura erat ferina; quia non erectus ut homo, & bipes, sed curvus & pronus, manibus & pedibus reptabat ut bestia & quadrupes: pedes ergo ejus brachia & manus callosæ & duræ, reliquaq; membra cum temperamento ferinam induerant figuram, quantum salva humana natura facere poterat Deus. 6 quia cum feris quasi fera versabatur in sylvis, earumq; victu scilicet herbis & radicibus vescebatur. 7. quia cum mentis usu etiam oris & lingvæ usum perdiderat, nec articulatas & humanas sed inconditas & bestiales voces dabat, mugiebatq; ut bos. Ratio est, quia locutio sequitur imaginativam: prout enim homo vel animal imaginatur, sic & loquitur, id est. vocem dat, ubi ergo ferina est imaginatio, uti erat in rege, ibi & ferina est vox. Ita Corn. à Lap. varios citans.

Cor quid significat.

II. *Quid hîc & aliàs in scriptura significat cor?* R. imò significat mentem: quod enim cor est in corpore, hoc mens est in anima totoq; homine. Jam bestiæ non habent mentem, sed ejus vice habent imaginationem: hæc enim regit eas, earumq; actus, uti mens regit hominis actus: cor ergo feræ est phantasia feræ. 2dò cor idem est quod appetitus & voluntas: cor ergo feræ est appetitus ferinus. 3tiò cor propriè hîc sumitur. Cordis enim, indeq; totius corporis complexio in rege mutata fuit, ut ex humana fieret ferina. Putat tamen Corn. cum Maldonato, eum saltem per intervalla aliquem rationis & pristinæ dignitatis sensum habuisse: hoc enim proprium erat Regi & homini, qua talis est, pœnale afflictivum & contristativum. Huic sententiæ favet illud v. 22. *Donec scias quòd dominetur excelsus.* q. d. donec ex tua pœna agnoscas DEum vindicem, ab eoq; veniam poscas.

Eleemosyna redimit peccata.

III. *Quomodo eleemosyna redimit peccata?* R. imò quia peccatorem disponit ad gratiam, & ad peccati remissionem, eamq; instar orationis à Deo meretur & impetrat. 2dò quia remissâ culpa, meretur ex condigno remissionem pœnæ reliquæ. 3tiò etiamsi non mereatur semper culpæ & pœnæ æternæ, tamen temporalis pœnæ remissionem ferè meretur ut scilicet Deus plagas suas talibus in hac vita non immittat: idq; hîc est appositum: nam S. Hieron. & alij putant, Nabuchodonosorem fecisse eleemosynas, ideoq; ad 12. menses dilatam esse Dei contra eum sententiam, donec rursum bonum clementiæ amisit malo superbiæ v 27.

Nabuchodonosor æternam salutem consecutus.

IV. *An Nabuchodonosor salutem æternam sit consecutus?* R. Probabile esse eum septennali pœna serio ad Deum verum fuisse conversum totoq; corde fuisse contritum & humiliatum ac proinde justificatum esse, ac cùm paulò post obierit, salvatum videri. Ita Dorotheus in synopsi, Epiphan. in vita Danielis, Lyran. Carthus & favet Theodor. & S. Aug. ep. 122. Dorothei verba sunt *eùm* Nabuchodonosor *peccatorum suorum* remissionem adeptus esset, dedit Prophetæ regnum suum, & nec panem, nec carnem comedit, nec vinum bibit, Domino confessus. Nam hoc illi Daniel præceperat, ut leguminibus & herba vescens Dominum placaret. Additq;: Volebat eum (Danielem) cohæredem constituere filiorum suorum. Sed vir sanctus dicebat: *propitius sis mihi Domine, ne deseram hæreditatem patrum meorum, & adhæream hæreditati incircumcisorum.* Eadem habet Epiphan. in Daniele scilicet quòd post pœnitentiã, veniam & restitutionem in regnum carne & vino abstinuerit ac leguminibus vixerit. Secus fuit de Pharaone, qui per flagella & miracula Dei magis obduruit, & in sua obduratione mortuus est, ac mersus in mari rubro, ideoq; damnatus. Hæc sunt disparia judicia Dei. Nam ut ait S. Palus, *Deus cujus vult miseretur, & quem vult indurat.* Rursum ecce Nabuchodonosor rex. qui totâ vitâ impiissimè vixerat, in fine vitæ convertitur & salvatur, è contrario Salomon, qui à puero piè & religiosè vixerat, in senio à mulieribus depravatus idola coluit, ideoq; multi putant eum esse damnatum. Quod dicitur Isa. 14. 11. de rege Babylonis *detracta est ad inferos superbia tua,* id non de Nabuchodonosore sed de Baltasare accipiendum est, aut non absolutè & propheticè sed comminatoriè dictum est. Quod versu 5. hîc Nabuchodonosor jam conversus Belum vocat suum Deum, solùm ibi narrat quòd Danieli olim puero dederit nomen Baltasar secundùm nomen Dei sui, putà quod à Baal vel Bel quem tunc colebat, vocarit eum Baltasar: non autem dicit se etiamnum Belum colere. In dubium tamen vocari potest salus ejus, præsertim cùm non legatur idola abjecisse, Judæos è captivitate dimisisse, tyrannicè occupata restituisse, aliaq; veræ pœnitentiæ signa edidisse, illud tantùm legimus quòd Evilmerodach, mox ut in regnum successit, exaltavit Joachin regem Juda in Babylone captivum, idq; fortè, quia pater moriens hoc & alia ei comendavit. Ita Corn.

CAPUT

CAPUT V.

Baltasari temulento, & sacra vasa profananti apparet manus scribens in pariete, Daniel vocatus scripturam legit: Mane, tekel, phares, docetq; per ea exitium regi portendi. Occiditur Baltasar, succedit ei Darius.

QUæstio I. *Quomodo Baltasar, aut Balthassar obsidionis tempore convivium instruxit?* R. Verosimile est, eum ex vecordia & incogitantia id fecisse, idq; Dei permissu, ut ebrius ac supinus cum suis interceptus ab hostibus miserè periret, eâdemq; viâ, qua suas voluptates sequebatur, imprudentem providentiâ DEI ad perniciem ductum. Quod indicat Isa. c. 21. v. 4. cùm sic de Babylone prophetat: *emarcuit cor meum, tenebræ stupefecerunt me; Babylon dilecta mea posita est mihi in miraculum. Pone mensam, contemplare in specula comedentes & bibentes, surgite Principes, arripite clypeum.* *Balthasar convivatur*

II. *Qualis fuit species manus scribentis?* R. Lyranus putat revera non apparuisse manum aliquam in pariete, sed DEI potentia in phantasia regis positam speciem quandam manûs, ob quam sibi videbatur Rex videre illam in pariete expressam, alijs interim non videntibus, probabilius tamen est, manum apparuisse in pariete, Scriptura enim simplicirer dicit, apparuisse quasi manum hominis, quæ quidem formata dici potest ex aliquo corpore solido, factaq; omnibus qui aderant, apertè conspicua; neq; enim scriptura ait, soli Regi visam manum, visam tamen ipsi memorat, quoniam ad ipsum specialiter pertinebat. Unde colligi non debet, cæteros non vidisse: imò etsi non vidissent, colligi verè non posset, non fuisse efformatam extra sensus Regis, sed intra ipsum: nam ejusmodi Visiones divinitus factæ, pro DEI voluntate his vel illis manifestantur, aut occultantur. Exemplum in exercitu illo curruum igneorum, qui monstratus est Elisæo, & subtractus oculis pueri Giezi 4. Reg. 6. Visi sunt autem digiti scribentis, *quasi manus hominis*, cætera quidem non apparentis, solis autem articulis exarantis scripturam: dicitur enim in textu, *ab eo*, scilicet DEO, *missus est articulus*, & juxta translationem aliam: *à facie Domini missus est articulus manûs &c.* Non dixit, ait Theodoretus, ipse Deus scripsit, sed, missus est à facie ejus articulus manûs, hoc est, scribi jussit: neq; enim totum, qui scripsit, ostendit tibi ô Rex: verùm cùm tuum coarguere factum vellet, solis te digitis perculsit, & tanto metu complevit. *Manus scribentis.*

III. *Cur sapientes Babylonis scriptumm neq; legere neq; interpretari potuerunt?* R. Aliqui putant scripturam hanc fuisse exaratam peregrinis literis, quarum sapientes illi notitiam non habuerunt; Danieli autem divinitus infusam talem notitiam, ac mentem desuper illuminatam à DEO, ut non solùm verba ipsa, sed & reconditum verborum sensum, juxta divinæ voluntatis propositum, Regi manifestaret. Probabilius tamen est, Scripturam exaratam fuisse literis Chaldaicis, Hebræorumq; more, non integras dictiones expressas, sed tantùm per literas capitales singularum, quæ literæ sigillatim nihil significabant; at, si integræ ponerentur dictiones, essent, quæ hîc ponuntur, *Mane, thecel, phares.* *Daniel legit scripturam.*

IV. *Quomodo fusiùs explicatur scriptura manûs: Mane, thecel, phares, & interpretatio ejus?* R. Dicitur DEus numerâsse regnum Baltasaris, & complevisse illud, quia tempus, quo duraturum erat imperium Chaldæorum multò ante constituerat, ac præfinierat Jer. 25. & 29, scilicet post 70. annos sub finem scilicet captivitatis Babylonicæ. Quo tempore autem hæc scriptura visa est à Baltasare, aderat proximè terminus claudens & complens totam annorum summam. Quòd autem ait appensum regem & inventum minus habere, significat ad exactissimam justitiæ Divinæ libram examinata omnia ejus opera, si quæ bona habuit, & quasi collata cum sceleribus, visa hæc illis longè præponderare. Deniq; illud, *divisum est regnum tuum, & datum est Medis & Persis*, significat mox periturum regnum Chaldæorum, & ab illis transferendum ad Medos ac Persas. Prædixerat hoc ipsum Isaias ante 200. annos c. 47. 1. *Non est solium filiæ Chaldæorum.* & c. 13. 17. *Ecce ego super eos suscitabo Medos &c.* *Mane, thecel, phares.*

V. *Cur DEus pepercit Regi Nabuchodonosor, ad tempus duntaxat castigato, Baltasari autem nullo modo pepercit?* R. Theod. duplicem affert causam: alteram, quia Nabuchodonosor non viderat alium regem, qui ante se, impietatis & superbiæ adversùs DEum pœnas luisset, ideo eum dignum veniâ, justo DEI judicio esse judicatum. At Baltasar cùm ante oculos haberet domesticum, recensq; Avi sui luculentissimum exemplum, nihilo melior factus, superbissimus, & majorem in modum impius contra DEum fuerit. Jure itaq; justus judex illum ad tempus certum punivit, hunc autem nullâ veniâ dignum censuit. Adjicit Theodor. alteram causam, nimirum DEO omnia futura prævisa esse, & æquè quàm præterita esse nota: præcognitâ igitur Nabuchodonosor pœnitentiâ,

ejus

ejus quoq; animadversionem moderatus est: contra verò prospecta Baltasaris obfirmata & inemendabili impietate, finiendam morte ejus improbitatem judicavit.

VI. *Cur Daniel non sicut Regem Nabuchodonosor, ita hunc Baltasarem cohortatus est ad spem veniæ, ex largitione eleemosynarum?* R. quia noverat obfirmatum esse in malo ejus animum, & ad pœnitentiam minimè flexibilem: noverat præterea sententiam DEI de exitio illius regis non fuisse tantùm comminatoriam, sed planè absolutam, atq; omnino immutabilem.

Babylon capta.

VII. *Quomodo tam repentè Babylon capi potuit?* R. Cùm probè nosset Cyrus urbem terrâ inexpugnabilem esse, fluvium Euphraten, qui mediam civitatem interluit, per innumeras fossas in id antè paratas, aliò divertit, & ita sicco pede suos per alveum aquis jam nudatum in urbem immisit, eadem illa nocte, qua sciebat Babylonios festum suum de quo v. 1. acturos, & genio potiùs; quàm armis se daturos. Ita Xenophon & Herodotus, & ex eis Rupertus, S. Thomas, Pererius & alij. Idem dicunt, Baltasarem à profugis detectum, eadem nocte per milites Cyri jugulatum fuisse, ut nesciam, quid Josepho in mentem venerit, cùm ex Beroso, contra expressa Scripturæ verba, scribit, Cyrum capta Babylone, regem Chaldæum benigne accepisse, eiq; ad habitandum Carmaniam assignâsse. Tantæ verò erat magnitudinis Babylon, ut teste Aristotele l. 3. Polit. c. 2. capta urbe, magna pars illius tertia die nihildum senserit.

CAPUT VI.

Satrapæ invidentes Danieli præfecturam, ei dolum struunt per edictum regis. Unde Daniel, quia Deum adorat, in lacum leonum mittitur, sed manet illæsus: hinc rex accusatores Danielis in eundem lacum conjici jubet, sanciq; ut omnes paveant Deum Danielis.

Leo non nocens.

QUæstio I. *Quibus modis impunè quis cum leonibus congredi potest etiam citra miraculum?* R. quinq; modis id fieri posse. imò, si quis possit, ruentis in se leonis pallio, vel alia quapiam re, caput, aut oculos operire, exemplum habet Plinius l. 8. c. 16. Deinde si Leo bene pastus, & satur fuerit, rarò eum sævire in hominem solitum auctor est Arist. l. 9. de histor. Animalium c. 44. Ad hoc, si leo à teneris unguiculis, domestica consvetudine cicuratus, & mansvefactus fuerit non solùm erit homini innoxius, sed etiam familiaris teste Plinio l. c. Præterea solent leones benefactoribus suis non tantùm non nocere, sed etiam blandiri, & quoquo modo possint etiam inservire, & quasi gratiam velle rependere. Hoc videre licet in iis, qui curam domesticam leonum agunt: eos namq; illi non modò familiariter tractant, sed etiam impunè verberant. Præterea non consvevit leo, nisi maxima fame urgeatur in prostratos & supplices sævire.

Leones non nocent Danieli.

II. *Quomodo Danieli non nocuerunt leones?* R. miraculo id adscribendum esse quia, ut hic dicitur, *Angelus concluſit ora leonum*, & rictum ait S. Hieron. & ungves, scil. imò vi sua continendo & comprimendo, ne Danielem mordere possent. 2dò adimendo eis famem & cibi Danielisq; fastidium in eis concitando. 3tiò Mutando in eis phantasiam. Etenim ideo leo sævit in aliquem, quòd is interiori sensu repræsentatur leoni, vel tanquam ipsi contrarius & inimicus, & à quo possit lædi: vel tanquàm cibus sibi conveniens, & ad pastum suum pertinens, si hæc igitur phantasia leonis mutetur, & ita Divinitus conformetur, ut intimis sensibus percipiat leo hominem vel tanquàm sibi amicum, & beneficum, vel tanquàm rem à pastu, cibo suo alienam: vel denig; tanquàm quidquam sibi terrificum & formidabile: sic leo affectus erga hominem, ad eum lædendum nequaquam incitabitur. Esse autem aliqua, quæ leonibus metum & pavorem incutiant, usu exploratum est. Arist. quidem & Plin. prædictis locis, tria genera rerum leones pavere & perhorrescere affirmant: rotarum circumactos orbes, sonitusq; curruum, galli cristas & cantum: super omnia verò fulgentes ignes.

Insidiæ.

III. *Quis est sensus verborum* v. 4. UT INVENIRENT DANIELI EX LATERE REGIS? R. esse Hebraismum: nam esse ex latere, idem est, quod insidiari, ex insidiis, quasi à latere, aliquem aggredi & prosternere, qui enim insidiantur alteri, ad latus se collocant, ut alterum non advertentem occultè feriant, capiant vel supplantent. q. d. Hi Satrapæ quærebant occasionem, ut invenirent modos insidiandi Danieli, eumq; apud Regem calumniandi, & præfecturâ regni dejiciendi.

CAPUT VII.

Per 4. bestias describit 4. Monarchias, & regnum Antichristi: mox Deum quasi Judicem inducit, causam Christi & Antichristi, de

regno

regno & imperio universi quasi certantium, pro tribunali cognoscentem, dijudicantem, & Christo adjudicantem. Deniq; regnum utriusq; ad vivum depingit.

QUæstio I. *Quid per ventos prælliantes significatur?* R. Similitudine 4. ventorum inter se pugnantium adumbratos esse maximos tumultus & perturbationes, quæ in exortu cujusq; Monarchiæ extiterunt. Narrat enim inprimis Justinus initio suæ historiæ, & Diodorus l. 2. Ninum Monarchiæ Assyriorum primum conditorem, maximam orbi terrarum attulisse perturbationem. Deinde autor est Herodotus l. 1. Monarchiam Persarum sub Cyro exorientem totam Asiam tremefecisse. Sed & de exortu Monarchiæ Græcorum sub Alexandro scriptum est l. 1. Mach. totum terrarum orbem exagitatum & convulsum. Tandem Romanorum Imperium, aliorum mundi regnorum labefactatione, & interitu ortum, omnium ferè Scriptorum monumenta testantur. *Venti prælliantes.*

II. *Cur 4. Monarchiæ per 4. bestias significantur?* R. Fortè, quia Reges cujusq; Monarchiæ, fere fuerunt ferocissimi, multaq; inhumaniter & crudeliter gesserunt: quidam etiam, morum immanitate bestiis, quàm hominibus fuerunt similiores. Dicuntur grandes bestiæ, propter amplitudinem ditionis, & magnitudinẽ imperii, quod inunaquaq; illarum 4 Monarchiarũ diu floruit. Dicuntur autem bestiæ de mari ascendisse, quia quod ascendit, id prius erat in humili loco, unde paulatim evehitur in celsiorem locum: sic principia cujusq; Monarchiæ fuerunt admodum parva & obscura: paulatim verò quasi per gradus, ad summum imperij & potentiæ fastigium ascenderunt. Licet hoc cernere in regno Chaldæorum, quod diu antea, una modò pars fuerat Monarchiæ Assyriorum. Persæ servi fuerant Medorum. Macedonum gens multis sæculis ignobilissima fuit & contemptissima. Quis nescit quàm obscura & fermè pudenda, Romanorum origo fuerit: pastorum nempe, partim latrocinantium, & rapto viventium, quorum regnum per ducentos quadraginta annos, non ultra 18. milliaria pro ferri potuerit. Bestiæ illæ dicuntur fuisse differentes inter se: quia in illis 4. Monarchiis magna fuit ingeniorum, studiorum, morum, institutorum, legum, religionum, deniq; disciplinæ militaris & rationis belligerandi varietas & dissimilitudo. *Monarchiæ 4. per 4. bestias significatæ.*

III. *Cur mare magnum significat hunc mundum, vel statum & conditionem rerum humanarum?* R. quia mundus hic amaritudinis & acerbitatis est plenissimus: est item admodum inconstans, periculisq; refertus. Deniq; sicut in mari plurimi sunt & diversi generis pisces, alij minimi, alij mediocres, & alij magni: & minores quidem præda sunt majorum: ita ferè usuvenit in hoc mundo. *Mare magnum mundus.*

IV. *Cur regnum Chaldæorum Leænæ & aquilæ comparatur?* R. Leænæ ob potentiam & ferociam. Leæna enim leone est ferocior, maximè cùm catulos nutrit. Item ob libidinem, leæna enim teste Arist. & Plinio semper gestit ad coitum, nec leonẽ contenta etiam cum hyæna & pardo miscetur, inde enim nascuntur Leopardi. *Et alas habebat aquilæ.* Rex Nabuchodonosor fuit quasi monstrum: partim enim fuit leo ob sævitiam, partim aquila ob celeritatem in bellis conficiendis. Nam leo fortissimus est, sed aquila velocior. *Evulsæ sunt alæ ejus.* S. Hieron & Theodor. hæc tribuunt Baltasari, huic enim evulsæ sunt alæ, cùm occisus est: tumq; apparuit non esse Leo, sed habere cor hominis, id est, esse imbecillis ac mortalis. Sed genuinè & propriè hæc referenda sunt ad Nabuchodonosorem: huic enim evulsæ sunt alæ, cùm ipse spoliatus imperio ad bestias missus est, sed sibi restitutus, rursumq; factus homo debilis, stetit erectus, qui antè curvabatur ut bestia, habuitq; cor hominis, quia suam agnovit infirmitatem, humanamq; egit vitam, cùm antea instar feræ ageret, & sæviret, ut leo. Licet enim Nabuchodonosor jam esset mortuus, tamen sub ejus persona vaticinatur Daniel, de futura regni translatione, eò quòd illi primum regni translatio per statuam quadriformem c. 2. & per arborem succisam c. 4. præsignificata fuerit. *Regnum Chaldæorum Leænæ & aquilæ comparatur.*

V. *Cur Monarchia Persarum comparatur urso?* R. imò, quia ursi patientissimi sunt laborum, & tolerantissimi inediæ. Nam ut docet Arist. l. 8. hist. Anim. c. 17 ursi magnam hyemis partem sine ullo pastu cibatuq; transigunt, & solo suctu priorum pedum vivunt. Idem ab ursa fieri, quoties plus nimio pingvescit, tradit Ælianus, quò pingvedine decocta fiat agilior. Tales quoq; fuerunt veteres Persæ, teste Xenophonte & S. Hieron. hîc scil. laborioſi, & solo pane ac cardimomo victitantes. Sed, quia ursus est infirmo capite & visu: hinc si urgente vi eum præcipitare se ex rupe contingat, capite pedibus cooperto se dejicit: sæpè autem in arena colapho impacto capiti ursorum eos exanimatos fuisse tradit Plinius l. 8. c. 36. ubi & addit, oculos in ursis sæpe hebetari, ideo eos alvearia expetere, ut convulneratum os ab apibus, levet sangvine gravedinem. Insuper eos somno ita gravari interdum, ut ne vulneribus quidem concisi excitentur, mi- *Monarchia Persarum comparatur urso.*

rè autem eo veterno obnvescere, uti & glires dormiendo pinguescunt. Ita & Persæ non tam prudentiâ, solertiâ, vigilantiâ, aut robore, quàm innumerabili hominum turba, aut ex ignavia hostium eis prævaluerunt. 3tiò, Ursi fœtus, inquit Plinius, deformis est, videturq; tantùm esse caro alba & rudis, sine pilis, sine oculis, sine cruribus; sed mater lambendo, sensim eum ita conformat, ut perfectum & formosum reddat. Sic Cyrus Persas viles ac rudes exercendo per suam prudentiam & artem militarem, eos sensim ad imperium provexit.'

VI. *Quid significet,* IN PARTE STETIT? Rdet S. Hier. cùm quasi jaceret antè gens Persarum, nec ullam adhuc Monarchiæ affecuta esset claritudinem, captâ primum Babylone, & ab ea pulsis Chaldæis, hac primùm in parte stetit, seu erexit se, & inde in plures alias propagavit imperium.

VII. *Quo sensu dicitur:* ET TRES ORDINES ERANT IN ORE EJUS, & IN DENTIBUS EJUS? R. Hi tres ordines sunt tria imperia, scil. Babylonicum, Medicum, Persicum quæ in secunda Monarchia à Cyro conjuncta & in unum redacta sunt, ita S. Hier. Hinc & Theodor. tres mundi plagas hîc intelligit: Cyrus enim domuit Orientem, Cambyses Austrum, putà Ægyptum & Æthiopiam; Darius Hysdaspis Septemtrionem, putà Scythas. *Comede carnes plurimas,* id est, plurimos interfice. Hinc Tomyris regina Scytharum, cæso Cyro, caput ejus in utrem sangvine plenum injiciens, insultansq; dixit: Satia te Cyre sangvine, quem sitiisti, & cujus insatiabilis fuisti.

Alexander M. comparatur pardo alato.

VIII. *Cur Alexander Magnus comparatus est pardo alato & quadricipiti?* R. Tum quia pardus est animal velocissimum, quodq; præceps fertur, & saltu ruit in prædam. Quo indicatur incredibilis celeritas victoriarum Alexandri, quippe qui, ùt ait S. Hieron. ab Illyrico & Adriatico mari, usq; ad Oceanum Indicum, & Gangem fluvium victoriis magis, quàm præliis orbem percurrit, & sex annis magna parte Europæ, universa Ægypto, Syria & Palæstina, omniq; Asia usq; ad Indiam potitus est. Tum quia pardus est animal variis maculis insignitum, quæ varietas macularum denotat, vel gentium & regnorum varietatem sub ditionem Alexandri redactam, vel admirabilem virtutum & vitiorum in uno Alexandro mixturam: fuit enim vir ille, vitiis æquè ac virtutibus insignis. Quatuor alæ pardi significabant 4. præcipuas virtutes, quibus Alexander tantum imperium brevissimo tempore adeptus est. Prima virtus fuit eximium robur corporis, & incredibilis patientia laborum. 2da virtus fuit magnitudo animi & audacia, nulla timentis aut refugientis pericula. 3tia fuit vigor animi, &, quod de Julio Cæsare scripsit Plinius, quasi quodam igni, volucre ingenium atq; incomparabilis celeritas in suscipiendis pariter & conficiendis rebus. 4ta fuit excellens, etiam major votis hominum, liberalitas & clementia non solùm erga suos: sed etiam erga hostes. Quatuor capita Pardi significabant 4. præcipuos Alexandri Successores, qui illius imperium post obitum ejus, quadripartitò divisum tenuerunt. Philippum dico Aridæum, seu Antipatrum, qui regnavit in Macedonia; Antigonum, qui in Asia; Seleucum, qui in Syria; & Ptolomæum Lagi, qui in Ægypto.

Romanum imperium.

IX. *Cur nec species nec nomen exprimitur ejus bestiæ, cui comparatum est Romanum imperium, prout tribus bestijs superioribus factum est?* Rdet Theodor. quia in prioribus imperiis una fuit semper gubernationis forma & ratio: fuit enim regalis principatus: apud Romanos verò admodum varia & multiplex fuit. Prima enim fuit regalis, tum consularis: postea partim consularis, partim tribunitia, nonnunquam etiam dictatoria: tandem imperialis. Ideo priora regna singula singulis bestiis comparari potuerunt: Romanum autem imperium uni alicui bestiæ singulari non potuit comparari. Dicitur hæc bestia habuisse dentes ferreos & magnos, id est, magnos fortesq; exercitus: bestiæ enim arma sunt dentes. *Comminuens* id est, discerpens, occidens: *comedens* seu devorans alia regna, vel si quæ non devoraret, *pedibus suis conculcabat,* tributis subjiciens: ita universa orbis regna in unum quasi imperium cogens, ut *Roma esset quasi compendio mundus* inquit S. Cyprian ep. 45. & colligitur ex 1. Mach 13. v. 21 & 23. *Et habebat cornua decem,* id est 10. reges potentes ac robustos, sub finem mundi exorituros quidem ex Romano imperio, sed non erunt Romani imperij, qui orbem & Romanum imperium inter se divident, uti ait Angelus v. 24, & S. Joan. Apoc. 17. 12.

Cornu parvulum Antichristus.

X. *Quid per cornu parvulum intelligitur* v. 8.? Rdet S. Hier. Dicamus, quod omnes Scriptores Ecclesiastici tradiderunt, in consummatione mundi, quando regnum destruendum est Romanorum, decem futuros reges, qui orbem Romanum, inter se dividunt: tum undecimum regem parvulum Antichristum surrecturum, qui tres reges de illis decem superaturus sit, id est, Ægypti, Africæ & Æthiopiæ reges, quibus interfectis, etiam septem alij reges victori colla submittent. Dicitur autem Rex ille habituros oculos hominis, ne eum putemus, juxta quorundam opinionem, diabolum esse, sed unum de hominibus, in quo totus satanas habitaturus sit corporaliter. Habebit enim os loquens ingentia, quia erit homo peccati, filius perditionis, ita, ùt in templo

DEI

DEI sedere audeat, faciens se quasi Deum. Hactenus S. Hieron. Parvulum ergo cornu Antichristus, quoniam obscuro nascetur loco, & vitam aliquamdiu similiter obscuram ducet juxta illud Dan. 11. 21. *Stabit in loco ejus despectus.* Genere autem Judæus erit, de tribu Dan, ùt est communis Patrum sententia, damnata scilicet tribu, & ideo prætermissa à Joanne Apoc. 7, à numero signatorum, seu prædestinatorum, ùt existimat D. Irenæus 5. adversùs hæreses 30.

XI. *Quid circa judicium* v. 9. *observandum?* R. *Antiquus dierum,* Deus Pater, adeoq; tota SS. Trinitas cum Assessoribus Angelis *sedit* pro tribunali, tanquàm Judex cognituras causam Christi & Antichristi de regno & imperio totius mundi disceptantium. Simile tribunal habes Apoc. 4. & 5. Vocatur autem *antiquus dierum,* tum quia plenus est dierum: tum quia fuit ante omnes dies & tempora, imò conditor omnis temporis, & notitiam habens omnium, quæ tempore acta sunt, vel agentur. Innuitur enim sufficiens instructio ac scientia judicis ad infallibilem sententiam ferendam. Sicut per *vestimentum ejus candidum quasi nix,* & comam *capitis quasi lana munda* puritas & sinceritas judicij, ob nullius metum vel gratiam ab æquitate deflectentis. Per *thronum* ejus *flammeum* splendor & efficacia judicij Divini. Per *rotas* igneas, præsentia ubiq; & providentia judicis, qua quasi curru semper instructo, rotisq; in omnem partem volventibus per omnia cœli & terræ spatia continuò se se extendit. *Fluvius igneus rapidusq; à facie* & ore judicis quasi ex ignito fonte *egrediens,* sententia est, quam pronuntiat, instar ignis efficacissima & celerrima, inquit S. Hieron. Quam Apoc. 1. v. 16. gladium vocat ancipitem. Describitur ergo hic spirituale & invisibile judicium, quò Deus cognitâ causâ & Christi & Antichristi, imperium totius terræ & cœli Christo adjudicat, ut dicitur v. 13. & 14. Antichristum verò omnesq; ejus asseclas damnat, & ad ignes æternos obligat v. 11. & 12. Rectè tamen hæc ipsa ab aliquibus aptantur etiam judicio extremo, quo Christus corporaliter & visibiliter judicabit omnes vivos & mortuos, quia illud istius erit quasi præludium, præparatio & inchoatio, qua Christus quasi creatur judex, & publicè inauguratur Dominus universi, nempe in actu secundo, seu quoad exercitium actuale. *Judicium DEI.*

XII. *Quæ bestia interfecta, & quibus ablata potestas?* R. Per bestiam interfectam intelligitur non solus Antichristus, cornu undecimum bestiæ, cum omnibus suis, sed & tota bestia, id est, totum Romanum imperium, *igni traditum,* in cineres redactum & prorsus excisum. Aliarum quoq; trium bestiarum, putà Chaldæorum, Persarum & Græcorum, potestas omnis ablata est, suo quæq; tempore: nam *tempora vitæ,* & durationis *constituta* cœlitùs fuerunt *usq; ad tempus & tempus,* id est, usq; ad durationem & periodum prædefinitam à DEO; qua evoluta, vidi singula imperia occidere & everti. Nec enim præfixos à DEO terminos excedere potuerunt. Eversis omnibus his 4. Monarchiis *Sancti* homines, Christi Asseclæ, *& DEI altissimi* fideles servi, antè sub jugo istorum imperiorum pressi, depressi, excisi, jam mutatis vicibus *suscipiens* de manu judicij regnum, illudq; obtinebunt æternùm. *Bestia interfecta.*

XIII. *Quæ tempora & quas leges putabit Antichristus se posse mutare* v. 25? R. Tempora singulis monarchiis & regnis præscripta à DEO item leges, id est, decreta DEI de durationc, amplitudine & potentia singulorum, ita Maldon. Sed falletur miser, nam duratio Monarchiæ, seu pleni imperij ipsius, quo *tradentur* Sancti & Christi fideles *in manu ejus,* ut liberè in eos sæviat, non durabit nisi *usq; ad tempus & tempora* duo *& dimidium* quarti *temporis,* id est, ùt passim veteres Patres exponunt, & ipsemet Daniel c. 12. v. 7. & 11., & S. Joan. Apoc. cap. 12. v. 6. & c. 13. v. 5. ita explicant, ipsos etiam menses omnes, imò dies enumerantes. *Tempus & tempora.*

CAPUT VIII.

Sub metaphoris arietis & hirci, describit Daniel pugnam inter Darium Regem Persarum & Alexandrum Regem Græcorum, quæ quidem post 250. annos accidit. Præterea vaticinatur de exortu Antiochi, & de sæva persecutione ejus in Judæos: deniq; de infelici ejus interitu, accipitq; harum rerum interpretationes à Gabriele, qui propterea ad ipsum missus est.

QUæstio I. *Quomodo Daniel dicitur hic fuisse in Susan, quæ est urbs in Perside, cùm ageret apud Chaldæos, maximè Babylone urbe regia?* R. Danielem fuisse in Susan non secundùm præsentiam corporalem, sed secundùm visionem imaginariam: Spiritu res tota peracta, sicut Ezechiel cùm esset in captivitate Babylonica testatur c. 40. 1. se abductum in terram Israel, *in visionibus DEI.* Explicat enim Theodoretus *DEI,* id est, Spiritu, non corpore, quasi nomen DEi importet similitudinem, id est, *Daniel in Susan.*

ad eum modum, quo DEus, ut in aliquo loco operetur, non se ipsum illò transfert, sed efficacitatem Spiritûs sui omnia permeantis ibi manifestet. Habet enim Spiritus noster quandam quasi immensitatem participatam à DEi spiritu, ut, sicut hîc substantialiter ubiq; præstans est, sic noster intellectualiter ubiq; se pro libito fundat.

Aries Rex Medorum & Persarũ

II. *Cur per arietem intelligitur rex Medorum & Persarum, uti explicat Angelus* v. 20? R det Theodor. quia sicut Aries & propter lanam & propter carnes neci datur, ita Darius Codomannus & cum eo regnum Persarum ob nimiam opum & deliciarum abundantiam quasi prægravatum tandem corruit, & à Græcis occupatum est. Fassus est id ipsum Darij legatus apud Alexandrum, qui, ut ei pacem persuaderet, utq; cum Dario imperium divideret: Periculosum, ait, est prægrave imperium, difficile est continere, quod capere non possis. Videsne ut navigia, quæ modum excedunt, regi nequeant? Nescio an Darius ideo tam multa amiserit, quia nimiæ opes magnæ jacturæ locum faciunt, facilius est quædam vincere, quàm tueri ita Curtius l. 4. Addit Fernand. visione 15. sect. 2. Arietem significare Medos & Persas, eò; quòd in illis Regionibus insignes gignantur arietes, prægrandibus ac pingvibus caudis, cruribus autem ita præcelsis, & toto corpore sic obeso & forti, ut ephippijs impositis frœnisq; adhibitis, pueri iis inequitent.

Arietis duo cornua.

III. *Quæ sunt duo cornua arietis, & unum excelsius altero?* R Sunt duo fundatores, Darius Medus & Cyrus, qui fuit excelsior, inquit S. Hieron. aut, ut Theodor. duæ regales familiæ, scilicet una Cyri, quæ duravit usq; ad Cambysem; altera Darij Hystaspis, quæ amplior & excelsior duravit usq; ad ultimum Darium, qui victus est ab Alexandro. Aut potiùs duo cornua sunt Medi & Persæ; Persarum autem cornu, id est imperium, fuit excelsius, & utrumq; contrivit Alexander, ût dicitur v. 7. ita Perer. Fernand. & alij. *Ventilabat cornibus contra occidentem, Aquilonem, & meridiem*, totam Asiam, Pontum & Africam bello exagitans. Contra hunc arietem jam bene pastum & pingvem, ecce tibi *ab Occidente*, nempe è Macedonia, hostis inopinatus, tanta velocitate, venit, ut pedibus terram non videretur tangere nimirum hircus caprarum, Rex Græcorum, Alexander.

Alexander M. hircus caprarum.

IV. *Cur Alexander magnus comparatur hirco caprarum?* R quia sicut hircus ardentior, velocior, & potentior est ariete; ita fuit Alexander Persarum regibus. Vocatur hircus caprarum, id est Princeps & Dux Græcorum, quia ût aries ovium, sic hircus caprarum princeps & dux est. Nec malè capris comparantur Græci, ob mobilitatem animi, & sagacitatem atq; acumen ingenij. Etenim docet Plin. capras sagacioris esse ingenij, acutioris visûs, & ad motum agiliores, quàm oves: nec dubium est, quin hisce rebus Persis Græci præstiterint. Dicitur hircus venisse ab Occidente. Alexander enim è Macedonia, quæ Persis est Occidentalis, profectus est in Asiam ad debellandos Persas. Sublimè cornu inter oculos hirci prominens significavit singularem Alexandri solertiam, & ingenij sagacitatem cum pari prudentia rei militaris, & animi magnitudine conjunctam. Verùm hoc cornu magnum, &, ût videbatur invictum, brevi tamen confractum est, non vi hostili, sed violenta morte: nam non nisi 32. annos & octo menses natus Alexander, postquam 12. annos, nec amplius regnasset, crapulâ, ût vult Athenæus: vel veneno, ût scribit Curtius, Justinus & alij exstinctus est Babylone. Jam loco illius insignis cornu sic confracti, ut habent Hebræa, suborta sunt 4. cornua, id est, 4. primarij Duces Alexandri, de quibus supra c. 7. q. 8. *Per 4. ventos cæli*, id est, per 4. mundi plagas imperium Alexandri inter se partiti. Ita S. Hieron.

Cornu modicum.

V. *Quod est cornu modicum, quod factum est grande* v. 9.? R Est Antiochus Epiphanes, qui octavus descendit ex Seleuco. Vocatur cornu modicum, quia minor natu fuit filius Antiochi Magni, ac proinde opibus initio viribusq; infirmus. Sed à morte fratris sui Seleuci Philopatoris, ejecto Demetrio ejus filio, regnum Syriæ capessens, factus est grandis, prævaluitq; armis contra Orientem Artaxiam regem Armeniæ devincens, & contra Meridiem, Ptolemæum Philometorem Ægypti regem profligans. Sed Ægypto coactus per Romanos excedere, omnem suum furorem & vim vertit *contra fortitudinem*, id est, contra Judæam, quæ idcircò per Antonomasiam fortitudo vocatur hîc & v. seq. *fortitudo cæli*, eò; quòd propter templum, & è templo præsidium cœleste, invicta esset, instar arcis munitissimæ à DEO insessæ & propugnatæ ita S. Hieron. *& magnificatum est* cornu istud, id est, magno ac superbo ausu devenit usq; ad fortitudinem cœli, id est, Judæam, cœlesti ope fortissimam, imò invictissimam, bello lacessendam & invadendam. Quod frustra sanè fuisset, nisi propter Judæorum peccata Deus fortissimam manum suam ab illis protegendis subtraxisset. Itaq; prævaluit etiam fortitudini, id est, Judææ 1. Mach. 1. superbus Antiochus, *& dejecit de stellis* ejus, id est, de præstribus, seu nobilitate, seu doctrina, seu pietate personis, *& conculcavit eas*, vi, minis, tormentis abducens à patria lege, vel constantes enecans. ita S. Hieron. Theodor. Greg. Vatablus & alij.

VI. *Quomodo dicitur hoc cornu magnificatum* USQUE AD PRINCIPEM FORTITUDINIS,

TUDINIS, *seu militiæ Judaicæ?* R. usq; ad Deum ipsum, in eum petulanter insurgens, & quasi duello lacessens, Majestatem, Divinitatem q; illius sibi vendicans. 2. Mach 9. *Sibi videbatur fluctibus maris imperare, & montium altitudines in statera appendere, & sidera cœli contingere.* Ex ingenti verò in Deum odio *tulit ab eo juge sacrificium* 1. Mach 1. v. 47. vetans DEO sacrificari agnum illum, quem quotidie manè & vespere sibi offerri jusserat Deus Exo. 29. & Lev. 6. Neq; hoc solùm, sed & reliqua sacrificiorum genera sustulit Antiochus. Ipsum insuper *locum sanctificationis* DEI, id est, templum uni DEO colendo destinatum, *dejecit* de gradu & usu suo, jubens ne amplius esset templum DEI, sed Jovis Olympij 2. Mach. 6. v. 2. cujus idcircò statuam inibi erexit. *Cornu magnifica um Antiochus.*

VII. *Quamdiu duratum persecutio?* R. det Angelus v. 14 *usq; ad vesperam & manè dies duo millia trecenti.* id est, usq; ad illam diem, qua finietur dicta desolatio, effluent dies naturales 2300, id est, anni sex lunares, menses quinq; & dies 20. Tot enim fluxerunt ab anno 143 Græcorum, quo primum cœpit hæc per Antiochum desolatio 1. Mach. 1. v. 21. usq; ad annum 149. quo mortuus est tyrannus 1. Mach 6. v. 16. Licèt enim uno anno antè, putà, 148 (ut dicitur 1. Mach. 4. v. 52.) mundatum fuerit templum, nondum tamen planè cessabat desolatio & persecutio, quæ morte demum tyranni sublata fuit. Ita Perer. Serarius & Tirin.

CAPUT IX.

Daniel, dum orat Deum pro finienda captivitate Babylonica, ex Gabriele intelligit, non solùm liberandos brevi Judæos, sed & universum genus humanum per Messiam post 70. hebdomadas annorum, à peccatis suis & potestate diaboli liberandum.

QUæstio I. *Cur Daniel annum illum regni Darij appellat unum & primum?* R. Dupliciter id potest intelligi: vel, ut idem, vocabulo unius & primi significetur. Solet namq; Scriptura dicere unum pro primo, quemadmodum in exordio libri Geneseos dixit Moyses: *factum est vespere & manè dies unus*, id est, primus: & in Evangelica historia scriptum est, Dominum nostrum resurrexisse una Sabbathi, id est, primâ die post Sabbathum. Vel fortasse Daniel dicens unum & primum annum, insinuare voluit, Darium Medum, capta Babylone, victisq; Chaldæis, non plus uno anno imperium illud Babylonicum rexisse: itaq; fuit annus ille primus, idemq; tantum unus.

II. *Quid significant 70. hebdomades* v. 24? R. Septuaginta septenarij annorum, ut omnes Hebræi, Græci, & Latini consentiunt, id est, 490 anni (sic Lev 25. v. 8 dicuntur 7 hebdomades annorum numerandæ ante Jubileum, id est (ut ibidem explicat Deus) septies septem anni, seu 49. anni) Ergo 70. hebdomades abbreviatæ sunt id est, breves & paucæ definitæ sunt à DEO usq; ad Christi adventum, cùm potuisset Deus longè plures decernere. Ergo tò *abbreviatæ* non dicit ordinem ad Decretum DEI semel antè factum, de differendo diutiùs adventu Messiæ, sed ad Decretum DEI, quod facere potuisset, & quo forsan retardâsset adventum Messiæ, nisi Daniel hîc & olim Isaias aliiq; sancti Prophetæ & Patriarchæ suis precibus ac suspiriis ejus accelerationem ursissent, eamq; de congruo meriti fuissent, ut S. Bonav. Gabriel, Richardus, & ex iis Suarez, aliiq; Scholastici promeritos docent. Simili phrasi Matt. 24. v. 22. dies persecutionis Anti-Christi dicuntur *breviati*, id est, breves seu pauci decreti à DEO. *Hebdomades 70.*

III. *Quis est sensus verborum* v. 24. UT CONSUMMETUR PRÆVARICATIO? R. Ut veniat Christus, qui quasi agnus in ara crucis omnia peccata hominum consumat & prorsus deleat, unde sequitur explicationis causâ, *& finem accipiat peccatum* Et licèt post Christum multa committantur peccata, hîc tamen dicitur ea finem accepisse, imò, quia Christus pro omnibus satisfecit, & sic omnibus nostris debitis quasi finem imposuit, eaq;, quantum est ex parte sua, abolevit. 2dò, quia Christus nobis cœlum aperuit, sustulit idololatriam, diabolum superavit, tamq; efficacem gratiam, & sacramenta nobis contulit, ut, si velimus, facilliùs omne peccatum superare possimus, uti viri sancti, omnesq; veri Christiani illud superant.

IV. *Quæ est justitia sempiterna* v. 24? R. Heb. habetur justitia sæculorum, id est, Christus qui quasi sol, justitiæ suæ radios in omnium sæculorum, tam ante, quàm post se, homines diffudit, & Ecclesiam, quasi regnum æternum justitiæ, id est, justè & piè viventium instituit. Ita interpretes, quin & Talmudistæ & Rabbini passim, per justitiam hanc Intelligunt Messiam. 2dò *justitia sæculorum*, id est, æterna, est nostra justificatio & justitia per Christum accepta; Christus enim factus est nobis justitia 1. Cor. 1. 30. Hæc enim justitia in genere directè opponitur iniquitati; quam delevit. Hæc justitia dicitur æterna, quia hîc inchoatur per gratiam, & in cælo perficietur à Christo per gloriam æternam. *Et impleatur visio & prophetia*, omnis tum hujus Danielis, tum reliquo- *Justitia sempiterna.*

rum omnium Prophetarum. Sic enim *lex* sic & *Prophetæ* non se extendunt, nisi *usq; ad Joannem.* Tunc enim comparuit ipse Christus, finis legis & omnium Prophetarum, quia sua prædicatione, morte & resurrectione implevit omnes de se prophetias, inquit Tertull. Chrysost. & alij. *Et ungatur Sanctus Sanctorum*, id est, Messias consecretur in Sanctissimum Pontificem, regem, legislatorem, doctorem, & redemptorem mundi. Ita omnes Rabbini. Hæc unctio & consecratio Christi facta fuit primo incarnationis ejus instanti: sed publicata & mundo declarata est in baptismo.

Hebdomadæ 70. quando inchoatæ.

V. *Quando inchoandæ sunt istæ 70. hebdomadæ?* ℟. Idet Gabriel v. 25 *ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem*, iam à Chaldæis eversa & exusta. Quam reædificationem putat Tirinus factam 8vo anno Artaxerxis Longimani, ex quo à morte Xerxis patris sui solus regnare cæpit, à quo anno, si calculos subduxeris usq; annum 15. Imperatoris Tiberij, quo baptizatus & publicè doctor & ductor populi proclamatus est Christus, deprehendes annorum hebdomadas, 69. id est annos 483. *Rursum* ergo *ædificabitur platea*, id est, forum publicum & alia interiora urbis Jerosolymitanæ ædificia, *& muri* ejusdem urbis, seu mœnia, nempe per Nehemiam à rege Artaxerxe ad id è Persidè in Judæam remissum 2. Esdræ 2. Sed hæc murorum instauratio fiet *in angustia temporum*, tum ob multas angustias, quibus Judæi à vicinis hostibus prementur 2. Esdræ 4. tum ob angustum & breve temporis spatium, quo illa instauratio fiet, putà 52. diebus, ùt habetur 2. Esdræ 6. v. 15. Unde tertio demum post anno interiora urbis plenè instaurata fuisse tradit Josephus. Porrò à puncto illo instauratæ plenè Jerosolymæ, nempe quoad muros, & interiora loca publica, ùt dixi, sursum computando, *post hebdomadas septem & 62.* id est, post annos 483. *occidetur Christus.*

Jerosolyma à quo dissipabitur.

VI. *Quis civitatem Jerosolymam, & Sanctuarium, id est, templum dissipabit* v. 25.? ℟. Non dux belli (nam Titus servatum illud voluit, teste Josepho) sed *populus* Romanus *cum duce venturo*, quia flammis omnia absumenent, & nunquam amplius instaurabuntur, saltem usq; ad extrema Antichristi tempora. Hæc est enim, quæ hìc prædicitur, à Romanis invehenda vastitas & statuta cœlitùs desolatio tum templi tum Jerosolymæ, Judæis omnibus vel occisis vel expulsis, & in omnes ventos dispersis. Sed ne quis putet statim ab hebdomada 69. finita abnegatum & occisum iri Christum, vel exscindendum templum & Jerosolymam, subdit mox, quòd rescisso antiquo cum perfidis Judæis fœdere, *confirmabit* Christus *pactum* v. 27. fœdus, testamentum novum inter DEum & alios homines, eosq; multos, imò omnes, quicunq; volent hoc pacto & fœdere comprehendi. Confirmabit, inquam, *hebdomada una*, seu prima subsequente illas alias 69. hebdomadas, id est septuagesimâ hebdomadâ: cujus tribus primis annis cum medio pactum illud ejusq; conditiones & leges explicabit prædicando, docendo, practicando, confirmabit plurimis ac stupendis miraculis; comprobabit testimonijs Angelorum, stellæ, Simeonis, Annæ, Joannis Baptistæ, Moysis, Eliæ, Patris cœlestis, adeoq; & ipsorummet Dæmonum &c Deniq; obsignabit morte sua pro symbolo, memoriali, & æterno pignore mortalibus relicto Eucharistiæ sacrificio & Sacramento. ita communiter Interpretes. *in dimidio hebdomadis* septuagesimæ, id est, exactis tribus prioribus annis cum medio *deficiet hostia & sacrificium* omne legale Moysaicum. Cùm enim hoc omne typus esset ac figura sacrificij Christi, partim cruenti in cruce, partim incruenti in Eucharistia, decuit cessare figuram. simul atq; veritas accessit. Et in hujus rei signum, Christo exspirante *velum templi scissum est*, & arcana omnia eousq; clausa patuerunt, inquit Apost. Heb. 9. & cuncta cæremonialia antiquata, imò mortua sunt, licèt non statim mortifera. ita S. Hieron. & passim Hebræi, Græci & Latini.

Abominatio desolationis.

VII. *Quænam erit abominatio desolationis* v. 27.? ℟. Abul. Baronius & Barradius dicunt esse abominabilem profanationem templi factam à seditiosis Judæis, qui ex impio zelo patriæ & legis, se zelotas nuncupabant, revera autem erant scelerati homicidæ, occupato & profanato templo, atq; in morem castrorum communito, rapinis & cædibus grassantes etiam in concives suos, priùs sub Cestio Judææ præside, deinde sub Vespasiano & Tito. Origenes, S. Aug. Cajet. Perer. & Suarez 3. p. q. 59. a. 6. disp. 54. sect. 5. volunt esse exercitum Romanorum Jerusalem obsidentium. Probantq; ex verbis Christi Luc. 21. v. 20. ubi explicans, quid Matt. 24. v. 15. per *abominationem desolationis* intellexerit, ait: *cùm videritis ab exercitu circumdari Jerusalem.* Tirinus cum Corn. à Lap. utrumq; simul jungit. Utrumq; enim tempore simul junctum fuit, utrumq; extremè abominabile fuit, istud ob idola, quæ in vexillis circumferebat: illud ob execranda scelera, quæ impunè patrabat: utrumq; in loco sancto stetit, utrumq; in ipso templo, quod Zelotæ tanquàm arcem occuparunt, Romani cuniculis suffoderunt primùm, deinde & invaserunt & flammis absumpserunt, Judæos inibi instar pecorum jugularunt & eviscerarunt, & Romana vexilla imaginibus Jovis, Martis, Palladis, aliorumq; idolorum (quæ Scriptura passim abominationes vocat) insignita, pro trophæis collocarunt, teste Josepho, horum omnium oculato inspectore. Qui etiam addit, veterem inter Judæos sermonem

fuisse,

fuisse, tunc urbem capiendam, cùm in ea subortâ seditione, templum DEI, propriæ Judæorum manus violâssent. Porro desolatio ista templi & urbis Jerosolymitanæ perseverabit non ad pauculos annos, ut illa Chaldaica; sed usq; ad *consummationem* mundi & *finem* sæculorum. Quotiescunq; enim templum istud instaurare conati sunt, seu Judæi sub Juliano Apostata, seu alii aliàs, cœlestibus prodigiis semper præpediti fuerunt, teste Socrate, Russino, Chrysostomo & aliis, Urbs quoq; Jerosolyma perpetuo anathemate subjecta manet: nam quæ pòst extructa est & etiamnum exstat, alia prorsus & alio loco in vicinia constructa est. Et licèt ab Antichristo rursus instaurandum sit saltem aliqua ex parte templum & urbs, manebit nihilominus etiam tum abominatio & desolatio, nempe idolum Antichristi, qui in templo instar DEI sedebit & publicè adorabitur 2 Thessal. 2. v. 4. Quæ abominatio iteratum loci excidium & desolationem causabit, & totius paulò pòst universi interitum portendet. Ita Suarez & alij supra citati.

CAPUT X.

Daniel lugens & jejunans ob interruptam templi fabricam, videt Angelum mirè fulgidum, à quo audit exauditas esse preces suas, dicitq; pugnam Angeli Judæorum cum Angelo Persarum & Græcorum.

QUæstio I. *Quod est* VERBUM VERUM & FORTITUDO MAGNA v. 1.? R. Verbum verum, est visio non ficta, non in somnis ut præcedentes aliquot c. 7. & 8. Danieli exhibita, sed reipsa & in veritate & in plena vigilia, patet ex v. 7. & seqq. Et fortitudo magna, Hebraicè tsaba, id est exercitus magnus, militia multa, nempe Angelorum, fuit objectum visionis Danielis. Licèt enim de uno solum Angelo meminerit hic Scriptura, tamen dubium non est, illi uni principi plures assecias, socios, imò exercitus adfuisse, & hoc innuit, vox multitudinis v. 6.

Danielis luctus.

II. *Cur Daniel lugebat* v. 2.? R. Ob præpeditam, dolis hostium, templi Jerosolymitani à Cyro concessam instaurationem 1. Esdræ 1., & 4. & quòd non posset à Cyro jam ad bellum Scythicum profecto remedium tantis malis deposcere: a Cambyse verò ejus filio, & regni interim administratore, sed Judæis parum addicto 1. Esdræ 4. v. 6. nihil opis speraret. Unde ad Deum unicum & ultimum miseris refugium, jejuniis & precibus solicitandum se contulit.

III. *An propheta dici possit, qui habet visiones propheticas, nec eas tamen intelligit?* R. Negat Daniel v. 1. *intellexitq; sermonem: intelligentia enim est opus in visione.* Hinc deprompta est sententia Theologorum, ut quis verè ac propriè sit ac nominetur propheta, opus esse, ut non modò habeat visiones propheticas, sed etiam eas intelligat. Quo fit, ut nec Pharao, nec Nabuchodonosor, nec Balthasar (licet vita quædam prophetica, & sanè insignia ipsis acciderint) prophetæ nomen habeant, sed id magis conveniat Josepho & Danieli, qui eas visiones interpretati sunt. Qua de re egregiè S. Aug. l. 12. de Gen. ad literam c. 9. Quibus, inquit signa per aliquas rerum corporalium similitudines demonstrabantur in spiritu, nisi accessisset mentis officium, ut etiam intelligerentur, nondum erant prophetæ; magisq; propheta erat, qui interpretabatur, quod alius vidisset, quàm ipse, qui vidisset. Itaq; magis propheta fuit Joseph, qui intellexit visum Pharaonis, quàm Pharao, qui illud in somno habuit. Hujus enim spiritus informatus est, ut videret, illius mens illuminata est, ut intelligeret: in illo ergo prophetia, in hoc lingva: sed minus propheta est, qui solùm rerum signa videt; magis qui illa ipsa intelligit; maximè qui utroq; præcellit, ut & videat significativas similitudines, & eas vivacitate mentis intelligat. Sic Danielis excellentia tentata, & probata est, qui regi & somnium, quod viderat, dixit, & quid significaret, aperuit. Hæc Aug.

IV. *Cur Daniel ad ripam fluminis Tigris hanc visionem habuit, sicut Ezechiel juxta fluvium Chobar?* R. S. Hieron. rationem dat, quia flumen non est aliud, quàm magna vis præterlabentis aquæ. Quo significatur vis propheticæ gratiæ, quæ datur prophetis non instar permanentis habitûs, sed veluti per transcursum in modum pertranseuntis aquæ.

V. *Quis fuit* PRINCEPS REGNI PERSARUM v. 13. *qui contrarijs precibus & rationibus postulata Danielis subvertere conatus est?* R. cum S. Dionys. Basil. Greg. Nazianz. citatis à Molina, item cum S. Hieron. S. Thoma, Pererio & aliis, fuisse bonum Angelum à DEO præpositum regno Persarum tutando & promovendo. Sicut enim ex infimo ordine Angelorum præsides & custodes assignati sunt singulis hominibus, ita singulis provinciis & regnis ex tertio ordine, nempe Principatuum, assignati sunt tutores Angeli, & hi vocantur *Principes*, unus *Persarum*, alter *Græcorum*, alij aliarum Nationum, inquit Molina q. 108.

VI. *Si bonus fuit Angelus, cur restitit Gabrieli?* R. Quia alteri illorum, vel etiam utriq;

utriq́; , necdum certò innotuerat absoluta voluntas DEI, & variæ rationes occurrebant tam uni, quàm alteri, cur putarent hoc potiùs, quàm illud expedire. v. g. optabat rogabatq́; Gabriel, ut juxta preces Danielis, omnes Judæi etiam qui reliqui manserant, è Babylone in patriam primo quoq́; tempore remitterentur, item ut templum Jerosolymis ex Cyri decreto quàm primum instauraretur. Opponebat Angelus Persarum, Divinæ justitiæ conformius esse, ut qui tot sceleribus Deum offendissent, neq́; adhuc desinerent offendere, diutiùs severiusq́; punirentur. Respondenti Gabrieli, jam decrevisse Deum, ut in Judæam remigrarent, templum instaurarent, cœptumq́; opus ab iis, qui primo anno Cyri se eò transtulerant; non posse sine probro, etiam DEI, opus bene inchoatum præcidi vel intermitti; reponebat Angelus Persarum, morâ aliquâ magis exacui desiderium: nec inutilem esse habitationem Judæorum in Persi de & Chaldæa: multos enim Gentilium per Judæos ad agnitionem & cultum unius veri DEI paulatim traduci. Replicanti Gabrieli, multos etiam Judæorum prava cum Gentilibus conservatione perverti: fortiores aliquos v. g. Danielem, Nehemiam & similes Babylone, & in Persida ad Gentiles convertendos relictum iri, sinantur saltem reliqui in tutum portum remigrare: respondebat Angelus Persarum, ad tam nobile opus non posse sat multos relinqui &c. Cùm verò rationibus & votis adeò contrariis hi duo principes inter se decertant, *Ecce Michaël, unus de Principibus primis venit in adjutorium meum,* meæ causæ, meisq́; rationibus subscribens, inquit S. Greg. l. 17. Mor. c. 7.

CAPUT XI.

Gabriel prædicit casus varios regum Persarum & Græcorum maximè Ptolemæorum & Seleucidarum; & in particulari crudelitatem ac tyrannidem Antiochi Epiphanis, ejusq́; Antitypi Anti Christi.

QUæstio I. *Quæ est explicatio priorum quatuor versuum?* R. *Ego* Gabriel jam inde *ab anno primo Darij Medi stabam* urgens & procurans, ut in accepto recèns regno Babylonico *confortaretur, roboraretur* & stabiliretur. Sciebam enim illum, juti & Cyrum, Judæis fore benevolos, eosq́; è captivitate in patriam remissuros. Ita Theodoretus. Vers. 2. *Ecce adhuc tres reges* post Cyrum *stabunt in Persida.* Primus erit Cambyses Cyri filius; Secundus Smerdes Magus; tertius Darius Hystaspis filius, Estheræ maritus, qui anno secundo regni sui potestatem Judæis faciet intermissam templi fabricam repetendi, multisq́; aliis beneficiis ipsos afficiet. Quartus, Xerxes Darij filius *ditabitur opibus nimijs super omnes* prædecessores suos: numerabit in exercitu suo, quem adversùs Græcos, sed infausto successu educet decies centena armatorum millia, naves decem millia. In hoc adversùs Græcos infelici bello continuabunt novem Reges Persici, quos vide apud Cornelium. Ultimo verò, nempe Dario Codonanno imperante transferetur Monarchia à Persis ad Græcos. Nam tunc è Græcia v. 3. *Surget Rex fortis,* Alexander Macedo, qui superato pluribus prælijs Dario, Dominium totius Asiæ, & magnæ partis Africæ, atq́; Europæ sibi vendicabit. Sed vix sexennio fructibus monarchiæ fruetur, morte violenta & repentina è vivis sublatus. *Cùm vix steterit, conteretur regnum ejus:* nam dissecabitur *& dividetur in 4. ventos cœli, sed non in posteros,* id est, filios, *ejus.* Nam licèt filium unum sibi cognominem reliquerit, &, ut quidam volunt, etiam secundum, hi tamen à Cassandro eorundem tutore regno exclusi, imò è vivis sublati sunt. Ergo regnum omne Alexandri in 4. discerptum partes nobiliores cessit 4. externis ejus Ducibus, de quibus c. 7. *Et exceptis his* partem aliquam imperij tenuerunt Perdiccas, Craterus, Lysimachus, Arsaces & quidam alij.

II. *Quis fuit Rex Austri* v. 5.? R. *Ptolemæus Lagi,* primus post Alexandrum Ægypti Rex (inquit S. Hieron.) ejusq́; successores alij Reges Ægypti, quæ Judææ est ad Austrum, sicut Syria & reliqua Asia ei est ad Aquilonem: unde Seleucus ejusq́; posteri reges Asiæ passim hîc vocantur Reges Aquilonis, sicut reges Ægypti reges Austri. De duobus porro solis his *Ægypti & Asiæ* regibus hic agit Gabriel, quia bellorum per hos gerendorum particeps futura erat Judæa, media inter utrosq́; , perinde atq́; Isthmus inter duo maria interjacens, inquit S. Hieron. Reliquorum Ducum Alexandri, vel Successorum non memimit, eò quòd Judæam non attingerent. Quantumcunq́; porrò confortatus fuerit rex Ægypti, tamen *ex Principibus* Alexandri magni alius quidam prævalebit super eum, nempe Antiochus Θεὸς, Seleuci Nicanoris ex filio Nepos, Asiæ rex, à genero suo Magas Ptolemæi Philadelphi regis Ægypti germano fratre sed hoste, solicitatus, totis Asiæ & Orientis viribus Ægyptum impetet. Sed Ptolemæus Philadelphus, ubi se viribus inferiorem senserit, ait Pausanias, Justinus, Hieron. & alij, prudenti consilio v. 6. *Fœdere* malet, quàm prælio rem componere, *filiamq́;* suam Berenicen uxorem

Antio-

Antiocho cum maxima dote dabit. Sed per hoc matrimonium *non obtinebit* Berenice *fortitudinem brachij*, id est, robur regni Asiæ, quod per matrimonium suum, quasi per brachium in totam Asiam porrectum, se adepturam sperârat: *nec stabit* in throno Asiæ *semen ejus*. Nam Laodice prior Antiochi uxor non ferens prælatam sibi Berenicen, dolis illam, illiusq; filium, & socios illius Ægyptios, quin & Antiochum quoq; maritum suum veneno tollet è medio, substituetq; in thronum regium filium suum ex Antiocho Seleucum Callinicum. Ita S. Hieron. Interim v. 7. *stabit* in regio Ægypti throno *de germine radicum* Philadelphi, *plantatio* Ptolemæus Evergetes frater Philadelphi. Hic ulturus injuriam fratri suo fratrisq; filiæ, & ex filio nepoti illatam, *cum* valido *exercitu ingredietur* provinciam Seleuci Callinici *regis* Syriæ & Asiæ, *& victor* pro libitu *abutetur eis*, & Laodicen Berenices æmulam interficiet: thesauros omnes Asiæ diripiet: quadringenta auri talentorum millia inde efferet.

III. *Quis sensus à* v. 10.? ℟. *Filij autem ejus*, scilicet Callinici Syriæ regis, qui cum Ptolemæo Evergete infeliciter pugnaverat, & ex equo præcipitatus interierat, teste Justino; Hujus, inquam, duo filij, Seleucus Ceraunus & Antiochus Magnus ad ulciscendam præteritam parentis & totius Syriæ cladem *provocabuntur* ad arma, *& congregabunt multitudinem exercituum plurimorum*. Sed altero illorum, nempe Ceraunio, dolo à suis interfecto, solus superstes Antiochus rem aggredietur: unde in singulari numero subdit Angelus: *& veniet properans & inundans*, totam Syriam brevi recuperabit, adjutus proditione Theodoti, & mox in Ægyptum properabit. Interim è vivis sublato Ptolomæo Evergete, filius ejus v. 11. Ptolomæus Philopator *rex* Ægypti tantis cladibus *provocatus*, collectis è Græcia & aliunde maximis copiis, obviàm *egredietur* Antiocho regi *Aquilonis*, & juxta Raphiam urbem in foribus Ægypti cum eo confliget, & quidem conflictu sat felici, Arsinôé Philopatoris sorore lacrymis suis Ægyptios roborante 2. Mach 1. sed tamen v. 12. *non* omninò *prævalebit*. Nam præter Syriam nihil extorquere potuit ab Antiocho jam fugâ elapso. Qui & paucis pòst annis, compertâ Philopatoris ignavia nôctes in stupris, dies in epulis absumentis, ut ait Justinus, v. 13. *convertetur* ad arma resumenda, & bellum contra Ægyptios instaurandum. Ergo *in fine temporum annorumq;*, id est, post evolutum aliquot annorum tempus, sed mortuo interim Philopatore contra filium ejus Ptolemæum Epiphanem, 4 annorum puerulum *veniet properans cum exercitu magno & opibus nimiis*. Porro in auxilium Antiochi v. 14. adversùs regem Austri Ptolomæum Epiphanem *multi* antea ipsi confœderati *consurgent*, jam hostes, nominatim Philippus Macedonum Rex, partiturus cum Antiocho Ægyptum, si eâ potiri contingat.

IV. *Qui sunt filij prævaricatorum* v. 14, *& quid facient?* ℟. Judæi prævaricatores legis Divinæ adhærebunt alij Antiocho, alij Ptolomæo. Et ex his non pauci, cum Oniæ filio Oniæ tertij sancti & summi Pontificis, in Ægyptum delapsi, novâ superbiâ *extollentur*, ut novum in Ægypto templum dictum ab Onia *Onion*, Heliopoli, permissu Ptolemæi Philometoris exstruant æmulum templo Jerosolymitano, ibiq; sacrificia offerant Deo falso prætextu, *ut impleant visionem* Isa. 19. v. 19. ubi dicit, futurum *Altare Domini in medio terræ Ægypti*. Falso, inquam, nam Isaias ibi non loquitur de altari Judæorum (quod juxta legem Domini non poterat esse extra templum Jerosolymitanum, sed de altaribus Christianorum, sed *corruent*) Neq; enim altare hoc & templum stabiliet res profugorum Judæorum, sed potius atteret & pessundabit, DEO pœnas violatæ legis suæ severissimas exacturo, ût patet ex Josepho, lib. 13. Antiq. c. 6. ac tandem per Vespasianum funditus templum istud cum urbe & incolis Judæis exstirpaturo, uno anno post excisum à Tito templum Jerosolymitanum.

V. *Quis est sensus verborum* v. 15. 16. & 17.? ℟ *Veniet* versùs Ægyptum *rex Aquilonis. & brachia Austri*, id est, exercitus, Duces, & urbes munitæ in Syria Ægyptijs subjecta *non sustinebunt* impetum copiarum Antiochi. *Consurgent* quidem *electi ejus*, nempe Scopas Dux copiarum Ægyptiarum in Syria, item Eropus, Menocles, & Damoxenus, ex Ægypto submissi, sed *non erit eis fortitudo ad resistendum* Antiocho; qui v. 16. *Veniens* contra *eum*, ejusq; duces prædictos, *faciet de eis juxta placitum suum*, recipietq; totam Syriam. Nec illâ contentus, *stabit* quoq; suâ potentiâ & armis *in inclyta terra* Israel, quæ vastabitur *& consumetur in manu ejus*, Judæis ultrò se illi dedentibus, imò adjuvantibus in arce Jerosolymorum Ptolomæi præsidijs infestâ, expugnanda, ita testatur Josephus l. 12. Antiq. c. 10. Tandem delapsus in Ægyptum ad regem pupillum jam tum septennem v. 17. *Recta faciet cum eo*, id est, non bello, non armis nocebit ei, sed simulatâ amicitiâ finget se velle protegere pupillum eiq; benefacere. Unde & filiam suam Cleopatram, *filiam fœminarum*, id est, inter fœminas pulcherrimam, *dabit ei* in sponsam. Quam etiam sexennio pòst illi submisit, consignata ei pro dote, Cœle, Syria & Judæa. Hæc autem omnia dolosè faciet, non ut stabiliat Ptolemæo regnum Ægypti sed *ut evertat illud*, ereptumq; Ptolomæo sibi subjiciat. Unde & Cleopatræ filiæ suæ in mandatis dabit, ut incautum æmulum & pene adhuc puerum vel occidat, vel dolo

circumveniat & regnum Ægypti regnis suis Asiaticis adnectat. Sed *non stabit*, non succedet ei hic dolus: *nec* hac via *erit illius* hoc regnum. Nam Ptolemæus ejusq; Duces, comperto dolo Antiochi, cautiùs se gerent: & Cleopatra, mariti, quàm parentis amantior Ptolemæi partes fovebit. Ita ex Josepho S. Hieron.

VI. *Quis est Princeps opprobrij Antiochi* v 18.? R. L. Scipio, qui cum fratre suo P. Scipione Hannibalis in Africa devictore junctis copiis Antiocho occurret, & primus eum devincendo, insignis opprobrij & infamiæilli causa erit. Postquàm enim Antiochus partim vi, partim fraude & dolo, variisq; artificiis, suggestione Hannibalis, qui victus ad eum confugiet, Romanum Principem aliquamdiu præpediverit, quin & muneribus ac promissis ampli simis eum corrumpere & totius imperij sui socium adsciscere, atq; ita suspectum Romanis reddere tentaverit: tandem tamen *opprobrium ejus convertetur in eum*, cùm cæsus secundò à Scipione, summo probro cogetur totam Asiam cedere Romanis 1. Mach. 8. v. 6. imò æmulo suo Eumeni, & solâ Syriâ sibi retentâ naves universas, captivos & transfugas victori tradere, sumptus omnes belli restituere, obsides Romam mittere, insuper infame tributum quotannis bis mille talentorum (2. Mach. 8. v. 10.) pendere, ùt fusè Livius, Justinus & alij. Deniq; victus à Scipione Antiochus, & intra Taurum montem in sola Syria regnare jussus.

VII. *Quis vilissimus Successor Antiochi Magni?* R. Filius natu Major, Seleucus Philopator, *indignus decore regio*, ob ignaviam, avaritiam, & sacrilegium, quo volet per Heliodorum expilare ærarium templi Jerosolymitani, 2. Mach. 3. unde & justâ Numinis vindictâ *paucis* pòst *diebus* per eundem Heliodorum conteretur & occidetur. Et *in loco* defuncti Seleuci Philopatoris v. 21. *stabit* successor frater ipsius, sed æquè atq; ipse vilis ac *despectus* initio, scilicet Antiochus Epiphanes, *& non tribuetur ei honor regius* à suismet Syris, qui Demetrium Seleuci Philopatoris filium & legitimum hæredem sibi in regem adsciscent. Quo comperto Antiochus Româ (ubi obses detinebatur 1. Mach. 1. v. 11.) *clam* profugus veniet in Syriam, *& obtinebit regnum in fraudulentia*, simulans se velle agere tutorem pupilli nepotis sui Demetrij, regnum ejus sibi vendicabit, adjuvantibus eum Attalo & Eumene 1. Mach. 8. v. 6. aliisq; in Asia regibus. *Insuper & Dux fœderis* nempe Ptolemæus Philometor conteretur Ægypti rex nepos Antiochi Epiphanis ex sorore ejus Cleoparra: quæ cùm fœderis cum Asiatico Rege jungendi causa nupsisset Ptolemæo Epiphani, meritò filius ex eo fœdere procreatus Philometor Dux fœderis hîc appellatur. Et fortè prior ipse fœdus cum Antiocho sollicitârat. Sed versipellis Antiochus, cæsis jam inter Pelusium & Casium montem copiis omnibus Philometoris, inhians regno Ægypti, sed diffisus copiis suis, quas modicas tum penes se habebat astu rem peraget.

VIII. *Quis ille dolus?* R. Post acceptatas, quas Philometor per legatos obtulerat, *amicitias* v. 23. finget se tutorem velle agere Philometoris, sui ex sorore nepotis: & in hunc finem jubebit Ægypti magnatibus, ut patrio more se regni insignibus & coronâ investiant tanquàm regni administratorem. Quo facto *ascendet* ad omnes arces & loca munita, milites omnes & præsidiarios in sua verba jurare compellet, insuper v. 24. Urbes omnes Ægypti *abundantes & uberes* expilabit. *Contra firmissimas* verò nolentes sibi portas patere, *re ad tempus* dissimulatâ, *cogitationes* secum ipse *inibit* & consilia, quibus alia occasione sive dolo sive aperto marte easdem sibi vindicet. Paulò pòst ergo *concitabitur* seu colligetur omnis *fortitudo ejus* bellica *& cor* & cura *ejus* omnis in hoc intendet; ut everso nepote suo, rege Austri, regnum totum Ægypti sibi subjiciatur. Qua nequitia & perfidia provocatus Philometor, coget & ipse multa auxilia. Sed hæc adversùs Antiochum *non stabunt*, nec quidquàm efficient, quia dolis Antiochi subversi & ad defectionem promissis & donis solicitati primates Ægypti, pro Antiocho contra suummet regem stabunt. Horum tamen operâ v. 27. *duorum* istorum *regum*, fœdus & pax rursum conciliabitur; & *ad mensam unam* convenient ambo, sed fictè & simulatè: nam *mendacium loquentur* & *cor* amborum *erit*, ut sibi invicem *malefaciant*. Sed his viis *non proficient* quidquàm, neuter alterum tollet aut delebit: *quia finis* utriusq; regis & regni *adhuc* differetur *in aliud tempus* à DEO præstitutum. Antiochus ergo re in aliud tempus dilata, v. 28. *revertetur* in Syriam, onustus *opibus multis* & spoliis Ægypti: *& cor ejus*, id est, cogitatio erit *adversùm testamentum sanctum*, id est, contra Judæam, Jerosolymam & templum, ubi Divina lex servatur. *Et faciet* adversùs eam, quod animo conceperit: nempe primò pacificus intrabit Jerosolymam 1. Mach. 4. v. 22. at secundò paucis pòst annis hostiliter illam invadet, expilabitq; universam Judæam & templum, ùt 1. Mach. 1. v. 23. & 2. Mach. 5. v. 21. dicitur.

IX. *Quomodo ulterius explicatur textus* à v. 29.? R. *Statuto tempore* post quadriennium revertetur Antiochus cum ingentibus copiis in Ægyptum 2. Mach. v. 5. 1. aperta vi regnum illud sibi rapturus. Sed *non erit novissimum* hoc ejus iter *simile priori*. Nam v. 30. *venient super eum* de Italia *Trieres* & in iis *Romani*, qui ut paterna constitutione

tuto-

tutores, ita & defensores erunt pupilli regis. Publius enim Popilius Lenas Legatus Romanus, qui Romæ Antiocho Epiphani familiaris fuerat, navibus appulsus Alexandriam, Antiochum virgâ circumscribens circulo in arena illi dixit: S. P. Q. Romanus præcipiunt, ut Ægypto recedas, nec pugnes in Ptolemæos: & isto in loco respondeas, quid consilij geras; an pacem an bellum cupias. Quibus ille perterritus, ait: si hoc placet Romanis, recedendum est, statimq; movit exercitum. Ita Josephus l. 12. Antiq. c. 6. Livius l. 5. Dec. 5. *Percutietur* Antiochus, non ferro, sed metu Romanorum. *Et indignabitur contra testamentum Sanctuarij*, q. d. Iram, quam non potuit in Ægyptios effundere, effundet in Judæos, templumq; eorum, quod hic vocatur *testamentum Sanctuarij*, id est, Sanctuarium testamenti, seu Sanctum templum, in quo servabatur testamentum, id est, lex & tabulæ legis.

X. *De quibus loquitur* v. 30. ET COGITABIT ADVERSUM EOS, QUI DERELIQUERUNT TESTAMENTUM SANCTUARII? R. Judæi, nonnulli proditores Antiochum contra cives & patriam ac legem suam accersiverunt; sed illos postea fœdifragos fœdifragè pariter in exilium egit & sustulit Antiochus, tales fuerunt Simon, Jason, Menelaus, de quibus 2. Mach 4. & seqq. *Et brachia ex eo stabunt.* Brachia hæc sunt Duces & Principes, quos Antiochus post biennium ingressûs sui in Jerusalem misit in Judæam, ut tributa exigerent, qui magis afflixerunt Judæos, quàm Antiochus 1. Mach. 1. 30. & 35. Hi profanarunt *Sanctuarium fortitudinis*, id est, templum DEI omnipotentis & fortissimi, *& dabunt*, id est, ponent *abominationem*, simulacrum Jovis Olympij, *in desolationem*, id est, in templo desolato & profanato ad omnimodam ejus desolationem. *Et impij in testamentum simulabunt fraudulenter.* q. d. Nonnulli ex perfidis Judæis simulantes se Divini cultûs & testamenti, id est, legis amore flagrare, populum, patriam & religionem, Antiocho prodent. *Populus sciens DEum obtinebit & faciet.* Hebr. est: roborabit scil. cor suum, *& faciet*, id est, viriliter ager, atq; constanter ad ultimum vitæ halitum avitam religionem retinebit, vincetq; tyrannos, non pugnando, sed moriendo: ita enim Antiochus se & 7. illis fratribus, cùm jam morerentur, irrisum esse indoluit. 2. Mach 7. v. 24. & 29. *Et docti in populo* v. 33. q. d. Pii Judæi, quales præ cæteris fuerunt Mathathias, Eleazarus, aliiq; præsertim Sacerdotes & scribæ; hi resistent Antiocho, suosq; docebunt tum verbo, tum potiùs exemplo, fortiter stare in lege patria, ideoq; extrema quæq; ab eo patientur, adeo, ut solo triduo occisa sint ab Antiocho Judæorum 80 millia, 40. millia vincta, totidem venundata, ùt dicitur 2. Mach. 5. 14.

XI. *Quod est auxilium parvulum* v. 34.? R. parvula manus, parvæ copiæ Judæ Machabæi & fratrum ejus, qui maximos Antiochi exercitus, DEI ope, sæpe prostraverunt, cui tamen multi fraudulenter se junxerunt, non sincero sed proditorio animo. Unde operâ illorum & fraude v. 35. *De eruditis* in lege, putà scribis, quàm plurimi *ruent* 1 Mach. 7. v. 12. ut hac via Martyrij *conflentur*, id est, probentur & coquantur, sicut aurum in fornace, *& eligantur & dealbentur*, id est, nitescant & splendeant. Nec tamen æternùm durabit hæc afflictio, *sed usq; ad tempus præfinitum* à DEO, *quia adhuc aliud erit tempus*, nempe quietis, prosperitatis & gaudij, post tot luctus, lacrymas & funera.

CAPUT XII.

Prænuntiat Angelus Michaelem fideles adjuturum contra Antichristum, spiritu oris Christi exstinguendum: mox subsecuturam resurrectionem universalem piorum & impiorum: neq; duraturam Monarchiam & horrendam persecutionem Antichristi, nisi ad tres annos cum medio, seu ad dies 1290.

QUæstio I. *An in fine mundi omnes Judæi convertendi sint ad fidem Christi?* R. Non omnes, hoc enim expressè declaravit Angelus, cùm dixit Danieli: in illo tempore salvum esse futurum omnem populum Hebræum, qui inventus fuerit scriptus in libro. Hoc enim, *qui inventus fuerit scriptus in libro* restringit & contrahit signum illud universale *omnes.* Si enim omnes Judæi tum futuri essent salvi, Angelus simpliciter ac præcisè dixisset, *in illo tempore salvabitur omnis populus tuus.* Attamen licèt non omnes Judæi, pleriq; tamen eo tempore fidem Christi aceeptabunt: ita ut tanta ejus populi credentium futura sit multitudo, ut propter eorum, qui non sunt credituri, paucitatem, omnis populus Hebræus crediturus esse, verè dici posset. Nam quod plurimum est in aliquo genere, id humano quodam loquendi modo, simpliciter *omne* appellamus, ideoq; dixit Christus Matt. 17. *Elias quidem veniet, & restituet omnia.* Et Paulus Rom. 11. *Cum intraverit plenitudo gentium, tunc omnis Israël salvus erit.* *Judæi in fine mundi credent in Christum.*

II. *Quomodo Angelus dixit: multos ex mortuis resurrecturos, cùm omnes sint resurrecturi?* *Multi pro omnibus.*

recturi? Rdet S. Aug. l. 20. de Civ. c. 23. *Ponit aliquando Scriptura, pro omnibus, vocabulum, multos.* Sic Abrahæ dictum est Gen. 17. Patrem multarum gentium posui te, cui tamen Gen. 22. dicitur, In semine tuo benedicentur omnes gentes. Idem docet Theodor. & alio exemplo confirmat, sumpto ex c. 5. ep. ad Rom. Ubi Paulus, cùm priùs dixisset, propter peccatum Adæ factos esse omnes peccatores: posteriùs subdit, propter ejus inobedientiam, multos constitutos esse peccatores: manifestè usus vocabulo multorum, pro voce omnium. Sic Matt. 26. 28. *Qui pro vobis & pro multis effundetur.*

Antichristus tollet Eucharistiæ Sacrificium.

III. *Cur Antichristus juge Eucharistiæ sacrificium è publico tollet?* R. Causæ sunt eædem, quæ typum ejusdem Antichristi Antiochum induxerunt ad tollendam è medio hostiam Agni, figuram nostræ Eucharistiæ, quotidie manè & vespere offerri consvetam in templo; nempe imò, ut sublato omni cultu veri DEI, solus ipse tyrannus publicis votis, sacrificiis & precibus toto orbe colatur. 2dò, ut memoria & vestigium omne Christi veri Messiæ, ejusdemq; passionis ac redemptionis humani generis stirpitùs exscindatur, & ipse pro Messia ab omnibus habeatur. 3tiò, ut hoc spirituali subsidio, pharmaco ac solatio destitutos fideles, sibi faciliùs subjiciat & obnoxios faciat. Sed hi non adeo destituentur omni consilio, quin media reperturi sint, quibus privatim in speluncis Sacrum Missæ officium celebrent, & Synaxes suas peragant, ùt olim fecerunt, sub Decio, Diocletiano & aliis Antichristi prodromis tyrannis.

IV. *Cur* v. 12. *dicitur, Beatus qui pervenit usq; ad dies 1335.* id est, *qui devenit ad 45. diem à morte Antichristi?* R. Quia sublato è vivis tyranno, timor nihilominus & horror omnibus ubiq; terrarum à vivente incussus, aliquamdiu adhuc perseverabit. Metuent enim, ne potentes Antichristi Asseclæ, tot principes, tot reges, inchoatam semel tyrannidem, prosequantur: unde nec audebunt se, suamq; fidem prodere, vel Ecclesiæ Christi se palàm adjungere. Verùm ubi viderint, asseclas tyranni paulatim omnes succumbere, Prælatos Ecclesiæ vires animosq; resumere, cathedras repetere, idola comminuere, erigere publicum fidei trophæum, juge Eucharistiæ Sacrificium palàm ubiq; offerre (quod fiet sub diem 45. à morte Antichristi) tunc posito metu detestabuntur errores suos, & Ecclesiæ Christi sese liberè associabunt. Ita Lyran Perer. & alij. Hinc autem colligi non potest, à morte Antichristi 45. die futurum universale judicium: Nam nihil hîc simile indicat Angelus. Et ex Ezech. 39. v. 9. colligitur facilè 7. annos effluxuros à cæde Gog, & Magog primariorum Principum Antichristi, qui unà cum tyranno de medio tollentur. Et sanè tam exiguum spatium non sufficit convertendis tot myriadibus hominum per Antichristum antea seductis, item nec instaurandis fundandisq; toto orbe Ecclesiis. Et sic falsum esset, quod Christus dixit: *de die autem illa nemo scit, neq; Angeli cœlorum, nisi solus Pater.* Certò enim præsciretur ille dies judicij extremi statim ab exordio Monarchiæ & persecutionis Antichristi, nempe supputando exinde dies 1335. ùt optimè S. Hieron. & alij demonstrant.

V. *Quis sensus verborum Angeli ad Danielem* v. 13. TU AUTEM VADE AD PRÆFINITUM? R. Ad præfinitum mortalibus locum, nempe per mortem ad limbum Patrum. ibi requiesces ad tempus ad mortem usq; Messiæ, & postea eductus per ipsum è limbo, *stabis in sorte tua,* evectus in cœlum collocaberis in ordine & gradu tuo, tibi pro mensura meritorum tuorum ab omni æternitate destinato. *Ibi stabis in finem dierum,* id est, donec compleantur omnia ea tempora, de quibus hucusq; egi, id est, usq; ad finem mundi, usq; ad generalem resurrectionem, usq; ad extremum judicium. Ita Theodoretus, Vatablus & alij.

CAPUT XIII.

Susanna falsò adulterij à duobus judicibus accusata, à Daniele liberatur.

QUæstio I. *Quomodo Judæi in Babylone habuerunt suos judices, cùm captivi essent, & omnino Babylonis subditi?* R. id factum esse indulgentiâ Chaldæorum: permiserunt enim ipsi Judæis, ut eas causas, quæ ad ipsorum legem pertinerent, ipsi judicarent. Idem permiserunt eis Romani, ùt patet Joan. 18. 31.

Spiritus S. Danielis.

II. *Quomodo suscitavit Dominus Spiritum Sanctum Danielis?* Rdet S. Hieron. His verbis ostenditur non tunc primùm intrâsse in Danielem Spiritum Sanctum, sed eum, qui jam erat in illo, & quiescebat propter ætatis infirmitatem, nec sua poterat opera demonstrare, datâ occasione pro sancta fœmina à Domino esse suscitatum. Hoc si intelligatur de mansione Spiritûs Sancti secundùm gratiam gratum facientem, procul dubio verum est: sin autem intelligatur de mansione ejus, secundùm donum prophetiæ, non est simpliciter verum, siquidem donum prophetiæ nec Danieli, nec aliis prophetis datum est à DEO ad modum cujusdam qualitatis, firmiter in animis Prophetarum inhærentis, nec quasi habitus permanens, sed modo cujusdam Divinæ motionis, afflatûs, & illuminationis brevi transeuntis. Quod sanè indicat non obscurè Divina Scriptura

ptura cùm ait: *factum est verbum Domini ad Oseam*, vel *Isaiam*? vel *irruit spiritus Domini in Helisæum*, vel, *raptus in spiritu*, vel, *suscitavit spiritum ejus*. Quanquàm Daniel etiam priusquàm prophetare orsus est, dici potest habuisse spiritum prophetiæ ex electione & prædestinatione DEI, qui eum ad hoc munus elegerat, & prædestinârat, & miris in puerili ætate virtutibus ac donis cœlestibus præcultum & præparatum ad id muneris ritè obeundum habilem atq; idoneum fecerat. Atq; hac ratione DEus dixit Jeremiæ 1. *Priusquàm te formavi in utero, novi te: & antequàm exires de vulva, sanctificavi te, & prophetam in gentibus dedi te.*

III. *An tenebatur Susanna exclamare?* R. potuisset in tanto periculo infamiæ & mortis negativè se habere, ac permittere in se senum libidinem, modò interno actu in eam non consensisset, sed eam detestata & execrata fuisset, quia majus bonum est fama & vita, quàm pudicitia: unde hanc pro illa exponere licet. Itaq; non tenebatur ipsa exclamare, ùt docet Dom. Soto l. 5. de Justit. q. 1. a. 5. & Navar. Manual. c. 16. n. 1. Quòd ergo exclamârit, nulloq; modo libidinem eorum in se permiserit, actus fuit insignis & heroicæ castitatis: talis enim est, malle mori, quàm pollui. *Susannæ clamor.*

CAPUT XIV.

Daniel Baltasari regi Babylonico, singulari industriâ detegit impostoras Sacerdotum Belis. Itaq; Sacerdotes occiduntur & idolum Belis destruitur. Draco quoq;, alter Babyloniorum Deus, à Daniele occiditur, sed eam ob causam Daniel in lacum leonum mittitur: ibi ab Habacuc cibatur: & septimo die è lacu incolumis educitur.

QUæstio I. *Cujus regis conviva erat Daniel* v. 1.? R. Non Astyagis, ùt videtur velle Athanasius, quia hîc nunquàm fuit Rex Babylonis. Nec Darij vel Cyri, ùt volunt Theodor. & Irenæus, quia hi non Belum, sed Solem colebant (unde & Xerxes sepulchrum Beli, teste Strabone, penitus destruxit) nec verò ausi fuissent Babylonij jam à Dario & Cyro subacti, mortem illis intentare, ut huic regi intentant v. 18. Rex ergo iste fuit Evilmerodach, sive Baltasar, qui, seu proprio genio, seu mandato parentis sui sub initium regni sui valde addictus fuit Judæis, ut patet ex cap. 4. *Daniel conviva.*

II. *Cur Daniel cribravit, seu cribrando sphrgi jussit cinerem tenuiorem per universum pavimentum templi?* R. Ne si lapilli cineribus immixti spargerentur, sacerdotes pedibus in eos impingentes, fraudem persentiscerent, cineremq; everrerent. Jam verò tenui cinere non animadverso, nescientes impressa ei reliquerunt nocturna pedum suorum vestigia, è quibus manè deprehensi sunt per pavimentum inambulâsse, & escas idolo appositas absumpsisse. *Spargi jussit cinerem.*

III. *Quoties Daniel missus fuit in lacum leonum?* R. bis, imò hîc sub Evilmerodach per 6. dies. idò sub Dario Medo per unam noctem, eò quòd contra ejus præceptum Deum suum invocâsset c. 6. 16. Licèt nonnulli olim, teste S. Hieron. præfat. in Dan. putârint alium esse Danielem, qui Susannam liberavit, & Bel destruxit; ab eo, de quo primis 12. capitibus actum est: hic enim fuit de tribu Juda, ùt patet c. 1. 3. ille verò Belis destructor videtur fuisse de tribu Levi. Hoc enim indicant LXX. in quorum versione olim initio capitis 14. ita legebatur: *Vir quidam erat Sacerdos nomine Daniel filius Abdæ, conviva Regis*, ut testis est S. Hieron. præfat. in Dan. Verùm ad hoc respondet imò Dionys. Carthus. ex Isidoro, Danielem fuisse, ortum ex Levi quoad genus paternum, ex Juda quoad maternum. idò & melius respondet Perer. corruptam fuisse illam editionem Græcam: nam jam id in ea non invenitur. Unde Ecclesia unum tantùm agnoscit Danielem, eumq; ex semine regum Juda prognatum. Verè Cyprianus Serm. de lapsis: Quid glorioſius Daniele? quid illo ad facienda martyria in fidei firmitate robustius? in DEI dignatione felicius? qui toties & cùm confligeret, vicit, & cùm vinceret, supervixit. Et Amb. l. 1. Offic. c. 35. Quàm, ait, insuperabilis Daniel, qui circa latera sua rugientes non expavit leones? fremebant bestiæ, & ille epulabatur. Et S. Basil. hom. de Laudibus jejunij: Daniel, ait, vir desideriorum, cùm tres hebdomadas non edisset, nec vinum bibisset, demissus in lacum, etiam leones jejunare docuit. Neq; enim leones dentes in illum impingere valuerunt, perinde quasi è lapide aut ferro concretus fuisset. Adeo, sicut tinctura ferrum indurescit, ita jejunium pij viri corpus duraverat, ac leonibus insuperabile reddiderat. Rursùm in Daniele verum fuit illud S. Augustini Sententia 149. Nulla infelicitas frangit, quem nulla felicitas corrumpit. *Daniel bis missus in lacum leonum.*

IV. *An hic Habacuc fuit Propheta minor?* R fuisse ita S. Hieron. Epiph. Pererius & alij. Licèt Torniellus & alij id negent, sed ratio, cur negant, non convincit: nam potuit unus idemq; captivitatem Babylonicam prædixisse & præcessisse, & nihilominus ad annum usq; primum Baltasaris, quo hæc Draconis historia contigit, supervixisse, *Habacuc propheta.*

cùm intermedium ſpatium non ſit valde multorum annorum. Hic ergo Habacuc prophetabat erat tum temporis in Judæa cum meſſoribus agrorum ſuorum. Unde patet, terram Judææ durante captivitate Babylonica non ita Judæis cultoribus, ſeu in patria relictis, ſeu è fuga reductis deſtitutam fuiſſe, ut non aliquibus ſaltem locis ſereretur ab ijſdem & meteretur.

QUÆSTIONES EXEGETICÆ IN PROPHETAS MINORES

IN OSEE.

CAPUT I.

Juſſu DEI ducit Oſee uxorem fornicariam, & fornicationis ex ea filios procreat, quorum nominibus inculcat Iſraëlitis, ſpiritualibus fornicariis, id eſt, idololatris, imminens capitibus illorum triſte repudium & excidium. Pœnitentibus tamen promittit gratiam.

Genitivus nominis ſubſtantivi pro adjectivo.

QUæſtio I. *Quis eſt ſenſus:* SUME TIBI UXOREM FORNICATIONUM? ℟. Mulierem fornicationibus valde deditam, ſeu inſignem fornicariam vel publicam meretricem copula tibi matrimonio, & duc in uxorem. Ita S. Hieron. Chaldæus & alij. Hebræi genitivi ſubſtantivi nominis uti ſolent pro adjectivo, habent enim pauciora adjectiva quàm nos; ùt Ruth. 3. *Scit enim omnis populus, mulierem te eſſe virtutis*, id eſt, virtute præditam Pſ. 20. Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis, id eſt, benedictionibus dulcibus. Sed ſi genitivus iſte pluralis numeri ſit, ſuperlativi vim habet Pſ. 5. *Virum ſanguinum & doloſum abominabitur Dominus*, id eſt, maximè ſanguinolentum. Iſa. 53. *Virum dolorum & ſcientem infirmitatem*, id eſt, plenum dolorum, aut ſummis doloribus affectum. Ita nunc uxor dicitur fornicationum, quæ omnium libidini expoſita erat & multùm fornicationi dedita.

Idololatria fornicatio.

II. *Cur jubetur propheta ducere famoſam meretricem, eamq; legitimo ſibi copulare matrimonio ac filios ex ea procreare?* ℟. Ut hoc ſymbolo, quaſi verbis ac ſermone reali carpat apoſtaſiam & idololatriam populi ſui. Propheta enim hîc DEum refert, uxor fornicaria ſynagogam, id eſt, populum Iſrael ſive decem tribuum, ùt patet ex ſequent. Fornicatio enim hîc, & paſſim apud prophetas ſignificat peccata, præſertim idololatriæ; qua Iſraëlitæ relicto DEo ſponſo ſuo, licentioris vitæ deſiderio, idolis voluptatibusq; ſuis quaſi amaſiis adhærebant. Ita enim explicat propheta, dum mox cauſam hujus ſui conubij à DEo præcepti ſubnectit: *quia fornicans fornicabitur terra*, id eſt, quia Iſraelitæ valde addicent ſe idololatriæ, prono & communi impetu proruent ad colenda idola.

III. *An jubetur Propheta fornicari?* ℟ negativè. Fornicatio enim non tantùm in novo, ſed & in veteri teſtamento jure naturali & Divino fuit prohibita. Hæc ergo Oſee fiebat uxor legitima, & non manebat fornicaria, niſi denominatione extrinſeca ab eo, quod antè fuerat. Et hoc ſufficit, ut filij, licèt ex legitimo matrimonio procreati vocentur filij fornicationum, id eſt filij matris, quæ antè paſſim habebatur eratq; fornicaria & publica meretrix. Hoc enim nomen à publica meretrice non detergitur apud populum etiam ſubſequente matrimonio. Ita Hieron. Aug. Baſil. Cyrill. Theodor. & alij.

Filij fornicationum.

IV. *Cur adhuc vocantur filij fornicationum?* ℟ Sicut matrem vocat uxorem fornicationum, quòd multùm fornicata ſit; ita ex ea genitos, dicit filios fornicationum, quòd & ipſi matris exemplum ſecuti, plurimùm eſſent fornicaturi, id eſt, vehementi affectu idola culturi: & poſt hanc fornicationem (ita enim idololatriam appellant prophetæ) longiſſimè à DEo receſſuri. Hoc iterum ex Prophetæ verbis intelligitur. Cùm enim dixiſſet: ſume tibi uxorem fornicationum: & filios fornicationum, continuò, cur id juſſerit, explicat; quia fornicans fornicabitur terra à Domino, id eſt, quia filij hujus ſynagogæ, quam ego olim duxi, adhuc vehementer fornicabuntur per idolorum cultum, quod c. 4. apertiùs dixit; ipſi enim cum meretricibus converſabantur, & cum effæminatis ſacrificabant. Et c. 2. ait; & filiorum ejus non miſerebor, quoniam filij fornicationum ſunt. Certè ipſi miſericordiâ non erant indigni, quòd mater eorum eſſet fornicata: cur igitur eorum non miſeretur? quoniam filij fornicationum ſunt, matris imitati ſunt malitiam.

Propheta ducit fornicariam.

V. *An revera Oſee duxit fornicariam, ex eâq; genuit filios fornicationum, an verò DEus id ipſum tantùm in imaginatione illi repræſentavit, ut videretur ſibi eam ducere &*

ex

ex ea gignere, quomodo videntur sibi facere ea, quæ somniant? R. Rem hanc non per visioem, sed realiter esse peractam. Ita passim SS. Patres & Interpretes. Ratio est, quia id exigit simplex narratio præcepti Divini & facti, putà obedientiæ prophetæ; aliàs enim cùm visio est, solet id exprimere, vel signo aliquo indicare Script. ut patet Apoc. 1. 4. Ezech. 40. 1. & alibi. Præterea nominatur hîc maritus, scil. Osee; uxor, scil Gomer; uxoris mater, scil Debelaim, tres ejus proles, quæ omnia significant non esse parabolam, sed veram historiam. Causa est, quòd populus in idolis & peccatis suis obdormierat, itaq; ordinarias increpationes & monitiones Prophetarum spernebat: imò non audiebat: voluit ergo DEus realiter & portentosa prophetia, jubendo scil. Prophetæ ducere fornicariam, ex eaq; proles procreare, populum in peccatis dormientem à somno scelerum excitare, & commovere ad pœnitentiam. Eadem de causa jussit Isaiæ c. 20, ut ipse, cùm esset vir nobilis & magnæ auctoritatis, nudus per urbem Jerusalem media luce discurreret, & hoc portento omnium oculos in se converteret, ac reipsa daret ei typum & speciem imminentis spoliationis & excidij, itaq; populum ad lamenta converteret. Eadem de causa jussit Ezechieli c. 4. stercore boum vesci, ut eo instantem urbi famem & cladem præmonstraret.

VI. *Quem sanguinem Jezrahel vindicaturus est Dominus super domum Jehu:* non enim legimus effusum sanguinem in Jezrahel, nisi Naboth innocentis, qui vineam vendere noluit regi Achab: sed hunc Achab effudit. Non multò pòst effusus est sanguis ipsius Achab & impiæ Jezabelis: sed hunc DEO jubente effudit Jehu; cur igitur sanguis Jezrahel visitatur super domum Jehu? Sunt qui dicant Jehu DEO quidem jubente sanguinem Achab effudisse: sed malo tamen animo, hoc est libidine dominandi, non zelo Divinæ justitiæ: ideoq; iram DEI in se provocâsse. Sed hanc responsionem verba Domini refellunt 4. Reg. 10. Laudantis Jehu, & magnam ejus operi mercedem pollicentis: *Quia studiosè egisti, quod rectum erat, & placebat in oculis meis, & omnia, quæ erant in corde meo fecisti contra domum Achab; filij tui usq; ad quartam generationem sedebunt super thronum Israël.* Quis dicet iratum fuisse Dominum, cùm benedicebat, aut malo animo factum esse, quod tantoperè laudatur. Melius ergo, ait Russinus, vindicari sanguinem Jezrahel, id est, Achab interfecti in Jezrahel, quoniam posteri Jehu in eadem scelera incidernut, quæ patrata fuerant ab Achab, & à posteris Jeroboam, qui peccare fecit Israel, & similiter idola coluerunt. Et quidem si Achab & ejus posteri à bonis viris extincti essent, patienter ferendum videbatur; cùm verò ab æquè malis id passi sint, quodammodo digni esse videntur, quos Deus ulciscatur, jubeatq; in ultionem ipsorum simili pœna affici eos, à quibus deleti sunt. Atq; ita prorsus videtur intellexisse Chaldæus, qui ita hæc vertit: & visitabo sanguinem colentium idola, quem effudit Jehu in Jezrahel, quos occidit, quòd servirent Bahal, & postea conversi sunt etiam ipsi, ut errarent post vitulos, qui erant in Bethel & in Dan. Ideo reputabo illum sanguinem innocentem super domum Jehu, & cessare faciam regnum domûs Israèl. Nec dicas, sanguis posterorum Achab effusus est in Jezrahel, non ob ejus idololatriam, sed quia ipse ibidem effuderat sanguinem Naboth, ut ejus vineam occuparet. Ergo hæc non rectè adaptantur sanguini posterorum Jehu effundendo ob idololatriam. Antecedens enim falsum est. Quia hæc strages inducta est domui Achab, ob idololatriam, ut disertè dicitur 4. Reg. 21. 22. & 16. determinatio verò loci, quòd scil. fieret in Jezrahel, facta est ob occisum ibi Naboth, qui erat idolorum hostis, & unius veri DEI cultor. *Sanguis in Jezrahel effusus.*

VII. *Cur secunda Osee proles vocatur* ABSQUE MISERICORDIA? R. Ut per hanc prolem significetur Israèlitas misericordiâ DEI indignos & incapaces, justo DEI decreto certo exitio esse destinatos, unde explicans subdit, quia non addam ultra misereri Domui Israël. q. d. Sæpiùs ante hac Israèlitis ob peccata afflictis & pœnitentibus misertus sum, dum eis misi Gedeonem, Samsonem, Davidem, aliosq; reges & judices, sive vindices populi: at nunc quia peccandi & idololatrandi finem nullum faciunt, & quia in sceleribus suis sunt obstinati & impœnitentes, eorum amplius non miserebor, sed sine ulla spe veniæ aut misericordiæ tradam eos gladio & igni Assyriorum. *Proles absq; misericordia.*

VIII. *An aliquando decem tribus ab Assyrijs captæ in patriam suam redierint solutæ captivitate,* sicut duæ tribus post aliquot annos de Babylonica captivitate redière? R. Licèt plurimi ex decem tribubus redierint in terram sanctam, ut hic Oseas v. 11. & c. 11. v. 8. c. 12. v. 9. c. 14. v. 6. & Jer. c. 50. v. 4. Ezech. 37. v. 16. & 22., & c. 48. v. 1. & 23. Tob. 14. v. 6. futurum prædixerunt, non erant hi (præter paucos Michææ ult. v. 12. fugitivos) ex illa captivorum massa, quam Teglatphalassar c. 15. v. 29. l. 4. Reg. & Salmanassar c. 17. v. 6. & 23. in Assyriam abduxerunt, quia hi nunquàm magno numero vel catervatim redierunt teste S. Script. 4. Reg. 17. v. 6. & 23. Josepho, S. Hieron. & omnium tum Hebræorum tum Catholicorum consensu. Sed erant ex iis, qui antea fugerant tyrannidem & Idololatriam Jeroboami 2. Paral. 11. vel crudelitatem adventantium Assyriorum, & se transtulerant in fines Judææ seq; subdiderant imperio regum Juda. Hi enim

ut

ut unâ cum Judæis in Chaldæam abducti sunt, ita cùm iisdem sub Cyro, Dario & Artaxerxe reducti sunt in Palæstinam, & ibidem sedes fixerunt: è quibus prognati plerique; Apostoli & discipuli Christi. Ita ferè S. Hieron. Cyrill. Theodor. Rupert Lyran. Vatabl. & Hugo.

Conversio Judæorum.

IX. *Quando & per quem impleta est prophetia* v. 10. ET ERIT NUMERUS FILIORUM ISRAEL, QUASI ARENA MARIS, QUÆ SINE MENSURA EST, ET NON NUMERABITUR? R. Impleri cœpit à Christo, qui tam Israëlitis quàm Judæis per se evangelizavit; prædicavit enim in Galilæa & Samaria, ac nominatim in terra Zabulon & Nephthali; ut ait S. Matth. c. 4. 15 indeq; suos evocavit & collegit Apostolos. Rursùm paulò pòst Samaria per Philippum recepit verbum DEI, quocirca eo missus est S. Petrus & S. Ioannes Act. 8. Deniq; omnes Israëlitæ convertentur in fine mundi, ut ait Apost. Rom 11. 26. Tuncq; perfectè implebitur hæc Osee prophetia. Ita S. Hieron. & Christoph. à Castro hîc. Verùm quia hi Israëlitæ sunt, eruntq; pauci, nec possunt dici innumerabiles, hinc R. deo 2do. sub Israëlitis intelligi quoq; Gentiles conversos ad Christum, in iisq; perfectè impleri hanc prophetiam. Hi enim sunt innumerabiles, & hi sunt veri Israëlitæ secundùm spiritum, non secundùm carnem; quia secundùm fidem sunt filij Abrahæ & Israëlis, & consequenter benedictionis & bonorum à DEO utriq; promissorum hæredes. Per fidem enim cooptantur in familiam Abrahæ & Israëlis, ideoq; vocantur & coram DEO sunt filij Israël: sicut filij adoptati civiliter, vocantur & sunt filij & hæredes adoptantis. Sensus ergo est q. d. licèt dixerim Israëlitas secundùm carnem exterminandos & projiciendos à DEO, tamen promissio Abrahæ facta Gen. 22. 17. qua ait: *Benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & velut arenam, quæ est in littore maris,* non excidet, nec erit irrita: quia eorum loco in familiam Abrahæ succedent & adoptabuntur alij, qui ex Gentibus credent in Christum, eruntq; filii Abrahæ secundùm fidem & spiritum: hi enim erunt instar arenæ maris quasi innumerabiles. Patet id Rom. 9. 25.

Dies magnus Jezrahel.

X. *Quis est magnus dies Jezrahel* v. 11.? R. Jezrahel idem est, quod semen DEI, vocaturq; populus DEI, sive Ecclesia ex Judæis, Israëlitis & Gentibus congregata, cujus caput est Christus, qui Gal. 6. 16. vocatur *Israël DEI.* Sensus ergo est, q. d. Magnus, illustris, faustus, admirabilis, & terq; quaterq; beatus erit ille dies, illud sæculum, quo Israëlitæ & Judæi tum naturales tum mystici & adoptivi, putà Gentiles conversi ad Christum, antea dispersi & errabundi congregabuntur in unum, ut fiant *Jezrahel,* id est, unus populus, una Ecclesia, putà filij DEI viventis, ut ponant sibi unum caput Christum, & ascendere incipiant de terra in cœlum.

CAPUT II.

Arguit Israëlem insignis ingratitudinis & perfidiæ, quòd beneficia, quæ à DEO valde copiosè ipsi obvenerant, accepta tulerit idolis, unde minatur se rursus ea ipsis ablaturum. Pœnitentibus tamen bona omnia promittit, & fœdus cum eis sempiternum.

QUæstio I. *De qua matre est sermo* v. 2. JUDICATE MATREM VESTRAM? R. De Synagoga, seu cœtu Israëlitarum idola colentium, ac præ omnibus de congregatione primatum, judicum ac magistratuum, quos subditi sequuntur, ut solent filij matrem, vultq; ut ei denuntient suo nomine, quòd quamdiu in hoc scelere persistet, non sit uxor ejus, sed adultera repudiata: nec ipse vir ejus, sed judex & vindex, imò hostis juratus.

Imagines idolorum.

II. *Quis est sensus* v. 2. AUFERAT ADULTERIA DE MEDIO UBERUM SUORUM? R. Auferat signa & illecebras adulterij. Alludit ad bullas, gemmas & torques, aliaq; pectoris meretricum ornamenta, quibus amasios in sui concupiscentiam pelliciunt. Similia gestabant Israëlitæ in honorem idolorum suorum, ac præsertim medallia & imagines illorum quas è collo suspensas ad pectus deferebant, partim ut his signis palàm facerent se talis idoli cultores, clientes & servos esse: partim ut his illecebris jugem idoli sui memoriam & affectum non modò in se, sed & in aliis obviis excitarent ac foverent.

III. *Quo sensu dicitur* v. 3. *Ne expoliem eam nudam, secundùm diem nativitatis suæ?* R. Nisi resipiscat, sinam eam devolvi in primam infantiæ suæ miseriam & inopiam, qua afflicta fuit in Ægypto Ezech. 16. & Jer. 2. ubi paupercula, imbellis, abjecta, informis, carens rege, duce, tutore, lege, religione, imò DEO, exposita ludibrio, prædæ, neci, miserrimam trahebat vitam sub tyrannide Pharaonis. Pari modo jam permittam spoliari & vastari illam ab Assyriis. Ita S. Hieron. Theordor. Rupert. & alij. Sic castigata matre, quid filijs fiet?

IV. *Que-*

IV. *Quomodo intelligenda sunt verba* v. 14. PROPTER HOC ECCE EGO LACTABO EAM? ℟. Difficilè est intellectu, quæ enim est causa, imò quæ consequentia & connexio, inquit à Lap. dicere, uxor adultera est, ideoq; puniam & perdam illam, propterea lactabo eam? Aliqui sic connnectunt & exponunt; q. d. Quia Israël tam graviter peccavit, quia tam graviter errat & delirat, quia in tantis versatur animæ miserijs & periculis salutis, ut mihi miserationem potiùs moveat, quàm iram & bilem, hac de causa ego post ejus castigationem, iram in misericordiam vertam, & ostendam ei divitias potentiæ, & misericordiæ meæ; nimirum lactabo eam, & loquar ad cor ejus; itaq; eam ad me convertam, & reducam. ita Ribera. Corn. à Lap. Dicit hîc esse hysterologiam, & hæc verba *propter hoc ecce ego lactabo eam* referenda & connectenda esse cum v. 6 & 7. sicq; omnia ordinatè cohærere & fluere, ut sensus sit, q. d. Dixi v. 6. & 7. *Sepiam viam ejus spinis*, vexabo & castigabo eam, ne scil. sponsa mea synagoga, gentes & Deos alienos adire & colere possit: unde ipsa in se revertetur, pœnitensq; vitæ prioris, dicet: *Vadam & revertar ad virum meum priorem. Propter hoc*, quia scil. ipsa pœnitens ad me redit, *ecce ego lactabo eam. q. d.* ego priorum ejus scelerum oblitus, eam redeuntem excipiam, quasi sponsus amantissimus, & in ejus amplexus ruam, ùt ruit Pater in amplexus filii prodigi ad se redeuntis Luc. 15. *Pœnitentia fructuosa.*

V. *De quæ solitudine loquitur* v. 14. ET DUCAM EAM IN SOLITUDINEM? ℟. Alludit ad ea bona, quæ populus accepit, cùm ex Ægypto eductus est, & per desertum in terram promissionis iter faciebat. Sicut tunc populum suum ab Ægyptiis separavit, apud quos natus fuerat: ita per evangelium credentes secrevit à populo infideli, & adduxit in Ecclesiam. Illic aluit eos pane cœlesti, & mirabiliter servavit, hìc alit pretiosissimo corpore & sanguine filij sui, & ab impugnationibus diaboli potenter eripit. Pius itaq; promittere vult, quàm verba sonant, q. d. Præstabo eis omnia, quæ prius in solitudine deserti præstiti. *Ecclesia dicitur solitudo.*

VI. *Cur Ecclesia sub solitudinis vocabulo intelligitur?* ℟. Quòd locus sit ab Ægyptiis, id est, ab infidelibus sejunctus, quòd in ea multi ferendi sint labores, ut in veram terram promissionis ingrediamur; deniq; quòd Ecclesia locus sit aptus, & ab infidelis vitæ tumultibus alienus, in quo animam Deus alloqui liberè queat. Quare cùm dicit: ducam eam in solitudinem, videtur id dicere. Segregabo illam ab amatoribus suis, & ab illis omnibus, qui sermoni & persvasioni meæ obstare poterant. Ita enim solemus iis seorsim loqui, quibus persuadere aliquid volumus, ne alij si adsint, nobis impedimento sint.

VII. *Quid est loqui ad cor* v. 14.? ℟. est loqui verba blanda & consolatoria. Est enim loqui ad cor blandis verbis consolari, ùt S. Hieron. docet hîc. & in illud Isa. 40. loquimini ad cor Jerusalem. Hoc Dominus in deserto fecit consolans per Moysen & Aaronem populum illum spe futurorum bonorum, in terra illa, & victoriæ de inimicis reportandæ. Manifestato verò Evangelio, ita primos illos credentes consolatus est, ut non solùm in prosperis rebus, sed etiam in adversis, & in ipso persecutionum fervore exultarent, DEO intus eos spe cœlestium bonorum erigente. Ita videmus in Paulo Rom. 5. *Non solùm autem, sed & gloriamur in tribulationibus.* & 2. Cor. 1. *Benedictus DEus & Pater D. N. I. C. &c.* *Loqui ad cor.*

VIII. *Qui sunt Vinitores, quos daturum se promittit DEus ex eodem* v. 15.? ℟. Chald. vertit Gubernatores q. d. sicut olim vineæ meæ, id est, Synagogæ exeunti ex Ægypto dedi curatores & cultores, putà Moysen, Aaron, Josve; ita eidem reduci ex Assyria & Chaldæa dabo Esdram, Nehemiam, Zorobabel, Aggæum, Malachiam &c. Et tempore Christi Apostolos, Evangelistas, aliosq; pastores ac Doctores oriundos *ex eodem loco*, id est, ex eadem stirpe Israëlitica. Ex hac enim educti sunt omnes primæ Ecclesiæ Christianæ pastores, quibus postea successerunt alieni ex Gentilibus assumpti, ut Isaias futurum prædixerat. *Vinitores.*

IX. *Quæ est vallis Achor ad aperiendam spem* v. 15.? ℟. Vallis Achor sita est juxta Jericho: dicta *Achor*, id est, turbationis, eò quòd Hebræis Duce Josve ingredientibus terram promissam, ob sacrilegium Achan, itidem Israël turbatus sit & cæsus ab hostibus. Nam Josve c. 7. 25. dixit ad Achan: quia *turbasti nos, exturbet te Dominus in die hac, indeq; vocatum est nomen loci illius, vallis Achor usq; hodie.* Erat hæc vallis amœna, compascua & fœcunda, ùt patet Isa. 65. 10. Unde Israel ingrediens in Chanaan, in ea primum ex longa 40. annorum peregrinatione conquievit, seq; refecit & recreavit Hæc vallis sacrilegio Achan fœdè deturpata fuit: post illud tamen scelus justo supplicio expiatum facta est eadem vallis initium omnis victoriæ & felicitatis Israeli. Sic nempe etiam regressis è Chaldæa Israelitis, hæc ipsa vallis primùm occurrens, jam purgata & expiata publicis pœnis, quas istic Chaldæis dederunt, erit ad *aperiendam spem* novæ perpetuæq; salutis ac prosperitatis inibi omnibus obventuræ. Et tempore Christi, Judæa (cujus typus, imò pars est hæc vallis Achor) per Romanos excisa, etsi Judæis triste, Christianis tamen lætum erit omen & initium amplioris victoriæ & salutis per universum orbem obtinendæ. Ita ferè S. Hieron. Rupertus, Lyran. Ribera. *Vallis Achor.*

CAPUT III.

Rursùm jubetur propheta diligere adulteram, quæ tamen multis diebus illum expectet, quia filios Israël multis diebus sine rege & sacrificio sedentes, tandem ad Dominum dicit reversuros.

QUæstio I. *Quis est sensus* v. 1. ADHUC VADE, ET DILIGE MULIEREM &c. ℟. Adhuc præter Gomer, de qua c. 1. v. 3. Dilige aliam *mulierem dilectam amico*, id est, marito (qui per antonomasiam est amicus uxoris) sed *adulterum*, & à marito profugam, quò possit liberiùs adulterari. Dilige, inquam, & eme tibi non in uxorem (ùt volunt Ruffin. Theophyl. Rupertus, Vatab. Ribera & Sanchez) sed in ancillam, ut domi tuæ quasi cœlebs latitet, donec post aliquot annos, ad maritum suum revocetur, & in ejus gratiam thorumq; restituatur, ita S. Hieron. Isidorus, Lyran. à Lap. Tirinus. *Hic amicus*, id est, maritus Israëlitarum, est Deus, qui tenerrimè illos diligit, & illi tamen adulteriis fœdissimis sese polluunt, deflectentes *ad Deos alienos*; & relictis uvis præstantissimis vinoq; nobilissimo, quo domi mariti sui potabantur, appetunt *vinacea uvarum*, id est, aridos & exsuccos uvarum folliculos, seu pelliculas, quæ in torculari expressis uvis, vinoq; exhausto supersunt, soletq; super infusâ aquâ potus inde parari rusticis, ac famulis, teste Varrone, Catone, Plinio & Columella. Nempe stulti peccatores pro panibus filiorum amplexantur siliquas porcorum Luc. 15. v. 16. & pro croceis stercora, Thren. 4. v. 5.

II. *Quid est, fodi eam mihi 15. argenteis* v. 2.? ℟. Emi juxta Syrum, vel juxta Arabicum conduxi eam mihi in ancillam. Et simili modo exponunt S. Hieron. & alij citati q. 1. Conduxi inquam 15. argenteis, corio hordei & dimidio (qui erat victus servorum manuum) ea conditione, ut abstineret à fornicando; donec anno elapso, eam Oseas reduceret ad virum suum. Quo significatur Israëlitis à DEO profugis, de victu vestituq; prospectum iri, (ut solet mancipiis) parcè & tenuiter; idq; ne, vel penuria rerum necessariarum ad illicita delabantur, vel bonorum affluentia in sceleribus suis ac perfidia roborentur, ita ferè Ribera, à Castro & à Lapide.

III. *Quæ conductionis pacta seu conditiones fuerunt?* ℟. Quatuor recensentur v. 3. *dixi ad* eam primo *dies multos*, nempe annum integrum, *exspectabis me* seu justâ & imperia mea; hebraicè, *sedebis mihi*, vel mecum habitabis, mihi deservies, instar fidelis & strenuæ ancillæ, inquit Theodor. Theophyl. & alij. 2dò *non fornicaberis*, nec alienis commisceberis toto illo tempore. 3tiò, *& non eris viro* ulli copulanda, ne proprio quidem marito tuo. 4tò, *& ego exspectabo te*, ut post finem anni purgatam te ac pœnitentem marito tuo reconciliem ac restituam ita S. Hieron. Hugo, Lyran. Tyrinus.

IV. *Cui hæc applicantur?* ℟. Israëli v. 4. Quia abductæ 10. tribus in Assyriam, *dies multos*, nempe usq; ad finem mundi, *sedebunt* desolati, ac dispersi, afflicti, squalidi, *sine* principe, sine sacrificio, *sine ephod* pontificali, *& sine theraphim*, id est, sine simulacris idolorum, maximè verò Larium, seu Penatûm: hæc enim passim in scripturis significantur per theraphim. q. d. erunt & sine vero Deo, & sine Laribus & Penatibus suis, quibus assueverunt, putà vitulis aureis, Serapide & Baal. ita S. Hieron. & alij citati.

V. *De quo tempore loquitur* v. 5. *Post hæc &c.* ℟. Longa bis mille annorum & ampliùs desolatione & afflictione excocti pœnitentes ac resipiscentes, Israëlitæ, tandem aliquando *revertentur* ad verum maritum Dominum Deum suum, & *ad David*, id est, Messiam filium Davidis, *Regem suum*, ùt SS. Patres & plerique; Hebræi exponunt apud Galatinum: & *pavebunt ad Dominum*, id est, summâ reverentiâ, quasi paventes & attoniti præ magnitudine beneficii, prosequentur Dominum & omne *bonum ejus*, seu omnem beneficentiam, omnia bona ab ipso profecta, ac præ omnibus Christum filium ejus, inquit S. Hieron. & Hugo. item multiplicia dona Spiritûs Sancti ait Haymo. Sed hæc non facient Israëlitæ, nisi *in novissimo dierum*, id est, sub finem mundi, quando extincto, cui tanquam Messiæ suo adhæserant, Antichristo, perspectis illius fallaciis ab errore suo resilient, & ad Christum ejusq; Ecclesiam unanimiter convertentur, & sic omnis Israël salvus fiet, inquit S. Paulus Rom. 11. v. 26.

CAPUT IV.

Minatur terræ Israël, propter multa populi peccata, qui scientiam repulit, & idololatriæ fuit deditus: dicit se relicturum Israël in peccatis suis, cupiens; ne Juda ipsum imitetur.

Sanguis sanguinem tangit.

QUæstio I. *De quo sanguine loquitur* v. 2. SANGUIS SANGUINEM TETIGIT? ℟. Per sanguinem intelligit peccata, ùt sæpe in Scriptura fit, quod etiam adnotat S. Greg. 13. Moral. c. 10. Ps. 5. Virum sanguinum & dolosum abominabitur Domi-

Dominus. Idem S. Greg. hom. 11. in Ezech. sanguis sanguinem tangit, quando peccatum peccato additur, ut ante DEI oculos adjunctis iniquitatibus anima cruentetur. q. d. scelera sceleribus accumulantur, tam frequentia, tam densa, ut contigua sint, seq; mutuò quasi manu contingant. Domus, vici, fora, templa, mœnia, agri, flumina, maria sceleribus inundant, & exundant.

II. *Cur sangvis pro quovis peccato accipitur?* R. quia esus sangvinis erat apud Hebræos detestabilis. unde, ut possent Gentiles cum Judæis conversis coalescere, jubentur abstinere à suffocato & sangvine Act. 15. Sangvis quoq; menstruus immundissimus censebatur. Unde illud Zach. 13. *In die illa erit fons patens domui David in ablutionem peccatoris & menstruatæ.* Et Isa. 64. *Et facti sumus, ùt immundi omnes nos, & quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ.* His duabus causis sangvis erat maximè execrabilis Judæis, & ideo pro peccato accipitur, quod ante omnia execrabile est & immundum. *Sangvis pro quovis peccato.*

III. *Quomodo lugebit terra* v. 3.? R. Sterilis erit, & omni fructu carebit, omni decore suo spoliabitur hostibus omnia vastantibus: Læta enim esse aut videre tunc dicitur, cùm fœcunda est, & herbis, floribus, omniq; fructuum genere abundat Joel. 1. *Depopulata est regio, luxit humus.* Contrà de Ecclesia per terræ similitudinem dicitur Isa. 35. *lætabitur deserta, & invia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium. Germinans germinabit & exultabit lætabunda & laudans. Et infirmabitur omnis, qui habitat in ea.* id est, deficiet, peribit. Ponitur enim more Hebræorum, quod antecedit, pro eo, quod sequitur, id est, infirmitas pro morte. Ideo vertit Chaldæus: & exterminio delebitur omnis, qui habitat in ea, loquitur autem de omni infirmitate, sive ex vulnere sit, sive ex fame, sive ex peste, quales belli tempore accidunt multæ. *In bestia agri &c.* id est, simul cum bestiis agri, *& cum volucre cæli, sed & pisces maris* ad eundem mortis acervum *congregabuntur.* Nempe sic solet Deus hominum impiorum, qui terrâ & aquâ, jumentis & piscibus abutuntur, luxum sterilitate castigare. *Luctus terræ.*

IV. *Quid est in ligno interrogare, aut baculum annuntiare?* R. Erat genus divinationis per baculos aut virgas, quod Ezech. 21. describitur his verbis: Stetit enim rex Babylonis in bivio in capite duarum viarum, divinationem quærens, commiscens sagittas, interrogavit idola, exta consuluit, ad dexteram ejus facta est divinatio super Jerusalem &c. Hieron. ibi: ritu gentis suæ oraculum consulet, ut mittat sagittas suas in pharetram, & commiscеat eas inscriptas, sive signatas nominibus singulorum, ut videat cujus sagitta exeat, & quam priùs civitatem oppugnare debeat. Hanc Chaldæorum superstitionem imitabantur Hebræi, ùt docent Hieron. Cyrillus. Ideo ait: & baculus nunciavit ei, scil. futura. Præterea fuisse apud veteres varias divinandi rationes per virgas & baculos in sublime jaculari solitos ad prænotionem futurorum docet Cœlius Rhodig. l. 7. antiquarum Lectionum c. 29. *In ligno interrogare.*

V. *Quo sensu dicit* v. 14. NON VISITABO SUPER FILIAS VESTRAS CUM FUERINT FORNICATÆ? R. Non puniam, non impediam scortatores, qui violant filias & sponsas vestras, atq; ita magis & magis fornicabuntur, cùm impunè se peccare videant. Hieron. ait: Grandis offensa est, postquàm peccaveris, iram Domini non mereri. Et postea docet, DEum visitare, id est, punire peccatores, ùt veluti cauterio, & amarissimis potionibus recipiant sanitatem & morbis careant, sicut ps. 88. dicitur: *Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum, misericordiam autem meam non dispergam ab eo.* Qui igitur amatur, corripitur, qui negligitur, suis peccatis dimittitur. *Visitatio DEI.*

CAPUT V.

Etiam Sacerdotes, etiam Principes citat ad judicium, quòd populo fuerint in laqueum, & in ruinam. Unde eis unà cum populo, quin & unà cum Juda (qui Israëlis scelera sequebatur) excidium intentat.

QUæstio I. *Quos intelligit sacerdotes* v. 1. R. Per Sacerdotes S. Hieron. Hugo, Ribera & alij accipiunt pseudo-sacerdotes idolorum in Israël, hi enim non erant veri & legitimi; tum quia non erant ex tribu Levi; tum quia erant idolorum; tum quia non à DEO, sed à Jeroboam idololatra rege constituti 3. Reg. 12. 28. Possunt tamen accipi veri DEI sacerdotes. Hi enim sparsi erant per Israel, ut eum in DEI cultu continerent; sed cùm Jeroboam vitulos suos induxit, non tantùm populus, sed & sacerdotes regis sui imperium secuti, vitulos hosce & Baalim coluerunt, aliosq; colere docuerunt, imò compulerunt.

II. *Quænam est speculatio* v. 1. QUONIAM LAQUEUS FACTI ESTIS SPECULATIONI? R. imò S. Hieron. exponit, facti estis laqueus pro speculatione. idò abstractum hic accipi potest pro concreto, more Hebræo: speculatio ergo accipi potest pro

populo ſpeculato, ſeu veſtræ, ô Sacerdotes & Principes populi, curæ & ſpeculationi commiſſò. q. d. Vos ô Principes, qui debebatis ſpeculari, excubare & cuſtodire populum in cultu DEI, eundem verbis & exemplis pertraxiſtis ad idololatriam. Aut certè *ſpeculationi*, id eſt, prophetiæ, hoc eſt, prophetis. q. d. Vos ô Iſraelitæ facti eſtis laqueus Prophetis & Doctoribus, quia eis inſidias tenditis, eosq; capitis & occiditis. Ita Chald Theodor. Theophyl.

III. *Quis eſt ſenſus* v. 10. FACTI SUNT PRINCIPES JUDA, QUASI ASSUMENTES TERMINUM? R. Principes Juda ſimiles facti ſunt raptoribus, qui terminos ſuos transferunt, ut alienos invadant. Pari enim modo ipſi terminos fidei, & cultûs mei, meæq; Eccleſiæ transferunt, voluntq; ſibi adjungere & copulare Deos gentium, eorumq; cultus, templa & aras, ipſasq; gentes & Synagogam infidelium. Ita Theophyl. Theodoret. & Theodorus Antiochenus (qui ait: Transferunt terminos meos, & jura, honorem qui mihi debetur, in idola transferentes, more eorum, qui contra jus alienos terminos transferunt.) hoc enim exigit vox *quaſi:* hæc enim ſignificat eos non eſſe propriè translatores terminorum, ſed tantùm illis eſſe ſimiles. Addit Ribera q. d. Judæi non contenti adorare idola, quæ erant in Judæa, tranſierunt quoq; in alienos terminos, ùt in Bethaven, quæ erat 10. tribuum, imò in Aſſyriam, ut earum idola colerent, templaq; & aras victimis ſuis implerent; imò & idola hæc ex Aſſyria traducerent in Judæam, uti fecit Achaz 4. Reg. 16. v. 10. & 18. Hunc ſenſum expoſcunt ſequentia, ſequitur enim: *quoniam cœpit abire poſt ſordes*, id eſt, idola, & clariùs v. 13. *Et abiit Ephraim ad Aſſur, & miſit ad Regem ultorem.* Judæi enim æquè ac Iſraëlitæ, preſſi ab hoſtibus, ad vicinas gentes opem poſtulantes confugiebant; utq; eam impetrarent, eis in fide & religione ſe ſociabant, eorumq; idola colebant, imò transferebant in Judæam; unde hoc paſſim redarguit Jeremias, Ezechiel, Oſee hîc, aliiq; Prophetæ. Hac de cauſa noſter vertit, non, *transferentes*, ſed aſſumentes terminum: quia idola hæc Gentium aſſumebant ſibi Judæi quaſi Deum ſuum tutorem & terminalem, qualis Romanis erat Deus Terminus. Prophetæ enim minores loquuntur concisè, ænigmaticè & parabolicè, ideoq; obſcuri ſunt, quia paucis verbis multa ſignificant & ad multa alludunt.

CAPUT VI.

Afflictis Iſraëlitis & Judæis, ſi ſapiant, ſuadet, ut ad cœleſtem medicum & chirurgum, nempe ad Chriſtum, verum unicumq; mundi redemptorem quantocyùs recurrant. Invehitur in refractarios, & immiſericordes, maximeq; in Galaditas, qui fidos DEI cultores ad templum Jeroſolymitanum aſcendentes, in via jugulabant.

QUæſtio I. *De quo tempore loquitur* v. 1. IN TRIBULATIONE SUA MANE CONSURGENT AD ME? R. Cùm transacta nocte captivitatis, impletisq; ejus 70. annis à DEO decretis, Judæi, excitante eos in ſpem Daniele, Esdra, Aggæo, aliisq; Prophetis, ad vicinam ſub Cyro liberationem anhelantes, ſupplices à DEO eam poſtulârunt & impetrârunt: Manè enim & aurora Judæis captivis fuit ſpes vicinæ liberationis mox expletis 70. annis præſtandæ per Cyrum.

Dies duo. II. *Quis eſt ſenſus* v. 3. VIVIFICABIT NOS POST DUOS DIES? R. è triſtiſſima captivitate, in qua quaſi mortui, imò quaſi arida oſſa degimus Ezech. 37. in libertatem quaſi in novam vitam reducet nos Deus *poſt duos dies*, ſeu poſt duo tempora, primum, captivitatis Aſſyriacæ; ſecundum, captivitatis Babylonicæ. Suborta *tertia die* læta & fauſta victoriarum ac triumphorum Cyri, *reſuſcitabit nos* à morte civili ad vitam, à ſervitute ad libertatem, ab exilio ad regreſſum in patriam. ita Hebræi. SS. PP. omnes & DD. Orthodoxi contendunt agi hîc de Chriſto, & de redemptione ac reſuſcitatione à morte peccati & æterna ad vitam gratiæ, juſtitiæ & gloriæ per Chriſtum toti orbi obventuræ poſt *duos*, id eſt, paucos dies, ſeu poſt breve tempus, circiter 690. annorum: tot enim effluxerunt ab hoc tempore usq; ad mortem Chriſti. Ita explicant S. Cyrillus, Arias, Vatablus & alij. Poſſet etiam cum Lyrano primus dies dici tempus, quo floruit Synagoga ſub regibus ſuis, cui ſucceſſit nox captivitatis Babylonicæ: Secundus dies, tempus quo floruit ſub Ducibus, cui ſucceſſit nox ſervitutis Romanæ ſub Herode, ejusq; filiis ablato prorſus ſceptro de Juda: Tertius dies tempus gratiæ ſub Chriſto. Quin & ex eodem Oſee loco Catholici probant reſurrectionem Chriſti poſt primum diem paſſionis, & ſecundum ſepulturæ. Unde & illud 1. Cor. 15. v. 4. *reſurrexit tertia die ſecundum Scripturas*, Anſelmus de hac Oſee ſcriptura intelligit.

III. *Cujus egreſſus præparatus eſt* à DEO, QUASI DILUCULUM v. 3.? R. Meſſiæ è ſinu Patris in mundum, ſive de utero matris, ſive de ſepulchro, præparatus jam inde ab æterno fixo decreto prædefinitus, ut ſit toti orbi quaſi *diluculum* vel aurora. Quia inſtar

instar auroræ, depellet & fastidia longæ noctis ignorantiæ, peccati & mortis, optatissimamq; toti orbi ac jucundissimam lucem doctrinæ cœlestis, rorem multiplicis gratiæ, & gloriæ plenitudinem advehet, inquit Rupertus, Vatablus & alij.

IV. *Quis est imber temporaneus, & serotinus* v. 3.? R. Temporaneus imber, qui mense Octobri jactis in terram seminibus descendit: serotinus, qui fructus ad maturitatẽ perducit, ùt mense Majo aut Aprili. His enim duobus temporibus in terra illa pluit, traduntq; qui in ea vixerunt, à Majo ad Octobrem usq; non pluere. Et S. Hieron. in Amos 4. in illud: *Ego quoq; prohibui à vobis imbrem.* Nunquam, inquit, in fine mentis Junij, sive in mense Julio in his provinciis, maximeq; in Judæa, pluvias vidimus. Significatur his verbis doctrina Christi more copiosi imbris & tempestivi animas fœcundans & quasi vivificans. *Imber temporaneus & serotinus.*

V. *Quomodo misericordia Ephraim & Juda dicitur quasi nubes matutina, & quasi ros manè pertransiens* v. 4.? R. Misericordia vestra in proximos egentes, qua vultis subinde videri gratos vos erga me exhibere, modica est, & subitò pertransit atq; evanescit, instar *nubis matutinæ & roris*, qui mox ad ortum & calorem solis dispellitur, absorbetur, atq; exsiccatur. Econtrario nequitia vestra solidissima constantissimaq; permansit marmoris instar, vel adamantis.

VI. *Quomodo dicitur DEus occidisse Prophetas in verbis oris sui?* R. Judæis admonendis & excitandis ad pietatem multos Prophetas amisit, nam jubebat eos ad illos venire, & scelera illorum reprehendere, unde illi irati eos occidebant. Quare id perinde fuit, acsi ipsos occideret. Ideo dixit Judæis Stephanus Act 7. *Quem Prophetarum non sunt persecuti Patres vestri, & occiderunt eos, qui prænuntiabant de adventu justi.* Itaq; *verbis oris mei*, significat jussione mea, cùm eos mittebam ad vos.

VII. *Cur misericordia præfertur sacrificiis* v. 6, cùm sacrificia sint actus religionis, quæ præstantior est misericordiâ & omnibus virtutibus moralibus, ùt docet S. Thom. 2. 2. q. 81. a. 6. R. imò. Scripturam in hoc loco, & in similibus non loqui de misericordia præcisè; sed de misericordia sumpta pro beneficentia, quæ non solum complectitur opera misericordiæ propriè dictæ, sed etiam opera charitatis in proximos, quomodo non est dubium majorem esse religione. Marci 12. Et diligere proximum tanquam seipsum majus est omnibus holocaustomatibus & sacrificiis. *JEsus autem videns, quòd sapienter respondisset &c.* 2dò si loquamur de misericordia præcisè, religio absolutè loquendo principalior est ratione objecti, sed opera misericordiæ propter assiduas & passim occurrentes necessitates proximi, præstantiora sunt & DEO gratiora. Unde opera religionis rectè omittuntur propter opera misericordiæ, ut intereste sacris, ùt ægrotanti assideas. *Misericordia præfertur sacrificiis.*

CAPUT VII.

Invehitur in nequitiam Jehu regis, totiusq; Israëlis cum eo idololatrantis: comparatq; furno succenso, fermento, serpenti, pani subcinericio, columbæ excordi & arcui doloso.

Quæstio I. *Quis est sensus* v. 1. CUM SANARE VELLEM ISRAEL, REVELATA EST INIQUITAS EPHRAIM &c.? R. Cùm per Regem Jehu, quasi per chirurgum meum evocatum è Galaad 4 Reg. 9. 1. (ubi ob aromatum & pharmacorum copiam plurimi præstantissimiq; medici & chirurgi degunt, Jer. 8. v. 22.) sanare vellem apostema idololatriæ Israelis per Jeroboam 3. Reg. 12. v. 26. Achab c. 16. v. 32. &c. 21. v. 25. & Jezabeleon invectæ, atq; in hunc finem præceperim ei evertere cultum Baal, ejusq; prophetas ac totam familiam Achab 4. Reg. 9. v. 7: & jam parum abesset, quin totum idololatriæ regnum penitus everteretur; ecce tibi præter omnem opinionem, reviviscentem rursus palamq; *revelatam* per eumdem Jehu *iniquitatem Ephraim*, id est, idololatriam per Jeroboamum ex *Ephraim* oriundum invectam in Israel, putà cultum vitulorum aureorum, quem neglectum jam pridem, & super inducto cultu Baal pene suppressum, Jehu rursus excitavit, ibid. c. 10. v. 29. & in lucem pertraxit. Idq; *malitiâ Samariæ*, id est, maligno consilio Samaritanorum regis consiliorum, qui fraudulenter ac mendaciter novo regi suggerebant, non posse nisi hac via subditos contineri in fide & obedientia regis. Quod est mendacium, cùm solidum regni fundamentum ac firmamentum sit vera fides, vera religio, & sincerus cultus veri DEI, ùt optimè demonstrat S. Aug. editis in hoc argumento tot libris de civitate DEI, & res ipsa loquitur, quàm stabile, quàm tutum, quàm firmum redditum sit hac via regnum Jehu. Vix enim publicârat cultum vitulorum, & subitò *fures & latrones*, tum domestici, Osee 6. v. 9. tum externi, nempe Syrij & Assyrij invadunt agros & urbes Israelitarum 4. Reg. 10. v. 32. vastantes & expilantes omnia. Ita Lyran. Ribera, à Lap. Tirinus.

II. *Quomodo Samaritæ dicuntur* v. 3. *Regem* Jehu, & *Principes* cum eo conspirantes *lætificâsse suâ malitiâ & mendaciis?* R. Perfidiâ suâ, qua imò defecerunt à Regia fami-

lia Achabi ibid. v. 5. 2dò occiderunt 70. filios Achabi commissos suæ fidei v. 6. & 7. & 40. fratres Ochoziæ. Hæc enim omnia patrârunt non intuitu jussi Divini (quod ignorabant) sed affectu complacendi novo Regi violentè ac tyrannicè (ùt opinabantur) regnum invadenti. Quod enim Jehu mandato DEI per Prophetam unctus esset & creatus rex, secretum erat & latebat Samaritas.

III. *Quomodo dicitur civitas* Samaria, *quievisse paululùm à commistione fermenti donec fermentaretur totũ?* R. Erant omnes *adulterantes* id est, idololatrantes, maximè cum vitulis aureis, quorum cultui in gratiam novi regis, adeò inhiant, ut videantur satiari non posse illis colendis, sed *quasi clibanus succensus*, quo plùs fomenti injicitur, eò magis accenduntur & ardent. Non tamen simul uno eodemq; momento proruperunt in hoc malum, sed sensim ac pedetentim. Quamdiu enim Jehu occupabatur exstirpando cultu Baal, & posteris Achabi delendis, tacuit de cultu vitulorum: atq; ita *quievit* tunc *paululum civitas à commistione fermenti* illius idololatrici; sinebat tamen occultè ac paulatim etiam publicè invalescere fermentum, atq; ad plures proserpere, *donec* tandem, adjectis etiam legibus ac mandatis, quibus jussit rex publicè, vitulos ubiq; coli, tota reip. massâ fermentata, infecta & corrupta fuit. Ita S. Hieron Cyrillus & alij.

IV. *Quo sensu dicitur* v. 8. *Ephraim factus est subcinericius panis, qui non reversatur?* R. Sicut pasta, quæ sub cineribus juxta ignem coquitur, si non vertatur, insensibiliter exuritur & consumitur; ita & Israel in cineribus & sordibus Idololatriæ manens, nec per pœnitentiam se convertens ad DEum, exuretur ab hostibus. Nam *comederunt alieni robur ejus, & ipse nescivit.* q. d. Assyrij paulatim vires Israelis atterent, eumq; expilabunt, quod tamen ipse non advertet, puta se in ruinam & exitium tendere, seq, à Deo puniri ob eum derelictum per cultum vitulorum, ita Cyrill. Theodor. & Theoph.

Arcus dolosus.

V. *De quibus dicitur* v. 16. *facti sunt quasi arcus dolosus*, qui sagittam in sagittarium remittit? R. De Jehu, qui cum suis à DEO dirigebatur, ut idola & idololatras exscinderet 4. Reg. 9. v. 7: at ille telum in Deum retorsit, Deiq; cultum excîdit & cultum vitulorum propagavit c. 10. v. 29. sed vicissim faciet Deus, ut non modò plebs, sed & *principes eorum à furore linguæ suæ*, id est, ob impias & furibundas blasphemias suas *cadant* mox *gladio* Syrorum 4. Reg. 10. v. 32. Ita S. Hieron. Lyran. & Hugo.

CAPUT VIII.

Minatur DEus Israelitis excidium, quòd se inconsulto, factiosè ac violentè secesserint à domo David, & vitulos aureos coluerint, & Assyriis confœderati sint. Ideoq; ab illis ipsis exscindendos prædicit unà cum delubris, palatiis & urbibus suis.

QUæstio I. *Quem alloquitur DEus* v. 1. *In gutture tuo sit tuba, quasi aquila super domum Domini?* R. Prophetam, ut altissima voce prædicet, quæ eventura sint super templum, quod demum ipsum vastandum sit, abductis Israelitis: proclama quasi tubali clamore publicè: ecce imminet Tyrannus Assyrius, & pòst etiam Chaldæus, qui *quasi aquila* Ezech. 17. v. 3 ex improviso & summo impetu ruet *super domum Domini*, id est, irruet in terram sanctam Jer. 11. v. 15. & c. 12. v. 7. primò decem tribuum, dein & reliquarum duarum, imò & in ipsum templum DEI, omniaq; diripiet, succendet, exscindet. De Assyrio Sennacherib accipit hæc Arias: de Salmanassare à Castro & alij De Nabuchodonosore S. Cyrill. Hieron Theodor. Theophil. Ribera & alij.

II. *De quibus regibus loquitur* v. 4. IPSI REGNAVERUNT, ET NON EX ME &c.? R. Non de Jeroboamo vel Jehu, ùt multi opinantur (quia hi Divino decreto regnum capessiverunt) Sed de ultimis Regibus Sellum 4. Reg. 15. v. 10. Manahem ibid. v. 14. Phaceia v. 22. Phacée v. 25. & Osee v. 30. qui mera vi ac tyrannide regnum invaserunt & tenuerunt. Et *ego non cognovi*, scil. practicè, id est, non approbavi, non agnovi eos pro legitimis regibus, inquit S. Hieron. & alij.

Onager zelotypus.

III. *Quid per onagrum solitarium sibi intelligit* v. 9. R. Tradunt onagrum ita esse zelotypum, ut pullos suos dentibus exsecet, ne generare possint, & ut ipse solus onagrâ fruatur. Sic ergo, inquit, Israel sibi suum singularem DEI cultum ambiit: unde solitarius manebit, nec à me, nec à suis idolis opem feret, nec ab Assyriis, etsi eis munera longè dederint 4. Reg. 15. 19. & 4. Reg. 17. propter, quæ modicam sibi quietem mercabuntur.

CAPUT IX.

Israeli ex opibus lascivienti, Deosq; gentium quasi earum datores ludis & festis colenti minatur egestatem, captivitatem, cædem filiorum, vulvam sterilem, ubera arentia, perpetuum repudium & universale excidium.

Quæ-

Quæstio I. *Quis est sensus* v. 4. *Panis eorum animæ ipsorum non intrabit in domum Domini?* R. Animæ, id est, concupiscentiæ & gulæ suæ consulunt, & satisfaciunt sacrificando, non autem sacrificant, ut Deum, vel idola colant: ac propterea indigni sunt, ut panis, id est, victimæ eorum ad domum Domini, id est, ad templum deferantur, quod proinde me puniente à Chaldæis igne succendetur: In Assyria autem & Chaldæa ad domum Domini deferri non poterunt; quia nulla erit ibi domus Domini. ita S. Hieron. Theophyl. Ribera & alij.

II. *Quem vocat diem solemnem & diem festivitatis Domini* v. 5.? R. Diem captivitatis, quo vindictam de suis hostibus capiet, & eorum scelera punientur. q. d. Festa pristina non celebrabitis, ô Israelitæ in templo, utpote positi in captivitate; sed facietis perenne festum & solemnitatem vindictæ meæ, quo scil. publicè puniam vos captivitate, paupertate & gladio. Hæc enim dicitur solemnitas Domini, quia in ea solemnis DEI justitia & gloria toto orbe splendebat, & ab omnibus Gentibus celebrabatur: Sic ait Jer. Thren. 2. 22. *Vocâsti quasi ad diem solemnem, qui terrerent me in circuitu.* Ex eadem phrasi & tropo, impij excindendi & occidendi in hac DEI solemnitate vocantur hostiæ & victimæ, quæ immolantur justitiæ Divinæ: ac Assyrij & Chaldæi, qui eos occidunt & immolant, vocantur Sacerdotes DEI. Sic ait Isaias c. 34. 6. *Victima Domini in Bosra, & interfectio magna in terra Edom &c. quia dies ultionis Domini, annus retributionis judicij Sion.* Hinc bellum contra impios vocatur sanctum, militesq; sancti quasi auctorati & consecrati à DEO sacerdotes. Sic ait Jer. c. 6. 4. *Sanctificate* ô Chaldæi, *super eam Jerusalem bellum.*

III. *Quo sensu dicitur* v. 6. *Desiderabile argentum eorum urtica hæreditabit?* R. Argentum eorum vocat præclaras, & magnificas ædes, in quarum ædificationem magnam pecuniæ vim effuderant, quas ita dicit esse diruendas, ut in eis urticæ nascantur nullo eas reædificante, aut incolente. *Lappa in tabernaculis eorum,* longam significat vastitatem, ut, ubi quondam domus erant, lappæ & urticæ nascantur & spinæ &c. ita Isa. 34. *Et orientur in diebus ejus spinæ, & urticæ, & paliurus in munitionibus ejus.* Lappa est flos spinæ aculeis plenus, qui à ludibundis pueris injectus in vestem tenaciter adhæret.

IV. *Quis speculator Ephraim factus est laqueus ruinæ* v. 8.? R. Verus Propheta constitutus à DEO in specula, ut periclitanti Israeli mala, si quæ ingruant vel imminent, ex fide denuntiet; hic è contrario factus est toti Israeli laqueus quo in ruinam & exitium pertrahetur. Laqueus hic falsa est ejus prædictio, promissio, doctrina. Hunc laqueum tetendit incautis non uno loco, sed super omnes vias Israëlis, etiam *in domo DEI ejus,* ubiq; & perpetuò inclamans, nihil mali imminere peccantibus, læta, fausta, prospera omnia obventura, quæ extrema est *insania,* hoste potentissimo portis jam propinquante, & inermi jugulo gladium admovente.

V. *Quis est sensus* v. 9. *Profundè peccaverunt sicut in diebus Gabaa?* R. Sicut Gabaonitæ è tribu Benjamin fœdo & insano stupro occiderunt uxorem Levitæ, causamq; dederunt excidij pene toti tribui suæ, Judicum 19. & 20. ita nunc Israëlitæ omnes *profundè peccant* stupro spirituali, id est, idololatria, adeo ut nulla exinde emergendi spes sit, nisi universali totius gentis excidio & abductione. Ita S. Hieron. Cyrill. à Lap. & alij.

VI. *Quomodo dicitur DEus invenisse Israëlem, quasi uvas in deserto* v. 10.? R. Quasi si lassus & famelicus in solitudine reperissem dulcissimas uvas vel *prima poma,* id est, primas seu primitivas ficus è *cacumine ficulneæ* decerptas, ita Israelem inventum in deserto verè desertum ab omnibus, ego charum gratumq; habui. Et ut charum habui, lavi, fovi, millenis beneficiis mihi devinxi: ita ipse ingratus, stultus, stolidus, me fugiens, intravit ad colendum, serviendumq; probroso idolo Beelphegor, id est, Priapo. Num. 25. v. 1. Sic nunc quoq; post tot à me accepta beneficia, me spreto currit post vitulos, inquit Chaldæus & alij.

VII. *Quomodo Ephraim quasi avis avolavit, gloria eorum à partu, & ab utero & à conceptu?* R. *Gloria Ephraim,* id est, filij seu posteritas decem tribuum (Filii enim sunt decus, gaudium, & gloria parentum Prov. 10.) non diu supererit. Nam quasi avis, id est, velocissimè, visa est mihi avolare, seu exstingvi, partim statim à partu matrum: partim ab utero, priusquam prodirent in lucem: partim à primo conceptu, priusquam vel embryo, conciperetur, q. d. Sterilescet Israël, nec masculam aut robustam prolem dabit deinceps. Quod si fortè contigerit v. 12. aliquam ejusmodi prolem adolescere, non sinam saltem devenire ad virilem ætatem, sed antè vel gladio, vel peste, vel alio morbo de medio tollam. Et væ illis, cùm orbavero eos non tantùm prolibus, quæ obventuro hosti resistere possint, sed & curâ meâ & auxilio cœlesti. Tunc enim undiq; patebunt omnium injuriis. Ita Chaldæus, Vatab. & Rabbini.

VIII. *Quomodo omnes Nequitiæ Ephraim cœperunt in Galgal* v. 15.? R. In Galgalis primùm erexerunt idola Baalim & Astaroth Jud. 3. v. 7. & 19. Deinde excusso regimine DEI popposcerunt sibi regem proprium, qui more nationum Gentilium eos regeret pro libitu & placito suo. ita S. Hieron. & alij: Cum ergo nolint ipsi me agnoscere pro rege. Do-

mino,

mino, parente ſuo, neq; ego agnoſcam eos pro filiis, pro ſervis, pro ſubditis meis: ſed ejiciam & expellam eos, de *domo* & familia *mea*, id eſt, de terra ſancta, in qua hactenus quaſi filij in paterna domo, ſub alis & protectione mea ſecuri & felices egerunt.

IX. *Quomodo percuſſa eſt Ephraim, & radix eorum exſiccata* v. 16.? R. Comparat Ephraim arbori, priùs frondibus & fructibus luxurianti, poſtea percuſſæ aurigine & areſcenti, quò radix ejus ſiccata ſit, ideoq; fructum producere non valenti. q.d. Ephraim, id eſt, populus Iſrael, inſtar arboris percuſſæ & areſcentis in radice, paucos vel nullos proferet fructus, id eſt, filios.

CAPUT X.

Comparat Iſraëlem viti frondoſæ, ſed uvis vacuæ, ac proinde ſtirpitus excindendæ: comparat & vitulæ amanti trituram: ſuadetq; ut loco impietatis in cordibus ſuis creſcere faciant juſtitiam, quam ſeminatum veniet Meſſias; ùt ſic lætam virtutum ac benedictionum frugem demeſſam poſſint cum gaudio triturare: ni faxint, jugulandos omnes prædicit ac perdendos.

QUæſtio I. *Quis ſignificatur ſimilitudine vitis plenæ palmitibus & uvis?* R. Iſraël copioſiſſimè propagatus. Erat enim Iſrael vitis frondoſa, id eſt, latè extenſa, quia erat per multas civitates propagatus, ùt pſ. 79. ſcriptum eſt: extendit palmites ſuos usq; ad mare, & usq; ad flumen propagines ejus *fructus adæquatus ei*, fructus reſpondit numero & magnitudini palmitum, quia in ſingulis civitatibus erat magna hominum copia. Unde rectè ſequitur: *ſecundùm multitudinem fructûs ſui multiplicavit altaria.* Quod S. Hieron. Theophil. & Theodor. ita exponunt: quantò plures habebat populos, tantò plura exædificavit altaria, pluraq; colebat idola.

II. *Quomodo dicitur diviſum cor Iſraëlitarum, interiturum* v. 2.? R. Plurima idola habent, ita ut inter ſe diviſi ſint, quibusdam huic idolo ſtudentibus, illudq; aliis præferentibus, quibusdam aliud potiùs adorantibus. Citò ergo peribunt, quia tam immanis impietas. & DEI contemptio celerem vindictam exigunt. Ita Cyrill. Theodor. Theophil. & Ribera.

III. *Qualis eſt locutio* v. 4. *Loquimini verba viſionis inutilis?* R. eſt ironica & irriſoria, loquimini verba, & libenter jactate, quæ à veſtris prophetis audiiſtis proſpera nuntiantibus, re enim ipſa videbitis falſas fuiſſe eorum prædictiones. *Ferietis fœdus* cum Aſſyrio tyranno, ſed ex hoc fœdere non *germinabit* niſi *amaritudo & judicium*, id eſt, amariſſimum vobis judicium, damnatio & ſupplicium, non unum, neq; ſimplex, ſed multiplex & copioſum, utpote ſuper omnes ſulcos agri veſtri.

Vaccæ Bethaven.

IV. *Quæ ſunt vaccæ Bethaven, & cur plures nominantur?* R. Sunt vitulæ à Jeroboamo poſitæ in Bethel & Dan. Fuit vitulus aureus in Bethel & præterea vitulæ ſeu vaccæ, quas Ægyptiacâ ſuperſtitione colebant. Sic habetur 3. Reg. 12. de Jeroboam: & aſcendens altare ſimiliter fecit in Bethel, ut immolaret vitulis, quos fabricatus fuerat, conſtituitq; in Bethel ſacerdotes excelſorum, quæ fecerat. Ortum eſt hoc ex Ægyptiaca ſuperſtitione, qua populus erat imbutus, & quam libentiſſimè imitabatur.

V. *Quo ſenſu dicitur* v. 11. *Ephraim vitula docta diligere triturum?* R. Ephraim eſt inſtar vitulæ, quæ à juventute ſua didicit non arare ſed triturare, id eſt, aream pedibus terere, & ferreos orbes ſuper acervum ſegetum trahere, ut paleæ à tritico ſeparentur, inquit S. Hieron. q.d. Ephraim detrectat ſubire jugum legis Divinæ, jugum obedientiæ & ſubjectionis, quia moleſtum, quia laborioſum, quia procul à præſepio; amat verò & ambit inter medios ſegetum acervos ambulare, ſegetes ore carpere, pedibus terere, imperium in ſubditos uſurpare, ex alieno labore fructus decerpere, tributa exigere, alienis opibus ditari, deliciari, impingvari: unde inſtar vitulæ bene paſtæ ac ſaginatæ collum ac dorſum habet admodùm pingve, pulchrum, & inſeſſioni percommodum. Et verò utar occaſione, & inſiliens tranſibo ſuper tam pulchrum & ſpecioſum collum, injectoq; fræno & jugo, & impactis lateri calcaribus, tumentes cervicum ejus toros edomabo, & ad aratra etiam in remotiſſimis à paſtu ac ſterilibus locis trahenda vel invitam ablegabo, nempe in Aſſyriam, inquit S. Hieron. Porrò vitulæ hujus ſic domitæ, ſic conſtrictæ, ſic ablegatæ exemplo, *Judas* & ipſe ſat antè petulcus ac rebellis, metu ſimilis mali, ſponte ſubibit jugum meum, & ex meo præſcripto arabit, & Divinæ legis meæ *ſulcos* aperiet, glebas ſcelerum *confringet*, virtutum remoras omnes tollet, & unà cum Juda idem tunc tanquam famulus ejus faciet etiam *Jacob*, id eſt, plurimi ex reliquiis exciſi regni Iſraelitici in ſudæam profugi. Id factum conſtat ſub Ezechia 2. Paral. 30. & 31. Ita S. Hieron. Lyran. & Tyrinus.

CAPUT

CAPUT XI.

Exprobrat Israëli collata in eum beneficia, & ingrato captivitatem, & alias pœnas intentat. Quibusdam tamen reditum spondet in patriam, unà cum tribu Juda.

Quæstio I. *De quo Rege dicitur* v. 1. *Sicut manè transit, pertransiit Rex Ismël?* R. de Osee ultimo rege Israelis, pertransiit in alteram vitam, sicut manè vel aurora, sub initia regni sui; cùm post longam ærumnarum ab Assyriis regibus inflictarum noctem, Israël nonnihil lucis 4. Reg 17. v. 3 ac prosperitatis maximè ex accursu SUA, ibid. v 4. regis Ægypti, persentiscere cæpisset, subita Salmanasaris indignatione spes omnis evanuit, rex captus & occisus, Samaria obsessa & excisa est. Ita S. Hieron. Cyrill. Theodor. & Tirinus, Causa tanti mali est ingratitudo Israelis in me, ejusq; rebellio. Quia cum ipse adhuc puer esset tenellus Ezech. 16. se regere nescius, neglectus ab omnibus, ab Ægyptiis oppressus, & neci destinatus; ego eum instar nutritij, imò instar matris dilexi, adoptavi, fovi, protexi, & quasi filium meum primogenitum & unigenitum ex Ægypto vocavi, & ex Ægyptiaca servitute in terram Sanctam, patribus ejus olim promissam, manu forti traduxi. In sensu allegorico agitur hìc de Christo, cujus ex Ægypto regressus figura ac typus fuit hæc totius populi Israelitici ex Ægypto evocatio: maximè cùm Christus populi istius pars & propago esset, eaq; nobilissima. Ita SS. PP passim & DD. imò S. Matth. c. 2. v. 15.

II. *Quid est trahere in vinculis Adam* v. 4? R. in vinculis hominis, id est funiculis, quibus homines solent trahi, id est, doloribus & adversitatibus, inquit Pradus vel, ut passim alij, amore ac beneficentiâ, q. d. Israelem, etsi more petulcæ vitulæ assiduè mihi obnitatur, nolo tamen ùt bestiam tractare, & funibus canabinis vel ferreis flagellorum vinculis invitam cogere, sed hominem ingenuum, & quidem charissimum filium amore & beneficiis allicere decrevi. Ita S. Hieron. Vatabl. à Lap. Tirin. & alij Tales funiculi fuerunt, columna in deserto, manna, aqua de petra, coturnices & tot victoriæ inquit Ruffin. Allegoricè incarnatio Verbi, prædicatio, passio, Eucharistiæ institutio, inquit Delrio ex S. Bern. serm. de cœna Dœmini: Perpetuò fui, & si velint adhuc *ero eis*, clemens Dominus, & quasi providus arator, exaltans & elevans, imò auferens per intervalla *jugum* & capistrum, quo inter arandum gravantur colla & maxillæ boum, & sic *declinavi cibum* ad Israëlem, *ut vesceretur*, ita Chaldæus. S. Hieron., Lyran. & Tirinus. *Vincula Adam.*

III. *Quo sensu dixit DEus* v. 8. *Quomodo dabo te Ephraim, & protegam te Ismël &c.?* R. Eleganter exprimit affectum dubitantis. *Quomodo dabo te Ephraim?* quo affectu erga te ero, quo animo? quid de te faciam? *Protegam te Ismël?* an protegam te à futuris calamitatibus, cùm pœnitentiæ oblitus idola quotidie me cernente adores? exprimit, inquam, affectum dubitantis, & nunc in hanc, nunc in illam partem propendentis. Quare sicut affectum propendentis in supplicium explicuit dicens: *quomodo dabo te? sicut Adama.* Ita altera etiam pars fuit explicanda, id est, affectus misericordiæ, ubi ait: *protegam te Israël.* Vis scire, quomodo erga te me gerere decreverim? quomodo erga Adama me gessi, & erga Seboim. Quid enim aliud tua postulat impietas? sunt autem Adama & Seboim urbes, quas Dominus absumpsit igne cœlesti simul cum Sodoma & Gomorrha Gen. 19. Quomodo id fieret maternum pectus? en luctam amoris & misericordiæ Divinæ cum justitia vindicativa ejusdem. Utrius erit victoria? vincat amor, triumphet misericordia. *Conversum est in me*, & immutatum *cor meum*, intimo animi sensu quasi pœnitens conturbor, dum menti occurrit tam severa sententia. Igitur statuo v. 9. *non facere*, non explere, *furorem iræ meæ*, ut stirpitus excindam aut *disperdam* omnes 10. tribus! *quoniam ego non sum homo*, qui furore ebrius soli iræ suæ obsequitur, sed sum *Deus*, qui vindictam misericordiâ tempero, imò supero. Ita Cyrill. Theodor. & alij Homo punit ut perdat, Deus autem percutit, ut emendet, inquit S. Hieron. Si vultis pœnitentiam agere, etiam nunc cùm portis urbis Samariæ per Assyrios immineo 4. Reg. 17. v. 5 recedam infecto negotio, *& non ingrediar civitatem.* Ita Ruffinus, S. Hieron & Rupertus. Sed heu, frustra omnes blanditiæ: manent perversi, manent aversi à me Israelitæ, idolis suis adhærescunt.

IV. *Qui & quando post Dominum ambulabunt* v. 10.? R. Nonnulli, sed non priùs quàm *quando rugiet quasi leo*, & per Assyrios regnum illorum in frusta discerpet. Quia igitur sic vultis, agedum *ipse rugiet*, & tanto, tamq; horribili rugitu, ut formidini ac furori futurus sit etiam *filijs maris*, id est, insulanis & transmarinis, id est, usq; ad extremos fines terræ & orbis. *Ambulare post Dominum.*

V. *Quenam est avis Ægypti* v. 11., *& cur ei comparatur Ismël è captivitate rediens?* R. esse Ibin vel accipitrem: utraq; enim Ægyptiis erat in honore, & sacra, imò divinis honoribus colebatur. Per eam ergo significat Israelis non tantùm celerem reditum, sed *Avis Ægypti.*

& indemnitatem ac dignitatem, honorem & reverentiam, quibus ab hostibus ipsis dimissus honorificè & gloriosè in patriam sit reversurus.

CAPUT XII.

Exprobat Israëli, quòd opis causâ recurrat ad idola, ad Ægyptios & ad Assyrios, dein Judam quoq; reprehendit, quòd iisdem idolis adhæreat, neglecto DEO, à quo tot beneficiis affectus fuit. Atq; ob hanc ingratitudinem aliaq; innumera scelera prædicit Israëli imminentem captivitatem & excidium: Judæ verò minatur eadem, ni resipiscat, sed spatium dat pœnitentiæ.

Ventum pascere.

QUæstio I. *Quo sensu dicitur Ephraim pascere ventum* v. 1.? R. Oleum & operam perdit, facitq; rem inanem, inutilem & futilem, imò noxiam & impossibilem, dum relicto DEO ad idola & idololatras in afflictione & vastatione contugiens ab eis sperat opem & salutem: perinde enim facit, ac si pastor velut gregem suum vellet pascere, ut eo se aleret & sustentaret. Pari enim modo Ephraim colit idola saxea, quæ juvare nequeunt, imò nocent: provocant enim iram & vindictam DEI. *Sequitur æstum,* nempe ventum Orientalem, qui uredinem frugibus, & febres hominibus aspirabat, cooperatur ad sui interitum; Ægyptiis mittendo oleum & similia, eorum gratiam aucupando contra Assyrios.

Jacob vidit Angelum.

II. *Quando Jacob in Bethel invenit Angelum?* R. imò, vidit eum scalæ innixum fugiens iram fratris Gen. 28. 13. adò, dum è Mesopotamia rediens, cum tota familia, jussu DEI ascendit in Bethel, ibiq; erigens altare, se suosq; omnes obstrinxit ad jugiter colendum Deum, ac proinde à DEO accepit promissionem terræ Chanaan & magnæ longæq; posteritatis, auctivitq;: *Cresce & multiplicare.* Gen. 35.

Divitiæ idolum.

III. *Quale idolum invenit sibi Ephraim* v. 8.? R. Opes & divitias. q.d. Obstrepunt mihi prophetæ, meq; ob stateras dolosas culpant & arguunt: At ego has voces non moror, sed ut garritus graculorum despicio: habeo enim penes me idolum, id est, Deum fortissimum (putà Mammonam, id est, divitias, quas mea unius industria mihi peperi) quo præsente neminem timeo, quia omnibus bonis abundo, Ita S. Hieron.

IV. *Quomodo DEus in manu prophetarum assimilatus est* v. 10.? R. Per Prophetarum facta & verba varias formas & similitudines assumpsit, nunc monendo, nunc minando, nunc blandiendo. Rursum assimilavit se nunc pastori, nunc aurigæ, nunc patri, nunc regi, nunc sponso &c. Deniq; jussit Prophetis, ut varias figuras & similitudines induerent, quibus eos permoverent ad emendationem. Sic Osee c. 1. jussit, ut suo matrimonio assimilaret se sponso, ambienti sponsam fornicariam. Ita S. Hieron. Theodor, Lyran. & alij. Nota hebraismum: *in manu prophetarum,* id est, per Prophetas, quasi per DEI organum & instrumentum: manus enim est organum organorum, ait Arist. In manu ergo, id est, ministerio, opera, sermonibus Prophetarum *assimilatus sum,* q. d. Quis ego sum, & qualis, quid velim, quid exigam, ex Prophetarum dictis & factis cognosci. potest: Prophetæ enim suis me actionibus gestisq;, æquè ac verbis repræsentârunt, ac meæ non tantùm mentis voluntatisq;, sed & indolis ac ingenij quamdam quasi similitudinem & imaginem oculis hominum subjecerunt. Ita Pineda l. 7. de Rebus Salom. c. 13.

V. *Quis est sensus* v. 11. *Si Galaad idolum, ergo frustra erant in Galgal bobus immolantes?* R. Si vitulus cultus ab Israele in Galaadita, non est nisi idolum, id est, iniquitas, vanitas. Numen fictum & inane, nec potens se suosq; clientes tutari adversùs hostes, ut vos, ô Judæi, oculis vestris jam conspicitis, nam altaria vitulorum nunc redacta videtis in acervos lapidum & terram arabilem; cur ergo etiam vos usq; eò insanitis, ut iisdem bobus seu vitulis hostias immoletis in ditione vestra nempe in Galgalis, idq; nullo vestro emolumento, sed frustra prorsus, imò cum maximo vestro damno spirituali & temporali. Ita ferè S. Hieron. Lyran. Sanchez & alij.

Jacob servivit.

VI. *Quomodo Jacob fugit in regionem Syriæ, & servivit Israël in uxorem, & in uxorem servivit* v. 12.? R. Fugit Jacob in Mesopotamiam Gen. 28. v. 2. & DEO providente effugit manus irati fratris sui Esau, servivit Israel avunculo suo Laban septem annis in uxorem Gen. 29. v. 18. id est, ad uxorem hoc servitio sibi eòemendam, nempe Rachelem; aliis item 7. annis ad aliam uxorem Liam sibi comparandam *servivit,* & pavit oves reliquosq; greges avunculi sui; tam felici successu, ut & Jacob & avunculus ditarentur quasi in immensum, & posteritas Jacobo succresceret quasi arena maris. *In propheta,* id est, per prophetam Moysen *eduxit Dominus Israëlem de Ægypto.* Per eundem prophetam servatus est toties Israel in transitu maris rubri Exod. c. 14. In Sinai Exod. 32. v. 11. & 31. In tot aliis locis deserti Exod. 17. v. 4. 9. &c.

CAPUT

CAPUT XIII.

Pergit ob idololatriam excidium prædicere Israeli: pœnitentibus tamen promittit liberationem, sed post multa tempora, & maximè per Christum, qui morte sua tam ipsos, quàm alios omnes in ipsum credentes liberabit à morte, à peccato, ab inferno: impœnitentibus verò pœnas infliget æternas.

QUæstio I. *Quando Ephraim loquente, horror invasit Israël, & deliquit in Baal & mortuus est.* v. 1.? R. Ephraim seu tribu Ephraimitica horror invadebat omnes tribus Israel, patuit in Josue Num. 13. v. 9 & 17 & sub Gedeone Judic. 8. v. 1. &c. & sub Jephte Judic. 12. v. 1. item in Jeroboamo 1 Reg. 11 v. 26. ejusq; posteris. Sed simul atq; *deliquit in Baal*, id est, coluit & coli jussit idola, *mortuus est* Jeroboam, non morte tantùm spirituali animæ, sed & corporali excisâ totâ ejus domo & stirpe regia & civili etiam morte, nullo deinceps loco habitus, sed vilis, infamis rejectus ab omnibus. ita ferè Chaldæus & Vatabl. Quis diceret deguſtatis tam amaris idololatriæ fructibus, non statim ab ea, tanquam à certissima peste defluxuros? Et tamen etiam nunc v. 2. *addiderunt ad peccandum*, idem idololatriæ peccatum repetentes, continuantes, adaugentes. Quodq; scelleratissimum est omnium simul & stolidissimum, animant se ad immolandos homines idolis, *immolate homines vitulos adorantes.*

II. *De qua liberatione agitur* v. 14. DE MANU MORTIS LIBERABO EOS? R. De liberatione à captivitate Babylonica, licèt enim ea primariè fuerit Judæorum, tamen secundariò quoq; fuit Israelitarum: multi enim ex ijs miscentes se Judæis, cum ijs e captivitate in Judæam redierunt. In captivitate enim erant quasi in morte & inferno, erantq; ibi morituri, & in infernum descensuri, nisi DEus inde eos liberasset. Typicè autem agitur hic de liberatione & redemptione Christi, qui moriens & resurgens Patres è limbo & morte liberavit vitæq; restituit. Alij hæc non typicè, sed ad literam accipiunt de Christo, qui sua resurrectione Patres inferno & morte liberavit, secumq; resurgere fecit: ac in fine mundi omnes pariter à morte ad vitam revocabit in universali resurrectione Ita S. Hieron. & alij passim.

III. *Quis dividet inter fratres* v. 15.? R. Ipse infernus seu tyrannus infernalis, imò divellens 10. tribus Israel à consortio reliquarum duarum, has in Assyriam, illas paulò pòst in Chaldæam dispergens. 2dò secernens mortuos à vivis, & damnatos à Beatis, inquit S. Hieron. *Adducet* enim mox DEus *ventum urentem*, nempe Salmanassarem, qui *fontem & venas* opum Israelis, & omnia desiderabilia ipsius funditus exhauriet atq; exscindet. ita Clarius & Arias. Sed S. Hippolytus id exponit de Antichristo; Liran. & Vatab. de igne quo conflagrabit mundus ante extremum judicium. S. Cyrillus, Hieron. Rupertus, & à Lap. Christo adaptant ad inferos descendenti. *Divisio inter fratres.*

CAPUT XIV.

Decernit excidium Samariæ, duci & auctori idololatriæ toti Israëli, hortatur omnes ad pœnitentiam, confessionis & deprecationis formulâ præscriptâ. Pœnitentibus veniam, gratiam, benedictionem omnem promittit, maximè per Christum. Israelis ad Christum conversi felicitatem amplè describit.

QUæstio I. *Quomodo hæc*, PEREAT SAMARIA *similesq; imprecationes in Scriptura sunt accipiendæ?* R. Duobus modis accipi possunt. imò ùt imperativus pro futuro accipiatur, & verba illa non sint optantis, sed tanta futura prædicentis, ut docet S. Hieron. in illud ps. 11. *Disperdat Dominus universa labia dolosa & linguam magniloquam.* Et Aug. in illud ps. 78. *Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt.* Imò verò omnes isti imperativi: Pereat Samaria &c &, in gladio pereant &c. tam in Hebræo, quàm apud LXX. futura sunt, non imperativi. Ex quo planè intelligitur esse prophetiam, & universa illis tempore captivitatis accidisse, ut notat S. Hieron. hoc est, allisos esse parvulos ad muros, & ad saxa, & prægnantes sectas fuisse atq; disruptas. Nonnunquam verò ita capiuntur, ut vere sint imperantis aut optantis, quomodo hîc Hieron. interpretatur. Imperat igitur, inquit, propheta, &, ut verius dicam, optativo modo loquitur, ut Samaria, id est, 10. tribus, pereat. Licet autem hoc sanctis vel divina virtute imperare, vel etiam optare, quo peccatores resipiscant; aut eorum suppliciis alij corrigantur, aut certè DEI justitia & potentia demonstretur.

II. *Qui sunt vituli labiorum* v. 3. *& reddemus vitulos labiorum nostrorum?* R. Sunt laudes in Deum & gratiarum actio. Sacrificium enim DEO spiritus contribulatus. *Vituli Labiorum.*

Igitur illo jam tempore carnalibus victimis reprobatis, placabilis DEO hostia est pura confessio, inquit S. Hieron. S. Thom. 2. 2. q. 85. a. 2. Docet orationi, quatenus satisfactoria est, maximè convenire, ut sit vocalis, ideo hîc dictum esse, & reddemus vitulos labiorum nostrorum, de satisfactione enim agitur. Confirmat hoc LXX interpretatio: & reddemus fructum labiorum nostrorum. Cyrillus: Promittite gratiarum actiones & confessionem, hi enim sunt fructus labiorum. Miseri Hebræi cum jam sint sine rege, sine templo, sine theraphim, nec possint vitulos immolare juxta legem, legunt in suis synagogis verba Moysis, & ritus sacrificiorum, & tantum vitulos labiis immolant, & de hoc suo statu putant Oseam dixisse, reddemus vitulos labiorum, atq; ita rem se DEO gratam facere arbitrantur.

Abies virens.

III. *Quo sensu dicitur* v. 9. DIRIGAM EUM EGO, UT ABIETEM VIRENTEM? R. Efficiam illum sicut abietem pulchram. Semper viret abies & latissimè ramos expandit. Hoc est, virebit gratiâ meâ, ne tentationum æstu arescat, & latè se per bona opera expandat. LXX. verterunt, ego ut juniperus condensa, sive cooperiens. Juniperi odor optimus est, & reptilia fugat, erit ergo sensus: Præbebo illis ad me accedentibus odoris suavitatem, qua ad me eos traham, & serpentes, hoc est, dœmones fugabo, ne eis noceant.

IN JOELEM.

CAPUT I.

Prædicit duabus tribubus adventum exercitûs Chaldæorum omnia miserabiliter vastaturi, & famem atq; sterilitatem inducturi.

Hostes sub 4. animalibus.

QUæstio I. *An verè animalia hoc cap. relata terram vastaverint, an verò eorum nomine hostium exercitus significatus sit?* R. Judæi propriè omnia accipiunt, dicuntq; magnam famem in terra 4. consequentibus annis fuisse, primo eruca cuncta vastante, & cæteris deinceps. Idem affirmat Ruffinus & quidam ex recentioribus. Sed non convenit inter eos, quo tempore hæc mala acciderint; veteres enim Hebræi ad Joelis tempora referunt, alij ad tempora Eliæ & Elisæi. Sunt qui ita hæc accidisse confirment, ut verba sonant, sed per ea tamen significatam fuisse vastitatem ab hostili exercitu inferendam, ut Theod. & Lyran. S. Hieron. Hebræorum sententiam rejicit hoc argumento, quòd quanquam liquidò affirmare nequeamus, aut factum esse hoc, quod ipsi dicunt, aut non esse factum, cùm nihil in Regum & Paralipomenon historia de hoc legamus: tamen si tot annorum fames, & tanta locustarum calamitas invecta esset, nunquam eam Scriptura tacuisset, quemadmodum nec famem trium annorum, & sex mensium tacuit sub Elia. Post hæc addit: tantum dicimus, quòd sub metaphora locustarum hostium describatur adventus &c. Confirmatur ex eo, quod sequitur: *Gens enim ascendit super terram meam &c.* quod hoc ipsum non obscurè significat.

II. *Quinam hostes sub his animalibus intelliguntur?* R. Eruca, sic dicta ab erodendo, leviter fruteta arrodens significat Pharaonem 4. Reg. 23. v. 29. Nechao regem Ægypti, qui occiso Iosia rege Juda, filium ejus Joachaz captivum abduxit in Ægyptum, & tributum Judæis indixit. Huic post triennium successit locusta Lev. 11. v. 22. quasi *loca ustulans*, seu exurens, ut numero & volatu, sic etiam morsu acrimonia longè superans erucam: designat Nabuchodonosorem regem Babylonis, qui primo anno regni sui, id est, tertio anno regni Joakim, regem regnumq; Judæorum sibi subjecit 4. Reg. 24. v. 1. ac tributarium fecit. Locustæ tamquam parenti successit bruchus, locustæ pullus, seu primus partus, designat autem turmas Chaldaicas, Syriacas, Moabiticas & Ammoniticas, quas Nabuchodonosor anno 8. regni sui, id est, anno 11. Joakim effudit in Judæam 4. Reg. 24. v. 2. & 10., quæ Joakimum occiderunt, & filium ejus Joachin, seu Jechoniam, Babylonem cum vasis templi, & præcipua Judæorum nobilitate devexerunt. Brucho supervenit rubigo, segetum pestis. Designat ultimam Nabuchodonosoris adversùs Judæos expeditionem, 11. anno Sedeciæ 4. Reg. ult. & 2. Paral. ult. qua & templum & urbs regia excisa, & populus vel occisus, vel cum rege suo Babylonem avectus est. Ita S. Hieron. à Lap. Tirin.

Dentes arma significant.

III. *Quæ gens ascendit, cujus dentes ùt dentes leonis* v. 6.? R. Chaldæa cum aliis auxiliaribus copiis, dentes ejus, id est, gladij & hastæ, ùt dentes leonis acutissimi & fortissimi, quibus omnia audacissimè, celerrimè, crudelissimè sternent, discerpent, exscindent, & *molares* dentes ejus, id est, balistæ, arietes, & aliæ machinæ bellicæ, omnia confringent, comminuent, evertent, ut solet *catulus leonis* obviam prædam convellere, dentibus adhuc integris, necdum pugnando attritis vel evulsis, ut subinde contingit leonibus grandævis, inquit Pineda.

CAPUT

CAPUT II.

Describit vim atq; impetum Chaldæorum in Judæos irruentium, eosq; ad pœnitentiam hortatur, & post pœnitentiam benignitatem Dei promittit, & libertatem spiritualium bonorum per Christum offerendam, ac deniq; ipsam Spiritûs Sancti effusionem, qui in die Pentecostes datus est Apostolis.

Manè expansum.

Quæstio I. *Quo sensu dicitur* v. 2. QUASI MANE EXPANSUM SUPER MONTES POPULUS MULTUS? R. Uti manè quaquaversum se spargit aurora, & prima lux solis, qui statim ut oritur, omnia suis radiis illustrat, omniaq; sua luce occupat; ita populus multus & fortis, nimirum locustæ hæ, putà Chaldæorum agmina, celerrimè omnes Judææ montes occupabunt. Aliter Arias, q.d. sicut manè luce oriente & occupante montes, tenebræ coguntur in valles; ita venientibus Chaldæis, montesq; occupantibus, tenebræ calamitatis & vastitatis cogentur in Judæam & in Jerusalem. Illi ergo erit *dies tenebrarum & caliginis*, ut præcessit; cùm Chaldæis aliisq; Gentibus erit manè lucidum, lætum & felix. *Similis ei non fuit à principio, & post eum non erit usq; ad annos generationis & generationis.* q. d. Per duas, vel per multas generationes & sæcula, nullus hostis nocentior fuit, aut erit Judæis, quam Chaldæi. Nam post plura sæcula, Romanos sub Tito Vespasiano magis illi nocuisse, planeq; eam evertisse & desolasse liquet ex Josepho, & ex moderna Judæorum per totum orbem dispersione. ita Theodor.

Ignis vorans ante faciem.

II. *Quis ignis vorans ante faciem ejus* v. 3.? R. Populus Chaldæorum quidquid attigerit, idipsum totum quasi flamma vorax consumet; ita ut ignem manibus præferre, eoq; omnia asflare & concremare videatur, adeo; ut omnia in solitudinem redigat, & post se non nisi carbones & cineres relinquat. ita S. Hieron. Aliter Sanchez. Ignis hic, inquit, est is, qui præferebatur regibus & castris Chaldæorum, quasi comes & dux viæ: ignem enim ùt Deum colebant Chaldæi. Ignis ergo erat eis quasi militare signum, minans & portendens incendia, cædes & strages. Hunc ergo hujus loci sensum dat: Præcedet castra hostilia in Judæam properantia ignis vorax, proprium insigne Chaldæorum: subsequetur alius, quem sparget hostis, ut Judæam, quæ prius erat hortus voluptatis, comburat & desolet.

Facies nigra ut olla.

III. *Quo sensu dicitur* v. 6. OMNES VULTUS REDIGENTUR IN OLLAM? R. det Chaldæus, *nigrescent quasi ollæ*, scil. præ timore & pavore. Timor enim sanguinem reducit ad cor, ut illi quasi arci in periculo consulat; unde extremæ partes, quasi exanimes & exsangves pallescunt, mox metu ingravescente nigrescunt. Levis enim metus pallorem; gravis, uti est mortis, nigredinem inducit. Sic Isa. c. 13. 6. De Babyloniorum clade ait: *facies combustæ facies eorum*, id est, nigrescunt pavore & mœrore: sicut enim lætitiâ vultus fit serenus & splendidus, ita tristitiâ & metu fuscatur & obnubilatur ait S. Hieron. & Theoph. 2dò Theodor. hæc refert ad famem, quasi ad causam. q. d. Præ fame fient luridi & atri: item solis ardore, cùm in Chaldæa, quasi mancipia cogentur laborare in luto, & alijs sordidis ministerijs, ait Sanchez, præsertim cùm fient ollarij, cacabarij, ferrarij, furnarij, carbonarij.

Spiritûs S. effusio.

IV. *De quo tempore intelligendus* v. 28. ET ERIT POST HÆC: EFFUNDAM SPIRITUM MEUM SUPER OMNEM CARNEM? R. Post Christi Doctoris adventum, prædicationem, mortem, resurrectionem, & ascensum in cœlum. Effundam maximâ copiâ Spiritum meum Sanctum ac Divinum primò visibiliter in Pentecoste, & ferè primo Ecclesiæ sæculo, deinceps verò invisibiliter *super omnem carnem*, Arabicus vertit, *inundare faciam Spiritum meum super universos homines*, scil. jam per baptismum Christo incorporatos, cujuscunq; demum fuerint ætatis, sexûs vel conditionis, etiam in gentiles jam conversos, ùt patet Act. 10. v. 44. De Pentecoste ergo Christianorum & subsecutis temporibus hunc locum accipiendum esse patet non solùm ex omnibus SS. Patribus, Doctoribus, & interpretibus, sed etiam ex Rabbinis, à Lyrano & Galatino citatis. Et omne dubium tollit S. Petrus, qui Act. 2. v. 17. eundem locum de tempore illo exponit, vocatq; *dies novissimos* quia nulla alia temporum, religionis vel legis mutatio erit post tempora, & post legem Messiæ. Porrò non sola Dona Spiritûs Sancti, vel donorum incrementa, sed ipsummet quoq; Spiritum Sanctum justis infundi in animam, ita ut eam per se impleat, possideat, sanctificet, patet tum ex Scripturis Joan. 14. v. 23. & 2. Pet. 1. v. 4. Rom. 5. v. 5. inquit Corn. à Lap. & fusè inter alios docet Lessius de Attrib. Div. c. 2. de Justificatione.

CAPUT

CAPUT III.

Describit extremum judicium, pœnamq; reproborum, & gloriam electorum.

Dies extremi.

QUæstio I. *De quibus diebus & de quo tempore fit sermo* v. 1.? R. De noviſſimis mundi temporibus. Multa enim ſunt, quæ ad illa neceſſariò referenda videntur, atq; hæc imprimis, *quia ecce in diebus illis, & in tempore illo, cùm convertero captivitatem Juda &c.* Non enim hoc factum eſt, quod nunc pollicetur, cùm Dominus docere cæpit: nec ullas tunc gentes deduxit ad vallem Joſaphat, ut diſceptaret cum eis, nec tunc converſa eſt captivitas Juda & Ieruſalem, cùm pauci Chriſtum agnoverunt, ac tota ferè gens excæcata eſt. De tempore verò poſt captivitatem Babylonicam facilè quisq; videt hæc non dici, quoniam neq; tunc hoc factum eſt, quod in hoc capite promittitur. In fine ergo ſæculi hæc fient, cùm Dominus plenè convertet populum Judæorum, ùt habetur Oſee 3tio Tunc ille populus à Diaboli miſerrima captivitate liberatus in veram libertatem reſtituetur, cæſo jam putatitio ipſorum Meſſia Antichriſto, convertetur ad fidem & cultum Chriſti.

Vallis Joſaphat.

II. *Quæ eſt vallis Joſaphat?* R. Aliqui putant, nullã fuiſſe vallem, quæ dicitur Joſaphat, ſed locum judicij, quicunq; ille erit, ab eventu dici vallem Joſaphat, quoniam ibi Dominus judicaturus ſit: Joſaphat enim ſignificat judicium Domini. Atq; ideo Chaldæus non vertit, in vallem Joſaphat, ſed, in vallem diviſionis judicij. Verius tamen LXX. & alij interpretes non appellativè, ſed propriè accipiunt nomen *Joſaphat*, voluntq; hìc deſignari vallem latam, longam & profundam, quæ eſt inter *Jeruſalem & montem Oliveti*, quam perluit torrens Cedron, & in qua hortus erat Gethſemani, ubi Chriſtus extrema nocte oravit, & proditus fuit à Juda, ubi gehenna erat & Topheth, & infantes cremabantur idolo Moloch 4 Reg. 23. 10. ubi & commune vulgi cœmeterium erat, ubi & ſepulta B. V. Maria, inquit Adrichomius. ubi & à pijs Regibus, Aſa, Ezechia, & Joſia combuſta templi idola & aliæ ſordes. Nomen verò accepit *vallis Joſaphat* ex triumpho, quem iſtic egit, & ex arcu triumphali, ac pyramide, quam ipſi iſtic erexerunt 2. Paral. 20. poſt victoriam partam de Ammonitis, Idumæis, Moabitis & Syris, inquit Ven. Beda. Fuerunt autem omnia iſta quaſi typi & figuræ eorum, quæ in judicio extremo in hac valle peragenda ſunt. Et Joel hìc v. 16. ſat indicat, vallem hanc judicij propinquam fore urbi Jeroſolimitanæ, ſupra cujus verticem in aëre Chriſtus judex thronum ſuum & tribunal regium figet, è quo diſceptabit, id eſt, judicio contendet cum omnibus gentibus in ſubjecta valle Joſaphat, vicinisq; circum regionibus in unum collectis.

In hac valle erit judicium.

III. *Cur in valle Joſaphat inſtituendum eſt judicium extremum?* R. Cùm debeat in aliquo loco judicium inſtitui, non videtur toto orbe, commodior deſignari poſſe quàm meditullium orbis pſ. 73 v. 12 inhabitati, in quo ipſemet judex per paſſionem & mortem ſuam *operatus eſt ſalutem* totius orbis. Ut ubi ipſe ab impijs judicatus, damnatus, crucifixus eſt. & ſummâ ignominiâ affectus, ſummo viciſſim honore ab omnibus excipiatur (ut ipſemet Caiphæ prædixit Matt. 26. v. 64.) & omne genu ipſi flectatur cœleſtium, terreſtrium & infernorum Philip 2. 10. ita SS. PP. & DD. paſſim. Hic JEſus, inquiunt Angeli Act. 1. qui aſſumptus eſt à vobis in cœlum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum.

Pueri poſiti in proſtibulo.

IV. *Quo ſenſu dicitur* v. 3. POSUERUNT PUERUM IN PROSTIBULO? R. Pueros populi mei poſuerunt in Lupanari, ut ſcil. ex eorum corpore expoſito Pæderaſtis ad innaturalem & execrandam libidinem, lucrum & quæſtum facerent. Sic & puellas vendiderunt partim ad libidinem, partim ad ſervitium, ut ex earum pretio vinum emerent, eoq; gulam ſuam explerent. S. Hieron. ait: *poſuerunt puerum in proſtibulum*, hoc eſt, proſtituerunt puerum lenonibus quaſi ſcortum maſculum, *ut cum virilem cogerent mutare naturam* uti fecit Jaſon 2. Machab 4. 9. LXX. vertunt *puerum dederunt meretricibus*. ſcil. pro pretio corporis earum ſibi proſtituti, q. d. Tam vili æſtimarunt pueros Judæorum, ut eos loco pretij darent meretricibus pro uſu corporis earum, ſive pro mercede meretricandi.

V. *Quæ erit illa dies, in qua montes ſtillabunt dulcedinem* v. 18.? R. Cùm jam Jeruſalem, id eſt, Eccleſia erit in cœlum translata, omnino implebitur promiſſio illa toties in Scriptura repetita de terra fluente lacte & melle, id eſt, vita erit plena omni jucunditate, & referta omnibus bonis ſine ulla mali admiſtione.

Fons de domo Domini.

VI. *Quis fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem ſpinarum?* R. Fons hic ſive ut S. Joan. Apoc. 22. 1. vocat, fluvius procedens de ſede DEi & agni, eſt profluvium bonorum, quod DEus emanat & effundit in Beatos per ſui viſionem & fruitionem beatificam. *Et irrigabit torrentem* ſeu alveum *ſpinarum*, id eſt hominum ſpinis olim peccatorum & tribulationum obſitorum, nempe maledictionem terræ, quæ vix aliud

præter

præter spinas & tribulos nobis germinat, tollet tunc, & corriget benedictio cœlestis, nihil præter gaudia deliciasq; immissura. *In torrente illius voluptatis*, inquit S. Bern. in Medit. c. 4. *nihil ultra appetet cumulata satietas, tanta erit felicitas. Ibi siquidem erit cumulus felicitatis, supereminens gloriæ, & superabundans lætitia.*

VII. *Quo sensu dicitur* v. 20. *Judæa in æternum habitabitur.?* R. Non potest hoc de terrena Judæa intelligi. Nam in fine mundi pariter suum habebit finem: & quia S. Scriptura promittit Judæis æquè ac aliis gentibus, post hanc vitam & post resurrectionem in fine mundi regnum æternum & glorioſum in cœlis. Ergo necesse est hæc accipere de Judæa & Jerusalem cœlesti. Cœlum ergo empyreum dicitur Judæa, id est, confessio & laus DEI: quia in eo jugiter Sancti Deum laudant, laudabuntq; in æternum & ut ait Tobias c. 13. 22. Per vicos ejus alleluja cantabitur, & psal. 83. 5. *Beati, qui habitant in Domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* Idem cœlum vel potiùs pars & civitas cœli, in qua simul quasi cives degunt Beati, fruentes DEO & Christo, vocatur Jerusalem, id est, visio pacis, id est, possessio bonorum omnium, totiusq; æternitatis, quin & ipsius DEI, ac Sanctissimæ Trinitatis. Hæc enim erit sors & hæreditas æterna Sanctorum. Ibi enim Deus erit omnia in omnibus. *Judæa in æternum habitabitur.*

VIII. *De quibus dicitur* v. 21. ET MUNDABO SANGVINEM EORUM, QUOS NON MUNDAVERAM? R. De electis q. d. auferam peccata electorum, quæ usq; ad illud tempus non abstuleram, quod & de aliis intelligi potest, qui obdurati fuerunt, sed maximè de filiis Israel; Ac si dicat: Cùm hæc facienda erunt, priùs ad me integrè convertam gentem Judæorum, quæ immunda jacebat in sua infidelitate. Dixit enim Matt. 27. *Sanguis ejus super nos, & super filios nostros*, atq; hinc à DEO derelicta tota jacet in sanguine, id est, in immunditia peccatorum, & deniq; in fine sæculi piè credendo & obediendo mundabitur eo sanguine, quem olim impiè fudit. *Et Dominus commorabitur in Sion.* Cùm completus fuerit numerus civium cœlestis Jerusalem, tam ex Judæis, quàm ex gentibus, Dominus in sublimi, ac beata illa Sion æternùm cum eis commorabitur, & æternùm ab eis videbitur.

AMOS.

CAPUT I.

Damasco, Gazæ, Tyro, Idumææ, & Ammonitidi, ob innumera scelera, maximè in Judæos admissa, excidium prædicit.

QUæstio I. *Quis fuit Amos?* R. Non fuit ille Isaiæ c. 1. v. 1. parens, è regio sanguine (ut vult Epiphanius & Clemens Alexand.) sed rusticus armentarius, hîc c. 7. v. 14. bubulcus; vel, ut ait S. Hieron. opilio: indeq; à Spiritu S. qui humiles exaltat, instar Davidis evectus ad munus propheticum, inquit idem S. Hieron. Basil. Nazian. Aug. & alij. Amos idem est, quod *populus avulsus*, supple, à DEO à sceptro Davidico, ut tunc temporis erat Israel, cujus typum nomine hoc gerebat Amos. Israëli captivitatem prænuntiat Assyriacam, Judæ Babylonicam: mixtis hinc inde lætis prænuntiis de Messia, qui libertatem, pacem, omnemq; prosperitatem, & quasi aureum sæculum in orbem invehet. Dum in Samaria & Bethel idololatras increpat, ab Amasia vitulorum sacerdote frequenter plagis afflictus, tandem per filium ejus Osee tempora vecte transfigitur, ac semivivus in Thecue devectus, post pauculos dies ex vulnere occubuit: cujus sepulchrum istic tempore S. Hieronymi adhuc visebatur. unde & Sanctorum Martyrum Catalogo adscriptus legitur in Martyrologio Rom: 31. Martij. Ita Sanchez ex Epiphanio, Isidoro & aliis. *Amos.*

II. *Quando contigit terræ motus, cujus hic fit mentio* v. 1.? R. anno 25. *Oziæ* seu *Ozariæ* regis Juda, quando victoriis contra Philisthæos, Arabes & Ammonitas 2. Paral. 26. insolentior factus arrogavit sibi munus sacerdotale, & ingressus templum adolevit incensum in altari thymiamatis. Tunc enim & leprâ percussum regem, & terram Judææ vehementissimè concussam, & vicinum montem dississum tradit Josephus, & ex eo Script. cit. Porrò duobus annis ante hunc terræ motum, id est, 23. anno regni Oziæ, cœpit Amos prophetare. *Terræ motus.*

III. *Quid intelligit per speciosa pastorum* v. 2.? R. Pascua, per quæ metaphoricè intelligit speciosas urbes & palatia, æquè ac agros & prata Judææ, q. d. Sicut leone rugiente aufugiunt pastores cum gregibus, ideoq; pascua deserta ac desolata lugere & squallere videntur; ita DEO rugiente, & per Chaldæos sæviente contra Israelitas aliasq; gentes, omnes eorum speciosæ urbes & domus æquè ac agri & campi vastabuntur & desolabuntur cæsis vel abductis eorum incolis & cultoribus, ita ut mœrere & lugere videantur. Amos utpote pastor appositè utitur Metaphoris desumptis à pascuis, ut observat S. Hieron. *Speciosa pastorum.*

IV. *Quo*

IV. *Quo sensu dicitur* v. 3. *super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor non convertam eum?* R. Unitas est principium numeri, binarius primus & minimus numerus, ternarius prima multitudo, ergo super tria & super quatuor, significat præter multitudinem unum singulare, & sensus est, Inter scelera valde multa est unum singulare, propter quod non convertam Syriam, à pœna ipsi imminente. Quod trituraverit Galaaditas in plaustris ferreis, quibus concidebant frumenta. Factum est hoc sub Hazael rege Syriæ 4. Reg. 8. 12.

Captivitas perfecta.

V. *Quam intelligit captivitatem perfectam* v. 6.? R. Integram captivitatem, id est, omnes captivos nemine excepto. Hic fuit cumulus peccatorum Gazæ, & reliquæ Palæstinæ, quæ jam Deus nequaquam ultra se passurum minatur, quòd omnes, quos ex Judæis captivos duxerant, nemine excepto transtulerunt in Idumæam, & Idumæis vendiderunt, & quos potiùs, ùt injuriâ captos, in patriam suam remittere debuissent, Idumæis tradiderunt, ut hostiliter tractarentur, & longiùs à patria exularent, & quasi perpetuò carcere concluderentur.

CAPUT II.

Moabitidi, Judæa & Israëli excidium prædicit, & huic ingratitudinem exprobrat, & alia scelera.

QUæstio I. *Quando Moab incendit ossa Regis Idumææ usq; ad cinerem?* R. Rex Idumææ cum Josaphat & Joram, regem Moabitarum obsidentes, ita eum angustârant, ut is proprium filium suum Diis placandis immolârit 4. Reg. 3. Quo facto Moabitæ, tanto odio in Regem Idumææ exarserant, ut ejus postea mortui cadaver effossum in cineres redegerint: quam crudelitatem hîc Deus detestatur.

Justus venditus?

II. *Quo sensu dicitur Ismël* v. 6. *vendidisse pro argento justum?* R. dicitur vendidisse justum justorum, putà pauperum innocentium, causam & substantiam, ut eam in judicio adjudicaret divitibus propter pecunias & munera accepta ab eis; qui illos, illorumq; bona injustè invadebant, & à judice sibi dari deposcebant. Venditio ergo justorum tempore Amos, non fuit ipsorummet justorum, hoc enim eos fecisse nusquam legimus, sed prædiorum & opum eorumdem, qua scil. donis judici oblatis pervertebant judicium, ac emebant ab eo sententiam injustam, per quam ipse eis adjudicabat bona pauperum. Ita Chald. S. Hieron. Lyran. & alij. Propriè verò quartum hoc scelus Judæ & Israëlis est, quòd vendiderit, id est, venditurus sit *pro argento*, putà pro 30 argenteis, *justum*, scil. Christum, qui antonomasticè est justus, quia Sanctus Sanctorum. Christo enim propriè singula hæc verba competunt, & non alteri; & ad Christum quasi ad scopum & amorem suum, data vel levi occasione & similitudine, subitò avolare solent prophetæ. Est ergo hîc duplex sensus, isq; literalis, vel potiùs prior de justis quibuslibet tempore Amos literalis, posterior de Christo allegoricus. Ita à Lap.

Venditio justi.

Pauper venditus pro calceamentis.

III. *Quomodo dicitur* v. 6. *Ismël vendidisse pauperem pro calceamentis?* R. Pauper hîc dicitur venditus, eò; quòd ejus jus, causa, & substantia sit vendita. Sic enim dicitur vulgò homo vendi, dum in judicio vel extra judicium ejus status vel jura venduntur, ita S. Hieron. & alij cit. Nota adagium pro *calceamentis*, id est, exiguo & vili pretio. Sic vulgò dicitur: Non pluris eum facio, quàm meos calceos: tanti æstimo, quanti veteres calceos.

Humilium via.

IV. *Quo sensu dicuntur Israëlitæ viam humilium declinare* v. 7.? R. *Viam*, id est, jus, rem, & causam pauperum in judicio ob munera subvertunt litemq; & victoriam diviti munera danti transcribunt. Vel etiam generalius, *Viam*, id est, consilia, instituta, conatus pauperum subvertunt, eosq; cogunt incœpto desistere, illisq; suâ potentiâ & iniquitate omnis boni aditum & viam præcludunt.

V. *Quid innuitur illis verbis* v. 7. *Filius & Pater ejus ierunt ad puellam* v. 7.? R. Notatur nefandus incestus, LXX. enim vertunt, ad unam eandemq; puellam; nempe pater, abusus est nuru sua, seu uxore filij sui, & filius socru, seu uxore patris sui. Vel certè, eandem puellam & meretricem habebat uterq; pro concubina. Itaq; *violarent nomen sanctum DEI*, exponendo illud infamiæ, & ludibrio gentilibus dicentibus: Ecce quàm spurci & obscœni sunt Israëlitæ; quàm spurca ergo eorum fides, & religio sit oportet: & qualis eorum Deus, qui ista tolerat, nec punit? Hujus blasphemiæ causam dabant suo incestu Israelitæ.

Comedendi ritus.

VI. *Quid carpitur in Ismëlitis* v. 8. *Et super vestimentis pignoratis accubuerunt, juxta omne altare?* R. Israelitæ cœnaturi vel convivaturi non sedebant ad mensam, sed juxta eam discumbebant, id est, jacebant in lectulis, qui inde cœnatorij dicebantur. Taxat ergo eos, quòd immolantes victimas, discumberent in lectulis, & vestibus, quas à pauperibus, præsertim nolentibus edere hosce vitulos, vi extorserant, quasi pignora pro debitis: aut quòd iis divenditis ex pretio victimam & epulum instruerent: unde ad illud accum-

accumbentes, censebantur ad vestes pauperum pignoratas discumbere, & super iis epulari, cùm tamen Deus jussisset pignus pauperi ante noctem reddi Deut. 24. 12. Ita Hebræi & ex eis Hieron. Lyran. & Vatab. Peccabant ergo dupliciter, imo, quòd has vestes eriperent pauperi, 2dò quòd iis colerent idola.

VII. *Quale vinum damnatorum Israëlitæ bibebant in domo DEI sui* v. 8.? R. Damnatorum, quos per calumniam & vim damnârant ad spolium vel ad mortem. Unde LXX. vertunt, *vinum de calumniis bibebant.* Chaldæus, *bibebant vinum rapinæ*, utiq; expressum ex oppressione & conculcatione pauperum. q. d. Pauperes, præsertim DEI veri cultores, nec in Dan & Bethel, sed in Jerusalem sacrificantes calumniis & falsis testibus circumventos damnabant, bonisq; mulctabant; ex quibus instituebant sympolia, seq; inebriabant in suis idoleis, quasi hac idololatria, calumnia, rapina & ebrietate Deos suos honoraturi, & Deum verum Judæorum offensuri. Ita S. Hieron. Theodor. Lyran. & Vatab. *Vinum damnatorum.*

CAPUT III.

Prædicit Israelem Assyrius & irato DEO, quasi leoni & aucupi in prædam dandum: unde vicinos convocat Philisthæos & Ægyptios, ut, sicut scelerum, ita & stragis Israelitarum sint spectatores.

QUæstio I. *Quo sensu dicit DEus* v. 2. *ad Israëlitas*, EX OMNIBUS COGNATIONIBUS, seu nationibus TERRÆ TANTUMMODO VOS COGNOVI? R. Solos vos elegi, (ut vertit Chaldæus) in populum mihi proprium, in familiares, in amicos, in filios. ut vos quasi pater alerem, tuêrer, proveherem, exaltarem, cur ergo spreto me, deflexistis ad idola, inquit Chald. Vatab. & à Lap

II. *Quod malum dicitur Deus fecisse in civitate* v. 6.? R. Pœnale. Sine ipsius etiam nutu, qui creator & gubernator est universi, & judex & vindex omnium, nullus seu hominum seu Dæmonum potest vel manum movere, vel verbum effutire, quo quis lædatur vel contristetur. Et pari modo, cùm voluerit ipse ferire, non est, vel in cœlo vel in terra, qui præpedire possit. *Malum fecit Deus in civitate.*

III. *De quibus dicitur* v. 12. ERUENTUR FILII ISRAEL, QUI HABITANT IN PLAGA LECTULI? R. de illis, qui ægri vel læsi decumbunt in lectulo plagato, seu plagis, id est, assumentis, vel centonibus resarcito. q. d. Soli pauperes, ægri & miseri, qui in finibus Samariæ, vel Damasci sub centonibus decumbentes deprehendentur, pro reliquiis relinquentur ibidem ab Assyriis tantæ cladi superstites, qui fidem posteris faciant cœsæ & excisæ gentis Israeliticæ olim tam florentis ac potentis: ut fidem solet suis facere pastor, vervecis à leone discerpti, si possit vel *duo crura* vel *extremum auriculæ*, ex rictu ipsius jam saturi ereptum ostentare.

IV *Quæ est Domus hyemalis & æstiva* v. 15.? R. Solebant proceres & alij opulentiores subinde domos & palatia sua pro varietate temporum, frigoris & caloris mutare, hyeme affectantes, quæ Austrum respiciunt, æstate quæ Aquilonem. Sic Joakim Rex Jer. 36. erat *in Domo hyemali mense nono*, qui respondet nostro partim Novembri, partim Decembri.

CAPUT IV.

Prædicit avehendos ab Assyriis Israelitas in Armeniam: exprobrat, quòd castigati fame, siccitate, vento urente, aurugine, eruca & peste, nihilo tamen meliores effecti sint: unde pessima quæq;, imò extremum excidium ipsis intentat.

QUæstio I. *Quos intelligit per vaccas pingves* v. 1.? R. Optimates, sive divites substantiarum, ut vertit Chaldæus. Quod nomen rectè in eos convenit, quoniam ventri tantùm & deliciis indulgebant: in quo etiam significat (ut ait S Hieron.) eos non agriculturæ, sed immolationi, & esui præparatos esse, id est, occisioni & captivitati. Alij per vaccas pingves, Hebr. vaccas Basan, intelligunt sacrificulos, qui vaccis cùm immolarent, ipsi quoq; quodammodo in vaccas abibant. Horum conciones erant: *Afferte nobis* opes populi, & peccata vestra sacrificando abolebimus. *Vaccæ pingves.*

II. *Quo sensu dicitur*, LEVABUNT VOS IN CONTIS, ET RELIQUIAS VESTRAS IN OLLIS FERVENTIBUS v. 2? R. Assyrij hastis suis vos configent, & cæsorum capita lanceis seu contis affixa deferent in triumphum; *reliquias* autem *vestras*, putà plebem, in urbibus, arcibus, domibus suis vel in speluncis ad quas confugient, quasi pisces in ollis ferventibus elixabunt & comburent, inquit Lyran., à Castro, & à Lap. Vel etiam Optimatum quorundam, quibus magis succensebunt, reliquias, id est, quod reliquum erit de carnibus levatis in contis, conjicere jubebunt in ollas ferventes, quod factum sub

Henrico Rege Angliæ in quosdam ex Carthusiensibus Martyres ita sæviente. Ita Ribera. Qui etiam addit, ita exponi posse: reliquiæ vestræ, id est, qui ex vobis effugerint, & in arces sive in domos munitiores se receperint, simul cum ipsis domibus comburentur, ut per ollas ferventes metaphoricè intelligamus domos succensas.

Rupturæ murorum. III. *De quibus rupturis loquitur* v. 2.? R. De rupturis murorum q. d. Alij ruptis multis in locis, perforatisq; muris ab Assyriis, educemini alter in conspectu alterius, videbitis enim vos mutuò, neq; opem vobis mutuò ferre poteritis. *Et projiciemini in Armon,* id est, in loca Armeniæ, sic dicta ab Aram Gen 10. 22. filio Sem, quæ est vicina & subjecta Assyriis. ita S. Hieron. Mox apposito sarcasmo insultat vaccis: *Venite* ad pinguia vestra pascua in *Bethel,* vitulamini isthic cum vitulis vestris, & cum aliis idolis in Galgalis Osee 9. Satiare vos victimis, quas manè & vespere instar jugis sacrificij à me instituti, offerre ipsis consueviſtis: item ditate vos decimis, quas *tribus* solemnioribus anni *diebus* Exod. 23. etiam Israelitæ, velut supiæ Judæorum afferunt ad idola sua, ut olim solebant ad me afferre in templum Jerosolymitanum. Ita Rupertus, Lyran, & alij. *Et laudem,* id est, sacrificium laudis, seu gratiarum actionis, quod mihi ex meo instituto non potest nisi ex azymo offerri, vos idolis vestris offerte *ex fermentato.* Sed quia vos me privâstis victimis mihi debitis, & incrassari voluistis victimis idolorum, ego ex adverso privavi vos pane & cibo ad vitam sustentandam necessario.

CAPUT V.

Prædicit simul & plangit extremum imò æternum regni Israelitici excidium ob enormia ejus scelera, ac præsertim ob rapinas & oppressiones pauperum. Hortatur interim omnes ad resipiscentiam & pœnitentiã.

Domus Israël. QUæstio I. *Quid intelligitur per domum Israël* v. 1.? R. Regnum decem tribuum excisum ab Assyriis, quod nunquam resurget. Semel enim abducti Israelitæ in Assyriam & dispersi per vicinam Mediam & Armeniam nunquam ampliùs coaluerunt in unam Remp. nec in patriam reversi sunt, nisi pauculi, qui se tribui Judæ inseruerant. Osee 1. v. 6.

Judicium. II. *De quo judicio est sermo* v. 7. QUI CONVERTITIS IN ABSYNTHIUM JUDICIUM? R. imò potest propriè accipi. Sæpe enim Prophetæ culpant Israelem, quòd perverteret judicium adjudicando causam nocentibus, utpote amicis, vel divitibus, vel dantibus munera; & innocentes, quia pauperes & inimici, condemnando, quibus proinde æquitas & consolatio, quam quærebant ex judicio, vertebatur in amaritudinem injustitiæ & condemnationis, quæ illis acerba & amara erat instar absynthii. Ita Rupert. Hugo, Lyran. & à Lap. 2dò S. Hieron. *judicium* generatim accipit pro justitia & sanctitate, putà pro debito & officio virtutis quod quisq; DEO & proximo præstare debet. Sic David ps. 118. ait se fecisse judicium, id est, quod æquum est debitum & gratum DEO. q. d. Vos, qui convertitis virtutem in vitium, justam & sanctam vitam in peccati amaritudinem, eaq; quasi absynthio potatis Deum.

Arcturus. III. *Quis est Arcturus* v. 8.? R. est ursa minor, scil. septem stellæ, quæ sitæ sunt juxta polum Arcticum, ideoq; circa illas volvitur axis cœli, nobisq; semper apparent, & nunquam occidunt, inquit Albertus. Verius Arcturus est stella ingens in sydere Bootæ, sive bubulci post caudam majoris ursæ, ideoq; vocatur Arcturus, quasi ursæ cauda. Arcturus suo ortu æquè ac occasu grandines & procellas ingentes concitat, ait Plin. l. 2. c. 39. Addit Ribera & Pineda, duo hæc horrida sidera Arcturum & Oriona, tempestates cientia, præ aliis hîc nominari, quòd symbola sint iræ & vindictæ Divinæ, quæ hîc Israelitis intentatur.

Judicium in portæ. IV. *Quem intelligit per corripientem in porta* v. 10.? R. Prophetam. Prophetæ enim prædicabant in publicis plateis, & magis in portis, tum ob confluxum hominum, tum quia in portis sedebant judices, Procuratores & advocati iniqui, pervertentes judicia, & causas pauperum, quos redarguebat Amos, aliiq; prophetæ. Judæi enim sua judicia exercebant in portis, quia ad eos liberè & facilè convenire & confluere poterant tam alienigenæ, quàm indigenæ, tàm coloni, quàm cives. Ita sanxit Moyses Deut. 21. 19. *Ducent,* inquit, *reum ad seniores civitatis & ad portam judicij.*

Tabernaculum Moloch. V. *Quando Israëlitæ portârunt tabernaculum Moloch eumq; coluerunt.?* R. Id eos fecisse, Num. 25. 1. Dum fornicantes cum filiabus Moab coluerunt Beelphegor. Nam Josephus l. 4. Antiquit. 6. ait, eos tunc non unum, sed multos Deos coluisse: & Ammonitæ vicini erant & cognati Moabitis: quocirca hi ab illis acceperunt idolum & cultum Moloch. Nec Moyses id impedire potuit, sicut impedire non valebat cultum Beelphegor in populo furente, & principibus populo consentientibus, imò illi in scelere præeuntibus, ut habetur Num. 25. 4. Licet ergo Moyses id in Pentateucho non scripserit, tamen

mer id revera contigisse patet ex Amos, & ex S. Stephano Act. 7, qui vel traditione Majorum, vel revelatione DEI id acceperunt.

CAPUT VI.

Carpit Optimates Israëlis, qui ex rapinis pauperum lasciviebant in stratis eburneis, bibebant vinum in phialis, nihil curantes impendentia Reip. mala: unde jurat illos mactatum iri, & perditum funditus.

Quæstio I. *Quod est solium iniquitatis* v. 3. ET APPROPINQUATIS SOLIO INIQUITATIS? R. Est regnum, tyrannis, & solium imperij Assyriorum, qua Israelitas judicabunt, id est, vindicabunt, capient & punient, quasi submissi judices & vindices à DEO, ad ulciscendum idololatriam, aliaq; scelera in Deum commissa. q. d. Vestris continuis sceleribus accersitis Assyrios, & acceleratis vestrum excidium. Ita S. Hieron. à Lap. & alij. *Solium iniquitatis.*

II. *Quo sensu dicitur* v. 6. *Nihil compatiebantur super contritione Joseph?* R. Nullo sensu tangebantur, nulla commiseratione fratrum suorum ex decem tribubus, magno ubiq; numero tyrannicè oppressorum, imò contritorum, partim ab impiis & crudelibus Optimatibus, partim ab hostibus Syris & Assyriis, cùm, si viscera ipsis essent fraterna, deberent singulos eo affectu complecti, quo suos olim fratres complexus est Joseph. Gen. 45. Ita à Lap. Tirinus, & alij

III. *Quis dicet* v. 11. *Tace & non recorderis nominis Domini?* R. S. Hieron. & Vatablus, Solebant, inquit, in lamentis & ærumnis v. 3. in funeribus nominare & invocare nomen Domini: Israelitæ verò adeo erant idolis addicti, ut nec in funere vellent Deum verum nominare & invocare. Lyran. verò, Sanchez & Ribera censent esse verba incolæ domûs, qui ex impatientia dicat propinquo eum solanti, & ut DEI opem invocet, svadenti; noli mihi refricare nomen Domini: ipse enim horum funerum, & malorum omnium mihi est author. Ita ex impatientia delirant impij, cùm, si saperent, in tribulatione ad Deum recurrerent, & omne suum refugium in eo collocarent. Imò Gentiles in afflictione suis Diis, quasi ejus auctoribus maledicebant, Sinæ & Japones eos flagellabant.

IV. *Quomodo intelligendus* v. 12. *Percutiet domum majorem ruinis, & domum minorem scissionibus?* R. Domum majorem, id est, regnum 10. tribuum ac Samariam percutiet *ruinis*, id est, pleno interitu & perpetua captivitate ut plane corruat & pereat regum Israel, instar testæ casu diffractæ, quæ reparari, & redintegrari nequit. *Domum minorem* verò, seu duas tribus, *percutiet scissionibus*, id est, rupturis & fissuris magnam partem occidendo, partem in exilium ablegando: Has tamen scissuras sarciet aliquando, & restituet per Esdram & Nehemiam, sub Cyro & Dario & Artaxerxe, inquit Chald. S. Heron. Lyran. Ribera & alij. *Domus major & minor*

V. *Quid innuitur* v. 13. *Numquid currere queunt in petris equi, aut arari potest in bubilis?* R. Vult dicere: præposterè laboratis, ô Israelitæ, cùm ex cultu idolorum, ex rapinis pauperum, ex aliis sceleribus conamini vos, vestramq; Remp. augere, extollere, stabilire, perinde enim facitis, ac si in præruptam rupem aut equum ad cursum, aut boves ad arandum incitaretis, quod non frustra modò & inutile, sed & noxium foret, imò impossibile, ita Syrus, Vatabl. & alij.

CAPUT VII.

Tres visiones commemorat, in quibus omnia mala, quæ tam decem tribubus, quàm duabus imminebant, intellexit. Deinde Amasiæ Pseudo sacerdoti Bethel prophetare prohibenti instantia supplicia prædicit.

Quæstio I. *Qui per locustas intelliguntur* v. 1. R. Assyrij, qui paulò post hanc prophetiam, hoc est, quarto anno regni Ezechiæ, duce Salmanasare rege venit in Samariam, ac decem Tribus transtulit in terram suam, ut narratur 4 Reg 18. Quoniam autem Assyrij per totam illam terram decem Tribuum latè effusi, penitus eam demoliti sunt, eoq; præcipuè tempore, quo Israelitæ post primam tonsionem, ut hîc dicitur, factam sub rege Teglatphalasar, cùm pars decem tribuum attonsa est, id est, in captivitatem ducta, germinare incipiebat, & in spem erigebatur recuperandi pristinam libertatem: idcircò congruentissimè hoc loco æquiparantur locustis, quæ terras ingenti clade devastare solent, eo præcipuè tempore, quo prata, horti, pomaria virescere ac germinare solent: *in principio*, inquit, *germinantium serotini imbris*, id est, cùm solent omnia germinare per imbrem in vere decidentem: serotinus enim imber vergente in finem Aprili decidit, ut fructus ad maturitatem perducat. Serotinus imber dicitur ad differentiam temporanei, qui decidit mense Octobri, servitq; sationi. *Et ecce serotinus* *Locustæ Assyrij.*

nus post confusionem, indicat post cladem inductam à Rege Assyriorum, qua velut totondit 10. Tribus, affulsisse aliquid lucis, & prosperitatis, ac decem ipsas Tribus quasi serotino infusas umbre repullulâsse.

In igne apparet Dominus.

II. *Cur Dominus apparet in igne* v. 4.? R. Quia incensurus erat Jerusalem, & solo æquaturus per Nabuchodonosorem Regem Babylonis. Historia narratur 4 Reg ult. Nabuchodonosor regnante Sedecia obsedit urbes cepit, incendit, duxitq; captivas in Babylonem duas Tribus, Iuda & Benjamin: Est autem succensio clades desolationi propria, quoniam ignis omnia comminuit, redigitq; in cineres

Abyssus multa.

III. *Quid per abyssum multam intelligitur* v. 4.? R. Intelligitur urbs Jerusalem, quæ amplissima erat, & populis frequentissima ita; ut abyssus quædam gentium esset. Pulchra metaphora, inde videlicet sumpta, quòd in magnis urbibus, ubi est, gentium multitudo ingens, ac frequentia, ingens quoq; solet esse murmur concursantium hominum, sidq; valde simile murmuri aquarum multarum, quale in mari ex undarum reciproca collisione consurgit. Aquæ verò in Scriptura significant multitudinem hominum Apoc. 17. 15. *Aquæ, quas vidisti, populi sunt, & gentes & linguæ.* Quod verò additur, & *comedit simul partem*, Chaldaicè *hæreditatem*, significat templum, auctore Hieronymo, quod erat velut hereditas DEI: illud autem simul cum urbe incendio absumptum est.

Visio super murum.

IV. *De quo tempore intelligenda est visio Domini stantis super murum litum* v. 7.? R. Rupertus explicat de extremo excidio Jerusalem illato per Titum, sed id non convenit historiæ, nam illud: *& demolientur excelsa idoli*, quomodo cum tempore Titi quadrare potest, quando nulla idola erant in Israel? Cogit ergo narrationis series explicare præsentia de vastitate 10. Tribuum, quam tempore Zachariæ regis filij Jeroboam, Amos qui tunc vivebat, apud Judam vaticinatus est, futuram post annos 49. cum omnino deleti sunt Israelitæ, & captivi ducti ab Assyriis.

Murus litus

V. *Quis est murus litus* v. 7.? R. Qui calce superducta complanatur, non tantùm ut pulchrior, sed maximè ut perseveret firmior contra injurias imbrium, ac tempestates, ùt ait S. Hieron. docetq; experientia parietes rudiores, seu malè litos, quos imbrium cadentium multiplicati ictus excavare solent, paulatim debilitari, & in ruinm trahi. Unde est illud Domini per Ezechielem c. 13. 11. *Dic ad eos, qui liniunt absq; temperatum, quòd casurus sit: erit enim imber inundans.* Murus ergo litus significat 10 Tribus, dum à DEO protegebantur, stetisse integras ac fortes contra omnium hostium impetus. Ideo videtur Deus super murum, vel prope murum (nam, super, idem est aliquando, ac, prope, juxta illud Lucæ 4. 38. *Stans super illam imperavit febri*, hoc est, prope illam.) *In manu ejus trulla cæmentarij.* Trulla est instrumentum, quo fabri murarij parietes liniunt. Significatur autem Dominus propitius adhuc decem Tribubus, ope sua, & cura confirmare ac stabilire illas.

CAPUT VIII.

In visione Uncini pomorum præmonstratur captivitas Israel, cujus afflictiones & cladem, & dolores fusiùs commemorat, postquàm eorum avaritiam & crudelitatem in pauperes, tanquàm causam horum malorum reprehendit.

Uncinus.

QUæstio I. *Quid est uncinus?* R. est instrumentum rusticanum; lignum scil. oblongum ferro præfixum recurvo, vel potiùs, ùt sæpiùs evenit, non ferro, sed ex ipsomet ligno promicante surculo incurvum, quo rami arborum attrahuntur, ut poma colligantur. Est ergo sensus, ait S. Hieron. Sicut uncino rami arborum attrahuntur ad poma maturiora carpenda; ita ego maturum captivitatis tempus attraxi. Optimè & Lyranus rem explicat: Poma, ad quæ pertingere è terra possumus, manu ipsa decerpimus, illa, quæ longiùs distant, uncino, attrahimus. Significatur ergo, primùm quidem aliquos ex Israelitis capiendos, ùt narratur 4. Reg 15. 29. nominanturq; loca Assyriis viciniora, quæ scil. manu ipsâ capi facile poterant, ut proxima in arbore poma. Deinde cætera loca, quæ supererant, & remotiora videbantur, & ideo securiora; Assyriorum tamen armis tanquam uncinis inde pertrahenda, & in captivitatem mittenda denuntiat vates.

Templum Bethelicu.

II. *De quo templo loquitur Amos v. 3.? an de Jerosolymitano DEI*, an de Bethelico idolorum? R. S. Hieron. Theodor. & Rup. accipiunt de Jerosolymitano; Alij & planius de eo, quod erat in Bethel dicatum vitulis aureis. In Bethel enim degebat & prophetabat contra vitulos aureos Amos, ùt patet c. 7. 13. unde & hîc v. 2. celerem ei finem comminatur, qui & ei obvenit, cum Jerusalem multò tardiùs vastata sit.

Silentium projicietur

III. *Quo sensu dicitur* v. 3. IN OMNI LOCO PROJICIETUR SILENTIUM? R. S. Hieron. ait, idem esse, ac, summam vastitatem inducam, omniaq; plena populo redigam

gam in solitudinem. Est metalepsis: silentium enim ponitur pro strage & desolatione: ex occisione enim & strage sequetur desolatio, ex desolatione solitudo, ex solitudine silentium. Unde LXX. vertunt, *in omni loco injustam silentium.*

IV. *Quomodo* OCCIDET SOL IN MERIDIE v. 9.? R. Non, quòd revera sol Israelitis occidet & abscondetur, sed quòd nimio pavore & mœrore consternatis occidere & abscondi videatur. Pavor enim & mœror caliginem oculis æque, ac menti inducit, ut mœrentes in meridie videantur sibi versari in tenebris, nec lucem solis conspicere. Hoc est enim, quod explicans subdit: *& tenebrescere faciam terram in die luminis.* Ita S. Hieron. & Theodor. Deinde symbolicè *sol occidet in meridie*, id est, in summa prosperitate & felicitate Israelis maxima ei accidet calamitas & captivitas; ut sit paralolica catachresis: sol enim & lux sunt causa & symbolum lætitiæ & prosperitatis, æque ac tenebræ calamitatis & tristitiæ. Ita Rup. Hugo, Lyran. & alij. *Sol occidet in meridie.*

CAPUT IX.

Videt Amos Deum stantem super altare, & jubentem Angelo, ut percusso cardine illud evertat, ob avaritiam & scelera populi, quem se perquisiturum & perditurum asserit, etiam si is in cœlo, abyssо vel inferno absconderet. Comparat Israelitas, Æthiopibus, Syris & Palæstinis tam in culpa, quàm in pœna excidii & dispersionis. Deniq; se eos per Christum restauraturum promittit, daturumq; copiam frumenti & vini adeo; ut montes stillent dulcedinem.

QUæstio I. *Quomodo vidit Amos Dominum* v. 1. *An oculis corporis an mentis?* R. Verisimilius est, visionem hanc fuisse imaginariam, non corpoream, tum quia tales fuerunt communiter visiones Prophetarum: tum quia non est verisimile Deum hîc assumpsisse corpus humanum, in eoq; visum ab Amos, præsertim cùm id non fecerit Isaiæ c. 6. 1. ubi visus fuit ab Isaia oculis mentis, non corporis, sedere in throno excelso; Nec Ezech. c. 1. 26. ubi visus fuit ab Ezechiele oculis pariter mentis insidere currui Cherubico. Sanè si voluisset Deus videri oculis corporeis, id potiùs concessisset Isaiæ & Ezechieli, quorù visiones fuerunt augustissimæ, quàm Amos prophetæ rusticano. *Amos vidit Deum.*

II. *Quo sensu dicitur v. 2. Si descenderint usq; ad infernum, inde manus mea educet eos &c.?* R. Hyperbolico, aut certè propriè accipitur infernus & cœlum q. d. Si fieri posset, ut in infernum descenderent, aut in cœlum ascenderent, inde tamen per Assyrios detraham eos.

III. *Quid intelligitur per tabernaculum David* v. 11? R. Domus regia Davidis, nempe regnum & regium sceptrum Juda tam spirituale quàm corporale, quod variis scissuris ac rupturis paulatim attritum per Jeroboam, per Syros, per Ægyptios, per Assyrios, per Chaldæos, per Asiaticos, per Romanos, tandem planè corruit sub Herode tyranno, qui, quidquid reliquum erat regiæ stirpis, excidit; excisu suscitabo rursum per Messiam, cui reddam sedem David patris ejus, & regnabit per se & per vicarios suos, Pontifices & reges, in tota domo Iacob, non uno vel altero sæculo sed in æternum & regni ejus non erit finis. Lapides porrò seu materialia, quibus hanc regiam Messiæ domum instauravit Deus, desumpsit primum ex Judæis, aliisq; Israelitis, e quibus Apostoli, discipuli, & primi Ecclesiæ filij prodierunt: deinde sparsim & indiscriminatim ex omnibus gentibus & nationibus terræ, Ægyptiis, Assyriis, Ammonitis, Moabitis, Persis, Medis, Parthis &c qui quasi vivi lapides majorem hujus structuræ partem mox confecerunt, & in eam, qua nunc stat, altitudinem atq; amplitudinem evexerunt. Ita locum hunc de regno Christi, per Gentiles ad eum conversos instaurando explicat S. Jacobus Apostolus in Concilio primo Jerosolymitano Act. 15. v. 16, & est communis interpretatio omnium Orthodoxorum: & ita ad literam explicandum, contra Theodorum Mopsuestenum sub anathemate definitum est à Vigilio Papa in Concilio Ramano apud Turrianum l. 2. Constit. Apostolicar. c. 5. *Tabernaculum David.*

IV. *Quo sensu dicitur* v. 13. *Comprehendet Arator messorem, & calcator uvæ mittentem semen?* R. Tanta erit frugum & vini abundantia, ut messis duratura, sit usq; ad tempus arandi & vindemia usq; ad tempus seminandi. Ita S. Hieron. Rupertus, Ribera & alij. Per hanc ergo messis & vindemiæ abundantiam designatur tantam fore in Ecclesia Christi convertendarum & ex colendarum animarum copiam, ut nullum permittant agricolis seu pastoribus tempus quietis. Patuit in S. Paulo, Vincentio Ferrerio Antonio de Padua, Xaverio, & tot aliis Verbi Divini præconibus, tantùm non obrutis laborum multitudine & assiduitate.

IN ABDIAM.

CAPUT I.

Vaticinatur in Idumæos perpetuos Judæorum hostes, quòd eos semper insectati sint acerbè & milites Chaldæorum auxiliares futuri essent, cùm caperetur Jerusalem, prædicitq; eis interitum suum; & Judæorum, postquàm Babylone redierint, felicitatem.

Legatus missus ad gentes.

QUæstio I. *Quis legatus missus ad gentes* v. 1.? R. Albertus & Arias putant fuisse legatos, quos Nabuchodonosor misit ad gentes vicinas sibiq; subditas, ut conjunctis armis invaderent Idumæam. Hugo, Dionys. & à Castro censent fuisse Angelum, sive bonum sive malum, à DEO missum ad Chaldæos, ut eos concitaret ad excidium Idumæorum. Simpliciùs & planiùs ajunt Lyran. Ribera & à Lap. esse catachresim, quo ipsa motio & concitatio à DEO vocetur legatus. q.d. Deus concitavit Chaldæos ad bellum Idumæis inferendum, perinde ac si legatum ad eos misisset.

Calix ultionis Divinæ.

II. *Quo sensu dicitur* v. 16. *Quomodo bibistis super montem sanctum meum, bibent omnes gentes jugiter?* R. Quomodo in symposiis vestris ô Idumæi, bibistis, & bibendo atq; epulando exultâstis unà cum Chaldæis, Ammonitis, Moabitis & aliis Gentibus, super clade & excidio montis sancti mei Sionis; ita vicissim bibent, sed alium calicem, putà iræ & ultionis Divinæ, omnes illæ gentes, inter quas vos eritis ex primis, & bibent non uno alterovè die, sed jugiter, donec penitus absorbeantur, & non amplius sint aut compareant in rerum natura. Ita S. Hieron. Hugo & alij. Sic Idumæos unà cum Moabitis, Ammonitis & aliis vicinis gentibus constat vastatos esse à Chaldæis, deinde rursus à Juda Machabæo 1. Mach. 5. v. 65. Iterum ab ejus nepote Hyrcano, deniq; à Romanis, aliisq; Principibus, ut jam ne nomen quidem illorum ampliùs superstit.

Salvatio in monte Sion

III. *Quando in monte Sion erit salvatio* v. 17.? R. In monte Sion, id est, Jerosolymæ & in Judæa, erit salvatio populo DEI corporaliter & ad literam sub Cyro; spiritualiter & allegoricè sub Cyri antitypo Messia, inquit S. Hieron. Theodor. Hugo & alij. Et ille mons erit tunc Sanctus ob templum DEI, cultumq; ejus sanctum ibidem restaurandum, sanctior futurus per præsentiam ibi & prædicationem Christi; sanctissimus verò per Spiritum Sanctum die Pentecostes ibidem profundendum, & exinde per universum orbem, inquit Theodoretus. Tunc possidebit iterum *domus Jacob*, non solam Judæam, & antiquas in ea possessiones suas, quas Judæis reddere coacti sunt Idumæi, Samaritæ & Syri, Dario rege Persarum sic mandante, ut narrat Josephus l. 11. Antiq. c. 4. sed possidebit insuper etiam ipsosmet Idumæos, & agros ipsorum. Sed plenius id perfectum à Christo, qui tam Idumæos, quàm alias omnes gentes veræ Sioni, id est, Ecclesiæ subjecit, ut ait Lyrau. Vatablus & Arias.

IN JONAM.

CAPUT I.

Jonas à DEO mittitur in Niniven, ille fugit in Tharsis, exoritur ingens tempestas sorte ipse deprehenditur esse causa tempestatis, tandemq; voluntate sua in mare mittitur, & tempestas subitò sedatur.

Fuga Jonæ.

QUæstio I. *Quæ fuit causa fugæ Jonæ?* R. S. Hieron. putat fuisse nimiam pietatem suæ gentis, ne ea periret, ait enim eum cognovisse spiritu prophetico, tunc Israelitas perituros, cùm gentes credidissent, *eò quòd pœnitentia gentium sit ruina Judæorum.* Idcircò amator patriæ suæ non tàm saluti invidet Ninivæ, quàm non vult perire populum suum. Jonas tamen veram & genuinam suæ fugæ dat causam c. 4. 2. *Nunquid*, ait, *non est hoc verbum meum, cùm adhuc essem in terra mea? Propter hoc præoccupavi, ut fugerem in Tharsis. Scio enim quia tu DEus clemens & misericors es, patiens & multæ miserationis, & ignoscens super malitia.* Fugit ergo quia præsumebat Ninivitas ad hasce DEI minas â se proclamandas pœnitentiam acturos, & Deum pœnitentibus parciturum, itaq; se quasi falsum prophetam irridendum fore. Sed cur servus timet nomen mendacis, cùm Dominus, qui servum mittit, illud non timeat? Minæ enim conditionem hanc semper includunt, si maneat occasio minárum: unde hac sublata, tollitur & effectus minarum, neq; mendax haberi potest, qui pœnas, quas stante conditione minatus est, eâ sublatâ non infligit.

Facies DEI ubi?

II. *Quo sensu dicitur, Jonas voluisse fugere* A FACIE DOMINI v. 3? R. Ut ostendatur eum voluisse fugere à loco, ubi locutus ei fuerat Dominus, ubi ei suam præsentiam

tiam exhibuerat in remotissimas regiones, non quasi putaret Jonas, se ibi Deum latere posse; erat enim propheta; sciebat ergo Deum esse ubiq;, & omniscium; sed quòd speraret Deum se ita profugum, & renitentem, ex remotissimis illis regionibus non revocaturum, nec remissurum in Niniven. Facies DEI dicitur esse ibi, ubi Deus hominibus se & suam præsentiam, vel loquendo, vel miracula faciendo, vel opera Divinæ vindictæ aut clementiæ patrando exhibet. Sic dicitur Ps. 67. 2. *Exurgat DEus, & dissipentur inimici ejus, & fugiant, qui oderunt eum, à facie ejus. Sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie DEI.* Et Ps. 96. 5. *Montes fluxerunt à facie Domini,* cùm ipse præsens eos concussit. Et Ps. 113. 7. *A facie Domini mota est terra, à facie DEI Jacob,* cum ipse dans legem in Sina, montem ingenti terræ motu quassavit. Fugit Jonas *à facie Domini,* id est, è Judæa in Tharsis, quia in Judæa & templo Deus censebatur peculiari modo esse præsens per singularem sui cultum, providentiam & opem, qua gentem suam respiciebat & dirigebat, ac per oracula, quæ ferè dabat Prophetis in Judæa, rarò extra Judæam.

CAPUT II.

Jonas in mare demissus absorbetur à ceto, in cujus ventre laudat & invocat Deum, cujus proinde jussu die tertia evomitur in aridam.

Quæstio I. *Quæ miracula contigerunt circa Jonam in ventre ceti?* R. sequentia. 1mum, quòd venter piscis calidissimus Jonam non consumpserit, nec in chilum converterit. 2dum, quòd Jonas ibidem vivere & respirare, àereumq; frigidum attrahere potuerit. 3tium, quòd odor, qui in ventre ceti est olidissimus & intolerabilis, Jonam non exanimârit, quin potius ipse commodè tulerit. 4tum, quòd in hoc angustissimo carcere non tantum animæ, sed & mentis compos fuerit, spirituq; DEI afflatus insigne & pium carmen DEO cecinerit. Eâdem nempe potentiâ Deus, qua tres pueros in Babylonica fornace, & omnes infantes in materno utero tot mensibus sine esu, sine potu, sine frigida respiratione illæsos fovet, etiam Prophetam hunc in ventre ceti sanum, intactumq; servavit, inquit S. Hieron. & Theophyl. *Miracula circa Jonâ in ventre ceti.*

II. *Quomodo Jonas dicit se clamâsse de ventre inferi, & in corde maris?* R. Clamavit de ventre ceti, quem hyperbolicè vocat inferum, ob magnitudinem, profunditatem & obscuritatẽ. *In corde maris,* id est, in medio sive profundissimo mari; illud enim amant & incolunt ceti, utpotè vastissimi: quod enim est in animali cor, hoc in mari est profunditas, in terra centrum. Unde Matth. 12. 40. dicitur Christus post mortem fuisse in corde terræ, id est, in limbo Patrum, qui est circa infernum, & circa centrum mundi. Ita S. Hier. Sicut cor, inquit, in medio est animalis, ita infernus in medio terræ esse perhibetur. *Cor maris.*

III. *Quo sensu dicit Jonas, se abjectum esse à conspectu oculorum DEI* v. 5.? R. In tam miserabili statu constitutus erat, ut videretur sibi initio à DEO derelictus, depositus, & perditus; at nunc per revelationem, quam ei suggessit Deus, nimirum, quòd ex alvo ceti brevi in terram salvus sit evasurus, in spem erigitur, animos resumit, DEO gratias agit, majoresq; acturum se spondet in templo Jerosolymitano.

IV. *Ubi piscis evomuit Jonam?* R. Probabilius est, quòd eum ejecerit juxta Joppen (unde solverat) in litus Phœniciæ & Syriæ, indeq; terrestri itinere rediisse in vicinam Judæam, adiisseq; templum in Jerusalem, ibiq; gratias DEO egisse, & vota sua persolvisse. Hoc enim tantum beneficium & miraculum ante omnia fieri poscebat. Rursus decebat eum ex terra sancta mitti & pergere in Niniven, ad hoc ut constaret eum esse Prophetam DEI veri, cujus solium æquè ac Prophetæ erant in Jerusalem. *Piscis evomuit Jonam.*

V. *Quomodo historia Jonæ applicanda est Christo?* R. S. Aug. l. 4. de Symbolo ad Catechum. c. 6. sic eam applicat: Missus Jonas ad civitatem Niniven, ut ejus finem prædicaret, missus est Christus à Patre, ut finem mundi omnibus demonstraret. Fugit Jonas in Tharsis à facie Domini, fuga Jonæ velox transitus Christi, de quo dicit Propheta, exultavit ut gigas ad currendam viam. Ascendit navem Propheta fugiens, lignum Christus ascendit per mare hujus sæculi transiens. Irruit tempestas magna in mari, peperturbatio maris, perfidia Judæorum. Data est sors, ut Propheta fugitivus in mare mitteretur; sors data est super Christi vestimenta, ut unitas omni mundo prædicaretur. Projectus est è navi in mare Jonas, mors Christi in cordibus gentium collocata est. Susceptus à bestia Propheta custodiendus, non comedendus, audi hîc ipsius vocem Christi per Sanctum David: Non derelinques animam meam apud inferos, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. In ventre bestiæ marinæ positus oravit Jonas, sanctus in inferno Christus descendens mortuos suscitavit. Tertio die Propheta litori incolumis est redditus, die tertia Christus de sepulchro surgens super cœlos est exaltatus. Ad prædicationem Jonæ prophetæ per pœnitentiam salvata est civitas, per Christi prædicationem sancta Jerusalem redempta est civitas. Hæc Aug. *Jonæ historia applicatur Christo.*

CAPUT III.

Jonas prædicat, adhuc 40. dies & Ninive subvertetur, Ninivitæ cum suo rege agunt pœnitentiam in jejunio, cilicio, & cinere. Hinc Deus eis parcit.

Ninive magnitudo

QUæstio I. *De qua magnitudine Ninive sit sermo* v. 1? R. loquitur de longitudine diametrali, quia in directum, & non per flexus, ingressus est Jonas: & scribit Diodorus Siculus l. 3. c. 1. Eandem primum à Nino conditam, habuisse in circuitu stadia 480, sive milliaria 60: quanta ergo fuisse potest post centenos annos? Profectò 15. milliaria Germanica commodè iter triduì per urbem conficiunt.

II. *Qualis est propositio: adhuc 40. dies & Ninive subvertetur?* R. Comminatoria & conditionata. q.d. Ninive subvertetur, nisi pœnitentiam egerit, nisi mutet mores, itaq; impetret à DEO hanc excidij sententiam tolli aut suspendi; sicut defacto ejus non sublatonem, sed suspensionem impetravit.

III. *Quo argumento moti sunt Ninivitæ, ut crederent Jonæ?* R. Miraculo devorationis & liberationis è ventre ceti, quod Jonas eis propposuit, quodq; per nautas jam sparsum erat per totũ Orientem Hoc est, quod ait Christus Luc. 11. 30. Sicut fuit Jonas signum Ninivitis, ita erit & filius hominis generationi isti Hoc enim signum clarè eis demonstrabat Jonam à DEO ad eos mitti, simulq; monebat & terrebat eos, ne, si Jonæ non crederent, æquè imò magis punirentur, quàm Jonas, atq; ab aqua vel terra absorberentur. Accessit interna DEI illuminatio & inspiratio, quæ animos illorum commovit ad credendum.

CAPUT IV.

Dolet Jonas Ninivitis contra oraculum suum parci: hinc Deus eum per umbram hederæ vermemq; eam corrodentem, corripit & erudit.

Jonas afflictus.

QUæstio I. *Cur Jonas afflictus fuit* v. 1.? R. Quòd videret Deum parcere Ninivitis pœnitentibus & consequenter oraculum suum, quo prædixerat urbem evertendam reddi vanum & irritum: unde timebat se quasi pseudo-prophetam ab omnibus irridendum & explodendum, optatq; mori potiùs, quàm cum ignominia supervivere, inquit Theodor. Theophyl. & S. Ephrem, qui Ninivitas ita Jonam consolantes inducit Serm. de Jona: Noli, ô Jona contristari, sed gaude, quia novam vitam agimus: per te enim universorum Dominum agnovimus. Non es mentitus, ne timeas: subversa enim nostra est malitia, & exaltata fides in manu tua. Angelos in excelsis gaudio perfundimus, Deus de nobis gaudet in cœlis: meritò igitur & tu super terram in eo gloriari & exultare debes.

II. *An in hoc peccavit Jonas?* R. Non peccavit mortaliter, quia optat rem justam, nempe ut Ninivitæ ob præterita peccata temporali pœna puniantur, & Sententia DEI semel in eos lata, non revocetur, estò pœniteant. Sic enim judex latronem suspendit, estò eum pœniteat. Quia tamen Jonas id optat indiscreto zelo, & vano fine, nimirum ut suo honori consulat, cum tanto Ninivitarum damno, peccat saltem venialiter, inquit Corn. à Lap Quantò discretiùs Michæas. *Utinam*, inquit, *mendacium potiùs loquerer.* Et Moyses Exod. 32. *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo.*

IN MICHÆAM.

Michæas patronymicè Morasthites, à Morasthi oppido tribûs Juda cognominatus, non ille, de quo 3. Reg. 21. 14. prophetavit sub Joathan, Achaz, Ezechia, minatur abductionem primò 10. tribuum, deinde Juda quoq; & Benjamin; subnectens promissa de Christo.

CAPUT I.

Denuntiat excidium primò Samariæ, quia prior amplexa est Idololatriam: deinde etiam tribui Juda, quæ secuta est Samariam in eadem idololatria, & aliis sceleribus.

Prophetia Verbum & visio.

QUæstio I. *Quomodo verbum vidit Michæas* v. 1.? R. Prophetia nunc vocatur visio, nunc Verbum: quia prophetæ eam oculis mentis videbant, & auribus mentis eandem à DEO loquente audiebant. Mens enim suas habet aures & oculos, sed mentales, non corporales. Quocirca in mente idem est audire, quod videre, scilicet cognoscere & intelligere: hinc prophetia mentalis nunc vocatur *Verbum*, nunc *visio*, nunc dicitur audiri, nunc videri. Ita Corn. à Lap.

II. *Quæ-*

II. *Quomodo DEus dicitur egredi de loco suo* v. 3.? R. Dicitur Deus egredi & descendere de cœlo, cùm in aëre vel in terra suum brachium & potentiam ostendit, ac mira novaq; operatur. Præsertim verò dicitur egredi, quasi judex & vindex ad cognoscenda, judicanda & punienda gentium hominumq; scelera: & quasi dux & antesignanus Assyriorum & Chaldæorum, similiumq; Gentium, quas Judæis aliisq; populis immittit, ad hanc suam sententiam & vindictam exequendam. Aliter Rupertus, *egredietur*, inquit, *Dominus de loco suo*; quia relinquet templum, & Judæam, eamq; cedet Chaldæis. Sic Ezechiel vidit eundem templo egredi c. 3. 12. & in templo paulò ante adventum Titi audita est vox: *migremus hinc* teste Josepho l. 7. Belli c. 12. *Deus egreditur de loco suo.*

III. *Quomodo Samaria dicitur scelus Jacob* v. 5. seu causa transgressionis Jacob? R. Samaria, seu reges Samariæ, id est, 10 tribuum, acceptos ab Jeroboamo primo vitulos aureos cultu perpetuo prosecuti sunt, aliisq;, ut prosequerentur, Duces, auctores, impulsores fuerunt; in tantum, ut etiam tribus Juda, quæ hucusq; pene invicta steterat, nunc similibus sordibus tota scateat, sub impio & profano rege Achab 4 Reg. 6 quo regnante excelsa Idolis per totam Judæam erecta sunt. Etenim quæ causa, quis auctor, vel unde excelsa ista Judæ, antea istic invisa & incognita? nonne ex Jerusalem? nonne à sacrilego rege Achaz? qui idolis in ipso quoq; templo statuas & aras erexit: & hoc exemplo suo pestem hanc in totum regnum invexit. *Samariæ scelus Jacob.*

IV. *Quis est planctus draconum* v. 8? R. Tradunt Physici, ait S. Hieron. dracones certare & duellare cum elephantis, &, si ab iis vincantur, terribili sono personare. Draco enim cùm sit calidissimus, sitit elephantis sangvinem, qui frigidissimus est, soletq; æstu torrente, cùm tantæ sit magnitudinis, totum ejus sangvinem ebibere, si eum vincat: unde fit elephantes amisso sangvine, siccatos concidere, qui ruentes dracones jam ebrios & turgidos, mole sua opprimunt, coguntq; hostes suos secum emori, tumq; dracones magnas & lamentabiles voces emittunt Ita Solin. c. 38. Polyhist. & Plin. l. 8. c. 11. Et hoc est, quod ait hîc Propheta: *faciam planctum quasi draconum.* Ita S. Hieron. Remigius & Rupert. qui addit hac phrasi significari planctum inutilem, quem scil etsi Samaritæ audiant, nemo tamen misericordiâ tangatur, sicut nullus condolet draconi plangenti. *Planctus Draconum.*

V. *De qua urbe dicitur* v. 12. *Quæ habitat in amaritudinibus?* R. Hebr. in Maroth, quæ est urbs in Judæa. Ludit in vocibus. q. d. Tu urbs Maroth rectè diceris urbs *amaritudinum*, sicut & tu Juda urbis possessor, olim sub Ezechia felix eras, in affluentia rerum; at amaritudine peccatorum gustata, cibaberis etiam amaritudine pœnæ. Similiter ludebat versu præcedente in urbibus Samariæ, *Aphra, Sappir, Saanan* hoc sensu: Tu urbs *Aphra*, quod est pulvis, juxta nomen tuum, pulvere te consperge; Tu *Sappir*, quod significat pulchra, transi ad squalorem captivitatis. Tu *Saanan*, abundans, vel egrediens, egredere in captivitatem. Tu Bethaezel, hoc est, vicina urbi Saanan (quæ erat tribûs Juda) noris, rem tuam agi, dum paries proximus ardet. *Urbs in amaritudinibus.*

CAPUT II.

Exprobrat tam Judæis, quàm Israëlitis injustas pauperum oppressiones, aliasq; injurias proximis illatas: unde pudendam captivitatem ipsis & excidium comminatur.

QUæstio I. *De qua parabola fit sermo* v. 4. IN ILLA DIE SUMETUR SUPER VOS PARABOLA? R. De nænia, id est, lamento funebri, & carmine lugubri Sic parabola vel lamentum vocatur nænia excidii Babylonis. Isa. 14. 4. & Tyri Ezech. 27. 2. & Ægypti, Ezech 32. 2. Ratio est, quia uti parabolæ ita & næniæ adhiberi solent similitudines, gnomæ, metaphoræ, similesq; figuræ & schemata, quæ in carmine adhibentur. Ad hæc sunt res tritæ, quæ vulgò in omnium ore versantur, hæ enim Hebræis vocantur parabolæ seu proverbia. *Parabola.*

II. *Quale est canticum, quod cantabitur cum suavitate* v. 4.? R. Hebraicè habetur *lamentabitur lamentum lamenti*, id est, lamentum summum, seu maximè lugubre, quando Hebræi idem nomen iterant in genitivo, significant quid in eo genere eximium, pulcherrimum, & summum, ut, Rex regum, id est, summus rex: Canticum Canticorum, id est, canticum pulcherrimum. Sic hîc lamentum lamenti, est eximium & pulcherrimum lamentum: præsertim quia omnis cantus, etiamsi lugubris & lamentabilis, hoc ipso, quo cantus, suavis est, auresq; & mentem delectat: quinimò non tantùm Melancholici, sed & viri pii compunctioni dediti, magis delectantur carmine, & musica funebri, quàm festiva & exultante. *Lamentum lamenti.*

III. *De quo est sermo* v. 4. *Quomodo recedet à me, cùm revertatur, qui regiones nostras dividat?* R. De Salmanasar. q. d. Persvadebant nobis pseudoprophetæ, & adultores, nosq; credebamus, quòd, cùm Salmanasar populatus esset agros Samariæ paucis abductis,

ductis, nosq; illi promitteremus tributum, amplius ad nos non rediret, foretq; nobis pax: se ecce redit, obsidetq; Samariam, eamq; capit, omnesq; Israelitas abducit, ac in eorum locum ex Assyria in Samariam adducit Cuthæos, qui agros eorum possideant, quasi incolæ perpetui futuri, ut nulla nobis ad nostra redeundi superfit spes. Idem dicunt Judæi de Nabuchodonosor: Sperabamus eum occiso Joakim, & capto Joachin, indictoq; nobis tributo, non rediturum; sed ecce redit, capit Jerusalem, excæcat Sedeciam, filios ejus obtruncat, cives omnes abducit, agros nostros alienis distribuit, nihil ergo spei nobis supereft.

IV. *Cur dicitur* v. 9. *A parvulis earum tuliſtis laudem meam in perpetuum?* R. Quia laudâſſent me parvuli, ſi à parentibus in conjugali amore honeſtè fuiſſent educati, eorumq; hæredes effecti. At à vobis & parentibus orbati, & bonis ſpoliati, gemunt, fremunt, vobis maledicunt, clamantq; vindictam in cœlum.

Mentiri an optat Michæas.

V. *An Michæas optat mentiri* v. 11. dicens: UTINAM MENDACIUM POTIUS LOQUERER? R. Non optat formaliter mentiri, hoc enim optare eſt peccatum, ſed materialiter tantùm, hoc eſt, optat duntaxat, ut mendacium, id eſt, falſum ſit, ſeu reipſa non eveniat id, quod prædicit; & conſequenter, ut id, quod prædicit, non prædicat ex Spiritu DEI, ſed ex ſpiritu ſuo, putà humano vani timoris. Id dicit ex amore, quia optat ſuos cives perdurare, & non excindi, nec perdi ab Aſſyriis; quod tamen ipſe ex DEO eis comminabatur. Ita S. Hieron. Lyran. & alij. Sed heu! nimis vera ſunt hæc oracula mea. Ego enim tibi ô Iſrael, ô Juda, mittor à cœleſti ſympoſiarcha miniſter & quaſi pincerna. En calicem vobis ſubmiſſum à DEO. Hujus juſſu in eum *inſtillo tibi vinum in ebrietatem* id eſt, vinum inebrians, nempe ſtrages, cædes, carceres, funera, excidia. Neq; hæc in paucos, ſed in omnes, nam *congregatione congregabo Jacob totum.*

CAPUT III.

Increpat Optimates & Principes tam Sacerdotum, quàm populi, quòd jura pervertant, & plebem opprimant. Invehitur in pſeudoprophetas, qui adulabantur & imponebant populo fauſta omnia, ſed falſa promittentes, quæſtûs ſolius cauſa. Tandem Jeroſolymæ & templo excidium comminatur.

Pelles tollere.

QUæſtio I. *Quo ſenſu dicitur* v. 2. QUI VIOLENTER TOLLITIS PELLES EORUM? R. Sub ſenſu metaphorico ſeu Allegorico deſcribit ſummam rapacitatem & ſimul crudelitatem, ſub metaphora paſtorum, qui ovium lacte & lana non contenti, pelles etiam eis detrahunt, & carnes ſecant, & quaſi id non ſatis ſit, oſſa confringunt, atq; in ollam ſeu lebetem cum carnibus conjiciunt. Ita notat reges & Principes ac Duces, & potentiſſimos quosq;, qui ſubditos & pauperes penitus ſpoliabant, & quaſi ad nihilum redigebant. Ita dicebat Tiberius Cæſar, boni paſtoris eſſe pecus tondere, non deglubere.

Abſconſio faciei Divinæ.

II. *Quomodo dicitur DEus abſcondere* FACIEM SUAM AB EIS v. 4.? R. Faciem, id eſt, favorem, curam, providentiam, opem & beneficentiam ſuam (horum enim ſymbolum eſt facies) eis ſubtrahet. Sicut enim peccator avertit faciem ſuam à DEO, illiq; inobediens & rebellis tergum obvertit: ita vicifſim Deus illi afflicto, & ſe invocanti faciem, id eſt, gratiam & auxilium ſuum ſubtrahit; & dorſum derelictionis, oblivionis & reprobationis oſtendit. Vide Prov. 1. 24.

III. *De quibus dicitur* v. 5. *Qui mordent dentibus ſuis & prædicant pacem?* R. De Pſeudoprophetis. Cùm illis munera dantur: & comedunt, ventremq; implent, prænuntiant pacem dantibus, & proſperitatem, metumq; captivitatis adimunt. *Sanctificant ſuper eum prælium.* Si qui autem eis munera non mittant, ſtatim terrent eos dicentes imminere hoſtes, & direptionem, hoc enim eſt ſanctificare bellum, id eſt, parant, & adornant in eos bellum.

IV. *Quis eſt ſenſus* v. 10. QUI ÆDIFICATIS SION IN SANGVINIBUS? R. Magnas domos ædificatis in Jeruſalem, ſed ſangvine pauperum, id eſt, ſpoliantes pauperes, & adimentes illis alimenta, quibus vitam tueri debuerant, quod perinde eſt, ac ſi occideretis. Quod optimè intelligitur ex Eccli 34. *Panis egentium vita pauperum eſt, qui defraudat illum, homo ſangvinis eſt. Qui aufert in ſudore panem, quaſi qui occidit proximum ſuum.*

CAPUT IV.

Promittit montem Sion & templi reſtituendum, imò ſupra omnes montes extollendum, qui Eccleſiam ſuam in monte Sion inchoabit, ad quam

quam velut ad firmissimam arcem ex toto orbe confluent turmatim omnes gentes. Magnam partē hujus capitis mutuatus est Michæas ex c. 2. Isaiæ.

QUæstio I. *De quo tempore fit sermo* v. 1. IN NOVISSIMO DIERUM? R. Ex communi Patrum sententia tempus Messiæ vocatur tempus novissimum, quia illi nulla alia lex, nulla alia Ecclesia, nulla alia religio, sacrificia & sacramenta succedent, sicut illud successit legi & synagogæ, sacramentis & sacrificiis Mosaicis: hæc successerunt legi & statui naturæ. Rursum idem Messiæ tempus Sioni & Judæis est novissimum, quia cæpit in eorum excidio, cùm ipsi à Tito & Romanis planè excisi & eversi sunt: quod excidium durabit usq; ad finem mundi, uti prædixit Daniel c. 9. v. ult. Perperam ergo Judæi ex hoc loco exspectant suum Messiam, qui in fine mundi quasi alter Salomon, ipsis Jerusalem, templum & regnum pristinum restituturus sit. *Tempus novissimum.*

II. *Cur Ecclesia dicitur mons?* Rdet S. Chrysost. in Isa. 2. his verbis; vocat autem nomine montis Ecclesiam, simul & inexpugnabilem dogmatum ejus traditionem: quemadmodum enim montibus, licèt quis obvallet, & objiciat militum millia decem, & hi quidem intorqueant arcus, isti evibrent hastas & jaculentur, illi genus omne molitionis admoveant, & bellica machinamenta, illa ut adsint omnia, nihil noxæ aut detrimenti invehent soliditati montium, illinc potiùs secedere cogentur, consumpta inaniter sua fortitudine. Sanum idipsum contigit ad unum omnibus, qui oppugnârunt Ecclesiam: hæc quidem inconcussa perstitit, illi è diverso deperdita propria virtute indecoræ infamiæ notam incurrerunt: dum eam feriunt, evanescunt; dum jaculantur in eam, imbelles reddantur, dum cædunt flagris, ab his vincuntur, qui malè affecti sunt. *Ecclesia mons.*

III. *Quo sensu dicitur* v. 3. ET CONCIDENT GLADIOS SUOS IN VOMERES? R. Deus per Christum & Apostolos judicabit & componet omnes lites, inducetq; legem pacis, concordiæ, amoris: itaq; quantum est ex parte sua, vi gratiæ & Evangelii sui, tollet omnia dissidia & bella; ut gentes arma bellica deponant, imò mutent in instrumenta pacis; putà in aratra & ligones, quibus in pace colitur terra. Atq; ut hoc ortu suo portenderet, natus est Christus sub Augusto Cæsare, cùm domitis vel occisis tyrannis omnibus, sub eo jam monarcha, Jano clauso, mundus plenâ pace frueretur. Ita S. Cyrill. & alij. *Pax.*

IV. *Quid intelligit per claudicantem & ejectam* v. 6? R. Synagogam Judæorum, tum quia illa claudicavit in fide, modo colendo Deum, modò idola, juxta illud Eliæ ad ejusdem filios: *usquequo claudicatis in duas partes? si Dominus est DEus, sequimini eum: si autem Baal, sequimini illum.* 3. Reg. 18. 21. tum quia claudicavit præ fatigatione itineris eundo in captivitatem nunc Babylonicam, nunc Persicam, nunc Græcam sub Antiocho. Unde vocatur electa, dispersa, vagabunda per omnes gentes. ita Vatablus. Claudicans ergo per Metalepsin, idem est, quod fatigata, dolens, ærumnosa, afflicta. *Claudicans Synagoga.*

V. *Quæ est* TURRIS GREGIS NEBULOSA? R. Hæc erat juxta Bethlehem, ubi Angeli pastoribus visi sunt. Hebræus habet, *Turris Ophel*, quæ erat templo propinqua, ab altitudine, qua nubibus caput inferebat, dicta nebulosa. Dicebatur etiam *turris gregis*, quia prope portam gregis stabat, qua oves immolandæ inducebantur. Per hanc turrim intelligit propheta Ecclesiam, quæ est *filia Sion*, id est, de Judæis egressa, cujus doctrina mysteriis obscuris, & sublimibus constat. Sensus ergo est: Tu Jerusalem coelestis & mystica, quæ procedes de Sion, ita prosperaberis per Christum, ut nihil cessura sis gloriæ priorum temporum; quin imò eam superatura. ita Corn. apud quem vide plura. *Turris nebulosa.*

VI. *Quis est sensus* v. 13. *Surge & tritura filia Sion, quia cornu tuum ponam ferreum, & ungulas tuas ponam æreas, & comminues populos multos?* Rdet Corn. In Palæstina, Canaria, aliisq; multis provinciis manipulos & segetes triturari non ligneis flagellis, sed ungulis boum vel serratis carpentis, quæ super segetes circumagunt, itaq; calcando eas terunt & grana ex aristis exprimunt. Similia carpenta subinde super hostes stratos agebant victores, eosq; quasi triturabant; ùt fecit David Ammonitis 2. Reg. 12. 31. Dicit ergo Deus, se *cornu & ungulas æreas*, id est, animos, robur, & vires, Sioni redditurum, ut suos hostes calcet, premat & trituret. Factum hoc primò sub Ezechia, quando cæsis per Angelum Assyriis, Judæi eorum castra invasérunt, occupârunt & spoliârunt, adò sub Juda, Jonatha, Simone & Hyrcano Machabæis, qui quasi cornua fuerunt, quibus Judas ventilavit omnes vicinas gentes, ut in iis impletum sit illud Deut. 33. 17. *Cornua Rhinocerotis cornua illius, in ipsis ventilabit gentes usq; ad terminos terræ.* Ad Machabæorum enim glorioſa bella, & victorias! hæc referunt Dionys. Ribera & alij. Mysticè id planè impletum est in Christo, ejusq; Sione Spirituali, id est, Ecclesia, quæ robore prædicationis suæ sibi subegit omnes gentes, eorumq; idola, & profana fana contrivit. Ita S. Hieron. Remig. Rupertus & alij. *Triturtio per boves.*

CAPUT V.

Vastatis Assyrijs prædicit Christum nasciturum in Bethlehem, & magnificandum usq; ad terminos terræ: reliquias verò Jacob, putà Apostolos & primos Christianos, instar cœlestis roris irrigaturos reliquum orbem, & instar leonis illum sibi & DEO subjugaturos. Deniq; ablatum iri per Christum maleficia, divinationes, lucos, & arma, atq; alia præsidia, in quibus infideles antea confidebant.

Filia latronis.

QUæstio I. *Quid intelligitur per filiam Latronis* v. 1. *Nunc vastaberis filia latronis?* R Turma Sennacherib, qui tanquam Leo invasit Judæam. Est enim clausula eorum, quæ præcesserunt: ut Paginus hunc versum ponat ultimum prioris capitis: & hoc caput incipiat ab illis: *Et tu Bethlehem &c.* Atq; idem Sennacherib dicitur percussisse maxillam Judicis, vel quia præter modum convitiatus fuerat regem Ezechiam, vel quia reipsa forte legatos ejus percuti jusserat. Et ob hanc causam, simul & ob blasphemias in DEum, vastatus est ab Angelo, cælis una nocte 185. millibus militum in castris ejus.

Bethlehem Ephrata.

II. *Cur Bethlehem vocatur Ephrata?* R Bethlehem, id est, domus panis à loci fertilitate. q. d. Locus ferax frumenti, ex quo panis conficitur. Et quia duplex erat Bethlehem, una in Tribu Zabulon Josve. 19. v. 10. altera in tribu Juda 1. Paral. 2. ut constare possit, non de illa, sed de hac loqui Micheam, additur ei cognomen *Ephratæ*, quod significat fertile seu crescens. Eratq; nomen secundæ uxoris Caleb, à qua tota illa tam fertilis regio in sorte tribus Juda, nomen desumpsisse videtur, in qua urbs inædificata dicebatur Bethlehem *Ephratæ*, vel *Bethlehem Juda* Matt. 2. 6. dicitur parvulus, quia exprimitur urbs per virum Bethlehem, ejus auctorem, vel principem. *Parvulus es in millibus Juda* i. e. etsi cum mille urbibus compareris, parva es urbs, subintelligit autem Michæas particulam *sed*, ut sensus sit, sed tamen illustris es à Messia.

Christi nativitas.

III. *De quo sunt intelligenda illa verba* v. 2. EGRESSUS EJUS AB INITIO, A DIEBUS ÆTERNITATIS? R De Christo Domino. Egressus ejus hebraice est plurale, ad indicandam duplicem ejus nativitatem, alteram qua DEI, alteram qua hominis multi docent. Sed rectius Cornelius arbitratur, poni pluralem, ad indicandam admirandam nativitatem æternam, eamq; tanto magis ineffabilem & gloriosam, quanto erat illa humana despectior. Ne putetis eum, quem dixi nasciturum & egressurum ex Bethlehem, fore nudum hominem, similem Davidi vel Abrahamo, ac tum primùm in terram naturam proditurum, cum secundum carnem nascetur in Bethlehem; ideo nunc addo, eundem illum secundum alteram naturam suam, nempe Divinam, æterna generatione ex me egressum ac genitum, & continuo nasci atq; egredi, jam inde *ab initio*, id est, ante omnes res creatas, imò à diebus æternitatis, seu ab omni æternitate. ita SS. PP. & DD. omnes orthodoxi.

Partus Virgineus.

IV. *Quis est sensus* v. 3. PROPTER HOC DABIT EOS USQUE AD TEMPUS, IN QUO PARTURIENS PARIET? R *Propter hoc*, scil. quia Divino decreto Christus mundi Salvator nasci debet in Bethlehem Juda, idcirco Judæos, & si nunc extreme periclitantes ab Assyrijs, & postea magis periclitaturos à Chaldæis, Persis, & Asiaticis, *dabit* tamen Deus pertædere ac perdurare usq; ad illud tempus, in quo Virgo mater parturiens summo gaudio pariet prædictum Christum in prædicto Bethlehem. Ita S. Hieron. Eusebius & alij. Edito hoc partu & partus curriculo in terris peracto finet Deus collabi Synagogam tum spiritualiter, tum corporaliter, exceptis paucis reliquijs *fratrum* Christi secundum carnem, qui monitis & doctrinæ ejus obsequentes converterentur ad veros & genuinos *filios Israel*, id est, ex carnalibus evadent spirituales Israelitæ, æmulantes fidem, pietatem, sanctitatem Jacobi, & reliquorum Patriarcharum ac Prophetarum cultorum & servorum Christi. Ita idem. Sed corruente Synagoga, non corruet tamen regnum Christi: Sed æternum *stabit* Rex Christus cum regno, & in fines terræ propagabit potentiam suam, postquam reliquias fratrum scil. Apostolos converterit ad se, & ad Ecclesiam suam.

Messias pax

V. *De quo dicitur* v. 5. ET ERIT ISTE PAX? R De Messia auctore pacis: Cùm venerit Assyrius, id est, tyrannus Chaldæorum, Nabuchodonosor, in Judæam ut nos abducat. Per Assyrium intelligitur quivis tyrannus, quia primus omnium Monarchã fuit Nemrod. q. d. Quisquis nostram terram invaserit, sive Sennacherib, sive Nabuchodonosor, sive Titus Romanorum, per Christum ejusq; merita ac potentiam, opponemus eis Ezechiam, Cyrum, Judam Machabæum id est, magnos & multos principes, Angelos, & homines, qui eis obsistent. *Septem Pastores & octo Primates*, sunt multi spirituales militiæ Duces, à Christo submissi: septem enim & octo magnam multitudinem indicant, juxta illud

illud Eccles. 11. 2. *Da partem septem, nec non & octo:* h. e. da pauperibus liberaliter, de opibus tuis.

CAPUT VI.

Expostulat cum ingratis Judæis, quòd non obstantibus tot tantisq; beneficiis cælitus acceptis deflexerint tamen à DEo ad idola: docet, qua via possint, si velint, DEo reconciliari. Alioquin ob tanta scelera, maximè ob iniquas pauperum expilationes, minatur omnibus egestatem, excidium & captivitatem.

QUæstio I. *Quid intelligitur per montes & colles?* R. Regem & Principes populi, ut ex Ps. 71. intelligere possumus, ubi legimus: *suscipiant montes pacem populo, & colles justitiam:* Majores & eminentiores in populo appellat montes & colles Habac. 3 *Aspexit & dissolvit gentes, & contriti sunt montes sæculi.* Isa. 2. *Dies enim Domini exercituum super omnem superbum & elatum &c. & super omnes montes excelsos, & super omnes colles elevatos.* Ubi Hieron. inquit, inter impios pro diversitate vitiorum, & maximè superbiæ, alij montes sunt, alij colles, super quos erit dies Domini &c. Itaq; alloquitur potissimum Principes, & primores populi, qui, uti divitijs & potentia, ita etiam superbiâ cæteris præstabant. In quibus qui majores sunt, montes dicuntur, qui minores, colles. *Montes & colles.*

II. *Quos vocat fundamenta terræ?* R. Eosdem Principes, ùt ait Rupertus, quia ùt fundamenta quædam solida & fortia cæteros sustinent & conservant, nam sine eis populus infirmus & pauper vitam suam tueri non posset, sed rueret continuò velut sublatis fundamentis: à potentioribus enim aluntur & defenduntur, atq; in pace conservantur tenuiores. *Fundamenta terræ Principes.*

III. *Cur eos potius vocat fundamenta terræ, quàm ædificij?* R. Ut eorum fortitudinem & potentiam magis ostendat, vel potius ut superbiam & elationem notet, qui omnia se sustinere credebant, ùt; fundamenta terræ, quæ non hanc & illam urbem, sed omnes urbes, & regiones, & quicquid in terra est, sustinet.

IV. *Quis sensus* v. 5. *Memento quid cogitaverit Balach rex Moab, & quid responderit ei Balaam?* R. Memento, quàm noxium tibi, quàm pestilens consilium Balaam Arioli suggesserit Balacho regi Moab Num. 22 & seqq. Nempe ut puellas Moabitides & Madianitides speciosas, quasi vendituras edulia Israeli, in castra submitteret non una aut altera vice, sed continuò per omne Israelis iter *à Setim usq; ad Galgalam,* id est, ab initio usq; ad fines regni sui, ut tantò prolixior esset hæc puellarum tentatio, & ad fornicationem, & per hanc ad idololatriam sollicitatio, atq; ita continuò & diu peccarent Israelitæ, ideoq; desererentur à DEO, & deserti cæderentur & exscinderentur à Moabitis. Et verò successisset exitiale consilium, nisi per Moysem DEus ocurrisset primis initijs, primosq; delinquentes principes suspendisset, & 24. millia de populo similiter occidisset Num. 25. v. 3. &c.

CAPUT VII.

Queritur Propheta, se frustra concionando laborâsse, quòd vix ullum reperiat qui mores in melius commutet: excidium ergo & captivitatem Babylonicam Judæis prædicit, sed postliminio liberationem, pacem & omnem prosperitatem, typicè per Cyrum, sed re ipsa per Christum. Unde & in Divinæ clementiæ ac beneficentiæ laudes erumpit.

QUæstio I. *De quo queritur Michæas* v. 1. *factus sum, sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ?* R. Ego Michæas fui quasi pauper racemator; hic enim post vindemiam, sperat se saltem aliquos racemos, qui vindemiantes fugerunt, in vinea inventurum, eosq; quærit & invenit: ita & ego speravi paucos saltem Judæos meis concionibus, monitis & minis convertendos, sed non est *botrus,* id est, non unum, vel vix unum, qui se converterit, vitam mutârit, invenio, quocirca gemo & ploro: væ mihi! hei mihi! oleum & operam perdidi. *Racemi in autumno.*

II. *Quid desiderat Michæas per præcoquas ficus?* v. 1. R. Vult dicere: Ego Michæas quasi famelicus, post tot conciones & labores desideravi vel in autumno ficus præcoquas: licèt enim alijs sint præcoces in æstate; ego tamen vel in autumno (mihi enim nullæ in æstate maturuerunt) pauculis maturis contentus ero, id est, paucorum saltem desidero conversionem & salutem, quantumvis seram & tardam; ut hæc saltem labori meo reddatur merces & consolatio, at ne hoc quidem consequi potui. *Ficus præcoquæ.*

III. *Quis est sensus* v. 3. PRINCEPS ET JUDEX IN REDDENDO EST? R. Judex

adjudicat principi quod petit, etiamsi revera pauperi esset adjudicandum, ut similiter ille princeps, cùm judex fuerit, adjudicet sibi, quod petierit, ut præstent suis sceleribus mutuum favorem, ùt ait S. Hieron. Chaldæus, Princeps postulat, & judex dicit: fac pro me, & retribuam tibi, id est, fave mihi, cùm mihi opus fuerit, & reddam tibi nunc quod vis.

IN NAHUM.

Cùm Ninivitæ post prædicationem Jonæ ad ingenium rediissent, circa annos post Jonam 90. cæpit eis Nahum prophetare interitum, paulò antè, quàm Sennacherib in Judæam veniisset. Accidit autem interitus ille annis 5. postexcidium Jerusalem, factum à Chaldæis, post hanc prophetiam annis 138.

CAPUT I.

Ninivitis toties relapsis extremum tandem excidium prædicit: Israelitas verò consolatur, promittens regis Sennacheribi hostis sui in Judæa turpem stragem, totiusq; tandem Assyriaci imperii eversionem per Chaldæos.

Zelus. Quæstio I. *Quid est zelus?* R. Zelus sive æmulatio est ira, non quidem qualis est inter inimicos, sed quæ ex ardenti amore proficiscitur, qualis est in parentibus, & in amantibus, cùm vident rem, quam amant, ab aliis possideri, aut duriter & intquè tractari, ùt Joel 2: *zelatus est Dominus terram suam:* Quia igitur appellatur ulciscens, meritò prius dicitur æmulator, ut, cur ultor sit, appareat. Ac si diceret: Vehementer iratscitur vobis Dominus, ô Assyrii, quòd in suum populum ita fuistis crudeles, & in ejus calamitate rabiem vestram satiaveritis.

Diluvium super Ninive. II. *Quis est sensus* v. 8. *Et in diluvio pratereunte consummationem faciet loci ejus?* R. Theodor. Vatabl. Tirinus & alii per hoc diluvium intelligunt exercitus Chaldæorum & Medorum, innumerabili multitudine, impetu & celeritate Assyriam invadentes, & urbem regiam Niniven obsidentes, imò & diluvio aquarum obruentes, teste Diodoro Siculo, qui scribit, supra quadringenta millia ex Chaldæis, Medis, Persis, Arabibus & Bactrianis, (en hominum diluvium) ad Ninives expugnationem confluxisse: cùm biennali obsidione parum promovissent, tandem continuis imbribus excrescentem supra modum fluvium Tigrin (en aquarum diluvium) magnam urbis partem inundâsse, & muros ad 20. stadia dejecisse, & hostibus ingressum fecisse. Quod etiam Nahum c. seq. indicat, cùm v. 6. ait: *Portæ fluviorum apertæ sunt*, & templum ad solum dirutum: & v 8. *Ninive quasi piscina aquarum.* Et his subscribunt S. Epiph. & Dorotheus in vita Nahum & alii complures.

Tribulatio duplex. III. *Quæ est duplex tribulatio* v. 9. NON CONSURGET DUPLEX TRIBULATIO? R. Vult dicere, sufficiat vobis, ô Assyrii, quòd DEO permittente regnum decem tribuum per Salmanassarem excideritis: non patietur clementissimus Dominus, ut altera simili generali strage populum ejus absumatis, reliquas duas tribûs excidendo & perdendo. Sat enim pœnarum jam dederunt etiam hæ duæ tribûs, in tot amicorum, imò fratrum suorum excidio & abductione. Quin potiùs Assyrii, dum in Judæa & obsidione Jerosolymæ v. 10. *sicut spinæ se invicem,* densis agminibus, *complectentur,* epulantes, compotantes, & obsessis insultantes, ex improviso manu Angelica sternentur 4. Reg. 19. & *quasi* arida *stipula,* igne cœlestis ultionis absumentur. Pari modo capietur à Chaldæis, & Medis Ninive, cùm cives muris & munitionibus suis præsidentes, conviviis & symposiis vacabunt, & ita factum scribit Diodorus.

Attonsio. IV. *Quo sensu dicitur* v. 12. SIC QUOQUE ATTONDENTUR, ET PERTRANSIBIT? R. Etsi tam multi fuerint Assyrii, ut Judæi cum illis comparari non possint, tamen attondebit eos Angelus suo gladio pertransiens & feriens: nempe, quasi capillos facillimè ac celerrimè quotquot volet, resecabit, & sic *pertransibit,* atq; evanescet omne illud robur exercitûs Assyriorum: & ipse præ omnibus rex Sennacherib probrosâ fugâ pertransibit è Judæa in Assyriam, & ibi manu filiorum suorum transibit ex hac vita in gehennam; ita S. Hieron. & alij.

Semen. V. *Quid indicant verba* v. 14. *Non seminabitur ex nomine tuo amplius?* R. Deinceps nulli filii ex te amplius procreabuntur, qui nomen & stirpem tuam propagent, inquit S. Hieron. Ribera & alii: qui verò jam ex te procreati sunt, exitio erunt tibi tuæq; familiæ. Nam filii tui Adramelech & Sarasar propriis te manibus jugulabunt *in Domo Dei tui* Nesroch 4. Reg. 19. ibi *ponam sepulchrum tuum: quia* enim *inhonoratus* è fuga Judaica rediisti in patriam, non dignabuntur te subditi alio mausolæo, sed in ipso templo tam infami parricidio jam profanato, submotis inde omnibus idolorum quasi indignan-

gnantium ſtatuis ac ſculptilibus, levi opere te tumulabunt. Succeſſit ei quidem in regno filius Aſarhaddon jam pridem genitus; ſed hic paucis annis regnavit, nec ſobolem in regno reliquit. In eo ergo defecit ſtirps regia Sennacherib.

CAPUT II.

Prædicit obſidionem & excidium regiæ urbis Ninives & imperii Aſſyriaci per Chaldæos & Medos, quorum arma, caſtra & milites graphicè depingit.

QUæſtio I. *De qua obſidione agit hic Nahum, an Jeroſolymæ an* Ninives? R. De obſidione & excidio Ninives, tum quia tota prophetia Nahum eſt *onus Ninive*, ut habet titulus, non Jeroſolymæ; tum quia expreſſè de ea ſe explicans v. 8. ait: *& Ninive quaſi piſcina &c.* Senſus ergo eſt, q. d. Contra te, ô Ninive aſcendit, id eſt, brevi aſcendet hoſtis, qui coram te id eſt, in tuis oculis, te ſpectante & gemente diſpergat, confringat, conterat, diſſipet, diſperdat tuos agros, villas, munitiones, opes, incolas & accolas, *quiq; cuſtodiat obſidionem*, id eſt, qui arctiſſimè te obſideat, arctet & obſervet, quaſi cuſtos, ne qua via elabaris, & ejus manus evadas; nec deſiſtet, donec te expugnet & capiat. *Obſidio Ninives.*

II. *Quando & à quo obſeſſa & capta eſt Ninive?* R. Niniven captam & everſam eſſe à Medis & Chaldæis, putà à Cyaxare rege Medorum, & à Nabuchodonoſore rege Babyloniorum, quia id diſerte aſſerunt LXX. Tobiæ 14. v. ult. Tobias enim ſenior moriens ibidem v. 5. monet filium Tobiam juniorem, ut ſecedat ex Ninive, eò; quòd ob ſcelera ſua illi immineat excidium intentatum à Jona. Addunt LXX. in fine capitis, Tobiam juniorem ante mortem audiſſe hoc excidium, dicuntq;: *& mortuus eſt* (Tobias junior) *annorum 127. in Ecbatanis Mediæ. Et audivit, priusquàm ipſe moreretur, perditionem Ninive, quam captivârunt Nabuchodonoſor & Aſſverus*, qui fuit Cyaxares. *Ninive à quo capta.*

III. *Cur dicuntur igneæ habenæ currus in die præparationis* v. 3.? R. Alii vertunt, *currus expeditionis ejus tempore erunt velut ignis lampadarum*, vel facum. q. d. Currus falcati ipſius Nabuchodonoſoris venientis oppugnatum Ieruſalem, videbuntur quaſi ignei, vel circumdati igne, qui excitabitur ferro rotarum celerrimè agitatarum alliſo ad ſaxa & ſilices. Hac phraſi indicat violentiam & velocitatem, rapidumq; curſum, & quaſi volatum curruum. Addunt aliqui hiſce curribus annexas fuiſſe faces, & tædas ardentes, quibus obvios & obvia comburerent, perinde ac annexæ erant iisdem falces, (ex quibus falcati vocabantur) ad omnia reſecandum & demetendum.

IV. *Ad quos pertinet* v. 5. *Recordabitur fortium ſuorum?* R. poteſt pertinere & ad obſeſſos Ninivitas, & ad obſidentes Chaldæos. Si ad obſeſſos, ſenſus erit, q. d. Ninive ejusq; Rex recolet & recenſebit omnes ſuos fortiſſimos duces & milites, eosq; mittet ad muros, ut eos propugnent, qui ad eos tanta vi & numero current, ut in viis præſertim anguſtis ſeſe invicem protrudentes & impingentes, corruant: inde aſcendent muros, ibiq; conſtruent umbracula, vel, ut LXX. *propugnacula*, quibus ſe contra invadentes Chaldæos, vel etiam contra æris injurias tueantur, ut longam obſidionem ſuſtinere poſſint. Ita S. Hieron. Theodor. Ribera & alii. Si ad obſidentes, ſenſus erit, q. d. Hoſtis Cyaxares & Nabuchodonoſor ſuos fortes milites in te, ô Ninive immittet tantâ copiâ & impetu, ut præ feſtinatione & turba corruant, dum muros tuos conſcendent, & invadent, dumq; præparabunt & admovebunt umbraculum, id eſt, teſtudinem, qua per arietem immiſſum & impulſum in muros, eos quatient & dejicient. Qui enim agebant arietem, deliteſcebant ſub teſtudine, ſuffodientes muros urbium. ita Vatablus.

CAPUT III.

Prædicit magnitudinem vaſtitatis Ninive, & multitudinem interfectorum & ipſius urbis apud nationes cæteras ignominiam, auxiliarium militum defectionem, ſuorumq; trepidationem.

QUæſtio I. *Cur Ninive dicitur civitas ſangvinum?* R. Non ſolùm quia omnium ſangvinem fudit, ut eas ſibi ſubjugaret, ſed etiam vox *ſangvinum* poteſt accipi pro *ſcelerum*. q. d. Væ tibi ô civitas ſcelerata, omnibus criminibus plena, & cooperta; quia enim ſangvinis effuſio, putà homicidium, graviſſimum eſt ſcelus in proximum, hinc quodlibet enorme crimen vocatur *ſangvis*, id eſt, ſangvinis effuſio, per ſynecdochen, qua pars pro toto, vel per catachreſim, qua ſimile pro ſimili ponitur. *Ninive civitas ſangvinum.*

II. *Quis enſus* v. 8. *Numquid melior es Alexandria populorum &c.?* R. Numquid, ô Ninive tu melior, id eſt, major, fortior, populoſior, potentior es Alexandriâ populoſiſſimâ & fortiſſima? utpote, quæ ab una parte Nilo, ab altera lacu Mareotico, à tertia

mari,

mari, à quarta incommeabili solitudine cingitur, ut docet Josephus lib. 2. Belli c. 16. q. d. Si Alexandria, quæ & situ loci, & civium multitudine videtur munitissima, inaccessa, & inexpugnabilis, expugnabitur tamen & capietur; non est, quòd tu ô Ninive tuo robori præfidas, nam pari modo expugnaberis, capierisq; & tu. Ita S. Hieron Theodor. & alij.

III. *Quo sensu dicitur* v. 12. *Omnes munitiones tuæ sicut ficus cum grossis tuis?* R. duplices sunt in ficubus grossi: priores sunt primæ ficus, quæ proinde flores ficulneæ vocantur, utpotè primæ maturæ & sapidissimæ posteriores sunt ficus immaturæ, quæ in hieme per se decidunt. q. d. Sicut ficus posteriores cum prioribus, sive præcocibus, quæ grossi vocantur, vento agitatæ, decidunt in os comedentis; ita cadent muri & propugnacula Ninives in manus Chaldæorum, idq; facilè & sine labore.

IV. *Quis est sensus* v. 13. *Ecce populus tuus mulieres?* R. Populus tuus, quasi mulieres imbelles, effœminatus fuit, ô Ninive Unde Chaldæus vertit, *ecce populus tuus imbecillis est instar mulierum, in medio tui.* Quia ob ejus ignaviam & metum inimicis &c. *pandentur portæ.*

IN HABACUC.

CAPUT I.

Propheta de nimia Judæorum pravitate conquerenti promittit Deus, se totius Judææ per Chaldæos excidio illam vindicaturum: quo audito Habacuc Deum precatur ut populum suum quasi filium virgâ corripiat, non verò quasi hostem, gladio interimat & exscindat.

Habacuc querela.

QUæstio I. *De quo queritur Habacuc* v. 2. USQUEQUO DOMINE CLAMABO ET NON EXAUDIES? R. Aliqui censent prophetam prævidisse excidium Jerosolymæ mox futurum per Chaldæos, pro eoq; avertendo ardenter & crebro orâsse, cumq; videret se non exaudiri, sed immotam excidii manere sententiam, de eo hîc queri apud Deum, non ex impatientia, sed ex dolore & commiseratione suæ gentis. ita Vatab & Ribera. S. verò Chrysost. Nazian. Theophil. Theodor Corn. & alii, censent, prophetam conqueri de pravitate morum sui ævi suiq; populi, quòd scilicet cùm Deum sæpè precatus esset, ut eam inhiberet ac frænaret. non fuisset exauditus, sed potiùs scelera ipsa augeri & multiplicari cerneret. Hoc enim clarè significat, cùm subdit: *Lacerata est lex, quia impius prævalet adversùs justum, propterea egreditur judicium perversum.* Loquitur ergo non de tyrannide & violentia Chaldæorum, qui erant exleges, sed de perversitate Judæorum, qui legem, quam à DEO acceperant, violabant opprimendo justos, eorumq; causas & judicia pervertendo. Ideo respondet ei Deus v. 5 se hæc scelera puniturum & expiaturum per Chaldæos.

II. *Quæ gentes jubentur aspici* v. 5.? R. Gentes hæ sunt Chaldæi: hi enim sunt onus, quod Judæis sceleratis intentat Deus q. d. Ne queraris ô Habacuc, de Judæorum improbitate, quasi eam impunitam dimittam, illicò enim eam puniam. En aspice gentes & agmina Chaldæorum, quæ ad huc ad exscindendam impiam Judæam. Ita Auctores cit. Unde has Gentes explicans subdit: quia ecce ego suscitabo Chaldæos gentem amaram &c.

III. *Quis est sensus* v. 11. TUNC MUTABITUR SPIRITUS? R. Nabuchodonosor elatus tot victoriis, se non capiet, sed spiritus altos sumet, putans se esse numen quoddam invictum ideoq; adorari volet in statua aurea, quam eriget, & omnes adorare compellet Dan. 3. Quocirca DEO ulciscente mutabitur spiritus ejus humanus in bellu-inum, ut ex homine fiat quasi bos, ideoq; regno expellatur, transeat & corruat, ac quasi quadrupes in sylvis cumferis vitam agat Dan. 4. 30. Ita S. Hieron. & Lyran. Simili modo ob tot victorias, tantamq; Monarchiam, mutabitur spiritus Gentis Chaldææ in superbiam & fastum, ideoq; pertransibit ejus imperium, & corruet in Baltasare exscindendum a Cyro & Persis, inquit Arias & Vatablus. Unde Chaldæus vertit, *propter elationem ejus translatum est regnum.*

Homines quasi pisces.

IV. *Quo sensu dicitur* v. 14. ET FACIES HOMINES QUASI PISCES? R. Cur permittis ô Domine, ut sicut pisces majores & fortiores devorant minores; ita homines potentiores & tyranni v g. Chaldæi, devorent eos, qui sunt imbecilliores: ut inter homines æquè ac inter pisces non dominetur justitia, sed robur, vis & tyrannis, illeq; sit Dominus, qui prævalet. Ita S. Hieron. Theodor. & Theophil. Hinc illud Polybii proverbium vulgò usurpatur: *pisces majores glutiunt minores.*

V. *Quomodo dicitur Chaldæus* v. 15. *totum in hamo sublevâsse, traxisse illud in sagenâ suâ, & congregâsse in rete suum?* R. Totum, id est, totam piscium collectionem, quidquid in stagno est, rapax iste & avarus piscator Chaldæus suo hamo, sagenâ & reti exhaurit, imo regem Joakim cum Daniele & sociis Dan 1. & alios pauculos è Judæa quasi

hamo

hamo eduxit anno 1. regni sui. Deinde anno 8. sagenâ seu minori reti Joachimum regem 4. Reg. 24. v. 11. omnemq; ejus aulam ac præcipuam nobilitatem cepit & avexit. Deniq; anno 18. latissimo reti Sedeciam c. 25. regem cum toto populo suo captivum fecit. Ribera & à Lap. per hamum accipiunt dolos, technas, stratagemata: per sagenam & rete apertam vim & prælia Nabuchodonosoris.

CAPUT II.

Querenti Habacuc, indignum esse tam multa concedi Chaldæis, respondet Deus, se, postquã per Chaldæos punîerit Iudæos aliasq; gentes, illicò perditurũ illos. Unde carmen lugubre occinit Nabuchodonosori, multiplex væ illi intentans, docetq; frustra illum confidere in Belo, & aliis idolis suis.

QUæstio I. *Cur Propheta dicit: Super custodiam meam stabo, & figam gradum super munitionem* v. 1.? R. Quia vult dicere: non capio quidem, qua ratione velit Deus populum suum tam scelesto tyranno tam indignis modis divexandum, excidendum & perdendum objicere: nolo tamen propterea vel tantillum deesse muneri mihi commisso, sed pergam quà docendo, quà monendo, quà increpando invigilare bono, & saluti gregis mihi crediti tanquam Prophetæ, Doctori, & pastori. Interim summâ vigilantiâ, & attentione *contemplabor*, numquid cœlitus mihi revelandum & indicandum sit, quod respondeam ad arguentem me intellectum meum. ita Theodor. Theophil. Pagninus & Vatablus, qui vertunt, *ad disceptationem meam*, vel *ad argumentum meum*, quo cap. præced. evincere conatus sum, non debere committi Chaldæis excidium & eversionem populi DEI.

II. *De quo intelligendus est* v. 3. *Quia adhuc visus procul & apparebit in finem?* R. Ad literam agitur de Chaldaici imperii eversione, & Judæorum è Babylone liberatione, ut patet ex contextu Prophetæ, & docent S. Cyrillus, Theodor. Vatabl. à Castro, & à Lap. q. d. *quia visus* hic, seu res, quæ tibi videnda proponitur, *adhuc procul* est, post multos demum annos, cum fine 70. annorum captivitatis Babyloniæ complenda. Allegoricè tamen de eversione regni diaboli & mundi liberatione per Christum, ut S. Paulus Rom. 1. v. 17. Hebr. 10. v. 38. & alii exponunt.

III. *Quis est sensus* v. 4. *Ecce qui incredulus est, non erit recta anima ejus?* R. Qui hisce meis oraculis de Judæorum è Babylone liberatione per Cyrum, & alleg. de hominum liberatione per Christum, incredulus est, ideoq; injustus & impius, hic non habet animam rectam, ideoq; displicet DEO, ut vertunt LXX. & ex iis S. Paulus Hebr 10. 38, ac consequenter, vera, recta, pacata, feliciq; vita fidei, spei, gratiæ & gloriæ non vivet; tum quia me habet intensum; tum quia in hominibus rebusq; creatis; spem suam æquè ac metum reponit: quocirca nunc à spe, nunc à metu huc illucq; agitabitur, vitamq; aget fluctuantem, ærumnosam & infelicem. At verò fidelis & justus, qui credit DEO & meis hisce ex DEO prophetiis, de liberatore Cyro, & alleg. de Salvatore Christo, hic vivet vitâ rectâ, sancta & felici, quia in DEO, qui vera est vita, ejusq; promissis defixus, illi charus, cordi & curæ erit.

IV. *De quo loquitur* v. 5. *Et quomodo vinum potantem decipit &c.?* R. De Nabuchodonosore. q. d. Quomodo vinum immodicè sumptum decipit, & inebriat, & dedecorat *potantem*, facitq; non modò revomere, sed ruere in extremam subinde perniciem: *sic erit vir iste superbus* Nabuchonodosor, vino fortunæ nimis prosperæ inebriatus, & mente dimotus insanit, furit, tumultuatur, turbat omnia, sed mox ad belluas relegatus, fabula & ludibrium erit toti mundo, cogeturq; paulò pòst per filium suum Baltassarem, omnia, quæ cepit, unà cum imperio & vita revomere, ita S. Hieron & alij. Tum brevi urnâ concludetur, cui antea non sufficiebat universus orbis, & dilatabat *quasi infernus animam suam*, seu in fitim & aviditatem appetitûs sui, quæ insatiabilis, atq; inexplebilis est: *& quasi mors*, quæ licèt omnibus dominetur, omnesq; devoret, nunquam tamen satiatur, sed quò plures debellat, subjugat & mactat, eò plures perdere anhelat.

V. *De quo igne loquitur* v. 13. LABORABUNT POPULI IN MULTO IGNE? R. Quo à Cyro & Persis succendetur Babylon, ut eum restingvant, sed in vanum & frustra. Non enim suo labore eum sistere aut sopire poterunt; sed potiùs fessi & fracti deficient.

CAPUT III.

Orat, ut adventus Domini Servatoris sibi paulò antè promissus nequaquam propter populi peccata differatur, & deinde de ejus nativitate, vita, passione, resurrectione, ac deniq; de secundo adventu, & liberatione electorum, atq; damnatione malorum vaticinatur.

QUæstio I. *Cur orationi Habacuc præscribitur* PRO IGNORANTIIS? ℟ S. Hieron. causam putat esse, quòd Propheta seipsum reprehendat, quasi ignoranter locutus fuerit, adversùs Providentiam DEI, petatq; veniam. Ribera verò ait, Prophetam audivisse à Domino propositæ quæstioni respondente venturum esse Christum, qui justos consoletur, & præmijs pro laboribus afficiat, in impios verò dignis supplicijs animadvertat. Quare finita jam responsione & visione illa lætissima exultans Deum orat, ut impleat, quod promisit, nec propter ignorantias, id est propter peccata Judæorum, tantum bonum differri sinat, sed tempore quo promisit, filium suum mittat in mundum, ignorantiasq; populo suo remittat. Ignorantia enim seu stultitia in Scriptura dicitur peccatum, ùt 2. Reg. 13. *Noli facere stultitiam hanc.* & Ps. 24. *Delicta juventutis meæ & ignorantias ne memineris.*

Habacuc audivit auditionem.

II. *Quam auditionem audivit Habacuc & timuit?* ℟ Audivit verbum illud, quod Deus dixit: *Si moram fecerit, expecta illum, quia veniens veniet, & non tardabit.* Audivit opus magnum, quod pro salute hominum facturus est. Auditionem pro re audita, id est, pro verbo accipit. *Timui* autem dicit, id est, obstupui rei magnitudine, & præstantia, & misericordiæ maximæ admiratione attonitus, & quasi raptus in mentis excessum.

III. *De quo opere dicit* v. 2. *Domine opus tuum in medio annorum vivifica illud?* ℟ De Incarnatione Domini Nostri JESU Christi, ita Euseb. & Aug. Deprecor Domine, ut quod promisisti, expleas. Et finito tempore reddas Christum tuum. Tu enim dixisti: *Quia adhuc visus procul, & apparebit in fin & non mentietur.* Vivifica ergo, quod pollicitus es, hoc est, tuum imple promissum, non moriatur irritus sermo tuus, sed opere compleatur. Alij *opus tuum* interpretantur genus humanum, ut sensus sit: Ne patiaris universum genus humanum, quod opus tuum est, funditus perire & damnari, quod sine dubio fiet, si filius tuus non venerit ad redimendum.

Annorum medium.

IV. *Cur dicitur* IN MEDIO ANNORUM? ℟ Convenit inter expositores, *in medio annorum* significare, cùm tempus constitutum advenerit, cùm venerit plenitudo temporis, ùt loquitur Apost. Gal. 4. sed cur ita exponi debeat non satis videntur explicare. Ribera putat, in medio alicujus rei dici esse, quod intra illam est, ùt Ps. 100. *Non habitabit in medio domûs meæ, qui facit superbiam,* id est, intra domum meam, vel domi meæ. Jer. 50. Recedite de medio Babylonis &c. Ita nunc in medio annorum, id est, intra annos, scil. à te præstitutos, aut quos tu huic operi tuo præsignasti.

Deus ab Austro veniet.

V. *Cur dicitur* v. 3. DEUS AB AUSTRO VENIET? ℟ Deus ùt olim Patribus nostris ex Ægypto egredientibus Dux, protector & Salvator advenit ab Austro, id est, à læta regione Australi, puta à monte Sinai, ubi lex Divina concessa, item ex montibus Seir, seu Idumææ (pro qua in Hebræo, & LXX. ponitur hic Theman, metropolis Idumææ, ubi serpens æneus Hebræis saluti fuit) Deniq; ex monte Pharan (quem LXX. vocant umbrosum & condensum) ubi spiritus propheticus illapsus in 70. Judices Num. 11, 25, ita idem Deus homo factus ad nos excurret ex Austro, id est, calore charitatis: è Bethlehem, quæ ad Austrum est Jerosolymæ: & ex Sione, ubi erecta crux Christo, ubi promulgata nova lex, ubi repleti Discipuli Spiritu Sancto. ita ferè S. Hieron. Theodor. Theophyl. & alij.

Cornua in manibus.

VI. *Quæ sunt cornua in manibus ejus?* ℟ Robur vires & arma sunt in manibus Dei. His instar ferocis & invicti tauri, primùm ab Hebræis in deserto per Moysen & Josve, idò ab ijsdem in Babylonia per Cyrum & Darium, ùtiò ex tota Ecclesia & regno suo per Christi Divinitatem, & humanitatem, vel, ùt SS. PP. & DD. exponunt, per bina illius brachia in cruce extensa, quasi per bina cornua, in quibus omne robur ejus consistit, mortem & Diabolum repulit, fudit, fugavit, & quasi ferales lictores suos immisit in hostes populi sui.

VII. *Quando stetit & mensus est terram?* ℟ Stetit hoc modo victor mortis & Diaboli Deus, & per Josve, per Esdram, per Christum admensus est populo suo terram olim promissam, cùm priùs, solo quasi torvo aspectu dissolvisset animos & manus adversariorum omnium, qui antea magnitudine, celsitudine, firmitate sua videbantur quasi montes æternùm immobiles, inaccessi & inexpugnabiles. Sed illos facili negotio penetravit, expugnavit, loco cedere cogit Deus, itineribus æternitatis suæ, id est, æternis, seu perpetuis deambulationibus (ùt ex Hebræo verti potest) deambulans cum populo suo, ac pro illo depugnans.

IN

IN SOPHONIAM.

CAPUT I.

Ob idololatriam, aliaq; Judæorum scelera, prædicit excidendam per Chaldæos Jerosolymam reliquamq; Judæam. Describit planctum & ululatum Judæorum, simul & acerbitatem iræ & zeli DEI.

QUæstio I. *Cujus Ezeciæ filius fuit Sophonias?* ℟. Rabbini censent hunc esse Ezechiam regem Juda, ita ut ejus abnepos fuerit Sophonias. Verùm id impugnat Ribera, à Castro & alij: Nam hoc non tacuisset Sophonias, qui ex genere hîc sibi auctoritatem conciliat. Adde, scriptura 4. Reg. 20. 21 & Josephus l. 10. Antiq 3. non alium Ezechiæ regis filium assignant, quàm Manassem. *Sophonias filius Ezeciæ.*

II. *Quo sensu dicitur* v. 2. CONGREGANS CONGREGABO OMNIA A FACIE TERRÆ? ℟. Certò & omnino coacervabo & colligam in captivitatem & interitum, tradendo Chaldæis omnes incolas & omnia prædia terræ hujus, scil Judææ. Loquitur enim de strage & captivitate Judæ, non aliarum gentium, omnia ergo scil. homines, pecora volatilia, & pisces maris, uti explicans subjungit. Unde Tigurina vertit, *conficiendo conficiam omnia.* Vatab. *perdendo perdam.* Alij: *colligam ut perdam, congregabo ut faciam deficere.* Unde LXX. vertunt, *defectione deficiet homo & jumentum.*

III. *Cur defectio, mors, interitus in Script. vocatur collectio?* ℟. Causam dat Pineda in c. 34. Job v. 14. n. 5. quia, inquit, cùm à DEo derivetur omnis vita rerum viventium, quod in illa simplicissima, Dei vita unitum est & collectum, hoc per exitum ad creaturas videtur dividi & dispergi in multa viventia. Rursus cùm vita aufertur viventibus, videtur id, quod erat divisum in viventibus, atq; dispersum, uniri & colligi in suo principio, & vita illa participata revocari ad primam vitam, & fontem vivendi. Rursus res omnes, & animantia, excepto homine, cùm intereunt, congregantur & redeunt in suam abyssum nihili, ex qua Deus eas creando ad tempus eduxit. *Collectio.*

IV. *Quam hostiam præparavit Dominus, & quos vocatos sanctificavit* v. 7.? ℟. Stragem Judæorum, utpote impiorum vocat sacrificium, idq; publicum & solemne; in quo hostia sunt Judæi mactandi: dies sacrificij est dies excidij Jerosolymæ & templi: Sacerdotes sunt Chaldæi, qui hanc victimam DEO & Divinæ justitiæ immolant. Unde dicuntur vocati & sanctificati à DEO: quia DEus eos è Chaldæa evocavit, suosq; quasi milites, imò ministros & sacerdotes auctoravit & consecravit, quando eos elegit & destinavit laniones Judæorum, ut eos quasi sanctam victimam Divinæ suæ vindictæ offerrent & jugularent. Ita S. Hieron. Theodor. & alij passim.

CAPUT II.

Hortatur Judæos ad pœnitentiam, ut sic evadant manus Chaldæorum, à quibus devastandos dicit etiam Philisthæos, Ammonitas, Moabitas, Æthiopes, & præ omnibus Assyrios orbis tunc Dominos.

QUæstio I. *Quis est sensus* v. 2. *Antequam pariat jussio, quasi pulverem transeuntem, diem?* ℟. Antequam veniat dies captivitatis, antequam jussio DEi adducat diem captivitatis, qui transibit quasi pulvis, id est, veniet præter spem, ut pulvis magna viventi agitatus, qui violentus ruit, & omnium oculos obcæcat.

II. *Quid intendit* v. 4. *Quia Gaza destructa erit, & Ascalon in desertum &c.?* ℟. Dat causam cur furorem DEi expavescere debeant, ideoq; studere, ut per opera pœnitentiæ & justitiæ eum à se avertant; quia scil. tantus erit furor DEi, tantum robur & impetus Chaldæorum, militum ejus, ut ipsi venientes in Judæam, etiam vicinos Philisthinos, qui sæpe Judæis sunt dominati, sint vastaturi, q. d. Multò ergo magis vos, ô Judæi, Chaldæos formidare debetis: vestrum enim ipsi propriè, ita destinante DEo, sunt flagellum: vobis enim ita iratus est DEus, ut non tantùm vos, sed & propter vos, vicinas gentes sit vastaturus. Vos enim, quia fideles DEum cognoscentes, imò DEo quasi consecrati, magis eum offendistis colendo idola &c. quàm gentes infideles, quæ DEum non cognoverunt. Cùm ergo illas puniturus sim, multò magis vos puniam & vastabo. *Gaza destructa.*

III. *Quis est funiculus maris* v. 5.? ℟. Est pars, vel ora maritima. Est metonymia: quia enim olim funiculis agros &|prædia dimetiebantur & dividebant, hinc funiculus significat partem possessionis, sive sortem hæreditariam, quæ cuiq; partitò obtingit, ut Ps. 15. 6. *funes ceciderunt mihi in præclaris*, hoc est, ut explicans subdit: *etenim hæreditas mea præclara est mihi.* *funiculus maris.*

CAPUT III.

Invehitur in Jerusalem & peccata ejus narrat, & quo modo Deo vocanti & corrigere volenti restiterit. Deinde resurrectionem Christi, Judæorumq; excidium ultimum & excœcationem, ac gentium vocationem prædicit. Mox de Ecclesiæ felicitate, & Judæorum conversione, tam eorum, qui tempore Christi crediderunt, quàm qui in fine sæculi credituri sunt, vaticinatur.

QUæstio I. *De quo dicitur* v. 1. *Væ provocatrix, & redempta civitas, columba?* R. De Jerusalem. q. d. Væ tibi civitas, quæ nunquam tuis sceleribus desistis DEi iram provocare, & quidem cum redempta sis, id est, cùm fueris magnis periculis ab eò liberata, quem provocas, id enim te maximè à peccando avertere debuisset vel amore, & grati animi recordatione, vel certè timore; ne te iratus postea in periculis deserat. Hoc autem dicit, quia & aliàs liberata est Jerusalem, & maximè cùm oppugnabatur à Sennacherib 4. Reg. 18. & 19. Eandem meritò post hæc columbam appellat, id est, stultam, & non habentem cor, ac facile capi se sinentem. Quod ex verbis Oseæ 7. intelligitur: *factus est Ephraim quasi columba seducta non habens cor.*

II. *Quis est sensus* v. 8. EXPECTA ME IN DIE RESURRECTIONIS MEÆ IN FUTURUM? R. O Sophonia non est, quod exspectes morum hujus populi commutationem in melius, nisi exiguam admodum paucorum post datas acres pœnas, & post totius Judææ excidium per Chaldæos, & alias ipsis sociandas gentes. Ut autem populus universus ad me recurrat, mihiq; ut legitimo Domino subdatur ex toto, tum demum exspecta, cùm ego ipse vestra indutus carne, *in futurum*, nempe post sex sæcula, adcurram ad vos, & actus ab ingratis & perfidis in crucem, tertio post mortem die redivivus, merito passionis meæ cor novum & animum novum impetrabo non Judæis modò, sed & omnibus gentibus. Hic enim de Christi temporibus agi, constans est Sanctorum Patrum & etiam Judæorum sententia.

Labium electum,

III. *De quo tempore est sermo* v. 9. TUNC REDDAM POPULIS LABIUM ELECTUM? R. Tunc, id est, *à die resurrectionis meæ in futurum*, tollam omne genus idololatriæ, & reddam omnibus populis labium electum, quo omnes invocent, colant, & laudent, eundemq; DEum cœli & terræ illq; *humerò uno*, id est, unanimi consensu, consonantia, & conspiratione, cœpit hoc post Christi resurrectionem in Pentecoste, & continuat, augeturq; quotidie, sed plene perficietur sub finem mundi, in generali omnium Judæorum ad Christum conversione, ac demum post resurrectionem universalem in futura vita ubi omnium gentium erit unus animus, unum labium, una lingva quia DEum laudabunt, & benedicent in æternum

IV. *Quo sensu dicitur* v. 11. NON ADJICIAM EXALTARI AMPLIUS IN MONTE SANCTO MEO? R. Non sinam diutiùs gloriari & exaltari te in materiali monte Sancto meo, per superbum illud templum, quod in eo constructum habes: nam illud funditus exscindam primò per Chaldæos, deinde per Romanos. Sed excitabo in te & ex te templum longè nobilius & splendidius, spirituale, putà Ecclesiam meam, sanctam fidelium congregationem, cujus hoc Salomonicum templum non nisi typus est & figura. Ac pro superbis Scribis, Pharisæis & Principibus tuis, efficiam, ut constet populo paupere & egeno Act. 2. v. 45. si spectes terrenas opes, sed divite gratijs, potente miraculis, splendente virtutibus. Tales erant Apostoli & primi discipuli Christi, inquit S. Hieron. & alij.

IN AGGÆUM.

CAPUT I.

Reprehendit Judæos, quòd dicerent nondum esse tempus templi ædificandi, cùm ipsi sibi jam domos pulchras exædificassent, docetq; sterilitatem terræ, & morbos tam hominum quàm jumentorum ideo eos pertulisse, quòd segnes essent in templo ædificando. Deinde monitis Prophetæ ad ædificationem diligenter accinguntur.

Dies una mensis.

QUæstio I. *Quæ est dies una mensis* v. 1. IN DIE UNA MENSIS? R. Est dies prima mensis. Unum enim Hebræos dicere pro primo notum est. tit Gen. 1. *Et factum est vespere & manè dies unus.* Et Joan. 20. *Una autem Sabbati valde diluculo*, pro quo alij dicunt: prima Sabbati.

II.

II. *Quis est sensus* FACTUM EST VERBUM DOMINI IN MANU AGGÆI? ℟ Manus in scriptura dicitur Prophetia quævis, nec solùm prophetia, sed etiam quævis locutio, præsertim qua aliquid præcipitur, quia sicut manus movet, ita movet locutio præcipiens, ut 2. Reg. 14. *Nunquid manus Joab tecum est in omnibus istis?* id est, num Joab præcepit tibi, ut hæc diceres? atq; hunc planè esse sensum, responso suo mulier indicavit: Per salutem animæ tuæ Domine mi Rex, nec ad sinistram, nec ad dexteram est, ex omnibus his, quæ locutus est Dominus meus Rex. Servus enim tuus Joab præcepit mihi, & ipse posuit in os ancillæ tuæ omnia verba hæc. Inde manus Domini super aliquem fit, cùm Dominus ei loquitur, & aliquit præcipit. *Verbum factum in manu Aggæi.*

III. *Quid est, ponere corda super vias* v. 5. ℟ Est diligenter recogitare facta. Via pro opere sæpe ponitur. Job. 40. *Ipse est principium viarum DEi.* Ps. 13. *Contritio & infelicitas in vijs eorum.* Ponere autem cor super aliquid, aut ponere super cor, est diligenter meditari, & considerare. Isa. 47. non posuisti hæc super cor tuum, nec recordata es novissimi tui. Ezech. pone cor tuum in omnia, quæ ostendam tibi. Idem intelligitur cùm absolutè dicitur: Ponere cor, ut Dan. 6. & pro Daniele posuit cor, ut liberaret eum *Corda ponere super vias.*

CAPUT II.

Hortatur & excitat eos DEus ad ædificationem templi, promittitq; cùm Christus Dominus venerit, se impleturũ gloriâ domum illam, majoremq; futuram gloriam domûs posterioris quàm prioris. Docet etiam quantum sibi Judæi displicuerint, cùm nondum templum ædificabant & quanta deinceps futura sit eorũ infelicitas, postquam ædificare cœperunt.

QUæstio I. *De quo spiritu loquitur* v. 6.? ℟ Chaldæus & Hebræi de spiritu prophetiæ intelligunt, S. Hieron. Theodor. Ribera & alij, de ipsa persona Spiritûs Sancti. Quando Deus promittit Spiritum suum, docet eum, cui promittit sibi fore gratissimum, & omnibus bonis spiritualibus abundaturum. ut Isa 42. Ecce servus meus, suscipiam eum, electus meus, complacuit sibi in illo anima mea, dedi Spiritum meum super eum. & c. 44. Effundam enim aquas super sitientem, & fluenta super aridam; effundam spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam.

II. *De quo modico loquitur* v. 7. ADHUC UNUM MODICUM EST, ET EGO COMMOVEBO COELUM? ℟. Non loquitur de signis & prodigijs, quæ in Christi passione visa sunt, quia postquam ea commemoravit, subjicit: *& veniet desideratus cunctis gentibus*; antè igitur, quàm veniret, movendi erant cœli & terra. Nec loquitur de secundo adventu, quia statim addit: *& implebo domum istam gloriâ.* Prius ergo signa futura erant, deinde venturus erat desideratus cunctis gentibus, & postea domus illa implenda erat gloria, quæ sive templum secundum sit, sive Ecclesia, certè ante adventum secundum impleta est gloriâ. Loquitur ergo de modico, putà 515. annis (tot enim sunt à secundo anno Darij Hystaspis usq; ad Christi adventum) qui revera modicum quid sunt respectu temporis elapsi ab orbe condito, putà 3485. annorum, respectu verò æternitatis vix momentum vel punctum faciunt. Exacto hoc modico multis magnisq; prodigijs, *commovebo cœlum, terram, mare, & omnes gentes.* *Modicum.*

III. *Quænam commotio, veniente in mundum Christo, facta est in cœlo, in terra, ingentibus, in mari?* ℟ è cœlo missus Archangelus ad Zachariam nuntiaturus præcursorem Messiæ, ad Mariam, ad Joseph, ad pastores incarnationem & nativitatem Messiæ: missa est Stella Magorum, missa & alia phænomena, quæ ex Orosio recenset Baronius & Baradius. His adde, quæ in baptismo, transfiguratione, passione, resurrectione, ascensione & pentecoste facta fuit cœlorum apertio, Angelorum emissio, & vocum demissio. Terra & in terra gentes nascente Christo commotæ fuerunt. imò armorum per totum orbem discussione, bellorum compositione; & animorum in universalem pacem conspiratione. 2dò omnium ad commune lustrum & censum concursu. 3tiò omnium vel perturbatione vel metu ob nasciturum vel natum Messiam. 4tò oraculi Delphici & aliorum subitò silentio, ut ait Cicero l. 2. de Divinat. Statuarum & idolorum tum in Capitolio, ut scribit Dio, tum alibi, de cœlo percussione, liquefactione, dejectione, vel delapsu. 5tò Nunquam audito in terris miraculo, incontaminatæ Virginis partu inquit S. Aug. l. 18. Civit. c. 35. 6tò petrarum & rupium, patiente Christo, disruptione, & horrendo terræ motu, de quo Plin. l. 2. c. 48. *Terræ* inquit *maximus memoriâ mortalium extitit motus Tiberij Cæsaris principatu, duodecim urbibus Asiæ una nocte prostratis* Taceo convulsionem & disruptionem viscerum terræ, quando anima Christi ad limbum inferos spoliatura descendit. Taceo commotionem animorum factam prædicatione & miraculis Christi & Apostolorum. *Commotio veniente in mundum Christo.*

Ad mare venio, quod & ipsum insolitis modis in adventu Christi concussum: fuit partim per bella navalia, quæ Svetonius in Augusto, partim per tempestates, quas alij historici apud à Castro recensent, partim per Christi imperium, quo & sedatæ procellæ, & undæ pedibus calcatæ, & pisces in retia coacti: deniq; per terræ generalem motum, patiente Christo, etiam mare concussum constat. Hæc Tirinus.

Christus desideratus cunctis gentibus.

IV. *Quomodo Christus dicitur desideratus cunctis gentibus?* ℟ Desiderant illum omnes gentes appetitu non modò naturali (sicut terra arida sitit & exoptat pluviam, & quævis res desiderare dicitur illud quo eget) sed & rationali: Nam etiam gentes ex majorum suorum traditione jam inde ab initio mundi, pòst etiam ex relatu Judæorum sciebant venturum aliquando Salvatorem ac redemptorem mundi, ut constat de primis Patriarchis, de Iobo ejusq; amicis, de Svbillis & tot alijs. Quæ verò nesciebant, simul atq; ex Apostolis & Apostolicis viris de adventu illius certiores factæ sunt, ardentissimo desiderio ad ipsum aspirarunt tantoq; affectu amplexæ sunt, ut ipsius amore, & pro ipsius honore substantiam omnem & sanguinem & vitam libentes profunderent.

V. *Quas quæstiones jubetur Propheta proponere* v. 11. ℟ Primam hanc: Si homo ferat carnem DEo immolatam, in ima vestis ora, summitas verò tangat panem, vinum &c. an eo contactu panis aut vinum sanctificentur? & responsum fuit, quòd non. Nam vestis quidem sanctificatur juxta Lev. 6. 27. sed non transfert sanctitatem in alterum. Sic & vos, inquit, & si altare habeatis, in quo victimas offeratis, & sic comedentes vos eædem victimæ sanctificent, 1. Esd. 3. 3. non ideo per hoc vestras actiones, laboresq; sanctificatis. Secundam proponebat, si pollutus *super anima*, & qui mortuum tetigit, tetigerit panem, vinum &c. an panis, vinum &c. polluantur? responsum quòd sic: Pariter ergo vos inquit, cùm sitis coram DEo polluti inobedientiâ, incuriâ, neglectu fabricæ, per hoc omnia vestra opera polluitis. hinc ergo esto, & præteritis annis, vestra opera displicuerunt DEo ut proventus fructuum non responderet expectationi vestræ. Nunc autem à 24. die novi mensis, quo cæpistis opus, promitto vobis ubertatem omnium rerum, etsi ex nullo adhuc germine prævideri possit.

IN ZACHARIAM.

CAPUT I.

Monet Judæos, ut relictis idolis & sceleribus parentum, ob quæ tam duro ac diuturno exilio & servitute mulctati sunt, ad DEum & ad virtutem colendam totos se transferant. Per equos rufos, albos, & varios, varium variarum gentium statum significat. Audit reddendam Judæis pacem & felicitatem pristinam. Videt 4. fabros ferentes 4. cornua, quibus ventilarant Judæam.

Angelus in equo rufo.

QUæstio I. *Quis est vir super equum rufum* v. 8.? ℟ Certum est esse Angelum quendam. quia infra dicitur: *Et respondebant Angelo Domini, qui stabat inter myrteta.* Deinde hunc Angelum populo Judæorum esse propitium, quoniam is ipse inferius DEum sic orat: *Domine exercituum usquequo non miserebéris Jerusalem, & urbium Juda.*

S. Michaël.

II. *Quis fuit iste Angelus?* ℟. Hebræi, Theodor. Lyran. & alij asserunt fuisse Michaélem. Nam cùm oret hic pro populo, & Dan 10. dicatur Princeps, hoc est, custos Hebræorum, probabili conjectura Michaël esse perhibetur, quia cæteri Angeli dicuntur eum ponè sequi, quasi superiorem, *& post eum*, inquit, *equi rufi varij, & albi*, item referre, quæ in suis regnis aguntur, illi nimirum veluti majori rationem reddentes. Responderunt Angelo Domini: *ecce omnis terra habitatur & quiescit.* Michaël egregius propugnator populi DEi, eo nunc laborante proprium subit bellatoris habitum, scilicet Equitis, idq; in equo rufo, sive sangvineo, quòd sangvinem, hoc est, vindictam jam hinc in hostes Hebræorum minitatur. Theodor. eqvum vocat spadicem, hoc est, punicei coloris, qui maximè commendatur in equis.

Angelus inter myrteta.

III. *Cur dicitur eques visus inter myrteta*, quæ erant in profundo, seu inter montes umbrosos; quem sequebantur alij Equites parati ad custodiam, sub illo quasi Principe custodiæ militantes? ℟. Quia in profundo laborum, & inter molestiarum umbras paratiores se præbent Angeli ad custodias suas. Suis laborantibus Hebræis, ac impeditis à vicinis hostibus ab ædificatione templi & urbis, apparet Zachariæ vir bellator equo rufo vectus. A tempore ipso conjectura est, esse Michaélem paratum ac præcinctum ad defensionem populi contra impugnantes hostes, ut habeat Propheta, quo maximè

torpen-

torpentes alliciat, excitetq; ad prosequendum opus cæptum. Ut autem opportunè hîc contra rebellantes equitat Michael, sic juxta S. Ambr. ad Ps. 40. periclitante ærario Jerosolymitani templi, in quo viduarum ac pupillorum pecuniæ servabantur, sub depopulatore Heliodoro; astitit quoq; in tempore Michael terribili aspectu, aureis armis ornatus, equo phalerato insidens, quem acriter agens in Heliodorum prioribus elisis calcibus conculcavit, ac per assistentes juvenes durè admodùm flagellari jussit. 2. Mach. c. 3. §.

IV. *Cur Eques apparet inter myrteta?* R. Res odoriferæ, teste Plinio l. 20. c. 11. & experientiâ, deficientibus salutares sunt: idcirco & inter odoriferas myrtos stat Michael, promittens deficientibus Hebræis, ac planè jam ex timore collapsis certam confortationem & consolationem. Isa. 55. 13. dicitur: pro urtica crescit myrtus, ubi S. Hieron. mala vertentur in bonum. Apparet hìc Michael inter myrteta, quasi prænuntians futuram Hebræorum felicitatem, ac post labores certam lætitiam, non quamlibet autem, sed magnam & exaggeratam, qualem non una aliqua myrtus, sed ingens per duos montes extensa myrtorum sylva præseferebat.

V. *Qui sunt Equites, in rufis, variis, & albis equis?* R. esse Angelos variis regnis præpositos: primùm quidem, quoniam de illis respondet Michael: *isti sunt, quos misit Dominus, ut perambulent terram:* id est, quos præposuit variis terrarum provinciis, ut eas jure sui muneris lustrent, & ultrò citroq; commeando vigilum instar custodiant. Deinde, quia Michaeli referunt de regnis sibi creditis, quòd quiescant, & bene apud ea res agantur, quod non quadrat in alios Angelos, quos sibi Michael Adjutores asciscret: congruit autem quòd Michael simili curæ muneriq; addictus, ad hæc Angelorum nuntia quasi dolens cum Domino expostulet: *usquequò tu non miserebaris Jerusalem, & urbium ejus? iste jam septuagesimus annus est.* q. d. Cur cùm cæteri regnorum custodes prosperè agant apud gentes sibi commissas, mihi quoq; non ita cedet apud Hebræos? ecce jam septuagesimus annus est, ex quo desolata est Jerusalem, nunc autem quasi non satis pœnarum exhaustum esset, denuò impeditur instauratio ejus. Porrò varietas colorum non temere videtur adhibita. Equi rufi repræsentant regna sanguinaria, qualia tunc fuerunt Medorum, Persarumq;: equi albi regna paci dedita & prosperè in omnibus agentia: color enim albus lætitiæ ac prosperitatis symbolum Apoc. 6. 2. *Qui equo illo albo vehitur, exit vincens, ut vincat.* Quasi certus victoriæ, quam vel equi candore sibi augurat; equi varij, regna, in quibus varij mores, variæ fortunæ, varij administrandi vigebant modi, quale Romanorum Imperium, quod Reges primùm, postea Consules, deniq; Imperatores moderabantur. *Equi rufi, albi, varij.*

VI. *Quid significatur per 4. cornua?* R. S. Hieron. putat significari 4. Monarchias, Chaldæorum, Medorum, Macedonum, & Romanorum eò; quòd illæ Judæos variis affecerint cladibus, ac adeò latè ventilaverint toto orbe. Aft hæc opinio multas patitur difficultates, imò, quia DEus hoc loco consolans vatem promittit ultionem suam adversus ea regna, quæ suis cornibus, id est, viribus, ventilaverunt Judæam: at Græci ac Romani nulla adhuc in re nocuerant Judæis. 2dò, Fabri veniunt, ut hæc cornua, id est, regna hostilia terreant, ne ampliùs noceant Judæis, quod in magnam consolationem ostensum est Zachariæ, at post consolationem sic exhibitam, constat Romanos multis modis vexâsse Hebræos. 3tiò, Persæ & Medi mites se præstiterunt in Hebræos; nam & à captivitate liberârunt, & suis juvêre opibus ad instaurationem templi: nam quòd Cambyses impediêrit ædificationem ad securitatem, ùt putabat, regni sui, nulla tamen alia in re nocuit. 4tò, hæc regna tantùm nocuêre duabus tribubus, hîc autem dicitur, quòd ventilaverunt Judam, & Israél & Jerusalem. Veriùs Theodor. ait hæc 4. Cornua esse 4. mundi partes, à quibus potentissimæ gentes sæpiùs ortæ vexaverunt Judam & Israèl magnis cladibus. Ab occidente Palæstini perpetui Judæorum hostes; à Meridie Idumæi, & Ægyptij; ab Oriente Moabitæ & Amonitæ, à septemtrione Assyrij & Chaldæi: Nam exceptis Chaldæis, qui in solas duas Tribus sævîere, cætera regna omnes simul Judæos ingentibus calamitatibus affecerunt, & in hæc ipsa aptè cadit comminatio fabrorum. *Cornua quatuor.*

VII. *Qui sub specie fabrorum intelliguntur?* R. Angeli custodes Jerusalem & cæterarum urbium ejus, quæ autem illi ea specie demonstraverunt vati, opere compleverunt: nam deinceps magna pace ac felicitate ædificata est Jerusalem, urbesq; reliquæ, & ideo statim initio capitis sequentis vidit Propheta virum cum funè mensorio, rogatusq; ab eo, quo vadat? respondet: *ut metiar Jerusalem, & videam, quanta sit longitudo ejus, & quanta latitudo.* Quo significatur apparatus ædificij futuri.

CAPUT II.

Videtur à Propheta vir cum funiculo lineo quasi accinctus ad metiendum solum, in quo erigenda est civitas, quæ promittitur ita latè extenden-

tendenda, ut absq; muro habitetur. Convocantur autem dispersi Judæi, ut eam incolant, magnaq; rerum felicitas ventura prædicitur simul cum gloria Christi.

Jerusalem absq; muro

QUæstio I. *Quomodo dicitur* v. 4. ABSQUE MURO HABITABITUR IERUSALEM, cùm constet murum ædificatum esse à Nehemia, 2. Esd. 2. & Josephus l. 6. De bello Judaico c. 6 trino muro circumdatam asserat? R. Non negat Jerusalem cingendam muro, sed ait tantam eò confluxuram hominum multitudinem, ut spatium intra muros etsi capacissimum, non capiat tamen omnes, sed multos cogendos extra muros domicilium quærere. Unde illud *absq; muro* quidam exponunt extra murum. Sicut illud Josue 17. v. 5. *Funiculi Manasse ceciderunt absq; terra Galaad*, id est, extra terram Galaad. Alij mysticè intelligunt de Ecclesia, quæ absq; muro habitabitur ad expressionem propagationis ejus, ac multitudinis gentium, quam suo ambitu complectetur. Quod regius vates exaggerat Ps. 86. 4. *Ecce alienigenæ & Tyrus, & populus Æthiopum, hi fuerunt illic.*

Murus igneus.

II. *Quis est sensus* v. 5. *Et ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu?* R. Instar ignei muri cingam, tutabor, exhilarabo, Jerosolymæ cives, hostes verò vel solo aspectu fugabo. Alludit ad flammeum gladium, quo Cherubim custodit paradisum Gen. 3. quem Lactantius & alij *murum igneum* interpretantur: Talem murum habebit Ecclesia toto orbe diffusa, quoad effectum defensionis & securitatis, ipsummet Deum. Ideo ait Dominus: *ego ei ero murus in circuitu*, id est, faciam illam ope mea inexpugnabilem, quod etiam exprimitur Isa. 26. 1. *Salvator ponetur in ea murus & antemurale*; id est, non alius in ea erigetur murus, quam Dominus ipse, quatenus Salvator, ut certos faciat de salute contra quoslibet impetus irruentium. Salvatoris enim vocabulum intelligi non potest sine victoria quarumlibet oppositarum virium. Quod optimè significatum est hoc loco per murum igneum, nimirum defendentem ac offendentem, clausos enim defendit, oppugnantes exurit.

Fuga svadetur.

III. *Cur ad fugam hortatur Dominus* v. 6.? R. Hortatur ad fugam de terra Aquilonis, id est, è Babylone, quæ respectu Judææ est Aquilonaris: quoniam si Babylone substiteritis, ex nunc Divino decreto meo *in 4. ventos cœli dispersi vos*, id est, dispersurus suo tempore. Expugnata enim per Darium Hystaspis Babylone jam iterum rebelli (quod factum biennio post hanc Zachariæ c. 1. v. 7. prophetiam, nempe anno 4to Darij, industriâ Zopyri seipsum mutilantis & ad obsessos transfugientis, ut narrant Justinus l. 1. in fine, Herodotus l. 3. in fine) vos quoq; illic deprehensi dispergemini, & quasi socij rebellium mulctabimini, atq; ut minimùm in novum exilium deportabimini. Quare præstat ex nunc inde demigrare in optatam patriam.

IV. *Quis loquitur* v. 8. *Post gloriam misit me ad gentes, quæ spoliaverunt vos?* R. Gabriel Angelus, scil. post redditam Jerosolymæ gloriam Divinæ suæ præsentiæ in templo (de qua v. 5.) misit me Gabriel ad Gentes pessumdandas, quæ vos antea spoliaverunt, id est, ad exscindendos Babylonios, Idumæos, Philisthæos, Ammonitas, Moabitas &c. Ita Chaldæus, Hugo, à Lap. & Tirinus. Et sensu allegorico loquitur Christus: DEus exercituum, Pater cœlestis, cœli & terræ Monarcha, *post gloriam* plena manu & mensura ad mensam Synagogæ, me filium suum, Gabrielis antitypum, & Deum etiam exercituum, utpotè Deum verum de Deo vero, misit quasi archistrategum suum ad gentes & nationes omnes totius terræ, ut eas debellem, exspoliem, mihiq; & Ecclesiæ meæ subjiciam per Apostolos & alios prædicatores Evangelicos, qui animas ereptas tyrannis, Diabolo, mundo, carni, subjiciant DEO legitimo Domino, & regi totius universi. Ita Hieron. Theodor. Lyran. Ribera & alij.

CAPUT III.

Ostenditur Zachariæ Jesus filius Josedec magnus eo tempore Sacerdos sordidis vestibus indutus, stans coram judice Angelo, & Satan à dextris ejus accusans eum. Postea videt Satan ab Angelo repelli, & Jesum ornari vestibus mutatoriis, promittiturq; illi, quòd, si ambulaverit deinceps in viis Domini, futurus sit judex in populo. Deniq; prædicitur Christi adventus, passioq; & fructus passionis ejus.

QUæstio I. *De quo intelligenda est visio in sensu literali?* R. De filio Josedec, & licet alij in sensu allegorico eam accommodent Christo Domino, negat tamen Fnerandius id fieri posse ob multa indecora, quæ inde sequerentur. Imò quidem, quia Angelus ita cum Jesu loquitur: *Ecce abstuli à te iniquitatem tuam.* Deinde

inde paulò infrà: *si in viis meis ambulaveris, & custodiam meam custodieris, tu quoq; judicabis domum meam*, quæ Christo accommodari non possunt. Præterea hic Jesus accipit promissionem de venturo Christo, quomodo ergo Christus est. Hic filius Josedec nuper redux è captivitate Babylonica, designatus Summus Judæorum Pontifex, cum pro munere suo Judæos è longo exilio in patriam reductos, & jam pene oblitos legis cultûsq; Divini deberet instruere, & ad legis præcepta implenda perurgere, ad templum excitandum provocare, à matrimoniis cum alienigenis uxoribus avertere, segnior in his & justò remissior erat, sinebatq; etiam proprios filios & fratres suos alienigenis copulari, ùt dicitur Esd. 10. v. 18 Interim Pontificio fungens munere supplicabat DEO pro salute populi, pro urbis & templi restauratione, pro religionis Divinique; cultus incremento, pro reliquis Judæorum familiis è Babylonia & Perside in patriam reducendis, indignum hoc visum Satanæ, obnoxium non levibus peccatis audiri à DEO, & vice ipsius fungi in synagoga, stat ergo actor in judicio adversus Jesum, coram Angelo Domini Michaële, DEI vicario & Principe synagogæ, stat Pontifici reo à dextris. Sed cùm in reo accusando vehementiùs exardescit, nimisq; improba petit, Deoq; indigna, imò injuria, non exspectato rei responso repellitur.

II. *Quomodo explicandus* v. 2. INCREPET DOMINUS IN TE SATAN? ℟ Deus increpatione, objurgatione, imperio suo Divino reprimat, & compescat audaciam, nequitiam, impudentiam tuam, qua audes occasione erratorum ab infirmo homine admissorum, non solùm subversionem ipsius, sed & totius Jerosolymæ ac Synagogæ ruinam, quam tamen probè nosti electam à DEO, ut templo in ea restaurato colatur ibidem & adoretur à toto mundo. Et ad Jesum quod attinet, an nescis ipsum ex medio incendio Babylonico, quo & avus ejus, & pene familia tota conflagravit, instar ambusti torris vix erutum, & hucusq; reductum, ut operâ illius templum, urbs & religio juxta divina promissa restauretur? an fortè vis morte ipsius promissa divina aboleri, Deumq; mendacem fieri?

III. *Qui sunt viri portendentes* v. 8. ? ℟. In hebræo habetur viri portenti, qui scil. facto suo aliquid portendunt. Quoniam igitur Judæi è captivitate Babylonica Jesu Sacerdote magno satagente liberati sunt, & cum eodem ad templi ædificationem solicitè incumbebant, his ipsis factis suis ac eventibus portendebant liberationem humani generis autore Christo futuram, & per ipsum Dominum Jesum, ac Apostolos ejus ædificandam Ecclesiam. Eritq; sensus: Cùm tu ô Jesu Sacerdos magne & qui tecum sunt, nihil tale cogitantes, tamen factis vestris, designetis futura, audite nunc à me, quænam illa sint. *Viri portendentes.*

IV. *Quem intelligit per servum orientem?* ℟. Messiam. In hebræo pro *Orientem*, habetur Germen seu surculus, qui pullulat & oritur è terra vel ex arbore aut frutice. Alludit ad Isa. 4. 2. *In die illa erit germen Domini, in magnificentia.* Et c. 11. 1. *Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini.* Vocatur Christus germen, quia è virgine natus est, obrumbrante Spiritu Sancto, sicut germen è terra pullulat irrorante rore vel pluvia cœlesti sine maris concursu. Oriens significat Christum à sui ortu; & à primo conceptionis instanti per gratiam tum unionis hypostaticæ, tum habitualem fuisse consecratum & unitum DEO juxta illud Isa. 49. 1. *Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei.* Ita S. Amb. l. 5. de fide c. 3. Huc alludit Zacharias pater Joannis Bapt. Luc. 1. dum canit: *Per viscera misericordiæ DEI nostri, in quibus visitavit nos Oriens ex alto.* *Servus oriens.*

V. *Quis est lapis, quem dedit comm Jesu* v. 9. ? ℟. Messias. Alludit ad fabricam templi, quæ à Jesu Pontifice facta est ex lapidibus. Hi enim lapides repræsentârunt Christum, qui est lapis angularis & fundamentalis in fabrica Ecclesiæ. Alludit ad Isa. 28. 16. *Ecce ego mitto in Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum in fundamento fundatum.* Hunc lapidem dedit Deus *comm Jesu*, id est, per visionem Deus ostendit Jesu filio Josedec lapidem fundamentalem templi, eiq; revelavit per illum repræsentari Christum, qui futurus erat lapis angularis Ecclesiæ. Sic enim explicat se Zacharias c. 6. 12. ubi cùm dixisset: *Ecce vir Oriens nomen ejus.* Subjicit: *& subter eum orietur. & ædificabit templum Domino.* Pariter hic cùm dixisset: *ecce adducam servum meum Orientem*, subdit: *Ecce lapis &c.* Cui scilicet ipse suam inædificabit Ecclesiam. *Lapis coram Jesu.*

VI. *An oculi septem super lapidem unum* v. 9. *Fuerunt lapidi inciſi*, vel affixi tantùm; an verò à lapide separati, sed in lapidem respicientes, & intenti? ℟. Separatos fuisse & in lapidem prospectantes, censent Lyran. Vatablus, Fernandez & alij, quia, inquiunt, significant Angelos in fabricam templi & Ecclesiæ, ideoq; in lapidem, id est, Christum, intentos, ut quæcunq; ille jusserit, promptè exequantur, aut, ut alij, significant omnium Angelorum & hominum oculos intentos esse in Christum, quia ab eo gratiam, salutem & omne bonum expectant. Corn. à Lap. putat oculos hos fuisse lapidi affixos, vel incisos. *imo* quia dicuntur fuisse *super lapidem unum.* Si enim fuissent extrinseci, & intenti tantùm in lapidem, dixisset, *versùs lapidem unum.* Idò, quia hi oculi sunt lapidis, id est, Christi, per quos ipse circumspicit, lustrat, protegit, curat, promovet totam Ec- *Oculi lapidi inciſi.*

clesiæ fabricam: licèt enim id faciat per Angelos à se separatos, tamen quia hi Angeli sunt quasi oculi Christi hic quasi oculi in ejus corpore infigi & pingi debent.

Oculi septem.

VII. *Quid hi septem oculi significant?* R. Significant plenam & perfectam Christi providentiam & vigilantiam circa templi, id est, Ecclesiæ suæ fabricam erigendam, augendam, promovendam, & conservandam, quam exercet per 7. Angelos primarios, qui aulæ suæ sunt quasi Principes, ideoq; præfecti tum cæteris Angelis hominum custodibus, tum ipsis hominibus totiq; Ecclesiæ & orbi. Id ita esse patet ex c. 4. 10. ubi ait Zacharias: *Septem isti oculi sunt Domini, qui discurrunt in universam terram.* Et Apoc. 5. 6. *Agnus habebat oculos 7, qui sunt 7. Spiritus DEI missi in omnem terram.*

Lapis cælatus.

VIII. *Quis est lapis cælatus* v 9.? R. est Christus, ejusq; cælaturæ vocantur vel 7. oculi in eo cælati, ùt nonnulli volunt; vel potiùs ipsius cælantis Stemmata in primo fabricæ lapide cælata. Nam cælaturas has ab oculis esse diversas, liquet ex antitypo; oculi enim Angelos; cælaturæ, dona & stigmata Christi repræsentant. Alludit ad primum templi vel fabricæ lapidem, quem architecti cum solemnitate & pompa in fundamentis ponunt, itaq; fabricam inchoant Unde lapis ille primus solet insignibus Principis, qui fabricæ est auctor, insculpi: ita Christo quasi lapidi primo Ecclesiæ, Deus sua insignia & stemmata insculpsit; imò in ejus Incarnatione, in qua Spiritus Sanctus Christi corpus & animam tanta perfectione elaboravit, ut humanitas illa à DEO elegantissimè tornata & cælata videretur. idò, Christus quasi lapis cælatus fuit in passione tum clavis, spinis ac flagellis activè, tum vulneribus, plagis & vibicibus passivè, quibus totum corpus suum fodi & aperiri voluit, ut immensam in nos suam charitatem intus latentem per has quasi rimas ostenderet & effunderet, juxta illud: Cernis ut in toto corpore sculptus amor.

CAPUT IV.

Primo visum est Zachariæ candelabrum aureum, in cujus summo stipite erat lampas maxima, postea sub hac maxima 7. aliæ minores lucernæ. Præterea vidit duas olivas, unam ad dexteram, alteram ad sinistram candelabri. Rogatus porrò à Zacharia Angelus explicat visionem candelabri.

Candelabrum aureum.

QUæstio I. *Quid significatur per Candelabrum aureum?* R. Per synecdochen significat & repræsentat templum instaurandum à Zorobabel. Ipsum enim erat unum è tribus præcipuis vasis templi, quod totum tabernaculum sua luce illustrabat, rursum candelabrum in templum inferri non solet, nisi eo perfecto. Fabrica ergo hæc candelabri significat & præsupponit fabricam templi perficiendam. Ita Lyran. Hinc mysticè candelabrum æquè ac templum repræsentat Ecclesiam. Huc facit locus ille Apoc 1. 13. Ubi Joannes testatur se vidisse similem filio hominis in medio 7. candelabrorum aureorum, statimq; addit, candelabra septem, septem Ecclesiæ sunt: ùt ergo ibi 7. candelabra 7. Ecclesias: ita hîc unum candelabrum ob magnitudinem apparatuum ac luminum excellentiam significat Ecclesiam universalem, primum quidem quia visibilis, ac omnibus comspicua eminet. Deinde quia splendet sapientiâ, charitate, ac omnium virtutum exemplis. Deniq; candelabrum totum aureum repræsentat Ecclesiam, non, ut quidam putant, quatenus charitatem habet: nam multi sunt in Ecclesia, qui non habent charitatem, vel uno autem deficiente, aureum totum dici nequit. Dicitur ergo Ecclesia candelabrum totum aureum, ob doctrinam fidei, quæ merum est aurum, nullam videlicet admittens scoriam falsitatis, ùt reliquæ in mundo Sectæ.

Lampas Maxima.

II. *Quæ est lampas maxima?* R. Christus optimus maximus. S. Hieron. ait: Lampadem, id est, flammam in vertice candelabri lucentem atq; fulgentem Christum accipimus, qui caput legis est, & omnem mundum illuminat, juxta illud Joan. 8. *Ego sum lux mundi*, explicat Amb. ep. 11. Non utiq; lux visibilis, sed animarum, quæ in hoc mundo sunt, intelligibilis claritudo, quibus se splendenti lumine rationabilis infundit providentia. *Est lux vera, quæ illuminat omnem hominem.* Nec potest objici multos jacere in tenebris infidelitatis, alienos videlicet ab hoc vero lumine: nam rectè Evangelista usus est in præsenti *illuminat*, quia præsens aliquando non effectum, sed naturam & vim innuit. Vult ergo hîc ea omnes quidem homines illuminare, ac ad omnes quidem sufficere lucem Christi, nec per illum stare, sed per ipsos homines, qui ad lucem accedere aut contemnunt aut non curant.

Lucernæ septem.

III. *Qui significantur per 7. lucernas?* R. Multitudo justorum. Accommodatè verò dicuntur lucernæ, quoniam ùt lucernæ luce lucent aliena, & nisi aliunde accendantur, in obscuro sunt; ita justi, si lucent, beneficio id habent veræ ac propriæ lucis, quæ est Chri-

Christus. Unde cùm Ioan. c. 1. 8. dixisset de Baptista: *non erat ille lux.* c. 5. 35. de eodem dixit: erat lucerna ardens & lucens, intelligens, videlicet, non esse lucem veram, quæ ex se ipsa luceret, sed tamen lucernam esse, quæ à Christo vero ac naturali lumine mutuaretur lucem.

IV. *Quæ sunt 7. infusoria?* R. Septem Sacramenta Ecclesiæ, per quæ, ùt S. Hieron. ait, oleum misericordiæ DEI, omniumq; virtutum Ecclesia suscipit, eoq; fovetur & conservatur. Ps. 4. 8. *A fructu frumenti, vini & olei sui multiplicati sunt:* hoc est, nutriuntur, & augentur fideles dono gratiæ, quæ est fructus sive affectus Eucharistiæ, & aliorum Sacramentorum: ut enim in Eucharistia materia est panis & vinum, sic in plerisq; aliis Sacramentis, maximus est olei usus. Id verò propter mysterium, quòd oleo foris ungente, intus gratiâ impingvatur anima, & illustris redditur, ùt lucerna coram Domino perseveret. Rectè autem annotavit Cyrillus, Lampadem supremam non habere infusoria: Filius enim DEI, inquit, verum Lumen est, quod non mutuatur foris, sed ipse habet naturaliter, de cujus plenitudine nos omnes accipimus. Ut ergo cæteri fideles non habent à se, quòd lumina sint, sed à Christo lumine illuminantur, sic à se non habent oleum, quo foveant lucem mutuatam, sed ab eo ipso per Sacramentorum gratiam foventur. *Infusoria septem.*

V. *Quæ sunt duæ olivæ?* R. Corn. à Lap. per has intelligit Jesum Pontificem & Zorobabelem Principem. Hi enim DEI ductu & nutu candelabrum materiale, & secundarium, id est, templum ædificârunt & consummârunt, idq; præstiterunt non suis opibus, robore, aut viribus, sed DEI virtute & spiritu. Allegoricè per duas olivas intelliguntur SS. Petrus & Paulus, qui Lampadem id est, Ecclesiam Romanam ædificârunt & fundârunt, in eamq; omnem doctrinam & gratiam cum sangvine suo distillârunt, & etiamnum è cœlo per preces & suffragia distillant. *Olivæ duæ.*

VI. *Ad quem sit sermo* v. 7. QUIS TU MONS MAGNE? R. Ad Diabolum, q. d. cur per te, per Cambysen, per Sannaballat, per alios emissarios tuos, millena coram Zorobabel objicis impedimenta, quibus quasi vastissimis montibus vis conatus ipsius præpedire? ita Hebræi, & ex illis Hieron. Lyran. *In planum* descende & complanare. q. d. Apage cum omnibus impedimentis & remoris tuis, quia vel invito te in altum educet jactum jam *primarium Lapidem*, id est, fabricam inchoatam attollet usq; ad fastigium: *& gratiam* seu beneficium perfectionis fabricæ, *exæquabit gratiæ* inchoationis ejus, id est, tanta gratia, favore, prosperitate perficiet, quanta cœpit. Ita enim se explicat Angelus v. 9. Ita S. Hieron. Theodor. Lyran. à Lap. & Tirinus. Fernandez sic explicat, quid tu, ô diabole, in Zorobabele extingvere vis spes Ecclesiæ & Christi venturi, cur te illi quasi montem objicis, ut impedias ædificationem templi? frustra id conaris, cùm virtute mea omnes difficultates superaturus sit, teq; ipsum montem, & obstaculum importunum solo æquare, & penitus abolere debeat, sicq; viam apte invenire ad Christi tempora. *Diabolus mons magnus.*

VII. *Qui dicuntur dies parvi?* R. Dicuntur ob parvitatem rerum, quæ in illis peraguntur, sicut magni ob magnitudinem rerum. Ita Joel 2. 11. Dies judicii dicitur magnus & horribilis. Et Ioan. 19. 31. *Erat magnus dies ille Sabbathi*, nimirum ob Paschæ solemnitatem. Idò, Dies parvi possunt dici dies pauci, nam pauco tempore perfectum est hoc posterius templum. Cœpit enim fabricari anno secundo Darii, & perfectum est anno sexto ejusdem. Sic Jacob interrogatus à Pharaone, quot esset annorum? respondit, dies peregrinationis meæ centum triginta annorum, parvi & mali, id est, pauci & miseri. *Dies parvi.*

VIII. *Quis est lapis Stanneus* v. 10.? R. Chald. habet, lapidem perpendiculi: solet enim lapis, è stanno vel plumbo ob pondus & gravitatem alligari perpendiculo, ut ejus funiculum rectè distendat ad mensurandas areas ædificii. Sensus ergo est, q. d. Magna erit lætitia, cùm Zorobabel ad perpendiculum ædificabit & consummabit templum. Allegoricè, lapis stanneus est Christus, inquit S. Hieron. qui est in manu, id est, potestate Zorobabel, quia ejus filius & ex eo prognatus. *Lapis stanneus.*

CAPUT V.

Videt Propheta prius volumen volans, seu membranam 20. cubitos habentem secundùm longitudinem, 10. verò secundùm latitudinem. Ab Angelo accipit interpretationem. Deniq; ex occasione, ut solent Prophetæ, contra pejerantes, ac fures declamat. Videt præterea amphoram cum mulieribus.

QUæstio I. *Quid significat volumen volans?* R. LXX. legunt, *vidi, & ecce falx volans.* Alii membranam volantem. Veterum enim consvetudo fuit in membranis oblongis scribere, quas cylindro seu axi ligneo involvebant. Vidit ergo Vates volumen volans, hoc est, membranam oblongam, in qua scripta erant omnia furtu, per- *Volumen volans.*

ta, perjuria & ejusmodi scelera populi, ac pœnæ pro eis infligendæ. Quòd volumen dicitur volans, aut falx volans, significat divinam ultionem peccato annexam præstò esse, & quasi desuper advolare ad puniendos malos.

Amphora seu epha.

II. *Quid significat Amphora, seu epha vel mensura* v. 6. ? R. Significat mensuram peccatorum Judæorum punitioni & excidio eorundem à DEO decretam & præfinitam, qua sensim impleta, Judæi puniti & excisi sunt. Deus enim videns peccata gentis vel hominis alicujus, non statim prosilit ad vindictam sed longanimiter ea tolerat: ideoq; cuiq; genti vel homini certam præscribit mensuram peccatorum ita ut antequàm illa plenè impleatur, non puniat, sed mox ubi impleta fuerit, tunc omnia simul & semel acriter castiget & vindicet, juxta illud Gen. 15. 16. *Nondum completa sunt iniquitates Amorrhæorum.*

Mensura scelerum à Judæis impleta.

III. *Quando hæc Amphora, id est, mensura peccatorum à Judæis fuit impleta, & à DEO castigata, ac extremo gentis excidio vindicata?* R. Planè & plenè impleta fuit per parricidium imò Deicidium, quo Christum Dominum occiderunt, juxta illud Christi Matt. 23. 32. *Et vos implete mensuram Patrum vestrorum,* scil. occidendo me, Deum & Messiam vestrum, ut impletâ mensurâ vestrorum scelerum, veniant vestri Carnifices Titus & Romani, qui extremo & æterno supplicio vos plectant, ut in terra Sennaar, id est, toto orbe, inquit Sanchez, vagi & profugi exuletis, donec Antichristum verè & propriè in Sennaar, id est, in Babylone, quasi stabili & firmo colatis, & adoretis. Ita Rupert. Ribera, Fernandez & alij.

IV. *Quis est sensus verborum* v. 6. HÆC EST OCULUS EORUM IN UNIVERSA TERRA? R. Oculus hîc dupliciter potest sumi. imò activè, ut significet DEI providentiam q. d. Hæc amphora significat pervigilem DEI oculum, qui universam terram circumspicit, ac cuiq; pœnas pro scelerum mensura designat. adò, & meliùs passivè, & objectivè, oculus, id est, objectum oculi, putà res visa, in quam omnes conjiciunt oculos, q. d. Oculus, id est, aspectus omnium Judæorum fertur ad hanc amphoram, ut scilicet eam peccatis suis impleant. adeò effrænes ruunt in scelera, ut non aliud, quàm ad scelera respicere & oculos intendere videantur.

Talentum plumbi.

V. *Quid denotat talentum plumbi* v. 7? R. Notat gravitatem culpæ & consequenter pœnæ, quæ peccatores deprimit & opprimit, ut sese erigere, & ab ea eximere nequeant: unde obstruit os amphoræ, ut impietas eâ concluſa in æternum occlusa maneat. ita S. Hieron. Rupert. & Lyran. Propriè talentum plumbi notat gravem rigidamq; DEI sententiam, quæ Judæis pœnam culpæ, quasi amphoram impietati adæquatam commensurabat, eamq; quasi obsignabat & occludebat, ut ex ea egredi non posset, nisi tota mensura pœnæ persoluta. Addit Ribera, talento plumbi, quo omnino clausa est amphora, significari diuturnitatem supplicii & exilii, æquè ac excœcationis Judæorum. scil illud duraturum usq; ad finem mundi: porrò amphoram portari in terram Sennaar, quia illorum cœcitas & pœna durabit, donec ipsi in Babylone Antichristum colant & adorent.

VI. *Quæ sunt duæ mulieres* v. 9. R. Per duas mulieres intelligi duos Dæmones primarios, vel potiùs Nabuchodonosorem & Nabuzardan, qui Jerusalem vastarunt, ac Judæos impios in Babylonem transtulerunt. Hi enim fuerunt milvi alati, & raptores celerrimi Judæorum, qui eos traduxerunt in Babylonem. Unde Chaldæus vertit, *populos leves & expeditos,* quales fuerunt Chaldæi. Tales post necem Christi Judæis fuerunt Titus & Vespasianus, vel Titus & Adrianus.

CAPUT VI.

Ad impietatem Babylone, quasi in basilicam, excidendam ac perdendam, videt accurrere reliqua orbis regna ac Monarchias, Chaldæorum, Persarum, Græcorum, Romanorum: quibus succedit regnum Messiæ stabile & æternum. Unde jubetur coronâ aureâ coronare Jesum Pontificem, typum & Synonimum Messiæ.

Quadrigæ quatuor.

QUæstio I. *Quid per 4. Quadrigas intelligitur?* R. Quatuor orbis Monarchiæ, ita communiter interpretes. Cur autem per quadrigas significentur imperia, ea ratio afferri solet, quod imperia prædicta bellicosa, armisq; tum parta, tum amplificata fuerunt.

Quadriga cum equis rufis.

II. *Quam Monarchiam significat prima Quadriga cum equis rufis?* R. Chaldæorum in qua etiam censebantur Assyrij: Nam rufus color seu sanguineus repræsentat Assyriorum vim bellicam, quæ multis cladibus affecit Judæos, ac alias multas provincias vastavit. Et certè Isa. 10. 5. vocatur Assur virga furoris Dei, quòd ea natione DEus uteretur ad plectendos Judæos.

III. *Quam*

III. *Quam Monarchiam denotat 2da quadriga oſtentans equos nigros?* R. Perſarum, in qua regnante Aſſuero, Judæorum populus gravi metu oppreſſus eſt ob edictum Regis de interficiendis Judæis. Eſther 3. 11. Similiter & multos annos, dum vigeret eadem Monarchia, impediti ſunt ab ædificatione templi, ob idq; in longa quoq; triſtitiæ caligine jacuerunt, quod rectè expreſſum eſt nigrore equorum. Is enim color triſtitiæ eſt index, ut apud Nahum 2. 10. de ſimili Judæorum metu. *Cor tabeſcens, inquit, & diſſolutio geniculorum, & defectio in cunctis renibus, & facies eorum ſicut nigredo ollæ.* Eſt cor hominis velut olla, quæ igne tribulationis circumpoſito aduritur, aduſtio autem redundat in faciem, quæ veluti ex ſuffiatorium ignis exſtat, ac ob id neceſſario denigrat, quod ſignificavit Joël 2. 6. cùm dixit de Judæorum tribulatione, *omnes vultus redigentur in ollam*, hoc eſt, ſic aduſti apparebunt, ac ipſum cor inſtar ollæ combuſtum. *Quadriga cum equis nigris.*

IV. *Quam Monarchiam ſignificat tertia quadriga cum equis albis?* R. Græcorum, & ſub ea felicitatem Hebræorum. Nam color albus felicitatem innuit. Ipſum verò caput Monarchiæ Græcorum Magnus Alexander Hebræam gentem perhumaniter tractavit. Narrat namq; Joſephus l. 11. Antiquit. ult. Alexandrum cùm in Judæam veniſſet, & Jeroſolymam ingreſſus eſſet, Pontificem Hebræum ſibi obviàm egreſſum adorâſſe, & in templo Jeroſolymitano DEO vero obtuliſſe ſacrificium; cumq; illi propoſita eſſet prophetia Danielis de hirco caprorum, interpretationem ejus de Rege Græcorum Regem Perſarum everſuro, cum gaudio & certo victoriæ omine excepiſſe: Licet autem mortuo Alexandro multis eam cladibus & prælis affecerint Græcorum Duces, tamen per Judam Machabæum & fratres pluribus victoriis per idem tempus illuſtrata & condecorata eſt. *Quadriga cum equis albis.*

V. *Quam Monarchiam ſignificat quarta quadriga equos varios ac fortes habens?* R. Romanorum, eò, quòd variè ſub Imperatoribus Romanis tractati ſint Judæi. Clementer quidem à Julio Cæſare, Auguſto, Claudio: crudeliter à Caligula, Nerone, Veſpaſiano, Tito, Adriano. *Quadriga cum equis variis.*

VI. *Cur Angelus 4. quadrigas vocat 4. ventos?* R. ſubintelligitur nota ſimilitudinis *quaſi* 4. venti, quam Hebræi ſæpe omittunt. q. d. Hæ 4. quadrigæ, ſeu 4. Monarchiæ inter ſe confligent, ùt venti contrarii, ac violenter & celeriter quaſi venti ſubvertent omnia quocunq; irruent, deniq; velociter tranſibunt & deſinent, ut faciunt venti. Alludit ad Dan. 7. 2. Ubi pariter Daniel hæc 4. regna depingi vidit per 4. ventos confligentes in mari, q. d. Iſtæ quadrigæ ſunt ſimiles 4. ventis oſtenſis Danieli; ſicut enim ventis mare, ſic quadrigis terra turbatur. Ita Theodor. Vatablus, Sanchez. *Quadrigæ 4. venti.*

VII. *Quare dicuntur 4. venti myſtici ſtare coram Dominatore terræ* v. 5.? R. Innuitur paratos eſſe ad juſſa excipienda & exequenda. Nam Deus per eos punit, quos vult, imò priores ſemper punivit & evertit per ſequentes, uti Chaldæos per Perſas, Perſas per Græcos, Græcos per Romanos. Ubi Nota, homines omnes licèt peſſimi ſint, quales fuerunt multi ex his Monarchis, utpotè tyranni, aſſiſtere DEO quaſi inſtrumenta & lictores ejus, ut vel populum ejus defendant, vel impios caſtigent. *Venti coram Dominatore terræ.*

CAPUT VII.

Occaſione quæſtionis à Judæis propoſitæ, num jejunia, quæ in captivitate Babylonica, ob urbis gentisq; ſuæ excidium ſponte ſuſceperant, ſoluta captivitate continuari debeant, cui quæſtioni reſpondet cap. ſeq. v. 19., hîc docet verum Deoq; gratum jejunium eſſe abſtinentiam ab injuriis proximo inferendis, & ab aliis peccatis, ob hæc enim punitos illos fuiſſe tam longa & moleſta captivitate.

QUæſtio I. *Qui erant Sanſan & Rogomelech* v. 2.? R. fuiſſe Judæos in Judæa, ſed extra Jeruſalem in vicinis oppidis habitantes: hoc enim indicat reſponſio Zachariæ facta dicens: *Loquere ad omnem populum terræ, & ad Sacerdotes dicens: cùm jejunaretis &c.* Ita Theodor. & Chaldæus, qui cenſet eos fuiſſe Bethelitas.

II. *Quæ eſt cauſa quæſtionis* v. 3. NUMQUID FLENDUM EST MIHI IN QUINTO MENSE? R. In quinto menſe, id eſt, Julio, die decima templum combuſtum fuit à Chaldæis, æquè ac urbs & muri diruti, ideoq; eo die quotannis Judæi ſibi indixerunt luctum & jejunium, ùt patet 4. Reg. 25. 9. & Jer. 52. 12., idq; continuârunt per 70 annos captivitatis Babylonicæ ac deinceps donec templum rurſum ædificari cœptum. Cùm ergo viderent, jam templi fabricam creſcere, jure quærunt, an adhuc templi præteriti incendium flere, & per jejunium lugere debeant; an verò ob novi fabricam ſe exhilarare & exultare? ceſſante enim cauſa ceſſat effectus, imò mutatâ cauſâ mutatur effectus? templo ergo reſtaurato videbatur luctus vertendus in gaudium.

III. *Quis ſibi jejunat?* R. det S. Greg. hom. 16. in Evang. Sibi comedit & bibit, qui *Jejunans ſibi.*

qui alimenta corporis, quæ sunt communita dona conditoris, sine indigentibus percipit. Et quis sibi jejunat, si ea, quæ sibi ad tempus subtrahit, non pauperibus tribuit, sed ventri postmodum offerenda custodit. Ubi etiam hoc addit: illud ergo jejunium Deus approbat, quod ad ejus oculos manus eleemosynarum levat, quod cum proximi dilectione agitur, quod cum pietate conditur.

CAPUT VIII.

Explicat magna bona, & copiam spiritualium donorum, quæ genti Judæorum & toti Ecclesiæ daturus est DEus in adventu Christi, & vaticinatur multitudinem gentium venturam esse ad Evangelium.

Jerusalem civitas veritatis.

Quæstio I. *Quo sensu dicitur Jerusalem civitas veritatis* v. 3.? R. quia post reditum è Babylone semper usq; ad Christum in ea viguit vera DEI cognitio, vera fides, vera religio, verus DEI cultus. Deinde quia fidem mihi datam deinceps non est violatura, sed constanter mihi quasi sponso & DEO suo adhæsura, nec ampliùs ad idola deflexura, uti reipsa post reditum è Babylone ad ea nunquàm deflexit. Allegor. Synagoga fuit typus Ecclesiæ, quæ est columna & firmamentum veritatis 1. Tim. 3. 15. quia ejus Magister est Christus, qui est via, veritas, & vita; ac Spiritus Sanctus, qui est Spiritus veritatis, utpote ab æterna sapientia & veritate, quæ est Verbum Patris, procedens, ideoq; docens omnem veritatem tum fidei & religionis, tum morum: utramq; enim docuerunt Christus & Apostoli recepto Spiritu Sancto in Pentecoste in Jerusalem, ac deinde in toto orbe, juxta illud Isa. 2. 3. *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Jerusalem.* ita Theodor. & Rup.

II. *Quomodo respondet* v. 19 *ad quæstionem de jejunio cap. præced. propositam?* R. Non esse jejunandum: se enim luctum in gaudium, mœrorem in lætitiam, jejunium in festa & festiva convivia conversurum, eò quòd urbi, templo, & incolis sit benedicturus, bonisq; omnibus cumulaturus (si tamen pacem cum proximis, & veritatem, id est, fidelitatem, cum DEO diligant & custodiant) sic ut deinceps hilares & felices agant menses & annos, adeoq; illis diebus, quibus paulò antè ob eversam urbem & templum lugere & jejunare solebant, jam conversa rerum vice celebrent solemnia festa & convivia; perinde ac fecerunt Judæi liberati & exaltati ab Esther, celebrantes dies Phurim, id est, sortium, per solemnes epulas & munera Esther 9. 19. Ita S. Hieron. Hugo, Lyran. & alij.

III. *Quando impleta sunt verba* v. 20. *Usquequò veniant populi, & habitent in civitatibus multis?* R. Hæc aliquomodo impleta sunt in Judæis post reditum è Babylone, præsertim tempore Machabæorum, cùm populi multi tum è variis Judææ urbibus, tum ex vicinis gentibus videntes felicitatem, victorias & gloriam Jerosolymæ & templi, sic invicem cohortati sunt, ut eò properarent, illaq; fruerentur. Tunc enim multos gentiles variis in locis susceptisse Judaismum, & factos esse proselytos, liquet ex Esther c. 8. 17. & 3. Esdræ 5. 50. & Act. 2. 11. & c. 8. 27. Longè verius & plenius impleta sunt tempore Apostolorum, cùm per eos gentes conversæ ad Christum & Ecclesiam (quæ est vera Jerusalem) turmatim undequaque cum gaudio & jubilo invicem se cohortantes properârunt & confluxerunt, ut fore prædixit Isa. c. 2. 2. & Michæas c. 4. 2. ita S. Hieron. & alii passim.

CAPUT IX.

Pro majore Judæorum Babylone reductorum solatio promittit Deus, se vicinos ipsorum hostes debellaturum, ipsisq; subjecturum. Deinde Christum se ipsis missurum, Salvatorem, qui mitis & humilis asinâ vectus, urbem Jerosolymam quasi Rex, victor & triumphator ingredietur, & pacem orbi advehet, dominium suum protendens à mari usq; ad mare imò ad infernum usq; è quo vinctos Patriarchas educet jam mortuus: à resurrectione verò mittet legatos suos per universum orbem, qui gentes omnes ipsi adlegant & subjiciant.

Onus Verbi Domini.

Quæstio I. *Quod est* ONUS VERBI DOMINI IN TERRA HADRACH v. 1.? R. Est minax Prophetia in terram Hadrach, locum vicinum Damasco: in Syros quoq; Philisthæos & Tyrios. Nam Tyrios combussit Alexander & 2000. crucifixit. Curt. l. 3. & 4. Syros deinde & Philisthæos subegerunt Machabæi 1. Mach. 5. 69. Potissimùm autem prædicit earum gentium conversionem ad Christum; cujus lex est spirituale onus, & mactatio moralis, sive excisio peccatorum.

II. *Quis*

II. *Quis est sensus* v. 1. *Domini est oculus hominis & omnium tribuum Israel?* ℟ Duplex potest esse sensus. imò q. d. Domini oculus videt, curat & regit omnes homines æquè ac tribus Israel, ut scilicet impios puniat, pios tueatur, ac protegat. Unde LXX. vertunt: quia Dominus respicit homines, & omnes tribus Israel. 2dò q. d. Domini est, id est, ad Dominum respicit oculus hominis: aut Domini est convertere ad se oculum hominis. Unde alij ex Hebræo clariùs vertunt: ad Dominum est oculus hominis: q. d. Dominus est objectum, in quod intendit & respicit oculus, & mens omnis hominis, quantò magis tribuum Israel, postulantium & obsecrantium DEum, ut puniat Damascenos & Philisthæos, qui Israelem continuò affligunt.

III. *Quis est Separator* v. 9.? ℟ Alexander M. qui dicitur Hebraicè spurius non ex Philippo, sed ex Nestabano Mago Jovem se fingente conceptus, ut mater ejus Olympias confessa, ac proinde à Philippo quasi repudiata fuit. Significat & alienigenam, seu exterum vel extraneum, ut vertit Chaldæus, LXX & alij, & sic designat Jonatham Machabæum, Philisthæis verè extraneum, qui 8. Azotiorum millia 1. Machab. 10. v 84. gladio & igni separavit à reliquis devictis. *Separator.*

IV. *Cujus sanguinem auferet* v. 7.? ℟ Azoti, qui minabantur Judæis sanguinem; vel sanguinem victimarum idolo Dagon, id est, impia & sacrilega Azotiorum sacrificia succenso templo ipsorum 1. Mach. 10. impediam & tollam, & illorum loco inducam sacra mea primùm Judaica per Machabæos Abdiæ v. 19., dein & Christiana per Philippum Diaconum Act. 8. v. 40. & alios Discipulos Christi ita Arias ex Chaldæo. Et ita *relinquetur* aggregatus *DEo nostro etiam ipse* populus Azoti: imò *erit quasi Dux in Juda*, LXX. *quasi Chiliarchus.* nempe zelo & fervore præcellet reliquis Philisthæis ad veram fidem ac religionem capessendam, præcedet & Judæos instar ducis *ibidem* ad Christum & Evangelium amplexandum. *Accaron* etiam *quasi Jebusæus* olim à Davide 1. Reg. 5. v. 6. subactus, subigetur à Machabæis, & à Discipulis Christi.

V. *De qua domo loquitur* v. 8. CIRCUMDABO DOMUM MEAM? ℟ De Ecclesia, muniam illam castris validissimis Principum, Doctorum, Angelorum: Ne porrò eam vexent tyranni, infideles, Dæmones. *Vidi enim oculis meis*, quæ passi sitis ab istis, & quàm iniquè.

VI. *De quo dicitur* v. 9. *Rex tuus veniet tibi justus & Salvator, super asinam & super pullum filium asinæ?* ℟ De Christo Jerosolymam Dominicâ Palmarum gloriosè invecto interpretantur etiam S. Matthæus & Joan. Evang. & Orthodoxi omnes, quin & Rabbi Salomon & alij veteres Hebræi. Vectus asina, deinde etiam pullo asinæ, nam successivè insedisse Christum expressè docent S. Chrysost. Theophyl. Lyran Ribera à Lap & alij. Volebat enim in triumphali suo Jerosolymam ingressu palàm omnibus facere, se non soli Judæorum populo, qui instar asinæ subjugalis jugo legis assueverat, sed etiam gentilibus, exlegibus & indomitis Messiam & Salvatorem advenisse, inquit S. Justinus, Cyrillus & Origenes. Ubi verò advenerit, operâ illius, *Dispersam ex Ephraim & Juda*, id est, ex Ecclesia mea promiscuè collecta è 12. tribubus, adeoq; & ex gentibus *quadrigam, equum & arcum*, id est, bellica dissidia, & pugnas, quæ inter illas esse solent. *Rex super asinam*

VII. *De quo dicitur* v. 11. *Tu quoq; in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos, de lacu, in quo non est aqua?* ℟ De Messia, q. d. ô Messia in sanguine, id est, per sanguinem, seu merito & pretio sanguinis tui, quinto post triumphalem ingressum die in cruce effusi, quo testamentum seu fœdus tuum inter DEum & homines de novo initum sancivisti, & confirmasti, & quasi lytrum pro captis & vinctis filijs tuis dependisti. Hujus, inquam, sanguinis tui merito, mox ut victor ad devictum infernum descendisti perruptis carceribus, inde liberos emisisti vinctos omnes tuos Isa. 61. v. 1. & de arido lacu infernali, id est, è limbo Patrum, in quo nulla refrigerij vel solatij inerat aqua, tecum eduxisti in optatam tot sæculis libertatem, gaudium & gloriam. ita SS. PP. Græci & Latini. *Messias.*

VIII. *Quis est sensus* v. 12. *Convertimini ad munitionem vincti spei?* ℟. Vincti huc usq; spei, id est, qui ita spe adstricti estis Messiæ, ut ab illo uno toti pendeatis, convertimini jam & *accurrite ad munitionem*, ad arcem Sion, ad Ecclesiam, ad sinum Messiæ vobis transmissi, ita Clarius, Arias & alij. Potest & cum S. Hieron. & Hugone applicari Patribus in limbo, de quibus immediatè antè. Neq; est necessùm præstolari realem Messiæ adventum; Hodie quoq; id est, ex nunc, si in sinum venturi Messiæ quispiam per fidem, per spem, per amorem, in ipsum se conjecerit, annuntio tibi quisquis is es, quòd *reddam tibi duplicia*, id est, multiplicia illa bona, quæ à venturo Messia præstolaris.

CAPUT X.

Docet fruges & benedictiones temporales petendas non ab idolis, sed à DEo: qui ex Judæis excitabit Principes Machabæos, allegoricè Apostolos,

stolos, qui sua virtute, prælijs & victorijs Judæam & Ecclesiam omni genere bonorum replebunt, adeò ut ad eam turmatim recursuri sint, qui jam per Ægyptum & Assyriam dispersi degunt Judæi & Israelitæ.

Pluvia in tempore serotino.

QUæstio I. *Quæ est pluvia in tempore serotino* v. 1.? R. Per pluviam doctrina significari solet, ut Deut. 32. *Concrescat in pluviam doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum:* quoniam doctrina ex ore docentis fluit, & eâ irrigata corda audientium germinant. Pluvia autem temporis serotini, sive pluvia serotina est, quæ mense Majo cadit, qua fructus ad maturitatem perducuntur, Pluvia temporanea seu matutina, mense cadit Octobri, cùm jacta sunt semina, ut oriantur & crescant. Unde pulchrè S. Hieron. in c. 28. Job, & Cyrillus hîc, pluviam Matutinam sive temporaneam, & pluviam serotinam, dicunt esse vetus & novum testamentum. Pluvia temporanea fuit doctrina legis data per Moysem, qua semina jacta per partes legis naturæ germinârunt. Doctrina novæ legis est pluvia serotina, qua fructus matureſcunt, & perficiuntur, nihil enim ad perfectum adduxit lex, ùt ait S. Paulus Heb. 7. perfectio & maturitas Evangelio relinquebatur. Eadem ratione tempus Christi dicitur Serotinum.

Hirci.

II. *Qui sunt hirci* v. 3.? R. Pseudo-prophetæ Non vocavit arietes, sed hircos, ut eos ostendat fœtidis esse moribus, & inutiles, ac reprobatione dignos Visitabit autem Dominus super illos & aliis pœnis afficiendo, & homines convertendo ad Evangelium, ita enim Sacerdotes & errorum magistri, & apud Judæos Pharisæi, & Scribæ, & Sacerdotes sine honore relicti sunt.

III. *Quis est sensus* v. 4. *Ex ipso angulus, ex ipso paxillus, ex ipso arcus prælij?* R. Ex ipso Juda prodibit Princeps Mardochæus, deinde & Christus Messias, qui in rep. & Ecclesia sua præstabit, quod in domo præstat mò Angulus Isa. 9. v. 13. illam fulciens, stringens, uniens. 2dò paxillus Isa. 22. v. 23. qui firmus & immotus alia à se dependentia firmat & sustentat. 3tio *Arcus* Zach. 9. v. 13. *prælij*, per quem fugatur & sternitur hostis, 4tò *Exactor*, qui curam disciplinæ, custodiam legum, observantiam debiti cultus, officii & obsequij constanter & exactè deposcit.

CAPUT XI.

Prædicit excidium ultimum Jerusalem, & abjectionem illius gentis, cujus abjectionis hanc causam reddit, quòd Christus Dominus fuerit, ab eis emptus ad mortem 30. argenteis. Prophetat etiam de Antichristo, quem cæci Judæi accepturi sunt, & de ejus supplicio.

Libanus.

QUæstio I. *Quid significat libanus* v. 1. R. Unanimiter censent Authores accipi hîc pro Jerusalem & templo, quia tam urbs quàm templum in Judæa æquè ac Libanus mons in Syria eminebat, utrumq; ex cedris Libani erat extructum, deinde quia Jerusalem alebat tyrannos, raptores, prædones, uti Libanus alit Lupos, Leones, Ursos, aliasq; feras, eaq; de causa vastata est Agitur hîc de vastitate urbi & templo illata per Titum & Romanos. Hi enim funditus combusserunt & diruerunt tam urbem quàm templum. *Aperi Libane portas tuas* q. d. O Jerusalem & templum jam recèns extructum tabulis cedrinis ex Libano allatis, aperi Romanis venientibus portas tuas, quia illis non poteris resistere: frustra enim illis eas claudes, quia ipsi sua vi & robore omnia perfringent. Hujus rei præsagium fuit, quod Joseph. l. 7. Belli c. 12. narrat, ante captam à Tito urbem, Orientalem portam templi æneam, quæ vix à 20. viris claudi poterat sponte sua hora 6. nocte in paschate fuisse apertam.

II. *Quid per Cedros, abietes & quercus intelligitur?* R. Symbolicè cedri vocantur Summi Principes & Pontifices: abietes, Præpositi, Senatores, Consules & Præfecti minores, Quercus, divites & fortes viribus. q. d. Ignis hic tuæ vastitatis & incendii afflabit & consumet omnes tuos principes, præfectos, nobiles & divites, Ita S. Hieron. & alij.

Pecora occisionis.

III. *Ad quem & à quo dicitur* v. 4. *Pasce pecora occisionis?* R. A DEo ad Zachariam q. d. ego te: ô Zacharia constituo pastorem, id est, prophetam, ut tuis hisce oraculis pascas, doceas, & moneas Judæos futuros de futuro excidio, ut illud ipsi per pœnitentiam & mutationem vitæ declinare & effugere satagant. Id ita esse patet, quia Zacharias induit hîc habitum pastoris, ideoq; duas virgas pastoritias assumit, unam nominat decorem, alteram Funiculum. Judæi vocantur pecora occisionis, quia à Romanis quasi pecora occisioni destinati.

Virgæ decor & funiculus.

IV. *Quid symbolicè hæ virgæ, Decor & funiculus ad literam significant?* R. Virga vocata decor significat regimen amoris per consolationes, monitiones & beneficia, quod post tempora Zachariæ DEus exhibuit Judæis per Machabæos & maximè per Christum.

ſtum. Altera virga vocata funiculus, ſignificat regimen terroris, quo uſus eſt DEus, cùm vidit Judæos priori virga amoris & lenitatis abuti & indureſcere, ſcilicet poſt mortem Chriſti, cùm per Romanos eos exagitare cæpit, ac tandem funditus evertit, ut Judæi omnes vel occiſi vel capti, & funiculis colligati fuerint, & tunc quisq; ſuum funiculum, id eſt, ſortem & pœnam pro meritis accepit.

V. *Qui ſunt tres paſtores uno menſe ſuccifi* v. 8.? ℟. Cornelius intelligit Judam, Jonatham, & Simonem fratres Machabæos, quos DEus uno menſe annorum, id eſt, intra 30. annos ſuſtulit. Poſſent etiam intelligi tres ultimi Aſſamonæorum Principes Hircanus Alexander & Antigonus, qui longè breviori ſpatio, & morte etiam violenta perierunt. Tirinus per hos intelligit Chriſtum, & Chriſti cognatos duos Apoſtolos Jacobum Zebedæi, & Jacobum Alphæi, primæ notæ paſtores Judæorum, qui omnes uno menſe annorum, id eſt, intra ſpatium 30. annorum, & omnes uno eodemq; menſe hiſan, & quidem uno eodemq; menſis die, putà pridie magni feſti Paſchæ, omnes Jeroſolymis, omnes per Judæos, omnes violenta morte ſuccifi ſunt, ut conſtat ex Auctoribus fide digniſſimis. Erga eosdem Judæos jam veris paſtoribus orbatos, *contracta*, hebraice, *anguſtiata eſt anima mea*, id eſt, factus ſum illiberalior, ſcil. ſubtraxi eis virgam ſuavem, de qua q. præced. & corripere illos cæpi variis flagellis, ut vel ſic variantes. & à me dilapſos illorum animos in viam retraherem. Cùm verò nec flagellis quidem fierent meliores, *dixi*, decrevi, denuntiavi illis per Chriſtum Matt. 21. v. 43. per Apoſtolos Act. 13. v. 46. Non paſcam vos ultra, non agnoſcam vos deinceps pro ovibus meis. *Paſtores tres uno menſe ſuccifi.*

VI. *Quomodo dicitur DEus fœdus percuſſiſſe cum omnibus populis* v. 10. cùm conſtet percuſſum fuiſſe cum ſolis Judæis? ℟. Quia tum non erat aliud fœdus DEI in mundo, quàm fœdus hoc Judaicum, ac proinde quicunq; è gentibus hujus fœderis DEI volebant eſſe participes, debebant fieri proſelyti, & Judaiſmum ſuſcipere.

VII. *Quis eſt ſenſus verborum* v. 14. *Et præcidi virgam?* ℟. Sicut v. 10. conſcidit priorem virgam nuncupatam decorem, quæ ſignificabat regimen amoris ſvave, & blandum, eò quòd illud aſpernarentur duri & rebelles Judæi; ac aſſumpſit alteram nuncupatam Funiculum, quæ ſignificabat regimen terroris & flagellorum, quòd ſcilicet eos quaſi ſervos regeret verberibus & plagis, ita cùm vidit eos ne his quidem emendari, ſed planè in peccatis ſuis obdureſcere, confringit pariter hanc virgam, ac eorum curam ac regimen deponit, eosq; deſerit. Factum id poſt mortem Chriſti anno circiter quadrageſimo, quo Judæos tradidit Tito & Romanis vaſtandos, fecitq; ut eorum reſp. gens, Eccleſia, religio, urbs & templum funditus everterentur. ita S. Hieron. Lyran. Ribera & alij.

VIII. *Quis paſtor ſtultus ſeu impius* v. 16.? ℟. Propriè ſignificat omnes perverſos Pontifices & Principes, qui Judæos poſt tempora Zachariæ rexerunt; aut Pontificatum & Principatum invaſerunt, quibus DEus Judæos tradidit ob eorum ſcelera, præſertim quòd ſe ſuosq; paſtores reſpuerent. Talis fuit Jaſon ſceleratus, qui perfidus profugit ad Antiochum, cepitq; Jeruſalem, & magnas fecit ſtrages civium. 2. Machab 5 Item frater ejus Menelaus 2. Machab. 4. qui & aurea vaſa è templo furatus eſt, & Oniam Pontificem interfici curavit. Tales quoq; fuerunt Herodes rex intruſus à Romanis, Annas & Caiphas, aliiq; non à DEO, ſed à Romanis ob datum pretium conſtituti Pontifices. Tales poſt Chriſtum fuêre Theodas & Judas Galilæus, de quibus Act. 5. 36. Item Barchocebas tempore Adriani Imp. de quo Euſeb. l. 4. Hiſtor. c. 6. Item Pſeudomoſes Cretenſis, qui anno Domini 433. ſub Theodoſio Imp. Judæos decepit: fingens enim ſe Moſen, juſſit eos, ut è Creta mare ſecum ingrederentur, quaſi eos in novam terram promiſſam deducturus, ut olim fecerat Moſes; ſed ingreſſos mare hauſit & merſit, uti refert Socrates l. 7. c. 37. Talis deniq; erit Antichriſtus, qui Chriſto erit Antagoniſta, qui in animas ſæviet Judæorum, eos ad ſui idololatriam, ad libidines, ad Chriſtianorum ſtrages, aliaq; ſcelera, ac per ea in æternum exitium impellendo. *Paſtor ſtultus.*

CAPUT XII.

Prædicit varias calamitates Judæis ſub Antiocho Epiphane ejusq; Poſteris obventuras, Jeroſolymam (allegoricè Eccleſiam Chriſti) à Gentilibus, imò à perfidis Judæis oppugnandam, ſed DEI dextera & ſcuto per Machabæos protegendam: Chriſtum Jeroſolymis in omnium oculis cruci affigendum, clavis & lancea configendum: Spiritum S. Jeroſolymis in Chriſti fideles effundendum.

QUæſtio I. *Quod eſt ſuperliminare crapulæ* v. 2.? ℟. eſt ſive ebrietatis ſive commotionis, ita ut hoſtes, qui ad eam venerint oppugnandam, mentem amittant & inſaniant. Metaphora ſumitur ab ebriis, quibus ſuperliminare domûs, in quam ingredi, aut è qua egredi volunt, moveri videtur, & ita ipſi quaſi inſani commo- *Superliminare crapulæ.*

veri se putantes corruunt. q. d. Quicunq; hostis vel limen attigerit Jerosolymæ, mox quasi ebrius & mente captus retroagetur trepidus & tremulus.

Lapis oneris.

II. *Quis est lapis oneris* v. 3.? ℟. est onerosissimus, quem qui attollere vel auferre voluerit, in ipso nisu & elevatione, gravissima concisione, vulnerabitur, lacerabitur, opprimetur. Alludit ad Athletas, qui ponderosissimorum lapidum sublevatione vires suas tentare & ostentare solebant, non sine gravissima subinde læsione & exitio suo, patuit in Heliodoro, Jasone, Menelao, & pluribus aliis in libris Machabæorũ & historiis Ecclesiasticis.

III. *Quo sensu dicitur* v. 6. *Ponam duces Juda sicut caminum in lignis?* ℟. Faciam ut Machabæi, & mysticè Apostoli quasi ignis omnia circum circa populentur, superent, subjiciant, & ad se convertant. Patet ex gestis Judæ, Jonathæ & Simonis in libris Machabæorum. Id in Apostolis patuit in Pentecoste, quando Spiritus S. eis insedit specie lingvarum ignearum: unde mox eloquiis suis ignitis multa hominum millia, ac sensim totum orbem ad Christum converterunt. Ita S. Hieron. & alij.

CAPUT XIII.

Prædicit ex Christo crucifixo, tanquam uberrimo fonte affluxuram ad omnes gentes copiosissimam gratiam, remissionem peccatorum, justitiam & salutem: abolenda ex urbe idola & Pseudo-prophetas: & tertiam populi partem passione Christi salvandam.

Fons patens Christus.

QUæstio I. *Quis est fons patens* v. 1.? ℟. Est Deus incarnatus, Jesus Christus, vena & scaturigo in homines scaturiens aquas omnis gratiæ & doctrinæ. Rursum Christus est fons & origo Spiritûs Sancti, quem in nos effundit, ut peccata expurget, & animæ sitim restingvat. Insuper fons hic physicè apertus fuit, cum in cruce, latere & corpore Christi per plagas aperto, factus est ipse quasi fons patens baptismi & sacramentorum omnium. Ita Theodor.

Plagæ in manibus Christi.

II. *De quo dicitur* v. 6: QUID SUNT PLAGÆ ISTÆ IN MEDIO MANUUM TUARUM? ℟. De Christo in cruce clavis, flagellis, spinis, lanceâ transfixo. ita Rup. S. Thom. Ribera, à Lap. & alii passim. Et patet ex v. seq. *Percute pastorem & dispergentur oves*, quod ipsemet Christus de se explicat Matt. 26. v. 31. Et Ecclesia in officio Missæ de passione hæc omnia applicat Christo. Vult autem Zacharias propheta his manuum Christi plagis explicare, quo sensu dixerit v. 1. ipsum esse fontem omnibus patentem, nimirum patefactione manuum, pedum, lateris, cordis, totiusq; corporis per clavos, lanceam, flagella, spinas.

III. *Quo sensu dicitur: Framea suscitare, percute pastorem?* ℟. Verba hæc non significant hîc imperium, sed permissionem Divinam, absq; qua nihil ejusmodi potuisset obvenire unigenito filio DEI. Percusso pastore dispergentur oves illius, etiam primariæ, putà Apostoli & discipuli, ut Christus ipsemet Matt. 26. v. 31. Nec stabit hîc tempestas, sed etiam *ad parvulos* ejus agnos, nempe recèns conversos ad Christum pari modo percutiendos, *convertam* & extendam *manum meam* per lictores meos tyrannnos, non Jerosolymæ tantùm, sed & Romæ, & in reliquo orbe toto. Idq; similes eos reddam pastori suo, suumq; in me & in ipsum amorem contestandi, aliasq; virtutes exercendi ansam illis objiciam, gloriamq; tum ipsorum, tum meam illustrem & augeam. ita Theod. Lyran. & alii.

IV. *Quis est sensus* v. 8. *Et erunt in omni terra, partes duæ in ea aspergentur & deficient, & tertia pars relinquetur in ea?* ℟. In toto orbe duæ partes hominum dispergentur & peribunt, scil. Judæi, & Gentiles: quicunq; enim manserunt in Judaismo & Gentilismo damnabuntur, sola tertia pars, quæ erit Christianorum, servabitur & salvabitur. Soli enim illi, qui ex Judæis & Gentibus convertuntur ad Christianismum salvantur. ita S. Remigius, Albertus, & Lyran. *Et ducam tertiam partem per ignem*, id est, fideles probabo, & purgabo, igne persecutionum & tribulationum, ut purificentur instar argenti: perfectiores verò eodem excoquam, ut solidentur, perficiantur, & splendeant instar auri.

CAPUT XIV.

Pergit prædicere mala per Antiochum Epiphanem obventura Judææ & præsertim Jerosolymæ ab ipso intercipienda ac devastanda. Sed promittit, affuturum suis DEum, cujus ope contritis hostibus, pax & quies æterna & opes amplissimæ obvenient Jerosolymæ; allegoricè Ecclesiæ DEI & hic sensus præcipuè intenditur à Spiritu Sancto.

QUæstio I. *A quo significatur hic capienda Jerusalem?* ℟. Ab Antiocho Epiphane & restituenda, à Machabæis, docet hoc ipse rei eventus, ut patet ex libris Machabæorum, præsertim l. 1. c. 1. v. 22. & seq. dicitur ergo *Omnes gentes* Antiocho

tiocho Epiphani subjectas vel confœderatas *congregabo* adversùs *Jerusalem, & capietur civitas, & mulieres violabuntur, & media*, id est, maxima *pars* ibit *in captivitatem: & reliquum populi non auferetur* quidem ex urbe 2. Mach. 5. à v. 11. & 1. Mach. 1. v. 55. Sed mille aliis injuriis divexabitur. Sed paulò pòst *Dominus* Ecclesiæ suæ perpetuus tutor & protector, *egredietur* per duces suos Machabæos 1. Mach. 2. & seqq. & 2. Machab. 8. & seqq. *& præliabitur contra* omnes gentes illas, *sicut* olim *præliatus est in die* famosi illius *certaminis*, quo Pharaonem contrivit Exod. 14. in mari rubro. Sicut enim tunc fisso mari per Angelos decertavit contra Ægyptios, ita sub Machabæis fisso monte Oliveti hîc v. 4. etiam visibiliter per Angelos 2. Mach. 10. v. 29. & c. 11. v. 8. & c. 15. v. 12. tutabitur populum suum, & hostes prosternet.

II. *Quando facta est scissio montis Olivarum* v. 5.? R. Palacius factam putat, quando tot signa visa sunt in cœlo 2. Machab. 5. putà equites per aëra discurrentes, cohortes armatæ &c. Erant enim myriades Angelorum, cum quibus in pugnam prodibat DEus, prodeunte autem DEO *terra mota est* Ps. 67. v. 9. & contremuit, *& contriti sunt montes sæculi.* Habac. 3. 6. Etti enim in Machabæorum historia id non expressè enarretur, ex hoc tamen loco verisimile est ita tunc factum. Sicut factum in simili casu sub Ozia Rege constat ex v. seq. licèt in historia Oziæ nulla istius rei mentio fiat *Scissio montis Olivarum.*

III. *Quomodo intelligendus est* v. 6. & 7. *Et erit in illa die: non erit lux, sed frigus & gelu &c.?* R. Non erit ipso primo initio lux, neq; intensus calor solis, id est, perfecta felicitas & tranquillitas, sed admiscebuntur adhuc aliquæ tenebræ, & cum iis frigus & gelu, adeo ut tempus illud (quod quamdiu durabit, solus novit DEus) non sit vocandum vel dies vel nox, sed participans de utroq; instar crepusculi vel auroræ. Patuit id sub Mathathia, & primis Judæ initiis, quando alternante fortuna Judæi nunc victi, nunc victores abibant. Sed tandem *in tempore vesperi*, quando tenebræ naturaliter ingruunt, & nox plena præ foribus est, præter omnium exspectationem, suborietur clara & perfecta lux, nempe cæso & occumbente Juda 1. Mach. 9. v. 18. & seqq videbatur actum de rebus Judæorum, cùm subitò versa fortuna sub Jonatha ibid. pax & plena quies obvenit.

IN MALACHIAM.

CAPUT I.

Arguit DEus Judæos ingratitudinis, item Sacerdotes, quòd offerant panem pollutum, & hostias cœcas & mancas. Hinc iis amotis novos se surrogaturum promittit, qui in omni loco offerant piè & sanctè purissimum mincha, id est, sacrificium Eucharistiæ.

QUæstio I. *Quomodo dicitur* v. 3. DEUS ODIO HABUISSE ESAU? R. Odium hoc Esau non fuit proprium & formale (nec enim Deus odisse poterat Esau, antequàm peccaret) sed tantùm minorem amorem, quòd scilicet Esau postponeretur Jacobo, eiq; in donis cederet & subjiceretur. *Esau odio habitus.*

II. *In quo DEus majorem amorem ostendit erga Jacob, quàm erga Esau?* R. imò, quia de utroq; adhuc in utero matris Rebeccæ existente, ideoq; ante omne eorum meritum vel demeritum dixit, & prædixit: Major serviet minori, putà Esau Jacobo Gen 25. 23. idò cùm Judæis prætulit Idumæos, dando Judæis legem, Ecclesiam, templum, Prophetas, regnum, &c. eisq; subjiciendo Idumæos. 3tiò, & maximè ad rem præsentem, cùm Judæos Babylone liberavit, Idumæos verò in gratiam eorum ibidem captivos reliquerit. Loquitur hîc Propheta non de personis Jacob & Esau, sed de posteris illorum: neq; de prædestinatione illorum, seu ad gratiam, seu ad gloriam, & horum æterna reprobatione; sed solùm de dilectione & electione ad bona temporalia, vel rejectione ab iisdem, nam contrarium constat, nempe plurimos Israëlitas impios fuisse & damnatos, Idumæos verò multos salvatos, ùt Job, ita S. Hieron. Lyran. Vatab. Ribera, à Lap. & alij. *Amor major Jacobi, quàm Esau*

III. *Quo sensu dicitur, DEus iratus Idumæis in æternum* v. 4.? R. Est metonymia, sub causa enim intelligitur effectus, putà sub ira vindicta ex ira manans. q. d. Idumæi sunt populus, cui DEi ira & vindicta in æternum incumbet: quia eos æterna vastitate, excidio, & desolatione puniet.

IV. *Quomodo hoc verum est? Utiq; sicut Judæi, ita & Idumæi excidio Chaldæorum fuerunt superstites.* Idumæos enim post hæc tempora subegit Simon Machabæus, ejusq; filius Hircanus teste Josepho l. 13. Antiq. c. 16. & 17. Imò Idumæi interfuerunt bello Judaico sub Tito teste Josepho l. 6. Belli c. 7.? R. imò. Id verum esse, quia captivitas eorum nunquam fuit publico decreto revocata, nec Generali reditu soluta, ut reducti fuerunt Judæi per edictum Cyri 1. Esd. 11. Manserunt tamen in Idumæa & vicinis locis aliquæ

eorum reliquiæ, quæ sensim succreverunt, seq; propagârunt, additis etiam coloniis aliarum Gentium, quæ in Idumæam, utpote derelictam, & cuilibet patentem, transmigrârunt; unde factum est, ut incolæ non essent puri Idumæi, sed mista & quasi nova gens. 2dò, Hæ Idumæorum reliquiæ subactæ sunt ab Hyrcano, qui eos cògit ad circumcisionem & Judaismum. Tunc ergo Idumæa Gens & superstitio exciſa fuit, tumq; impletum hoc Malachiæ oraculum: *vocabuntur populus, cui Dominus iratus est in æternum*, quia in æternum sustulit eorum remp. & Synagogam infidelem, eamq; transmutavit & transtulit in synagogam & remp. Judæorum, fecitq; ut Judæis essent subditi, tam in civilibus quàm in sacris. Unde cùm Titus oppugnaret Judæos, in eorum auxilium venêre 20. millia Idumæorum. Post bellum autem Judaicum Idumæi ita extincti sunt, ut ne quidem nomen eorum superſit. Ita Corn. à Lap.

CAPUT II.

Sacerdotibus in Divino cultu incuriis minatur egestatem, & infamiam. Dein eosdem & etiam reliquos Judæos, prolixè redarguit, quòd repudient uxores suas Israëlitides, & ducant alienigenas.

QUæstio I. *Quo sensu dicitur* v. 3. ECCE EGO PROJICIAM VOBIS BRACHIUM? R. Juxta legem quædam partes victimarum reservabantur Sacerdotibus, id est, armus dexter, pectusculum, lingva, ventriculus. Lev. 7. & 10. & Deut. 18. Est ergo sensus juxta S. Hieron: ea quæ vobis reservata sunt, tanquam sanctiora, pro virtutum munere, & pro sanctitate officii vestri, ego in oculos vestros projiciam, quod est indignantis simul & contemnentis. Itaq; brachium appellat armum animalis dexterum.

Stercus Solemnitatis.

II. *Quod est stercus solemnitatum* v. 3.? R. Contentum ponitur pro continente, & stercus vocatur ventriculus, qui Sacerdotibus reservabatur. q. d. projiciam in faciem vestram ventriculum, & ejus stercore facies vestras deturpabo. Hoc est projici faciam. Dabunt quidem vobis de victimis, quod dare solebant, sed dabunt cum horrore quodam palàm, & coram vobis ipsis detestantes vestram avaritiam, & vitæ turpitudinem.

Facies in lege.

III. *Quis est sensus* v. 9. *Accepistis faciem in lege?* R. Personarum qualitatem respexistis potiùs, quàm præscriptum legis Divinæ, quando illa executioni mandanda erat. Nam divitum victimas, licèt mutilas & lege vetitas admittitis, pauperum rejicitis, in quit, Theodor. Item, ùt Rupertus, ad pulchras mulierum alienigenarum facies respicitis, easq; in uxores ducitis, proprias verò Israëlitides non æquè formosas & divites repudiatis, ita S. Hieron. vel saltem, ùt Lyran. præ illis despicitis, & quasi ancillas habetis. Quod vitium Esdras quoq; coævus Malachiæ acriter reprehendit, atq; etiam emendavit

IV *Quomodo dicitur Judas habuisse filiam Dei alieni?* R. Filiam Dei alieni vocat alienigenam, quæ colit Deum non verum Israëlis, sed alienum, putà aliarum Gentium idolum & dæmonem, tanquam Deum & patrem suum.

V. *Quomodo intelligenda sunt verba* v. 13. *Operiebatis lacrymis altare Domini?* R. Priores uxores, quas despiciebatis, ita viliter & miserè tractabatis, imò malè mulctabatis, ut illæ afflictissimæ, confugerent ad templum, ibiq; ante altare lacrymas uberrimas profunderent, querentes apud me de vestra injuria, poscentesq; opem & vindictam. ita S. Hieron. Cyrill. & alii passim, excepto Lyrano, qui sic explicat, q. d. vos in Conjugio cum alienigenis permanentes, ut hoc scelus expietis, curritis ad templum, ibiq; lacrymis profusis veniam postulatis. Verùm frustra: quia propositum vos emendandi non concipitis, sed in scelere & in matrimonio illegitimo persistere vultis.

CAPUT III.

Quærentibus Judæis, ubi est Deus judicii? respondet mox affuturum per Messiam, cujus duplicem describit adventum; unum pacificum, cui præcurret Joan. Baptista: alterum terribilem, cujus præcursor erit Elias, ùt dicet c. 4.

Joannes Præcursor Christi.

QUæstio I. *Quæ Angeli missio sit, & à quo?* R. S. Joannis Baptistæ, à SSma Trinitate, ùt ipsemet Christus explicat Matt. 11. v. 10. & docent omnes SS. Patres. Angelus est Joannes non naturâ vel incarnatione (ùt somniabat Origenes) sed officio, dignitate, excellentia, puritate & sanctitate. Joannes enim proximè præcessit Christum quasi honoratissimus ejus legatus, prodromus, pronubus & quasi vox, Propheta & plusquàm Propheta, Lucifer, amicus conjunctissimus, aurora: qui testimonio, doctrina, exemplo, baptismo suo *præparabit viam ante faciem meam*, seu ante me: id est, disponet animos Judæorum, ut, quando ego Messias me mundo patefaciam, ipsi me recipiant.

II. *Cur*

II. *Cur Christus, Angelus testamenti dicitur ignis conflans?* R. Sicut igne in ardentissima fornace succenso metalla conflantur, à scoria purgantur, molliscunt, splendescunt, & igniscunt, atq; ita in quamlibet formam pro conflatoris arbitrio deducuntur; ita & animis hominum accidet succensis igni doctrinæ, sacramentorum, virtutum & gratiarum à Christo submittendarum. *Ignis conflans.*

III. *Quis est liber monumenti* v. 19.? R. est liber memoriæ, ùt habent Hebræa & Græca. DEus enim in sua memoria quasi in libro monumenti annotat, & conscribit singulorum hominum dicta & facta, ut in die judicii illa ex ea legat, coram omnibus hominibus & Angelis, ac cuiq; pro meritis & demeritis præmium vel pœnam decernat. Nec tamen in DEO proprie est memoria, quæ est præteritorum; DEO enim nihil præterit, sed omnia sunt quasi præsentia: Loquitur ergo humano more: quia enim res præteritæ apud homines in memoria conservantur, hìc idem tribuitur DEO. Mentem ergo omnia cognoscentem vocat memoriam, quatenus ipse ea, quæ nobis præterita sunt, cognoscit, & in se recondit; ac in sua notitia conservat. Unde S. Aug. in Ps. 78 Tunc, inquit, dicitur DEus meminisse, quando facit; tunc oblivisci, quando non facit. Nam neq; oblivio cadit in DEum, quia nullo modo mutatur, neq; recordatio, quia non obliviscitur. *Liber monumenti.*

IV. *Quo sensu dicitur* v. 17. *erunt mihi in peculium?* R. In populum proprium & peculiarem mihi dicatum. Alludit ad illud Exod. 19. 5. *Eritis mihi in peculium de cunctis populis.* Sicut enim in lege veteri Israelitæ fuerunt peculium, id est, hæreditas DEI, & populus à DEO electus ex omnibus Gentibus; ita in lege nova peculium DEI sunt Christiani & justi per gratiam, qui proinde in cœlo erunt peculium DEI per gloriam, possessi à DEO, & vicissim possidentes DEum, quod ultimum hìc propriè intendit Malachias, agit enim de die judicii, deq; præmiis Sanctorum. *Peculium DEI justi.*

CAPUT IV.

Describit diem judicii, ùt impiis terribilem, ita piis jucundissimum, ac felicissimum, in quo cuilibet pro meritis decernetur vel gloria vel pœna. Unde monet omnes, ut Divinis mandatis ac legibus sedulò obsequantur, utpote ex his vel damnandi vel salvandi. Promittit autem præmissurum se Eliam Prophetam, qui aberrantes ad legum Divinarum obsequium reducat.

QUæstio I. *De quo die fit sermo* v. 1. ECCE DIES VENIET SUCCENSA QUASI CAMINUS? R. De die judicii tum particularis tum universalis. Adveniet unicuiq; illa, in morte singulorum, ista in fine mundi, succensa ardentissimo igne, non tantum metaphorico, iræ & ultionis Divinæ ùt S. Hieron. & Remigius exponunt, sed etiam physico & propriè dicto, putà igne conflagrationis mundi, qui præibit judicium, & igne infernali, qui instar lictoris assistet judici, inquit Lyran. Vatab. & à Lapide, Hoc igne ita excidentur opes, deliciæ, gloria impiorum, ut nec germen, nec radix, id est, spes recuperandi ulla relinquatur. *Dies succensa quasi caminus.*

II. *Quis sol justitiæ orietur justis?* R. Christus, non ad eos excalcandos adurendos, affligendos (ùt impiis continget Matt. 25. 41.) sed ad eos vivificandos, illuminandos, recreandos, ac plenè sanandos. Sanitas enim est in pennis, seu alis, id est, radiis ejus. Nam ut horum claritate fugantur tenebræ, calore verò plantæ & animalia vegetantur, sanantur, recreantur, reviviscunt; ita dotibus glorioſis, & gloriâ beatificâ, quasi radiis solaribus à Christo judice in omnes justos emittendis, perfectè sanabuntur, instaurabuntur, recreabuntur tum corpora, tum animæ illorum, inquit S. Hieron. Cyrill. Theodor. & alii. *Sol justitiæ Christus.*

III. *An ex verbis illis* v. 4. MEMENTOTE LEGIS MOSIS, *rectè inferant Judæi legem Mosis non fuisse abolitam per Christum, sed duraturam usq; ad diem judicij?* R. perperam. Propheta enim loquitur Judæis sui ævi, & posteris eorum futuris usq; ad Christum toto enim hoc tempore duravit & obligavit Lex Mosis. Ad eam ergo servandam Judæos sui temporis adhortatur, quia ipsi in ea servanda refrixerant, præsertim in cæremonialibus de dandis decimis & primitiis ùt videre est c. 3. 8. Illos ergo excitat, eisq; dat acrem stimulum ad legis observationem, scilicet repræsentationem diei judicii.

QUÆSTIONES EXEGETICÆ IN LIBROS MACHABÆORVM.

QUæstio I. *Quorum temporum historiam describunt libri Machabæorum?* R. In Pentateucho describitur Status & propagatio Ecclesiæ DEI, usq; ad ingressum in terram Chanaan; per libros Judicum & Regum, ejusdem status usq; ad captivitatem Babylonicam; & quæ passa sit, sub prima Monarchia Assyriorum & Chaldæorum. Deinde per Esdram, Nehemiam, Tobiam, Judith, Esther, quid sustinuerit sub secunda Monarchia Persarum. In libris autem Machabæorum recensentur, quomodo fuerit constituta, sub Alexandro M. & imperio Græcorum. Nimirum Darius, Arsis filius, decimus tertius Persarum Monarcha, victus ab Alexandro M, huic imperium Persarum, cùm durâsset 200. annis, in manus tradidit. Itaq; post Alexandrum M. Reges Asiæ, sive Seleucidarum fuerunt sequentes. 1. Seleucus regnavit annis 30. 2. Antiochus Soter filius ejus annis 19. de quo 2. Machab. 8. 20. 3. Antiochus Deus, huic filius de quo Dan. 11. v. 5 annis 15. 4. Seleucus Callinicus, de quo vaticinatur Daniel 11. 7. annis 20. 5. Seleucus Cerannius q. fulmineus Dan. 11. 10. regnavit annis 3. 6. Antiochus M. prioris frater, de quo Dan. 11. 10. & seqq. qui victus à Scipione ad Thermophylas, filium suum Juniorem, Antiochum Epiphanem Romam obsidere misit, regnavit annis 37. 7mo. Seleucus Philopator filius senior Antiochi M. prius liberalis erga Judæos 2. Machab. 3. 3. postea templum expilare voluit v. 32. regnavit annis 12. 8. Antiochus Epiphanis frater junior Philopatoris, qui regnum fratris dolo invadens Oniæ Sancto Pontifici substituit Jasonem 2 Machab 4. 7. Et huic quoq; deinde subrogavit Menelaum Benjaminum 2. Machab. 4 23. & c. 3. 4. Offensus à Romanis iram in Judæos effudit. 2. Machab. 1. 21. & 2. Machab. 4. 11. Tribus diebus occidit 80000. Judæorum, 40000. vendidit & totidem incarceravit. 2. Machab. 5. 14. regnavit annis 12. 9no. Antiochus Lupator, filius novennis prioris, cum suo tutore Lusia occisus à Demetrio Seleuci Philopatoris Filio 1. Machab. 7. 1. regnavit annis 3. 10. Demetrius Seleuci filius per vim priori succedens, occisus est ab Alexandro Veles, altero Antiochi Epiphanis filio, fratre Eupatoris regnavit annis 10. juxta 1. Machab. c. 1. 7. & c. 10. v. 1, & 50. cujus Dux Bachides occidit Judam Machabæorum 1. Machab. 9. v. 3. 18. 30. 11mo. Alexander Veles, occcisus à Ptolomæo Philometore, Rege Ægypti, Socero suo 1. Machab. 10. v. 1. & 67. & c. 11. 17. regnavit annis 6. 12. Demetrius Nicanor, filius Demetrii, filii Seleuci, captus ab Arsace 1 Machab. 11 19. & c 14. v. 1. & 3. regnavit annis 6. 13. Antiochus Alexandri Velis filius, à Triphone tutore suo promotus, & ab eodem occisus, regnavit annis 4. qui tamen continentur in annis Demetrii Nicanoris, cum quo regnavit 1. Machab. 11. 39. & 54. 14to. Tryphon occiso pupillo, & ipse pòst occisus ab Antiocho Sedete 1, Machab. 13. v 12. 24. regnavit annis 3. 15. Antiochus Sedetes, frater Demetrii Nicanoris, isto capto ab Arsace regnum, occiso Tryphone invasore, occupavit, fœdus cum Jonatha initum fregit 1. Machab. 15. 1. & 27. Occisus videtur à Sacerdotibus Naneæ 2. Machab. 1. 16. regnavit annis 7. 16to. Demetrius Nicanor, frater Sedetis, dimissus ab Arsace, regnavit annis 3. secunda vice. 17. Alexander Sebina, occiso Demetrio Nicanore, regnavit annis 2. 18. Antonius Gryphus, Demetrii Nicanoris filius, occiso Demetrio Nicanore, regnum tenuit annis 2. 19. Antiochus Cizicenus filius Antiochi Sedetis, occiso Grypho, fratre suo uterino, uno tantùm anno ei supervixit, sed cum eo universim regnavit annis 18. 20. Seleucus Gryphi filius, cum fratre suo Antiocho, occiso patruo Cyziceno, regnavit cum fratre annis 7. 21. Antiochus Eusebes, Cyziceni filius, occiso Grypho, cum Philippo & Demetrio Gryphi filiis regnavit annis 16. 22. Tigranes Rex Armeniæ tenuit regnum annis 14. pulsus deinde per Lucullum. 23. Antiochus Asiaticus filius Eusebis, permittente Lucullo tenuit regnum annis 4. Quod ei Pompejus ademptum, cum Judæa Romanis adjecit. Quocirca Regnum Græcorum in Syria, ab initio Monarchiæ Alexandri M. usq; ad illud, eis ademptum per Pompejum duravit annis 267. Quia verò Reges Asiæ diu cum Regibus Ægypti certârunt de Judæa, consultum est, & Reges Ægypti ejusdem temporis cognitos habere. Quocirca est

II. *Quinam Reges post Alexandrum M. in Ægypto regnarint?* R. Ptolomæus Lagi, post Alexandrum statim occupavit Ægyptum: à quo omnes ei succedentes vocati sunt Ptolomæi, ut antè Pharaones. Regnavit annis 40. 2. Ptolomæus Philadelphus, filius prioris, qui Judæorum 100000. à Patre captorum, & in Ægyptum abductorum, dimisit ad obtinendos 72. interpretes, ab Eleazaro Pontifice, regnavit annis 38. 3. Ptolomæus

Ever-

Evergetes, frater Philadelphi, vicit Seleucum Can., & filium Ceraunum. Regnavit annis 26. 4. Ptolomæus Philopator occiso patre, matre, fratre, sorore, uxore regnavit annis 17. 5. Ptolomæus Epiphanes, filius Philopatoris, duxit Cleopatram filiam Antiochi M. à qua omnes deinde reginæ Ægypti Cleopatræ dictæ sunt, regnavit annis 24. 6to. Ptolomæus Philometor, filius senior Epiphanis regnavit annis 35. Hoc regnante ejus avunculus Antiochus Epiphanes ingressus est Ægyptum, prætexens compositionem litis ejusdem sed re ipsa regno insidiatus: unde jussus à Romanis egredi iram in Judæos effudit. Porrò Philometor concessit Oniæ, filio Oniæ S. Pontificis, ut ædificaret templum Heliopoli, in Ægypto, simile Jerosolymitano, quod Onium appellavit, stetit annis 233. eversum post modum à Tito & Vespasiano. 7. Ptolomæus Physcon, qui & Evergetes, Philometoris frater, post fratrem regnavit annis 29. Habuit litem cum fratre, quam Antiochus simulabat se velle componere. 8 Ptolomæus Lathyrus, filius Evergetis, regnavit annis 16. 9. Ptolomæus Alexander, frater Lathyri cum matre, ejecto fratre regnavit annis 10. 10. Ptolomæus Lathurus restitutus regnavit iterum annis 8. 11. Ptolomæus Auletes cum filia Berenice regnavit annis 30. 12. Ptolomæus Dionysius, filius Auletis rexit per Cleopatram sororem, quia puer erat annis 5. 13. Cleopatra, subverso Dionysio sola regnavit annis 17. Hæc est illa concubina M. Antonij triumviri, ab Augusto occisi, quæ ne in Augusti manus veniret, aspidum morsu se ipsam interemit. Augustus autem Ægyptum Romanis subjecit factus Monarcha anno U. C. 724.

III. *Quinam fuerunt Pontifices ab Alexandro M. usq; ad Christum?* R. 1. Fuit Jaddo, qui Alexandro M. Judæis infenso occurrens placavit iram ejus ac præfuit annis 17. Hujus frater junior Manasses suscepit pseudopontificatum in templo fabricato à Sanaballat, socero suo, in monte Garisim, de quo templo Samaritanos inter & Judæos perpetuæ lis fuit, ut patet ex Joan. 4. ubi colloquium Samaritanæ cum Christo. 2. Fuit Onias primus, Jaddi filius, cui quidam dant annos 23. 3. Simon Oniæ filius cognomento Justus, de quo Eccli. 50. 1. 4 Eleazarus qui misit 72. interpretes ad Ptol. Philadelphum. 5. Manasses filius Oniæ I. frater Simonis & patruus Eleazari. 6. Onias II. Simonis Justi filius. 7. Simon II. Oniæ II. filius. 8. Onias III. cognomento Sanctus, filius Simonis II. qui oravit pro Heliodoro 2. Machab. 3. & 1. Machab 12. 7. Hujus filius, per Philometorem erexit templum Onion de quo q. præced. n. 6. 9. Jesus seu Jason, frater Oniæ Sancti, excluso fratre, pontificatum emit ab Epiphane 2. Machab. 4. 17. 10. Menelaus Onias, Simonis Benjaminitæ frater, pontificatum emens ab eodem Epiphane, deturbavit Jasonem, sicut ille deturbarat Oniam Sanctum, sed cùm pecuniam Epiphani promissam, præstare non posset, in ejus locum suffectus est Lysimachus, ejus frater 2. Machab. 4. 27. mox lapidato Lysimacho, Menelaus rursum, novis pecunijs Pontificatum coemit ibid. v. ult. Et hi itaq; fuere invasores & pseudopontifices. 11. Mathathias Judæ Machabæi pater. 12. Judas Machabæus. 13. Jonathas frater Judæ. 14. Simon frater Jonathæ 15. Joannes Hircanus, Simonis filius. 16. Aristobulus, Hircani filius. 17 Jannæus Alexander frater Aristobuli. 18. Aristobulus, filius junior Jannæi 19. Hircanus senior Jannæi. 20. Antigonus Aristobuli filius, ultimus de stirpe Assamonæorum. 21. Ananelus, ab Herode Pontifex constitutus. 22. Aristobulus. 23. Ananelus secundò 24. Simon Pabetis. 25. Simon Boethi, socer Herodis, sub cujus vitæ finem natus est Christus.

IV. *Quænam de libris, & gestis Machabæorum generatim sint observanda?* R. imò Mathathias contra Antiochum Epiphanem insurgens, anno Epiphanis nono qui fuit Græcorum 145. pontificatum & ducatum Israelis gessit paucis mensibus. Fuit etenim Mathathias ex tribu Levi Sacerdos, primæ classis, de stirpe Joarib 1. Par. 24. 7. Post reditum enim è captivitate, jussu Cyri, Darij, Artaxerxis, iidem fuêre Pontifices & duces, teste Josepho l. 11. c. 4. Patetq; ex 1. Esdræ 7. 25. 2. Esdræ 9. 36. Cùm enim Onias S. fuisset interfectus anno 5. Antiochi, qui fuit 145. Græcorum, & Oniæ filius junior fecisset se pseudopontificem templi, à se exstructo in Ægypto; Jason autem frater Oniæ factus esset Apostata, ac populum ad gentilismum conaretur perducere; ad Mathathiam spectabat, tanquam ad primæ classis Sacerdotem, capessere Pontificatum simul & ducatum, vocatus ad hoc à populo simul ac DEo 1. Machab. 2. 1.

2. Mathathiæ successit Judas Machabæus primogenitus, qui templum, ejecto Antiochi idolo, purgavit, anno Græcorum 146. mortuus in pugna contra Bachidem anno Græcorum 152. 1. Machab. 9. v. 3. & 18. dictus Machabæus ex eo, quòd in prælio contra infideles assumpserat, teste ræ loco versiculum illum Mosaicum Exod. 15. 11. *Quis similis tui in fortibus Domine.* Ponebat enim juxta Sixtum Senensem & Genebrardum in labaris & vexillis suis has 4. literas mem, caph, beth, jod, quibus compendio, & pro quaq; litera voce integra substituta, hæc sententia ex illorum mente continebatur, mi camocha baelim jehova, id est, quis similis tui in fortibus Domine. Vulgus autem cùm ignarum hujus sententiæ, literas istas suo sensu jungeret, legisse *Machabai*, & inde conflatam vocem Machabæi. Sed Josephus Gorionides vult nomen istud Judæ ab ipsomet parente indi-

tum

ditum fuisse propter ejus robur militare, nempe à radice *caba* id est, exstinxit, dictum *Machabi*, id est extinctorem, scilicet hostium Ecclesiæ.

3. Judæ subrogatus est Jonathas frater, approbante Alexandro Veles 1. Machab. 10. v. 5. & 20. Tandem per dolum interemptus à Tryphone anno Græcorum 170. 1. Machab. 13. v. 23. & 41. cùm annis 19 præfuisset.

4. Jonathæ successit Simon Frater similiter 1. Machab. 13. 8. & 25. per dolum occisus à Ptolomæo, genero suo, anno Græcorum 177. 1. Machab ult. v. ult. cùm annis 7. præfuisset.

5. Secutus est hunc Joan. Hircanus, Simonis filius, ac præfuit annis 31 de quo 1. Machab. ult. v. ult. & in eo finitur sacra Machabæorum, & veteris testamenti historia scripta.

6. Aristobulus Joannis Hircani filius, succedens patri, primus regis nomen & coronam assumpsit, quem cæteri post eum in hoc secuti sunt. Hic fratrem Antigonum occidit, & eodem anno, vomitu sanguinis periit, cùm anno tantùm uno regnasset.

7. Huic successit Jonnæus Aristobuli frater junior, qui ut Græcis placeret, assumpto græco nomine, Alexander est dictus. Hujus duo filij Hircanus & Aristobulus, inter se de regno usq; ad Herodem certaverunt, regnavit annis 27. eo autem mortuo Alexandra, Jannæi uxor regnavit annis novem.

8. Aristobulus junior Jannæi filius, Hircano fratre majore excluso pontificatum & regnum invasit: sed à Pompejo captus, Romam missus fuit, cum duobus filijs Antigono & Alexandro, cùm tribus annis regnasset. Quo facto Pompejus Jerusalem cepit, totamq; Judæam Romanis subjecit vectigalemq; fecit Cicerone & Antonio Cons.

9. Idem Pompejus Hircano seniori, Iannæi filio, pontificatum restituit, quem varios per casus tenuit annis 22.

10. Alexander postea Romæ elapsus, Judæam occupare conatus est: sed post triennium à Gabinio captus, & à Pompejo capite mulctatus fuit. Sed & Pater ejus Aristobulus cum altero filio Antigono Româ fugiens, ope Parthorum, Judæam & Pontificatum occupavit tribus annis cum dimidio. Verùm Julius Cæsar Pontificatum adjudicavit Hircano & Anti-patri Judææ, Idumææ & Hircani tutelam quasi procuratori commisit. Deinde M. Antonius Herodem & Phasellum filios Anti-patri tetrarchas constituit. Deniq; Antigonus ultimus Machabæorum, petente Herode, capite truncatus fuit, post annos 4.

11. In Antiocho proinde desiit omnis stirps Machabæorum, eorumq; pontificatus ac regnum, cùm utrumq; tenuissent annis 130. qui fluxerunt ab anno 9. Antiochi Epiphanis, usq; ad annum primum Herodis quo ipse, cæso Antigono, pleno jure regnum occupavit, ut sic cessaret sceptrum Judæ, & impleretur tempus, quo Christum venire oportebat juxta Gen. 49. 10. Tametsi enim Machabæi, non essent de tribu Juda, tamen continuarunt regnum: eò quòd post captivitatem 10. tribuum potestas regia devoluta fuerit ad solam tribum Juda regno Israel exstincto; & post captivitatem totus populus Israel dictus fuerit populus Judæorum, cujus populi sceptrum, ducum & Pontificum nomine, tenuerant, dicto tempore, Machabæi. Porrò ijdem Machabæi dicti quoq; sunt Assamonæi, ab Assamonæo qui fuit avus vel abavus Mathathiæ: vox verò Assamonæi Judæis idem significabat, quod optimates vel Principes, quales fuerunt Machabæi.

12. Reperiuntur autem 4. libri Machabæorum, quorum tertius & 4tus apocryphi sunt. Ordine verò temporum ac rerum primo loco legendus est, qui tertius dicitur, 2do loco is, qui est in Bibliis 2dus, tertio loco qui est primus, 4to loco quartus. Nam tertius continet illa, quæ populo DEI evenerunt sub Ptolomæo Philopatore Rege Ægypti, & Antiocho M. Rege Asiæ. 2dus habet bella Judæ Machabæi, cum Antiocho Epiphane filio Antiochi M. Primus, qui tertio loco legendus est, ad acta Judæ addit gesta Jonathæ, & Simonis Successorum Judæ. Quartus scribit gesta Joannis Hircani, qui fuit filius Simonis Fratris Judæ. Ubi & hoc notandum est, primum & 2dum librum Machabæorum solos esse Canonicos, & diversorum esse Auctorum, ùt multis indiciis patet.



QUÆ-

QUÆSTIONES EXEGETICÆ IN SANCTVM JESU CHRISTI EVANGELIVM SECVNDVM MATTHÆVM.

CAPUT I.

A quibus majoribus Christus secundùm carnem descenderit: Angelus instruit Joseph de MARIÆ sponsæ conceptione, partuq; futuro.

QUæstio I. *Quare Evangelium à S. Matthæo vocatur liber?* R. Quia voluit retinere antiquum Scripturæ morem, quæ, quando de alicujus vita, gestis agitur, *Liber* dicitur, ut liber Josvë, Regum, Machabæorum, ideo ille de mirabilibus Christi operibus tractaturus, Evangelium suum librum vocat. Christus etiam liber dicitur, ùt habet S. Hilarius præfat. in Ps. 1. Hic liber est, qui apparet in Apoc. c. 5 signatus septem sigillis, ùt ibi explicat Viegas Sect. 1. n. 8. Hic autem liber apertus est in cruce, ut omnium virtutum exempla in eo legerentur. Abac. 1. *Scribe librum, & explana eum super tabulas, ut percurrat, qui legerit eum.* Chaldæus transtulit. *Scribe prophetiam, & explana eam in libro.* In hoc enim libro æternus Pater scripsit omnium virtutum magnalia, juxta illud Isa 8. v. 1. *Sume tibi librum grandem, & scribe in eo stylo hominis.* Dicitur etiam liber ratione B. Virginis, de qua cit. locum Isaiæ explicat S Anton 4 part. tit. 15 § 1. Librum grandem, ait, esse B. Virginem, quia continuit in se Divinam sapientiam incarnatam Et S. Amb. in c. 7 Luc. ait, quòd Spiritus S. Beatissimam Virginem adumbrans, in eo tanquam mundissimo volumine carnem Filii DEI scripserit. *Liber vocatur Evangelium.*

II. *Quomodo narratur hìc Christi generatio, quæ dicitur inenarrabilis.* Isaiæ 53. v 8. *Generationem ejus quis enarrabit?* R. aliqui putant prænunciatum Isaiæ de generatione secundùm divinitatem intelligendum. Matthæum verò generationem tantùm temporalem expendere. Dico tamen utramq; generationem humanis viribus esse inexplicabilem; utramq; verò DEI auxilio ac supernaturali lumine enarrabilem, non comprehensivè, quia hoc ad Deum solùm pertinet, sed aliqua ex parte, quantum fas est homini loqui. Unde rectè dicit S. Paschasius: Modus ille loquendi *quis enarrabit?* non impossibilitatem, sed raritatem narrandi ostendit, sicut & in aliis Scripturæ locis legitur: Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo? Ps 41. Non quòd nullus habitabit, aut nullus requiescet; sed quòd rarus, & divinâ gratiâ electus. Quod homo naturalibus viribus non attingit, DEI gratiâ consequitur. *Generatio Christi.*

III. *Cur quatuor solùm hæ fœminæ Thamar, Rahab, Ruth & Bethsabee hìc recensentur?* R. Ut toti orbi innotesceret, non dedignatum Christum nasci ex peccatricibus & Gentilibus, qui venit, ut peccatores salvos faceret, & gentiles associaret Ecclesiæ suæ, ut, ubi abundavit iniquitas, superabundet & gratia, inquit S. Hieron. Chrysost. Amb. & Aug. Allegoricè ergo præfigurabant, magnum aliquando numerum maximorum peccatorum adeoq; Gentilium, post seriam pœnitentiam Christo tanquam Sponso suo copulatum iri. Et tropologicè, nulli erubescendum de peccatis alienis etiam parentum, citra propriam culpam admissis, veramq; nobilitatem non tam ex stemate, quàm ex propria virtute quærendam, inquit idem Chrysost.

IV. *Cur* v. 8. *Tres Reges omissi sunt, Ochozias, Joas & Amasias?* dicitur enim *Joram genuit Oziam*, abnepotem suum: Nam filius Jorami fuit Ochozias, filius Ochoziæ Joas, filius Joasi Amasias, Amasiæ deniq; filius Ozias, alio nomine dictus Azarias, cur ergo hi tres medii omissi? R. quia hi tres geniti erant ex Athalia, filia impiissimorum Achabi & Jezabelis, quorum stirpem penitus delendam prædixerat Deus 3. Reg. 21. v. 21. Unde Matthæus saltem memoriam illorum, quasi numquam vixissent, ad quartam usq; Generationem abolitam voluit.

Jechonias vir sterilis.

V. *Quomodo* Ier. 22. v. 30. JECHONIAS *vocatur* VIR STERILIS, *cùm hic dicatur genuisse Salathiel?* R. Jeremias se explicat, nempe carituram filiis, non qualibuscunq; (nam certum 1. Paral. 3. v. 17. plures genuisse) sed regiis, *qui sedeant super solium David*, id est, sceptrum regium teneant in Juda. Posteri enim ejus, etsi ob generis splendorem titulo principum gauderent, ut patuit in Zorobabele, filio Salathielis; præcipua tamen potestas & imperium erat penes Pontifices, teste Josepho l. 11. Antiq c. 4.

Genealogia Christi.

VI. *Cur ad Josephum non ad Mariam Christi genealogia deducta est? quid ad Josephum Christus? cùm non fuerit Pater ejus.* R. det S. Hieron. *Non esse morem, ut fœminarum in Scriptum genealogia ponatur.* Quod quidem verum est; sed tamen in re singulari penitus, tantæ matris videtur ponenda Genealogia, cùm enim ex sola matre natus sit, & matre virgine, non potest Christi Genealogia cognosci, nisi maternæ originis manifestatione, itaq; non nisi per Mariam ad Davidem pertinet. Alia responsio est plurimorum, noto Josephi Genere, de Mariæ quoq; familia constare. Fuisse enim hanc unicam, ideo hæredem, atq; ex lege intra familiam nubere debuisse. Verùm Num. 36. ubi quæstio deciditur, à Moyse constituitur, ut de tribu ne transeant, *nubant, cui volunt, sed suæ tribus hominibus.* Maldonatus, aliiq; non ad solas tribus, sed etiam ad familias restringunt, quia eadem est causa mutandarum possessionum.

B. Virgo desponsata Joseph.

VII. *An B. Virgo fuit desponsata Josepho per sola duntaxat sponsalia, an verò etiam per matrimonium reipsa contractum, & nuptias celebratas?* R. Multi censent B. Virginem tantùm desponsatam fuisse per sponsalia, sive per verba de futuro, quibus tantum fit promissio matrimonii Ita S. Hilarius hic. S Basil. hom. de humana Christi generatione & alii. Verum melius alii censent B. Virginem desponsatam fuisse non tantum per sponsalia, sed etiam per matrimonium, per verba de præsenti, & nuptias reipsa contractas. Quia Joseph vocatur vir, id est, maritus Mariæ, jam ergo per matrimonium illam sibi maritârat. *2dò* Joseph voluit eam utpote gravidam, dimittere, ergo jam eam acceperat in uxorem: nemo enim dimittit id, quod non habet. *3tiò* quia si non fuisset conjugata, Judæi videntes uterum ejus intumescere, illi notam fornicationis imò adulterii impegissent, illamq; lapidâssent *4tò*, quia planè decebat Christum ex conjugata in conjugio nasci, ne à Judæis ut spurius contemneretur, sed ut legitimus acceptaretur. Dicitur autem hic non conjugata, sed desponsata, quia viro incognita perinde ac est sponsa, quæ viro necdum nupta, sed tantum est promissa. Unde S. Chrysolog. Serm. 175. *Joseph*, ait, *maritus solo nomine, conscientiâ sponsus.* id est, sponsus per matrimonium ratum, sed non maritus per consummatum, sive per copulam.

Matrimonium inter Mariam & Joseph.

VIII. *Fuitne verum matrimonium inter S. Joseph, & B. Virginem?* R. fuisse verum, quia matrimonium non facit copula, sed consensus. Essentia matrimonii constitit in mutua traditione & potestate corporum; etiamsi hæc potestas nunquam in actum redigatur, votum autem virginitatis nemini hoc jus & potestatem adimit, sed tantum illius usum facit illicitum. Licitum fuit hoc matrimonium, quia licèt voviſſet virginitatem B. Virgo, licite tamen & sine periculo violandi voti iniit matrimonium, quia ex instinctu Spiritus Sancti sciebat Joseph potestate sua, & jure maritali nunquam usurum ad votum hoc infringendum.

Donec, quid significat.

IX. *An particula* DONEC v. 25. *ostendat, B. Virginem postea cognitam esse à Josepho:* ET NON COGNOSCEBAT EAM, DONEC PEPERIT FILIUM SUUM PRIMOGENITUM? R. Negativè. Donec enim sæpe definitum, sæpe infinitum est. Neq; enim semper indicat, postea id futurum, quod esse vel non esse ad certum tempus definitur. Sic sumitur Ps. 109. 1. *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Non quòd tunc ulterius non sedebis, sed quòd tunc longè glorioſior, quasi victor & triumphator sedebis ad dexteram meam. Et Matth. 5 26. *Non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem,* hoc est, nunquam exibis de carcere gehennæ. Gen. 8. 8. de corvo Nòe emissò ex arca dicitur; *Non revertebatur, donec siccarentur aquæ,* id est, nunquam est reversus. Isa. 22. 14. *Si dimittetur vobis hæc iniquitas, donec moriamini.* Sanè post mortem non remittretur.

X. An ex eo, quòd S. Matthæus Christum vocet primogenitum, *donec peperit filium suum primogenitum,* rectè inferant hæretici, alios postea ab ea genitos ex Joseph? R. perperam. Primogenitus enim in Scriptura dicitur omnis is, ante quem nemo est natus, etiamsi sit unigenitus, ut patet Exod. 4. 22. & c. 13. 2. to enim *primò* negat tantùm anteriores fuisse filios, nec requirit aut præsupponit posteriores extitisse. Igitur B. Virginem semper mansisse Virginem, dogma est fidei, ut patet Luc 1. 34. Ezech. 44. 2. Et ex consensu Patrum omnium, ac communi Ecclesiæ sensu jugiq; traditione.

S. Joseph nihil mali suspicatus.

XI. *An ex aliqua suspicione Joseph voluerit dimittere Virginem* v. 19.? R. B. Joseph nihil mali de Beatissima Virgine fuisse suspicatum, & illum latuisse Incarnationis mysterium, ac proinde nec bonum, nec malum existimâsse, sed maxima dubietate judicium suspendisse. Erat enim vir justus & prudentissimus, ergo nullum habuit judicium temerarii,

aut

aut malam suspicionem de B. Virgine, præcipuè quia excellentia illius virtutum, ac morum integritas, in quibus nec umbra maculæ venialis, notæ erant Joseph. Et confirmatur, quia miraculosa nativitas ex parentibus senescentibus, admirabilis; in templo præsentatio, fama integritatis vitæ; votum, quo suam DEO dedicaverat virginitatem; miraculosa cum illa desponsatio, germinante virga, & Spiritu S. super illam in forma columbæ apparente, ut testatur S. Hieron. l. de ortu Virginis, ejus puritatem evidentissimè demonstrabat: ergo non poterat B. Joseph de illa sibi persvadere peccatum & adulterium, & ideo Joseph prudenter voluit dimittere Virginem, vel per sui absentiam, vel fugam per aliquod tempus, ùt videret exitum rei. Quòd verò tunc ante Angeli apparitionem Joseph non agnoverit mysterium Incarnationis, mihi manifestè ostendit dictum Angeli totam rem revelantis: *Quod in ea natum est, de Spiritu S. est, pariet filium, & vocabis nomen ejus &c.* Ad quid hæc Angelus diceret, si etiam revelata erant? Nec est probabile, quòd Virgo secretum tanti regis aperuisset Joseph absq; revelatione ei facta, ad quod asserendum non est fundamentum. Deinde si manifestavit Joseph ipsum ministerium, manifestavit etiam congruentias, ob quas conveniens erat, ut DEus de desponsata nasceretur, sed has non manifestavit, ergo nec mysterium.

CAPUT II.

Describitur Magorum per stellam vocatio, & adoratio Christi. Fuga ejus in Ægyptum. Infanticidium Herodis. Christi ex Ægypto reditus & secessus in Nazareth.

Herodes quis fuit.

Quæstio I. *Quis fuit Herodes* v. 1.? R. Fuit Antipatri filius, cognomento Ascalonita & Magnus, gente Idumæus, quem Senatus Romanus commendatione Antonii primum subactæ Judææ regem creavit, teste Josepho l. 14. Antiq. c. 18. Nominat S. Matthæus Herodem, ut innuat translatum jam esse sceptrum à Juda in alienigenam, qualis erat Herodes, ac proinde venisse jam Messiam sive Christum: hoc enim signum adventûs ejus fore prædixerat & prophetârat Jacob Patriarcha Gen. 49. 10. Ita S. Chrysost. & Theophyl. Id audiens & advertens Herodes, ut regnum sibi stabiliret, hoc oraculum in se declinavit, voluitq; ipse haberi Messias; atq; ideo magnificentissimum templum Iudæis ædificavit, illudq; anniversario regni sui die Natali dedicavit, teste Josepho l. 15. Antiq. c. 14. Porrò hujus Herodis Ascalonitæ filius fuit Herodes Antipas, qui Joannem Baptistam decollavit, & Christum in passione veste alba induit, & illusit: nepos verò ejus ex Aristobulo filio, fuit Herodes Agrippa, qui Jacobum Apostolum fratrem Joannis occidens, ab Angelo percussus interiit Act. 12. cujus Agrippæ filius fuit Herodes Agrippa Junior, coram quo Paulus vinctus causam suam peroravit. Act. 25. 23 & seq. Deniq; plurimi censent Christum natum anno regni Herodis 36. & penultimo, regnavit annis 37.

Magi unde venerunt.

II. *Qui fuerunt, & unde venerunt Magi?* R. ex Arabia Felice, seu Sabæa, (à Metropoli Saba) Orientali respectu Judææ, inquit Justinus, Tertull. Cyprian. Epiphan. & alii: unde & Regina Saba ad Salomonem cum similibus muneribus venit. Vocantur Magi, quia sic Græci, Chaldæi, Persæ, Arabes & Syri vocant Sapientes & Astrologos, teste Plinio & Cælio, à radice *haga*, id est, meditari, inquit Genebrardus. q. d. Meditantes, speculantes. Sed quia successù temporis multi horum se se dœmonum pactis miscuerunt, factum, ut nomen, quod antè honori fuerat, vitium deinceps notaret incantatoris, malefici, præstigiatoris. Erant autem hi, qui ad Christum accurrerant tres numero, & quidem reges ùt communis habet traditio, id est, reguli seu principes phrasi Scripturæ, quæ tamen maluit Magos vocare, quàm principes, quia Christum ex stella agnoscere sapientum erat, non principum. Neq; improbo, unum illorum fuisse Æthiopem Ps. 71. v. 9. 10. ùt vulgò sentiunt, dummodo per Æthiopiam intelligas non Abassiam, sed Arabiam seu Petræam, seu Sabæam, quomodo uxor Moysis Exod. 2. 16. è Madianitide, Arabiæ parte, oriunda, vocatur Æthopissa Num. 12. v. 1. Porrò ex Arabia Ierosolymam facilè deveniri potest spatio sex dierum, maximè si camelis vel dromedariis utaris, ùt hos facturos insinuat Isaias c. 60. v. 6. ita S. Hieron.

Stella ducit Magos.

III. *Quomodo Magi ex Stella agnoscere potuerunt Christum natum?* R. Quia Balaam (cujus successores censentur Magi) vaticinatus fuerat, Christum venturum indicio stellæ, etiam Sybilla Erythræa l. 8. sic scribit: *Divinamq; Magi stellam coluêre recentem, monstratusq; DEI præcepta sequentibus, infans est in præsepi.* Unde auctor operis imperfecti habet, per singulas generationes à Balaam usq; fuisse constitutos, qui observarent Stellas, in monte, qui Victorialis vocabatur. Idcirco visâ stellâ, tam fulgidâ & magnâ, accedente instinctu etiam Spiritûs S. cognoverunt, natum esse Messiam in Judæa, quo etiam eos Stella præiens ducebat. Nec dubitandum videtur stellam etiam aliis fuisse conspicuam, sed ejus mysterium nôsse negligentibus.

Stella unde agnita.

IV. *Undè sciebant hanc, quam videbant, esse istam stellam?* R. partim ex novo illius ortu, partim ex inusitata specie, ex admirando splendore, aliisq; proprietatibus (ut quæ etiam interdiu, splendente sole, fulgeret &c) DEO simul mentes illorum illuminante, &, ut ait S Leo, aspicientibus intellectum dante. Serm. 1. de Epiphania.

Stella fuit meteorum.

V. *Fuitne vera stella cœlestis?* R. non fuisse, sed aliquod meteorum, stellæ figurâ apparens instar cometæ, ex aërea materia pellucida ab Angelo formatum, & Angelico motu ductum (ut olim columna nubis & ignis Exod 13 21) primo ab oriente in Occidentem, contrà,quàm proprio motu moventur aliæ stellæ; deinde à Septemtrione versùs Bethlehem, inter Orientem & Meridiem. Et ibat cum euntibus, & quiescebat cum quiescentibus, ut dicitur v. 9.

Gentiles ad præsepe Christi.

VI. *Quare ad præsepe Dominus homines Gentiles adduxit?* R det S. Aug. Serm. 6. de Epiph. quia adventu Christi gratia abundantissimè communicata est: Ego veni, ut vitam habeant & abundantius habeant Joan. 10. 10. Christus enim non solùm in Judæorum nascebatur salutem sed & in omnium Gentium, atq; ipsos duos populos, seu parietes ex diverso, seu qui inter se erant inimici, rex pacis jam cœpit copulare in una fide ac religone, ac proinde convenientissimum fuit, Judæis ac Gentibus manifestari. S. Fulgent. de Epiph. ait: In Christi honorem veniunt Magi, quòd scil. ipso in tanta paupertate nato existente, ad eum adorandum, muneraq; ei offerendum de longinqua ipsi accedunt terra, & quòd viam demonstrando stella eos præcederet: Ex quo illius evidenter demonstrabatur divinitas, soli enim DEO astra serviunt.

Magorum quæstio de nato Christo.

VII. *Quare Magi, cùm ducerentur stellâ, quærunt, ubi natus sit Rex Judæorum* v. 2.? R det S Chrysol. Serm. 156. Non interrogant, ait, sed insultant, quando scientes interrogant, nescientes non ignorant, sed negligentes arguunt, increpant desides, malos produnt, contumaces verberant, servum Domino non occurrisse causantur. Nam ab hominibus, qui per Deum noverunt, quod quærebant? ut quid illis ad hoc humanæ demonstrationis officium, quibus ad hoc cœli sydera serviebant? quo illis Lucerna templi, quibus cœli sidus mirabile prælucebat. Cur Rex Judæorum in præsepi jacet, & non decumbit in templo? cur non fulget in purpura, sed squallet in pannis. Valde hoc erat verecundum, quod alienigenæ regem natum scirent, & Judæi in sua ignorarent patria, ac eorum esset in tanta paupertate Rex desideratus Palatius ait: Magorum tam fervens erat animus, ut putarent, nihil tunc ab omnibus Judæis tractari, nisi de rege nato, unde confidenter quærunt: ubi est natus Rex, idq; promiscuè ab omnibus quærunt. Qui amoris est percussus sagittâ, sanè de suo omnes putat tractare dilecto. Cant. 5. 8. Sic Magdalena, dum ad Christi sepulchrum stabat, obvio sibi dicebat, si tu sustulisti eum Joan. 20. 15. Dilectum suum, quem ipsa quærebat, ab omnibus requiri putabat.

Quærunt coram Herode.

VIII. *Cur coram Herode Rege de nato Rege tam confidenter interrogant,* cùm Romana lege sub mortis præcepto sancitum fuerit, ut nemo absq; eorum licentia Regem vocaret aliquem? R. Quia cùm hoc peculiariter ad ipsum Regem pertineret, existimârunt, quòd locus Nativitatis ab ipso peculiariter Herode cognoscendus esset, quod enim ad regem pertinet, plus omnibus ipse ab intimis debet tenere. In Assverum Regem duo Eunuchi insurgere, & eum occidere voluerunt, quod statim nuntiatum est regi Esther 2. 22. Mardochæus ob iniquam in Judæos latam sententiam ante fores palatii voce magna quotidie clamabat Esther 4 1. Hæc tamen vox ad regis aures numquam pervenit. Sed cur Eunuchorum secretum tam citò pervertur ad Regem, Mardochæi clamor minimè? Pertinebat illud maximè ad Regis vitam, ideoq; eum latere non potuit. *In cogitatione tua regi ne detrahas, aves cœli portabunt vocem tuam.* Eccl. 10. 20. Etiam non curabant de sangvine, ait, S. Chrysol. quòd si curâssent de morte, ita locuti non essent. Veri Christi Prædicatores, ut veritatem annuntiarent, mortem non timebant.

Herodes turbatur.

IX. *Cur turbatur Herodes audiens regem natum.* v. 3.? R. Propter varias causas. Imò propter eum, qui de genere Judæorum natus annuntiabatur, regnum perdere verebatur, cùm enim ipse alienigena esset, à Judæis ob suum Regem recipiendum facilè expelli poterat. Benè notat Albertus M quòd cùm dicitur Rex, causa turbationis subinfertur; dignitas enim timoris plena est; sed considera quantum Herodes distat à Magis, quod expendit S Aug. Serm. de diversis. *Herodes timet successorem; Magi desiderant redemptorem, illi cupiunt invenire regem, metuit ille finiri regnum.* Quàm dispar inter se est justorum & iniquorum studium. Justi, ut in eo inveniant regnum, vitam & potestatem, Christum quærunt; peccatores verò à DEO fugiunt, & potentiam atq; dominatum in illo perdere timent. 2dò Abul. q. 24. ait: Turbatur propter magnam istius Regis excellentiam, qui natus dicebatur; non enim aliquid, nisi valde magnum esse poterat, in quo tanta apparerent signa, scilicet quòd ejus nativitas ab extraneis agnosceretur regibus, & stella præcedente ad eum adorandum venerint. Sola ipsa annuntiatio alterius regis, sufficiens erat ad perturbandum Herodem. 3tiò timebat Herodes, quia regnum injustè possidebat, & Hircanum summum Sacerdotem Regem populi interfe-

terfecerat, Remp. oneribus vexabat, atq; tributis, in omnesq; tyrannicè principabatur, & ut dicitur Sap. 17. 10. *Semper præsumit sæva, perturbata conscientia.* Et Job 15. 21. *Sonitus terroris semper in auribus illius* (tyranni) *& cùm pax sit, ille semper insidias suspicatur.*

X. *Quare Magi obtulerunt, aurum, thus & myrrham.* v. 11.? ℟. Obtulerunt tamquam terræ suæ præcipua, & pretiosiora dona. Sic & Regina Saba Regi Salomoni, quæ etiam de illa regione erat, attulit aurum & aromata multa 3. Reg. 10. Aurum enim communiter est super omnia metalla. Thus inter odores maximè annumeratur. Myrrha verò est quædam arbor aromatica, ex qua distillari solet quædam resina vel sudor quidam, & est ungventum valde svaviſſimum, & quia eâ ungebantur cadavera ad corruptionem præservandam, ideo mortem adumbrat, ùt ait Bern. Serm. 43. in Cant. Hæc enim dona Magi, tamquam excellentiora Christo obtulerunt, nam semper prima, & optima, ut fecit Abel, ei sunt donanda. Rationes mysticas omitto, quia passim in Auctoribus inveniuntur. *Magorum oblatio.*

XI. *Quare Christus fugit in Ægyptum?* ℟det S. Paschasius: Neq; mortem fugit, qui mori venerat: neq; humanas insidias expavit, qui totas diaboli versutias. & fraudes venerat aperire, & in superando potentiùs revincere. Scriptum quippe erat: Non occides Agnum in lacte Matris suæ, Exod. 23. 19. & ideo prævisum est, ne fieret in aperto, quod diu, licèt occultè, prohibitum fuerat in mysterio. Quam legem Exodi ita explicant Vatab. Oleaster, Corn. Ne coquas hœdum in lacte Matris suæ: id est, ne occidas & coquas hœdum lactantem, quamdiu sugit lac matris suæ. Quæ lex posita est, ut exponunt Chrysost. hom. de Innocentib. Aug. q 90. ut significaretur, Christum Dominum inter brachia matris suæ Sanctissimæ lactantem, sive ab Herode, sive à Judæis occidi non posse; vetuit enim, ut dum lac è pectore sugebat puriſſimæ Matris, in illiusq; fovebatur sinu, ferri durities invaderet illum. Quæstionem ponit & meritò solvit Euthym. Quare non mansit in Nazareth, nam eos tantùm pueros occidit Herodes, qui in Bethleem & in finibus ejus erant, non qui in Nazareth? sed prævideraat DEus, si in Nazareth mansisset, indicandum Herodi: ideo etiam ab ipsa fugere jussit. Cùm Christi Domini magna jam esset fama, tum ob Magorum adventum, tum ob ea, quæ gesta erant in templo in Hierusalem, procul dubio, si Christus Dominus esset in Nazareth, ibi ab Herode agnoscerentur, præcipuè cùm Assentatores, ut Regi placeant adulantes, revolvant omnia, eosq; subterfugiat nihil. Poterat quidem Christus Dominus Herodis manus multis declinare & eludere modis; poterat se inter medios abscondere hostes, vel invisibilem reddere, ut fecit, quando ipsum lapidare tentârunt Judæi Joan. 8. 59. *JEsus autem abscondit se,* ut ibi notat S. Aug. Vel in manibus inimicorum suspendere concursum, ne ad ipsum possent extendi. Nihil tamen horum conveniens fuit. Non enim fuisset creditum, verè illum suscepisse carnem, ut ait S. Chrysost. hom. 8. in Matth. tantiq; hodie mysterii Sacramenta nutarent. Si etiam cùm ista facta sint, & plurima juxta humanæ naturæ dispensata rationem, aliqui tamen ausi sunt suspicari, quoniam fabula quædam fuerit carnis assumptio: in quæ non illi impietatis prærupta incidissent, si omnia, juxta quod dictum est, propriæ virtutis potentia egisset. Hæc ille. *Fuga Christi in Ægyptum.*

XII. *Quare Christus in Ægyptum potiùs quàm in aliam regionem fugit?* ℟det Imperfectus hom. 2. Recordatus est Dominus, qui non in finem irascitur: quanta mala fecerit super Ægyptum, ideo mittit filium suum in eam, & dat illi magnæ reconciliationis signum, & perpetuæ amicitiæ signum, ut decem plagas una medicina sanaret. Et Albert. M. Multis plagis, inquit, plagaverat Dominus Ægyptum, ingreditur ergo, ut tot plagas una præsentiæ suæ visitatione sanaret. O commutatio dexteræ excelsi! exclamat Imperf. ut populus, qui antea fuerat persecutor populi primogeniti, postea fieret custos unigeniti Filii. Rupertus hîc sic ait: Quia debuit filius iste unigenitus per omnia fratribus assimilari, excepta duntaxat participatione peccati, oportuit illum fugere, & in illa Ægypto peregrinari. Et post pauca subdit: Quia populus ille, de quo ille secundùm carnem natus est, ubi servivit exul ille, qui post eam, quæ ad Abraham facta est promissio primus persecutionem pertulit, scil. Joseph & omnis domus ejus intravit illic exulando, iste passionum, vel tentationum suarum initium sumpsit. S. Chrysol. serm. 151. sic loquitur: In Ægyptum fuge, ait Angelus, à tuis ad extraneos, ad sacrilegos à Sanctis, à templo tuo ad dœmonum fana; ad idolorum patriam è regione Sanctorum, ut ad Deitatis latebras profana Ægyptus conducatur. Instabat occasio, ut Christus lateret, pergit, non ad Zachariam, non ad Simeonem, non ad Magos, sed ad Ægyptum abominationibus plenam, quia inter justos & Sanctos abscondi Christus non poterat, sed manifestari. *Cur potiùs in Ægyptum.*

XIII. *Quid contigit Christo Domino cum Virgine Matre ad Ægyptum perveniente & Heliopolim ingrediente?* ℟. Universa idola corruerunt, & impletum est Vaticinium Isa. c. 19. 1. Ecce Dominus ascendet super nubem levem, & ingredietur Ægyptum, & commovebuntur simulacra Ægypti à facie ejus. Sancta ejus humanitas appellatur nubes le-

vis, quæ nullo erat gravata peccato. Idem prædictum esse à Jeremia Propheta Sacerdotibus Ægypti de adventu Virginis cum puero testatur S. Epiph. in vita Jeremiæ. Et Abulensis asserit q. 60. quòd in civitate Heliopoli quoddam extabat templum, in quo erant 365. juxta numerum dierum anni, quibus singulis diebus divinus habebatur cultus: ad Christi autem, & matris ejus ingressum, universa idola corruerunt. Et fuit hoc convenientissimum, siquidem ad ingressum arcæ in templum Dagon corruit ipsum idolum, quod factum, cùm nuntiatum esset Aphrodisio Principi Sacerdotum, venit in templum cum omni exercitu suo, & Christum adoravit, ac multa de eo locutus est. Ita Abulensis.

Tempus Christi in Ægypto.

XIV. *Quanto tempore Christus mansit in Ægypto?* R. non videtur mansisse ultra biennium; nam eò non ivit, nisi uno anno ante mortem Herodis, & post eam statim Archelao Herodis filio Romam profecto, & mox inde redeunte ac regnante, rediit, ùt hic dicitur. Ita S. Epiphanius hæresi 78. Niceph l. 1. c. 14. Licèt Baronius putet Christum rediisse ex Ægypto anno ætatis octavo. Alii putant septennio eum ibi habitâsse.

XV. *Qui erant,* QUI QUÆREBANT ANIMAM PUERI? R. Herodes, ejusq; filii Aristobulus, Alexander & Antipater, qui ambientes regnum, ideoq; contra Patrem (consequenter & contra Messiam, ùt videtur) conjurantes cum Scribis & Pharisæis eis faventibus, ab Herode interfecti sunt, teste Josepho l. 17. Antiq. c 8. & seq.

Infantium cædes.

XVI. *Cur DEus permisit infantes sanctos tam crudeliter occidi* v. 16.? R. det S. Chrysol. serm. 152. Christus hoc ordinavit, hoc egit, ut per Herodis invidiam furiosam, pueri mortem susciperent pretiosam, & quod eis ad salutem suam præstare non posset amicus, hoc faceret inimicus. Ad hoc permisit Herodem infantes occidere, ut illos de Herode faceret triumphare S. Aug. l. 2. de Symbolo ad Catechum. c. 5. hanc permissionem factam esse docet in pœnam parentum: Vindica in eis, ait, qui te parvulum persequuntur, parvuli ipsorum pro te moriantur, ii te volunt innocentem occidi, hoc eis proveniat, ut suos populos ab eis faciat separari. Vobis irrogatur pœna orbitatis, cæterùm illis gloria affertur immortalitatis: nuntiatis Herodi ubi occidendus inveniri potest filius DEI, sed ille filios vestros occidens pro Filio DEI, & vos orbitatis pœnâ nesciens punit, tamquam proditores & filios vestros fecit hæredes. S. Amb. l. 2. in Lucam, ait: *Infantes jubet occidi,* scil. Herodes, *cui alii, nisi DEO talis victima debebatur.* Ut natus infans se Deum manifestet, ubi primum ingreditur mundum, statim innocentes ei litantur: nihil tam jucundum DEO offerri potest, ùt innocentia.

Vox in Rama audita.

XVII. *De quo intelliguntur verba illa* v. 18. VOX IN RAMA AUDITA EST? R. Rama erat civitas in tribu Benjamin Jud. 19. 13. & quatuor leucis à Bethleem distabat, ibi dicitur auditus fletus per exaggerationem. Vel cùm cædes facta sit in Bethleem, & in omnibus finibus ejus, illuc usq; pervenit. Vel ùt legit S. Hieron. *Vox in excelso,* & ut ipse explicat, quia planctus ille Innocentium coram DEO ascendit. Est prophetia citata ex Jerem. 31. 15. & in sensu literali intelligitur vel de illa strage magna, quæ facta est in tribu Benjamin filii Rachelis, ob illud magnum flagitium, quo Gabaonitæ libidinis causâ uxorem Levitæ ad mortem redegerunt Jud. 19. 14. Vel communiter exponitur textus de captivitate decem tribuum, quæ nomine Ephraim exprimuntur, eò quòd primus earum Rex fuerit Jeroboam è tribu Ephraim. Rachel autem avia fuit Ephraim: per quod significatur efficacia orationis: Nam Rachel licèt mortua, potens tamen, ut filios de captivitate liberaret, ideoq; cit. Jeremiæ loco v. 17. dicitur ei: *quiescat vox tua à ploratu.* Attamen præsens locus ab Evangelista intelligitur de crudelissima Sanctorum Innocentium cæde facta ab iniquissimo Herode: unde meritò additur: *tunc impletum est.*

Rachel plorans.

XVIII. *Quare Rachel inducitur plorans* v. 18.? R. Per Rachel intelligitur Bethleem, quæ propè Bethleem sepulta est, per eamq; significatur matrum congregatio, quia hæc cædes non solùm facta est in Bethleem, quæ ad tribum Juda spectabat, sed etiam in confinibus suis, quæ de tribu Benjamin erant. Et tribus Judæ ac Benjamin erant valde conjunctæ, unde credi potest non paucos de Benjamin interfectos fuisse. Rachel mortua ibi sepulta inducitur plorans ad exaggerationem, quia tanta fuit ibi crudelitas, ut etiam mortui, si fieri posset, plorâssent. Rupertus per Rachel intelligit Ecclesiam, Rachel est mater illius scil. Joseph, qui primus à tempore promissionis passus est propter justitiam. Rachel ergo scil. Ecclesia plorat filios suos interfectos, licèt enim certò sciat, quòd Christo fruantur, & ideo noluit consolationem, quòd non sint in hac vita, cùm sint in æterna beatitudine; materno tamen affectu maximè dolet, quòd à tot talibusq; filiis separetur. Sed hæc moralia sunt.

Christus Nazaræus.

XIX. *Cur Christus dicatur Nazaræus & non Bethleemites* v. 23. R. det Sylveira. In Nazareth concipitur Christus, ibiq; in tantum est sublimata ejus Sanctissima humanitas, ut in primo suæ conceptionis instanti DEO substantialiter fuerit unita. In Bethleem nascitur, Divino tamen consilio Nazaræus vocatur docens, illos esse maximè venerandos, qui primordijs nostris, promotioniq; ad dignitatem & honorem servierunt; ac ideo primò omnium Nazareth Christus prædicare cœpit. S. Thom. 3. part. q. 34. art. 7. ad 2.

Chri-

Christus, ait, florere voluit secundùm carnis originem; & ideo in civitate Nazareth educari voluit, & nutriri, in Bethleem voluit quasi peregre nasci. Nazaræus vocatur, quod idem est ac floridus, floresq; significat, quod nomen, dum coronâ spineâ redimitus in cruce pendebat, ei peculiariter datur, in titulocq; inscribitur. Quomodo ergo inter spinas & tribulos floridus apparet? Talis est princeps & rex noster JESUS Christus, ut, dum sibi spinas elegit, nobis gratiæ, ac salutis communicet, donetq; flores.

CAPUT III.

Joannes Bapt. prædicat pœnitentiam, ut per eam homines præparet ad Christum Christiq; gratiam. Christum baptizat, quando Spiritus S. in eum specie columbæ descendens, & vox Patris: Hic est filius meus dilectus, ipsum esse Messiam toti orbi declaravit.

QUæstio I. *Qui fuerunt illi dies, in quibus venit Joannes?* R. Quibus JEsus Nazarethi adhuc habitabat, & jam 30. annos ætatis complêrat, Josephum in fabrili arte exercenda sedulò adjuvans, ut & faber vocabatur Marci 6 3. cùm jam tempus adesset, quo debebat publicè mundo inclarescere, sub initium septuagesimæ Danielis hebdomadæ Dan. 9. v. 25. venit præcursor illius, & præambulo (ut Solis Aurora) Joannes Bapt. è latebris sylvarum & montium Luc 1. v. ult. ubi à puero vitam verè Angelicam egerat, in lucem prosiliens, Divinoq; jussu denuntians palam omnibus adventum instare Messiæ. *Joannes quando venit.*

II. *Qualis erat baptismus Joannis, & in quo differebat à baptismo Christi?* R. Baptismus Christi ex opere operato omnia peccata delet, & gratiam justitiamq; confert; nihil tale faciebat baptismus Joannis, sed tantùm erat signum pœnitentiæ, & ad eam excitatio, per quam protestabantur se optare, animam suam ablui à peccatis, sicut corpus aquâ abluebant. Erat ergo baptismus Joannis duntaxat protestatio pœnitentiæ, & præparatio ad Baptismum Christi, ut eo justificarentur. Hinc Concilium Trident Can. 1. sess. 7. sic statuit: *Si quis dixerit Baptismum Joannis habuisse eamdem vim cum baptismo Christi, anathema sit.* *Baptismus Joannis.*

III. *Quo sensu dicitur Luc. 3. baptismus Joannis baptismus pœnitentiæ in remissionem peccatorum?* R. Erat pœnitentiæ baptismus, quia ab iis, quos abluebat, pœnitentiam, id est peccatorum detestationem, contritionem, & vitæ correctionem, fructusq; dignos pœnitentiæ exigebat. Quo autem modo peccata detestari, doloremq; & contritionem animo deberent concipere, ipse edocebat. Ea contritione, fructibusq; dignis pœnitentiæ, peccata remittebantur. Ideoq; baptismus dicitur pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Non quidem, quòd baptismi, sed quòd pœnitentiæ vi crimina abluerentur *Baptismus pœnitentiæ*

IV. *An baptisma Joannis aliquam formam habuit?* R. Aliqui apud Barradium hîc putant baptisma Joannis pro materia habuisse aquam, pro forma hæc vel similia verba: Ego te baptizo in nomine Christi venturi. Venturi, inquam, quoniam licèt jam esset natus, nondum tamen ad baptizandum & docendum, mortemq; pro hominibus subeundam venerat. Colligunt hanc formam ex verbis S. Pauli Act. 19. Joannes, inquit, baptizavit baptismo pœnitentiæ populum, dicens, in eum, qui venturus esset, post ipsum, ut crederent. Ipse tamen Barradius cum aliis verisimiliùs putat Joannem nullam adhibuisse verborum formam. Erat enim baptismus ille externa tantùm ablutio, ùt aliæ Judæorum ablutiones, quibus verborum nulla forma adjiciebatur. Præterea Joannes Christum baptizavit, neq; verò illam tunc formam adhibuit: Ego te baptizo in nomine Christi venturi; absurda enim fuisset forma. Ergo, vel Christi baptismus diversus fuit à baptismo aliorum, secundùm formam; vel si fuit idem, in reliquis quoq; abluendis, nullâ formâ Baptista utebatur. Paulus verò Act. 19 non affirmat Joannem baptizâsse in nomine venturi; sed prædicâsse, ut crederent in eum, qui venturus erat, id est Christum. Nimirum verba illa erant docentis, non forma baptizantis. *Baptismæ Joannis an habuit formam.*

V. *Ennne necessarius baptismus Christi baptizatis baptismo Joannis?* R. Negat Magister in 4. d. 2. §. ult. Sed redarguitur à S. Paulo, quem constat Act 19. Christi baptisma illis contulisse, qui Joannis baptisma jam susceperant. Redarguitur etiam à Domino, cujus illa sunt verba Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest introire in regnum DEI.* At hi qui à Joanne baptizabantur, non renascebantur ex aqua & Spiritu S. non enim per baptismum Joannis, Spiritus S. dabatur, ergo non poterant intrare in regnum DEI, nisi lavacro Christi expiarentur. Baptismus Joannis via erat ad baptismum Christi; nemo in via consistit, sed ad terminum viæ properat, non igitur in baptismate Joannis consistendum, sed ad Christi lavacrum festinandum erat. *Baptismus Christi necessarius.*

Baptismus Joannis non conferebatur infantibus.

VI. *An Joannes baptismo suo infantes etiam & Ethnicos quoq; abluerit?* R. det S. Thomas 3. p. q. 38. a. 4. ad 3. his verbis: quia ille baptismus erat pœnitentiæ, quæ pueris non conve-

convenit, ideo baptismo illo pueri non baptizabantur. Conferre autem Gentilibus viam salutis, soli Christo reservabatur, qui est expectatio gentium, ùt dicitur Gen. 49. Sed & ipse Christus Apostolis inhibuit Gentibus evangelium prædicare ante passionem & resurrectionem. Unde multò minùs conveniebat, per Joannem Gentiles ad baptismum admitti. Hæc D. Thomas.

Confessio peccatorũ. VII. *Qualis erat Confessio peccatorum* v. 6.? R. Non erat Sacramentum, nec peccata condonabat, uti fit in Confessione à Christo instituta: in illa enim, quasi in Sacramento Sacerdos potestate sibi à Christo in ordinatione collata, absolvit confitentem à peccatis. Illa ergo Judæorum confessio tantùm erat index pœnitentiæ & compunctionis, sive contritionis internæ, quæ si erat perfecta, proficiscens scilicet ex amore DEI super omnia, peccata abolebat & justificabat: charitas enim operit multitudinem peccatorum Jacob 5. Sin autem contritio hæc esset imperfecta, ut tantùm foret attritio manans ex timore pœnarum, peccatum non tollebat, nec gratiam justificantem conferebat, sed ad contritionem disponebat, & attritum excitabat, ut per eam justificaretur.

Confessio peccatorũ. VIII. *An singillatim peccata sua confitebantur, an generatim se peccatores esse, & peccata multa commisisse dicebant?* R. det Cajet. Confitebantur peccata non in specie, sed in genere, profitendo se peccâsse, computando seipsos non inter justos, sed inter peccatores. Tertull. verò in l. de bapt. c. 20. contrarium sentit. Idem S. Basil. in l. de bapt. cùm ait: simul atq; accesserat quis, & peccata sua quantacumq; fuissent, confessus fuerat, in Jordanis flumine baptizabatur, & confestim peccatorum remissionem accipiebat &c. Et in reg. brevioribus, interrog. 288. Necessariò, inquit, iis peccata aperiri debent, quibus credita est dispensatio mysteriorum DEI. Siquidem rationem hanc in pœnitentia etiam veteres illos cernimus secutos fuisse, quando & in Evangelio scriptum est, quòd Joanni confitebantur peccata sua, & in Actis, Apostolis ipsis, à quibus etiam baptizabantur cuncti. Hæc Basil. S. Cyrill. Jerosol. Cat. 3. ait: Baptizabantur à Joanne confitentes peccata sua: primò ostendebant vulnera, deinde ille medicamenta ponebat, & credentes liberabat ab igne æterno &c. Vide Barrad. tom. 2. l. 1. c. 4. fol. 14.

Confessionis modus. IX. *Fuitne Judæis aliquis confessionis modus?* R. fuisse. Qua de re libet adscribere, quæ Genebrardus scripsit in Commentariis, Ps. 31. Obligabantur, ait, peccatores ad Confessionem peccati, & oblationem pro peccato, si remissionem à Domino consequi cuperent. Lev. 5. n. 5. Et Rabbini illic & in lib. Siphri, ex quibus has istius confessionis habemus circumstantias: primò illa fiebat, inquit Rabbi Levi, ante Sacerdotem. 2dò imponendo manus hostiæ immolandæ, & id quidem inter cornua. 3tiò Distinctè memorando peccatum, de quo pœnitentiam ageret. 4tò detestando suum peccatum, & promittendo se numquam reversuros, id autem appellabant confessionem verborum, quod fieret conceptis verbis & solemni more. Hæc ille. Vide Bellarm. l. 3. de Pœnit. c. 3.

Pharisæi, & Sadducæi. X. *Qui erant Pharisæi & Sadducæi?* R. Hæ sectæ ortæ sunt tempore Joannis Hircani filii Simonis Machabæi, teste Josepho l. 13. Antiq. c. 9. & 18. Sadducæi (sic dicti à Sado sectæ Principe) negabant corporum resurrectionem Matt. 22. v. 23. animæ immortalitatem, spiritus Angelicos Act. 23. v. 8. æterna bonorum præmia, malorum supplicia, nec ullas admittebant traditiones majorum non scriptas in Lege Moysis. Et hos sectabantur multi principes Sacerdotum Act. 5. 17. & ferè Optimates Judæorum, libertati carnis præ aliis inhiantes. Pharisæi omnia ista admittebant, sed multas inanes ceremonias, superfluos ritus, ac superstitiosas traditiones observabant, ut vulgò religiosi audirent. Matt. 16. v. 6. & c. 23. toto. Et his ferè adhærebat populus. Sed omnium ut antiquissimi, ita & religiosissimi erant Esseni, de quibus Num. 10. v. 29.

Baptizans Spiritu S. & igni. XI. *Quo sensu dicitur Christus baptizaturus Spiritu Sancto & igni?* R. Spiritu Sancto igneo & igniente: Spiritu S. qui est ignis, id est, qui est similis igni, & quasi ignis urit & ignit. Est Hendiadij. Spiritus S. enim quasi ignis, fideles à peccatis expurgat, illuminat, accendit, sursum ad cœlum rapit, ac roborat, ut omnia adversa superent. Deniq; eos intimè sibi unit, & quasi ignis in se transformat. Hinc in primitiva Ecclesia sæpe Spiritus S. visibili specie ignis descendebat in baptizatos, & confirmatos, ut significaretur plena purgatio peccatorum; item ignea charitas, igneiq; sermones, quos eis inspirabat Spiritus Sanctus.

Christus cur baptizatur à Joanne. XII. *Cur Christus voluit baptizari à Joanne?* R. Non quòd baptismo egeret, sed ut omnibus exemplum daret perfectæ humilitatis & completæ justitiæ, qua perficiant non solùm mandata DEI, sed insuper omne illud, quod justum, id est, æquitati & rectæ rationi consentaneum esse nôrunt, licèt humile & abjectum fuerit. 2dò voluit Dominus suscipere baptismum servi, ut non dedignentur servi suscipere baptismum Domini, inquit S. Aug. tract. 4. in Joan. 3tiò Voluit JESUS Joanni, dum ejus baptismo se subjicit, auctoritatem addere apud Judæos. Voluit & sacro corporis sui attactu aquas sanctificare, & vim regenerandi non physicam, sed moralem illis indere, qua postea per baptismum à se instituendum animas revera purgarent, & sanctificarent, inquit Nazian. Chrysost. & S. Aug.

Aug. Sed præ omnibus intendit hac occasione, tum per Joannem, tum per Patrem cœlestem & Spiritum S. patam fieri & manifestari turbis eò confluentibus, quòd esset Messias. Ut enim ille manifestaretur in Israël, propterea veni ego in aqua baptizans, inquit ipse Joan. 1. v. 31.

XIII. *Fuitne Joannes à Christo baptizatus, cùm dicat: ego à te baptizari debeo, id est, opus habeo, seu indigeo à te baptizari, ùt est in Græco?* R. Id solùm significat spiritualiter absolvi à levibus peccatis, & spiritu ac gratiâ Christi perfici: non ergo significat debitum præcepti. Hoc enim præceptum Baptismi Christi, editum & promulgatum fuit à S. Petro post mortem Baptistæ & Christi in Pentecoste. Hinc tamen nonnulli colligunt Baptistam paulò pòst à Christo fuisse baptizatum, sicut ab eodem baptizata fuit B. Virgo, S. Petrus, Jacobus, cæteriq; Apostoli, ùt testatur S. Enodius, qui S. Petro in cathedra Antiochena successit: Christum verò non decuit suo Baptismo baptizari, quia ipse quasi Hierarcha, baptismum instituit, quasi peccati remedium, ac sui suæq; Ecclesiæ notam & characterem. ita S. Thom. Suarez, & alii passim tract. de Baptismo. Dici tamen posset Joannem à Christo baptizatum esse Spiritu, non in Sacramento Baptismi, sed spiritu, id est, spiritualiter, quia majorem spiritùs copiam ei infudit, fecitq; ut in gratia & charitate valde proficeret. Unde Abul. hìc q. 78. censet Joannem non fuisse baptizatum à Christo, idq; probat ex admiratione discipulorum Joannis, qui paulò pòst nunciârunt Joanni Christum, cui Joannes testimonium perhibuerat, baptizare, & omnes ad eum venire, Joan. 3. Hoc enim frustra illi nunciâssent, si Joannes jam à Christo baptizatus erat, idq; sanè Joannes eis respondisset; nisi dicas post hoc discipulorum nuncium Joannem à Christo petiisse baptismum, ut pariter discipulos suos ad Christum, ejusq; Baptismum adduceret. Itaq; res manet dubia adeoq; problema esto, inquit Corn. à Lap. An Joannes baptizatus fuerit à Christo, an non? *Joannes an fuit baptizatus à Christo.*

XIV. *Quomodo cœli Christo aperti fuerunt?* R. Cœlorum soliditatem non fuisse realiter apertam, aut discissam: hoc enim naturaliter est impossibile, supernaturaliter est superfluum: non etiam cœli aperti fuerunt per solam visionem imaginariam, uti aperti sunt Ezechieli c. 1. v. 1. Sed quòd in suprema àeris regione sensibiliter visus fuerit quidam hiatus, seu species aperturæ sensibilis, ex quo columba æquè ac vox Patris de cœlo ad Christum labi videretur, ita scil. ut partes àeris extremæ densiores viderentur, eo modo, ut ad illas terminari posset visus: àer autem interjectus maneret rarus, nec videretur, sed appareret, quasi hiatus lucidus, seu vacuum quoddam, & apertura radians vibrans in Christum, ex qua columba cum voce descendit in Christum. ita Suarez 3. p. q. 39. a. 5. *Cœli Christo aperti.*

XV. *Fuitne vera & realis hæc columba, an tantùm species & similitudo columbæ?* R. Veram fuisse columbam censent S. Hieron. S. Anselmus, & ex iis S. Thom. 3. p. q 39. a. 7. Salmeron & alij, idq; est probabile; æquè tamen probabile, imò probabilius est, non fuisse veram columbam, sed tantùm speciem sive formam columbæ ab Angelo formatam, agitatam & motam, ut in Christum descenderet. Ratio est, quia id indicant omnes Evangelistæ. Nam Matth. ait: Sicut columbam. Marcus: tanquam columbam. Joan. c. 1. 22. quasi columbam. Luc. 3. corporali specie, sicut columba. Erat ergo species & similitudo duntaxat, non veritas columbæ. *Columba an vera fuit.*

CAPUT IV.

Christus post 40. dierum jejunium vincit diaboli tentationes. Capto dein Joanne, capit etiam ipse prædicare pœnitentiam, & discipulos convocare, & infirmos curare, & dæmonia expellere, turbis undiq; ad ipsum confluentibus.

QUæstio I. *Cur Christus tentatus?* R. Ut sic glorioſum de superato cacodœmone triumphum ageret. 2dò Ut se reliquis hominibus similem etiam in tentationum palæstra comprobaret. 3tiò ut nos suo exemplo doceret cum infernali hoste, & carne, & mundo viriliter concertare, inquit S. Aug. Deniq; ut viam patefaceret tentationes superandi, scil. oratione, vigilia, jejunio, Scripturarum, præceptorum, promissionum DEI meditatione, fiducia in DEum, contemptu suggestionum hostilium, & interriti animi constantiâ. *Tentatio Christi.*

II. *An jejunium Christi, Eliæ, Moysis, Simeonis Stylitæ, & similium per 40. dies fuit supernaturale?* R. affirmativè. DEus enim in eis vel actionem caloris naturalis planè ad 40. dies suspendit, vel interiùs eos refecit, & corroboravit, vel alio modo eis providit, ut sani, vegetiq; sine cibo viverent per 40. dies, uti etiamnum efficit, ut Elias & Enoch per tot annorum millia fortes & validi sine cibo degant in paradiso terrestri, nec nisi spiritualibus orationis & contemplationis deliciis pascantur. Christus ergo per 40. dies jejunans non esuriit, quia ejus divinitas corpus sine esurie robustum conservabat, ac su- *Jejunium Christi.*

ſpendebat actionem caloris naturalis, aliarumq; contrariarum qualitatum in ſe mutuò agentium, ſeſeq; invicem debilitantium & corrumpentium, atq; interius capiti & cerebro vires, ſpiritusq; animales ſuggerebat, ad contemplationem 40. dierum neceſſarios. Ita S. Hilarius, Hieron. Chryſol.

Tentator ſenſit Chriſtum eſurire.

III. *Quomodo eſurire Chriſtum tentator inſtexit?* R. imò. Dominum manifeſtam illi eſuriem feciſſe ſigno aliquo externo, ita S. Chryſoſt. hom. 13. in Matth. Nam aliter diabolus non poteſt cognoſcere cogitationes hominum. 2dò Diabolo, niſi impediatur, omnes humani corporis tam externas quàm internas patere partes, patereq; nativi caloris actionem in humidum radicale. Forſitan DEO permittente, vidit in Chriſti corpore calorem nativum 40. dierum ſpatio admirabiliter humidum radicale minimè abſumpſiſſe; vidit poſtea abſumpſiſſe, atq; adeo ex actione caloris in humidum, ſenſit Dominum eſurire.

Tentator, qua forma Chriſtum acceſſit.

IV. *Acceſſit ne tentator, corporeâ indutus figurâ, an abſq; corpore?* R. Communis eſt ſententia corpus aſſumpſiſſe. Carthuſianus in Matth. 4. Acceſſit, inquit, in forma viſibili & humana, & fortè in forma hominis religioſi, ut ſimulata ſanctitate circumdatus, citiùs falleret &c. Aſt formæ religioſi hominis illa verba non congruunt: *Hæc omnia tibi dabo.* Nonne irriſio potiùs, quàm pollicitatio eſſet, ſi tibi pauper eremita omnia regna mundi polliceretur. Aliquam gerebat diabolus formam, cui quoquo modo tanta videretur pollicitatio convenire. Barradius putat aliquam geſſiſſe perſonam, quæ vel Dæmonis, vel Angeli Naturam indicaret; cuiq; conveniret, tum Chriſtum aſſumere, & in pinnaculum templi ducere, tum totius orbis dominatum promittere.

Forma dæmonis non exprimitur.

V. *Cur in tentatione Evæ figura Dæmonis exprimitur,* SED ET SERPENS ERAT CALLIDIOR Gen. 3. *non verò in Chriſti tentationibus?* R. imò, Quia tentatio in forma ſerpentis eſt minus uſitata, & ideo Scriptura eam non tacuit. 2dò, quia Eva præſentiâ & varietate colorum ſerpentis delectabatur, & ideo ad ſolam externam apparentiam advertit, non verò ad id, quod erat intrinſecum, quomodo brutum animal loqui poſſet. Ut Chriſtus Dominus non attendit ad viſibilem formam, ſed ad id, quod erat internum, & quòd ille, qui loquebatur, erat tentator; & ideo Eva devicta eſt, Chriſtus verò victor & triumphator evaſit.

Autoritas ab externa forma.

VI. *Quare diabolus non timet ad Chriſtum accedere, ad eum tentandum, & non audet cum Adam congredi, ſed per Evam eum oppugnat?* R. Adamus erat in feliciſſima forma, ac apparentiâ ſtatus innocentiæ: Chriſtus verò in habitu vili ſub forma peccatoris, & hominis fameſcentis. Diabolus ab innocentiæ forma fugit, ad peccatoris figuram non recuſat accedere: externa præſentia eminentis viri multum juvat ad autoritatem ac venerationem conciliandam. Cùm Pythoniſſa ad preces Saul ſuſcitâſſet Samuelem, ait ad Saul, Deos vidi aſcendentes de terra. Vir ſenex aſcendit, & ipſe amictus eſt pallio. 1. Reg. 28. 13. Si homo erat, qui apparuit, quomodo ait, quòd viderit Deos? *Vir ſenex & amictus pallio.* Ipſa externa apparentia tantum valuit, ut homo pro Diis haberetur. Cajet. ait: Video Elohim aſcendentes, cùm tamen unum viderit, ſed veneranda ſpecie, & propterea honorabiliter loquens appellat eum in numero plurali, Elohim aſcendentes.

Lapides Chriſtus non mutat in panes.

VII. *Quare Chriſtus de lapidibus noluit facere panes?* R. det S. Aug. ſerm. 41. de Verbis Domini: Non fecit de lapidibus panes, qui utiq; ſic potuit facere, ſicut de aqua vinum, ſed non fecit, ut voluntatem contemneret tentatoris, aliter tentator non vincitur, niſi contemnatur. Quia tanta poterat, quare iſtud non fecit? Lege, imò recole, quod audîſti, qui fecit de aqua vinum, quid addit Evangeliſta? & crediderunt in eum diſcipuli ejus. Numquid diabolus fuerat in eum crediturus.? Loquitur S. Aug. de fide perfecta, nam diaboli habent aliquam credulitatem, de qua Jac. 2. *Credunt, & contremiſcunt.* Toletus in c. 4. Luc. annot. 14. ait: non commutavit Dominus lapides in panes, ne diabolus eum agnoſceret, nec eſſet impedimento, quò minùs à Judæis crucifigeretur. Nam ut ait Paulus 1. Cor. 2. 8. *Quem nemo Principum hujus ſeculi cognovit, ſi enim cognoviſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.*

Cur diabolus tentavit Chriſtum.

VIII. *Cur diabolus tentavit Chriſtum?* R. Audierat Patris oraculum in Baptiſmo Chriſti: *Hic eſt filius meus dilectus:* audierat quoq; Joannis Baptiſtæ teſtimonium, quòd Chriſtus eſſet filius DEI, ſed quia alia ex parte eum videbat hominem quaſi plebeium, pauperem, imbecillem, & aliis ſimilem, ideo dubitans an Chriſtus eſſet filius DEI naturalis, ipſumq; Patris Verbum; an verò tantùm adoptivus, ſed per excellentiam, ut hoc dubium reſolvat, tentat Chriſtum, petitq; ut lapides in panes convertat, quibus eſuriem ſuam levet, ut ex hoc miraculo, vel miraculi impotentia, alterutrum cognoſcat. Simulq; 2dò, ut Chriſtum (ſi fortè purus ſit homo) vel per gulam, vel per diffidentiam opis Divinæ, vel per vanam oſtentationem, vel per ambitionem è ſublimi juſtitiæ ſtatu dejiceret.

Dæmonis intellectus impeditus.

IX. *Quomodo fieri potuit, ut diabolus non intelligeret Chriſtum eſſe DEum,* ex Divinis vaticiniis, ex Patris voce, quæ de cœlo ſonuit, ex Angeli ſermone cum B. Virgine habito, ex verbis Joannis &c.? R. cum Cajetano in Luc. 4. Dæmonis intellectum, ne id intel-

intelligeret, fuisse à DEO impeditum. Sicut enim illius vim ad nocendum, ita vim ad intelligendum Deus pro divina sua providentia, quantùm opus est, frænat. Ex eo enim, quòd post verba Gabrielis ad Virginem, post verba Angeli ad pastores post verba de cœlo in Baptismo, Diabolus non cognoscit Esum esse filium DEI, habetur, quòd non intellexit testimonia. Sic Cajet. Sciebat quidem Dæmon per revelationem Divinam, antequam è cœlo caderet, à DEo acceptam, filium DEi incarnandum; sed & tempus, & quid incarnatus DEI filius acturus esset ignorabat, ideoq;, an esset JEsus Deus jam incarnatus, ambigebat.

Dæmon non agnovit personalitatem Verbi.

X. *Nonne Dæmon cernebat, Christi humanitatem propria carere personalitate, Divinaq; Verbi personalitate sustentari?* R. Negando Dæmonem vidisse naturam Christi humanam, cum persona Verbi esse conjunctam. Id enim supernaturale est; quod autem supernaturale est, dæmon suopte ingenio capere nequit. Præterea Verbi personam ille videre nullo modo poterat, ergo naturam humanam cum Verbo conjunctam hypostaticè esse non conspiciebat. Nego item vidisse humanitatem propria carere personalitate, quia à DEO est prohibitus. Potuisset tamen ipsam privationem in humanitate cernere, sicut & cœcitatem, à DEO effectam in oculo, si DEus non vetuisset. Quod si concedere velis prædictam carentiam personalitatis vidisse; dicito, à quonam supposito sustentaretur humanitas, ignorâsse.

Dæmon Christum assumpsit.

XI. *Quomodo Diabolus Christum assumpsit?* R. Raputt eum per àëra in pinnaculum templi. Ita S. Hieron. Greg. & alii. Neq; mirum id Christum diabolo circa se permisisse, qui se permisit à membris illius (impiis Judæis) crucifigi, ait S. Greg. hom. 16. Neq; hic se prodidit Dæmon, quia velut Angelus lucis Christum transferre poterat; aut certè non multùm se hoc raptu prodi curabat diabolus, qui se jam suspectum, imò perspectum esse Christo, suspicabatur & metuebat. Unde in tertia tentatione volens adorari à Christo, planè omnem Angeli lucis larvam deposuit, seseq; ac Satanicam suam arrogantiam detexit: Notat Auctor imperfecti, quòd, licèt diabolus Christum sic assumpserit, ut ab omnibus videretur, idq; ut cum Dæmone consuetudinem habere, & Magus esse crederetur, Christum tamen diabolo nesciente, sic egisse invisibiliter, ut à nemine conspiceretur, vel impediendo species corporis sui, ne scilicet corpus suum species visivas ex se emitteret, vel non concurrendo cum oculis videntium ad actum visionis corporis sui, ne viderent illud rapi per àëra. Diabolum ergo volentem sibi illudere, illusit Christus, tum in hoc, tum in ipsa assumptione sui. Putabat enim dæmon Christum, si filius DEI esset, non permissurum se assumi, & per àëra raptari à Diabolo, indeq; se cognoturum, an filius DEi esset, nec ne: Christus verò dissimulans, & assumi ab eo se permittens, frustratus est dæmonis opinionem, illumq; ambiguum reliquit.

Ostensio regnorum.

XII. *Qua ratione ostendit Christo Diabolus omnia regna mundi & gloriam eorum idq; in momento, ut addit Lucas?* R. Dæmonem instar pictoris omnium regnorum imagines in àere à se variè condensato per varias fulgoris solis refractiones, uti fit in iride novo quodam modo repræsentâsse, & quasi pinxisse, fecisseq; ut per eas omnia, quæ in regnis erant, glorioſa & splendida apparerent, & objicerentur oculis Christi. Sicut idem Dæmon in àere, certa arte eum densando, contemperando & inficiendo, pinxit multa spectra leonum, ferarum, serpentum & monstrorum, eaq; oculis S. Antonii objecit, ut eum terrefaceret, teste S. Athanasio in ejus vita.

Piscatores eliguntur in Apostolos.

XIII. *Quare Christus Piscatores eligit in Apostolos.* v 18? R. Quia ita vaticinium erat per Jer. c. 16. v. 16. Ecce ego mittam piscatores multos, dicit Dominus & piscabuntur eos. Prædixerat Dominus per prophetam à se mittendos esse piscatores ad sagenam Evangelicam, ideo eos ad se vocat, ut ex adimpleta prophetia cognosceretur, quòd ipse erat, qui antea locutus fuerat. Deinde ut videretur, quòd ipse incipiebat facere, quod dixerat. Dominus piscatores ad piscandum prædixerat se missurum, ideo priùs ipse incipit piscari Petrum, Andream & alios. At ait S. Chrysost. hom. 4. in Marcum: *Piscatur eos JEsus, ut ipsi piscentur alios piscatores. Ipsi primùm pisces efficiuntur, ut piscentur à Christo, postea alios piscaturi.* Dominus ad suum Apostolatum non venatores adducit, sed piscatores, quia Venatores ad certam determinatam aviculam atq; prædam feruntur, ac suam in eam collimant sagittam, instrumentumq; æneum. At contra piscator in incertum jacit rete, ad comprehendendos quoscunq;, qui intraverint, pisces, ita ut nec ad hunc, nec ad illum potiùs piscem rete determinatè extendatur. Ita Doctor ac Prædicator neminem suo debet determinatè suggillare sermone, nec in aliquem dirigere verbum, sed suum extendere rete ad omnes doctrinâ, monitisq; capiendos.

Apostoli mittentes rete vocantur.

XIV. *Quare Christus vocat Apostolos non extrahentes, sed mittentes rete?* R. S. Chrysost. hom. 4. in Marcū, refert, ait, Evangelium, quòd retia mitterentur: tamen non dicit, quòd aliquid ceperint. Igitur ante passionem dicitur, quòd licet miserint retia, tamen non scribitur, quòd prenderint: post passionem verò mittunt rete & prendunt, & tantum prendunt, ut retia rumpantur. Joan. 21. 6. Post Passionē Christi Apostoli animarum conversione Ecclesiæ sagenam implevêre, per totū orbem seminantes Christi Verbum, ex omnibus mundi

partibus homines ad fidem adduxêre. Hic autem totus fructus à Christi sangvine ac passione provenit. Palatius ait, Non vocat extrahentes rete, aut concludentes pisces, aut vendentes, quod piscati erant, nihil tale, quia prædicatoris munus non est extrahere homines à mala sua conversatione, nec est, multos ad fidem infidelitate revocare; nec est pro piscatura præbendas ac dona percipere: est, studio, labore, recta conversatione verba velut rete in populum conjicere, Deus dat incrementum 1. Cor. 3. 6. *Ego plantavi, Apollo rigavit, DEus autem incrementum dedit.* Et sicut non desperat piscator non prendens, quod optat; ita nec desperet Prædicator.

Parens quando relinquendus.

XV. *Quare relicto Patre Jacobus & Joannes sequuntur Christum* v. 22. utiq; Zebedæus erat senex, non erat à filiis relinquendus, cùm eorum ope ad vitæ ministerium indigeret? R. Parentes non sunt deserendi, si non habent, unde alimenta possint comparare. Iste autem Zebedæus, licèt dives non fuerit, tamen secundùm statum suum habuit, unde vivere posset, nam habuit domum in Jerusalem, ùt testatur Nicephorus l. 2. hist. Ecclesiasticæ, c. 3. in qua domo fuit in cœna Eucharistia instituta, in eaq; Spiritus S. super Apostolos venit. Deinde habuit navim & mercenarios, ùt patet hîc. Et cùm pater habet alimenta, licitum est filio ipsum relinquere & religionem ingredi, ùt docent TT. & in his, quæ sunt perfectioris statûs, filius non est subditus suis parentibus. Necesse est, inquit Euthym. parentibus quoq; præponere Christum: Præterea fuit adeo efficax vocatio Christi, cum suæ divinæ gratiæ auxiliis, quibus moti sunt, atq; attracti, ut relictis omnibus, parente, navi, ac retibus Christum sequerentur; Christi enim vox cœleste quoddam habebat incitamentum Spiritu S. cooperante.

CAPUT V.

Incipit sermo Christi in monte, quo primo docet octo beatitudines Evangelicas. 2dò corrigit justitiam Scribarum, ac decalogum perfectè docet & explicat, scil. eo non tantùm externum actum homicidij, adulterij, furti, sed & internam concupiscentiam prohiberi.

Pauperes spiritu.

QUæstio I. *Qui sunt pauperes Spiritu?* R. Mendici, inopes, bonis fortunæ destituti, non vi vel miserabili conditione, sed spiritu, id est, ultronea & laudabili voluntate à Spiritu Sancto inspirata, & propter Deum vel suscepta vel tolerata, inquit S. Hieron. Basilius, & Bern. Quod addunt ad excludendum Cratetem, Diogenem, Aristidem, & similes qui vel ex vana gloria, vel philosophandi studio divitias contempserunt, non verò propter DEum, aut propter regnum cœlorum. Sicut ergo omnium malorum radix est studium divitiarum, ita bonorum omnium, & perfectionis ac beatitudinis radix & basis est paupertas Evangelica, quæ hominem omni terrenarum rerum solicitudine liberat, spemq; curamq; ac amorem omnem in uno DEO figit, unde & ad evangelizandum, & regnum DEI propagandum toto orbe est aptissima, ut optimè demonstrat Platus de bono Status religiosi l. 1. c. 9: non quòd oporteat omnia actu relinquere, ut religiosi faciunt, & Apostoli (hoc enim ùt est perfectissimum, ita solùm est consilii) sed animo relinquenda sunt, & ita spernenda, ut malis omnia perdere, quàm vel fidem negare, vel proximum lædere, vel quovis alio peccato mortali Deum offendere. Sic enim est præcepti. Bene notat S. Paschasius: Illi facultates terrenas abdicâsse creduntur, qui eis non ad illecebras carnis, sed ad opus pietatis, usus necessarios uti videntur. Quamquam enim nonnulli electorum multas pecunias possideant, tamen, quia, ut diximus, non ex desiderio carnis, sed ex voto pietatis ab eis possidentur. An pauperes non sunt, qui cuncta terrena, non tamquam propria, sed tamquam aliena dispensant? Sed unde pauperes, inde divites fiunt. Josve erat dux, judex, ac gubernator totius populi, ad cujus nutum omnia disponebantur, & terram promissionis per filios Israel distribuit, tamen nihil sibi usurpavit, nec retinuit, sed Josve c. 19. v. 49. *Dederunt filij Israël possessionem Josuë filio Nun in medio sui.* In quo maximè viri parsimonia laudatur. Imò de ipso ait Theod. q. 17. Imitatus est in eo modestiam Domini, qui extremam expertus est inopiam, ita ut ne domum quidem haberet, ubi caput suum reclinaret. Sed quomodo Josvë, qui erat caput, dux, ac gubernator populi tam amplissimi & opulentissimi, qui spolia multarum civitatum obtinuerat, dicitur, quòd imitatus est Dominum, qui extremam paupertatem, est amplexus? Josve, cùm tanti populi esset gubernator, nihil sibi comparavit, sed tamquam fidelis dispensator omnes terræ possessiones per populum distribuebat: Et qui, cùm multa in manibus habeat, nihil sibi retinet ad requiem & delicias, sed omnia in aliorum usus necessarios diffundit, & largitur, hic verè spiritu pauper extremam inopiam imitatur.

Pauperibus cœlum promittitur.

II. *Cur pauperibus spiritu promittitur regnum cœlorum?* R. Pauperes propter DEum reliquerunt divitias & mundi honores; ideo valde proportionatum ac conveniens præmium

mium ejus determinatur regnum cœlorum, in quo sunt veræ perpetuæq; divitiæ & honores. Ut omnibus fiat notum, quòd ij, qui sequendo Deum, sua dimittunt, minimè defraudantur, sed potiùs multò majora bona lucrantur. S. Bern. ser. 21. in C. ait: Non eos æstiment sola cœlestia possidere, quia ea audiunt in promissione, possident & terrena; & quidē tamquā nihil habentes & omnia possidentes, non mendicantes ut miseri, sed ût Domini possidentes: eo pro certo magis Domini, quò minus cupidi. Deniq; fideli homini totus mundus divitiarū est, totus planè: quia tam adversa, quàm prospera ipsius, æquè omnia serviunt ei. Hæc ille. S. Greg. Nyssēnus l. de Beatitud. Orat. 1. Regnum, ait, obtinet omnis creaturæ Dominus, qui propter nos egenus fuit. Ergo si cum eo, qui egenus, unà pauper eris, cum regnante quoq; unà regnabis. Idē l. c. ait: Ponderosa quædam res est aurum, onerosa res omnis, quæ divitiarum causa expetitur: levis verò res quædam & sublimia petens est virtus. Ergo nulla ratione effici potest, ut levis sit is, qui se pondere materiæ afficit; si igitur ad superna nos accedere oportet, ab iis, quæ deorsum trahunt inopes & egeni simus, ut in supernis versemur. Jacob pergens in Mesopotamiam, in quodam loco lapidem capiti suo supponens obdormivit. Ecce cœli aperti sunt. Et vidit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum, Angelos quoq; DEI ascendentes & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ Gen. 28. 12. Cur hic panditur cœlum Jacob? Cur hac cœlesti visione non recreatur in domo Patris, ubi habitabat in tabernaculis Gen. 25. contemplationi & orationi deditus? Vel cur potiùs tanto favore non fruitur in domo Laban, in qua noctu & die serviebat? Quando Jacob morabatur cum Patre Isaac, ejus ampliſſimis potitus divitiis, homo erat valde locuples. Quando cum Laban, ejus bonis tamquam consobrinus & gener satiabatur, imò etiam pro familia sua multa & magna acquirebat. At verò hoc in loco, in summa paupertate erat, ût ponderat Rupert. l. 7. in Gen. c. 22. omni paterna opulentia destitutus, super terram dormiens, pro pulvinari lapide utebatur, pro lectulo terrâ, nullo famulo, nullo equo ad iterandum provisus, & ubi tanta in homine erat paupertas, consequens erat, ut cœlestibus divitiis frueretur, & cœlo reserato DEI præsentia delectaretur.

III. *Cur pauperibus Spiritu datur præmium de præsenti:* QUONIAM IPSORUM EST REGNUM COELORUM. *aliis autem assignatur præmium de futuro:* POSSIDEBUNT TERRAM, CONSOLABUNTUR, SATURABUNTUR? Rdet Gverricus Abbas serm. in solemnitate Omnium Sanctorum. Rectè Dominus beatitudinem prædicans pauperum, non ait: Ipsorum erit regnum cœlorum: non solùm propter jus firmissimum, sed etiam propter pignus certissimum, usumq; felicissimum; non solùm quia paratum est eis ab origine mundi, sed etiam quia jam in quamdam ipsius possessionem cœperunt introduci, jam habentes thesaurum cœlestem in vasis fictilibus, jam portantes Deum in corporibus suis & cordibus. Quàm beata gens, cujus est Dominus Deus ejus! quàm vicini sunt DEI regno, qui regem ipsum, cui servire regnare est, jam possident, & gestant in suo corde. Haymon. Non dicit, inquit, quoniam ipsorum erit regnum cœlorum, quia licèt adhuc mole carnis graventur, tamen jam per fidem & spem regni cœlestis sunt possessores. Et tam peculiari modo pauperibus hæc datur possessio, ut illud jam in præsenti obtinere dicantur? Pauperes omnia sua de præsenti pro DEO dimittunt, & ita recipiunt centum pro uno, ut jam in præsentiarum eis conferatur regnum cœlorum, in quo omnia clauduntur; ne ipsi pauperes velociores in abjiciendis pro DEO divitiis, quàm ipse Deus sit in largiendis & diffundendis suis bonis & donis, quibus omnes maximè ditentur. *Pauperibus datur præmium de præsenti.*

IV. *Qui sunt mites* v. 4.? Rdent Theophylactus & Euthymius: Mites dicuntur illi, non qui penitus non irascuntur; hujusmodi enim insensati sunt: sed qui iram quidem sentiunt, sese tamen continent; quando autem oportet, irascuntur. Sicut dicit David: *Irascimini & nolite peccare.* Ps. 4. 5. Mites sunt illi, qui iræ, impatientiæ, invidiæ, cæterisq; animi motibus inordinatis imperant; æquo & placido animo, omnia sustinent, nec obmurmurant DEO adversa immittenti, punienti, vel justitiam vindicativam exercenti, nec indignantur proximis injurias inferentibus, nec lædentibus exoptant vindictam, nec excandescunt, si quid præter æquitatem, aut suam voluntatem patiuntur, sed in DEI providentiam ac gloriam omnia referunt. *Mites.*

V. *Quid nomine terræ promittitur justis* v. 4.? R. Terra viventium, quæ est terra viventium. Ita S. Hieron. Basil. Nyssen. & Cyrillus. Terra enim nostra est terra morientium; terra verò hîc promissa est terra viventium. Ps. 26. 13. *Credo videre bona Domini in terra viventium.* Et Isaiæ 38. 11. *Non videbo Dominū in terra viventiū.* Nam ût rectè ait Cajet. in veteri testamento promissa erat Patribus terra distributa per Josve, in novo testamento terra promissa est illa cœlestis beatitudo, & ideo dicitur de futuro, *possidebunt.* Et non qualiumq; modo, sed jure hæreditatis, ut ait Syriacus, quia, ût inquit Cajet: mites tam familiares sunt in hac vita DEO, ut non sint veluti servi, seu amici, sed velut arrogati in hæredes DEI. Mitis ob suam suavitatem ac lenitatem putatur à mundanis cum terra omnia amittere, sed tantùm abest, ut eam amittat, sed potiùs eam recuperat, & cum magno *Terra mitibus promissa.*

augmento acquirit. Cùm Abraham & Loth ſimul incederent, & maximæ eſſent diſſenſiones inter eorum paſtores, Abraham ait conſobrino ſuo, ut ex omni planitie terræ, quæ erat in conſpectu ejus eligeret partem, quam vellet, nam ipſe ad aliam ſe reciperet; cùm Loth elevatis oculis eligeret partem terræ, quæ ſibi perjucundior viſa eſt, ait Scriptura Gen. 13. *Dixit Dominus ad Abraham, poſtquam diviſus eſt ab eo Loth: Leva oculos tuos, omnem terram, quam conſpicis, tibi dabo.* Sed cur promittitur hîc ei omnis terra, & quidem poſtquam diviſus eſt ab eo Loth? quia homo adeo mitis, ut ob ſuam manſvetudinem ſervandam, & altercationes devitandas non renuerit cedere uni parti terræ, quæ erat ante oculos poſita; ab hac parte in ſua hæreditate non defraudatur, ſed potiùs omnis terra, quam elevatis oculis conſpicit, ei conceditur, & promittitur. Partem terræ, inquit S. Chryſoſt. ceſſiſti: Ecce ego totam terram tibi polliceor, neq; hoc ſolùm, ſed ſemini tuo polliceor eam usq; in ſæculum.

Lugentes conſolabuntur.

VI. *Qui lugentes conſolabuntur?* ℟ Patres paſſim hîc per lugentes intelligunt eos, qui caducas hujus ſæculi ſpernunt delicias, gaudia, riſus, animiq; compunctioni & pœnitentiæ pro criminibus commiſſis agendæ ſe dedunt. Prima beatitudo opes contemnit, paupertatem amplectitur; tertia hæc ſæculi delicias ſpernit, pœnitentiam, cordisq; compunctionem amat. Præmium conſolatio eſt, maximè in cœlo, ùt ait S. Hilarius. Sed conſolatio hæc in terra incipit, unde Chryſoſt. Conſolabuntur, inquit, qui lugent, hîc, & quod eſt ampliùs in futuro. Addit Euthymius; in præſenti conſolabuntur ea ſpe, quòd peccata ſua luctu redimant, in futuro autem beatitudine &c. Theophyl. Lugentes inquit, conſolationem accipiunt, & hîc, qui enim luget propter peccata, gaudet ſpiritualiter. Et illic quoq;, id eſt, in cœlo multò magis &c.

Eſurire & ſitire juſtitiam.

VII. *Quid eſt eſurire & ſitire juſtitiam?* ℟ Illos ajunt Patres juſtitiam eſurire & ſitire, qui juſtitiæ avidiſſimi, & cupidiſſimi ſunt. S. Hilarius, ſitientibus, inquit, & eſurientibus juſtitiam, tribuit Chriſtus beatitudinem, ſignificans extenſam in DEI doctrinam ſanctorum aviditatem, bonis perfectæ ſatietatis in cœlo expleri. S. Leo: nihil hæc eſuritio corporeum, nihil expetit ſitis iſta terrenum, ſed juſtitiæ bono deſiderat ſatiari. S. Chryſoſt. Non dixit Chriſtus, beati qui juſtitiam ſervant, ſed, *Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam.* Ut non utiq; mediocriter, ſed cum omni illam cupiditate teneamus.

Juſtitia omnis virtus

VIII. *Quidnam juſtitiæ nomen hoc loco ſignificat?* ℟ det S. Greg. Nyſſenus: omnis virtus hîc nomine juſtitiæ ſignificatur. Idem ſentiunt S. Aug. Leo & alij. Pet. Dam. juſtitiam ſitire eos, ait, qui non ſolùm ſuam, ſed aliorum quoq; ſitiunt virtutem. Nam hæc eſuries & ſitis, omnium hominum ſanctitatem ſitit. Eſurit, ait, & ſitit juſtitiam, qui vitia deſtruit, conſtruit virtutes, ſobrius ſibi, juſtus proximo, pius DEo, cujus animam urit zelus domus DEI &c.

Mundi corde.

IX. *Qui dicuntur hîc mundo corde præditi?* ℟ Mundos corde eos dici, qui nullo mortifero opere, aut verbo aut cogitatione ſunt contaminati. Corde verò mundo dixit Chriſtus, quoniam cor fons eſt peccatorum; ſi cor mundum eſt, ſi voluntas munda, totus homo eſt mundus; ſi cor eſt immundum & voluntas, immundus eſt homo, juxta illud Matt. 15. Quæ procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ, hæc ſunt, quæ coinquinant hominem. &c. Noluit hîc Chriſtus ſignificare caſtos, ſi enim id voluiſſet, proprio nomine ſignificaſſet, ſicut miſericordes & pacificos. Præterea, quia poteſt quis caſtus eſſe, & immundus corde, ſi aliquo mortifero ſcelere ſit inquinatus. Deniq; quia munditia cordis univerſam munditiam complectitur, non ſolùm caſtitatis, quæ pars eſt munditiæ. Ratio autem huius beatitudinis apponendæ ea videtur fuiſſe, quòd Judæi externis corporis lotionibus dediti, de internis verò cordis non nimium eſſent ſolliciti, ùt habetur Marci 7. Matt. 23.

Cor mundum requiritur ad viſionem DEI.

X. *Quare cor mundum requiritur ad DEI viſionem?* ℟. Ad viſionem DEI in patria ſumma mundities & puritas requiritur, cùm illuc nihil pollutum & immundum ingrediatur. Bene S. Leo in feſto Omnium Sanct. Meritò hæc beatitudo, ait, cordis promittitur puritati, ſplendorem enim veri luminis ſordens acies videre non poterit; & quod erit jucunditas mentibus nitidis, hoc erit pœna maculoſis. Declinentur igitur terrenarum caligines vanitatum, & ab omni ſquallore iniquitatis oculi tergantur interiores, ut ſerenus intuitus tantùm DEI viſione paſcatur. Intelligitur autem hic per cor, non materiale, quod cùm ſit carneum, Deum videre non poteſt, ſed nomine cordis ſumitur intellectus, ut docet S. Aug. ſerm. 14. de Martyribus. Intellectus elevatus Deum videt in patria. Et frequenter in Scriptura cordi ea tribuuntur, quæ ſunt propria intellectûs Rom. 1. v. 11. *Obſcuratum eſt cor inſipiens eorum.* Et c. 10. v. 10. *Corde creditur ad juſtitiam.* Cùm ergo intellectus elevandus ſit ad videndum Deum, meritò mundities ejus exigitur. Quod expendens S. Hilarius ait, nihil pollutum & ſordidum ad occurſum divinæ claritatis inſit. Hi viſui & occurſui DEI patentes ſunt, quibus per animi nitorem, ac vitæ puritatem poteſtas ejus ſit contuendi. Nam ſi illis oculis aliqua peccati macula adſit, jam Deum vide-

videre non valent, nec est proportionata potentia ad infinitam DEI bonitatem ac sanctitatem intuendam.

XI. *Qui sunt pacifici?* R. cum S. Augustino sunt ii, qui pacatos habent animi affectus, quiq; ita ordinatas habent hominis facultates omnes, ut inferiores superioribus obtemperent, veluti in regno pace tranquillitateq; florente. Pacifici, inquit, in semetipsis sunt, qui omnes animi sui motus componentes, & subjicientes rationi, id est, menti & spiritui, carnalesq; concupiscentias habentes edomitas; fiunt regnum DEI. In quo ita subordinata omnia, ut id, quod est in homine præcipuum & excellens, hoc imperet cæteris non reluctantibus, quæ sunt nobis, bestiisq; communia. Atq; idipsum, quod excellit in homine, id est, mens & ratio subjiciatur potiori, quod est ipsa veritas, unigenitus filius DEI &c. *Pacifici.*

XII. *Cur pacifici filij DEI vocabuntur?* R. Quia DEum imitantur, qui pacis est studiosissimus. S. Bernardus inquit, pacifici filij DEI vocabuntur, non enim est DEus dissensionis, sed pacis, ideoq; filios pacis, DEi quoq; filios dignum est appellari &c. Nam imitatione, vel DEi filij, vel Diaboli, homines afficiuntur. Filius enim naturalis natura imitatur Patrem, filius moralis imitatur moribus, hinc illud Christi Joan. 8. *Vos ex patre Diabolo estis.* Unde Judæi filii Diaboli? rogat Aug. in commentariis Joannis, respondet imitando, non nascendo. Pacifici filii DEI vocabuntur, inquit S. Thomas, quia habent officium filii DEI. Ad hoc filius DEI venisse dicitur in mundum, ut congregaret dispersa. Ad Ephes. 12. 14. *Ipse est pax nostra, qui facit utraq; unum.* Valde nobile, sanctumq; munus, dissidentes conciliare, & omnia pacis fœdere adstringere, ut qui hoc præstant, officium filii DEI habeant in terris. *Pacifici sunt filij DEI.*

XIII. *Quid est persecutionem pati propter justitiam* v. 10.? R. Nomine *justitiæ* hîc intelligitur omnis virtus, ac proinde, ut ait Carthusianus, omnes illi hîc prædicantur beati, qui persecutionem patiuntur, vel ob fidem & bonam conversationem, vel ob veritatem doctrinæ, vitæ, justitiæ, vel ob defensionem æquitatis, vel juris. Imò S Hilarius ait: Beati, qui persecutionem patiuntur. Perfecta beatitudine eos muneratur, quibus omnia pro Christo pati, promptus est effectus. Non solùm qui actualiter patiuntur, sed etiam qui habent pium affectum persecutiones sufferendi, à Christo beatitudinis præmio donantur. *Persecutionem pati propter justitiam.*

XIV. Quare primæ & ultimæ beatitudini idem assignatur præmium, regnum cœlorum? Rdet Rupertus l. 3. de gloria filii hominis: Octavæ & primæ idem proponitur præmium, ut manifestè intelligatur, illud idem tacitè sex beatitudinibus in medio positis, assignari. Nam tolerantia persecutionum omnes alias beatitudines amplectitur; pauperes spiritu, mites, lugentes, omnes enim, qui piè volunt vivere in Christo, persecutionem patientur 2. Timot. 9. S. Bern. serm. 1. de Omnibus SS. Quid, ait, sibi vult, quòd eadem promissio facta est pauperibus & Martyribus; nisi quòd verè martyrii genus est paupertas voluntaria. Gravis est persecutio, quæ ex paupertate oritur; nam indigere aliquo, illoq; carere, valde durum; & patienter sufferre, est gravem persecutionem tolerare, ideoq; eadem præmii mercede muneratur.

XV. *Quas persecutiones intelligit Christus* v. 11.? R. Persecutiones cordis, operis & oris. Persecutio cordis: CUM MALEDIXERINT VOBIS HOMINES. Maledicta ac convicia, & vituperia, quæ iniqui in sanctos injiciunt, ex odio cordis procedunt. Ut, ait Hugo, ex eo, quòd peccatores detrahunt justis, inde apertè colligitur, quòd ipsi sint probi & sancti, peccatores enim similes. Ps. 9. 24. *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur;* nempe à sui consimilibus, ut tenent Expositores. At contra justos aliter se habent iniqui. Eleganter ait Chrysost. hom. 15. in Matt. Dixerint omne malum adversùm vos: videlicet ostendens, ipsorum hoc esse proprium. Iniquorum consvetudo est, ut in justos, quos odio habent, omnem projiciant malorum congeriem, ad eorum virtutem in aliorum oculis obscurandam & obnubilandam. Persecutio operis: ET PERSECUTI VOS FUERINT. Interlinearis, *persequi, est vim infetre vel insidiis appetere.* ut faciunt iniqui in justos. Exod. 15. 9. Dixit inimicus: Persequar & comprehendam, dividam spolia, & implebitur anima mea. Sed ipse descendit vivus in profundum, & justi ambulantes super mare venerunt ad terram promissionis. Persecutio oris: ET DIXERINT OMNE MALUM, scilicet verbum, ut habet Syriacus, ADVERSUM VOS; hoc est dixerint contra vos blasphemias, falsaq; crimina. *Sedens adversùs fratrem tuum* loquebaris, & adversùs filium matris tuæ ponebas scandalum. Ps. 49. v. 20. Et si *maledicere* referas ad persecutionem oris, adhuc distingvitur maledicere, à malum dicere, ut notat, S. Thomas. Nam *maledicere* est præsentibus injurias inferre; & *malum dicere* est absentibus derogare, ac detrahere: iniqui enim in justos semper duros se habent, sive sint præsentes, sive absentes. *Persecutio triplex.*

XVI. *Quare additur:* MENTIENTES PROPTER ME? R. quia dicunt & faciunt illa iniqui, non ex veritate, sed ex mendacio. *Mendaces ostendit; qui maculaverunt illum.* *Persecutio propter DEum.*

Sap.

Sap. 10. 14. Animosè illa contemnenda sunt à Sanctis Martyribus, cùm ex mendacio proferantur. PROPTER ME, quod est causa & motivum persecutionis, quia ùt ait S. Chrysost. *Qui mendaciter blasphematur, & propter Deum, beatus est; sed si alterum desit, non est merces beatitudinis.* Ad beatitudinem requiritur, ut illæ contumeliæ & persecutiones sustineantur ob Christum. 1 Petri 4. 14. *Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis.* Quia ùt ait S Aug. ep. 61. Pœna non facit Martyrem, sed causa.

Apostoli sal terræ.

XVII. *Cur Apostoli vocantur sal terræ* v. 13.? ℟ Quia doctrina & sanctitatis exemplo salis instar homines insulsos condierunt, & à vitiorum corruptione liberarunt. Salis enim est, tum cibos condire, tum carnes à corruptione defendere, 4. Reg 2. Jericho habitatores sic Elisæum prophetam alloquuntur: *Ecce habitatio civitatis hujus optima est, sed aquæ pessimæ sunt.* Ille verò sale in pessimas aquas immisso, commutavit pessimas, in aquas optimas. Habitatio quidem civitatis hujus, id est, mundi à DEo summâ sapientiâ fabricati, optima est. Est enim mundi ipsius structura optima. At verò aquæ pessimæ sunt, id est, populi: Etenim Apoc 17. dicitur Joanni: *Aquæ, quas vidisti, populi sunt, & gentes & linguæ.* Immisit in has pessimas aquas Apostolicum salem noster Elizæus Christus: amarorem sale conditæ, cum: dulcedine commutarunt Potest sal terræ recentes carnes, necdum corruptas, à corruptione liberare, corruptas minimè valet. Multò potentius est sal Apostolicum, corruptos homines, vitiisq; putentes à corruptione ac putore vindicare potest.

Apostoli lux.

XVIII. *Cur Apostoli vocantur lux* v. 14? ℟. Quia mundum errorum, vitiorumq; caligine obtenebratum, luce vitæ, evangelicæ doctrinæ illuminârunt. Vocantur lux mundi, qui, ait Ansbertus in c. 1. Apoc. non solùm lucent, sed & ardent; quia verba eorum lumen scientiæ simul, & amoris incendium præbent. Simon Cassianus l 8. c 26 Lux non ad seipsam, sed ad alios est creata. S. Paschasius l 3. in Matth. ait: Apostoli cùm essent filii tenebrarum, facti sunt per gratiam Spiritûs Sancti lux in Domino, juxta quod scriptum est: qui adhæret Domino, unus spiritus est 1. Cor 6. 17. & postea iterum ait: *Luci adhærentes, lux esse meruerunt.* Illi tenebrarum filii erant, Christus Dominus lux est mundi: & quia illi Christo adhæserunt, lux esse meruêre; tantum enim de optima Societate percipitur, ut qui tenebræ erant, luci appropinquantes, lux sint effecti. Gen. 1 v. 16 Fecit Deus duo luminaria magna; luminare majus, ut præesset diei, & luminare minus, ut præesset nocti. Vatablus legit: in dominatum diei, & in dominatum noctis. Sed cur tantus honor his planetis defertur, ut Præsides creentur. Et, quod plus est, in eis nobis inculcatur forma optimi Principis, ùt tradit Cassiod. variar. Quid in illis apparet, quòd in tantam dignitatem, ac documentum eos dedit? Hæc duo luminaria, quamvis tam præclara sine proprio lucro omnibus inferioribus, tam magnis quàm parvis necessaria ministrant, omnes fovent, tuentur, atq; conservant Optimè ergo in eis præscribitur forma omnibus gubernatoribus, ut discant absq; proprio commodo, inferioribus inservire.

Apostoli civitas super montem.

XIX. *Quare Apostoli dicuntur civitas supra montem posita?* ℟det S. Chrysost. hom. 16. Non sunt in angulo constituti, sed ante omnium oculos positi, omnium dictis omniumq; sententiis. Ac proinde Prælatus, & Sacerdos rectè officio suo fungatur, sciat se in omnium oculos incurrere, cùm sit civitas supra montem posita. Unde ait S Paschasius l. 3. in Matth. Non potest civitas supra montem eminentem posita se abscondere, ne bene aut malè cùm fecerit, innotescat. Adricomius in theatro terræ sanctæ, in tribu Levi, sic ait: Sacerdotes Levitici generis eas urbes incolebant, quæ in aliis tribubus in montibus sitæ erant, quo commodiùs tum sanctissimæ vitæ genere, sive exemplo, tum salutari disciplina populum universum à sæcularibus tenebris liberarent, & cultu pietatis condirent, atq; ita omnes aut sanctos, aut minùs malos redderent. In figura hæc Levitis est concessa prærogativa, quæ postea in rei veritate Apostolis data, ut essent civitates super montem; tum quia mons aptus ad doctrinam locus; & ita Christus, ut doceat, montem ascendit. Matt. 5. 8. Tum quia in monte, ante omnium oculos positi, exemplo suo rectè vivendi, essent aliis documentum ad justitiam amplectendam, deponendamq; nequitiam.

Opera lucere debent.

XX, *Quomodo dicit Christus* v. 16. Sic LUCEAT LUX VESTRA CORAM HOMINIBUS; UT VIDEANT OPERA BONA, *& glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* cùm c. 6. v. 2. & 5. dicat: *attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis?* ℟. Præcipit, ut faciamus opera coram hominibus non propter nos, sed propter gloriam DEI, ut tota intentio operis sit, ut homines illa videntes excitentur ad glorificandum non nos, sed Patrem nostrum, qui in cœlis est. Secundo verò loco vetat justitiam nostram fieri coram hominibus, *ut videamini ab eis;* ac ut ipsi nos glorificent. Non enim laus nostra, sed gloria DEI quærenda est in operibus nostris. Eleganter totum docet S. Greg. 3. part. Pastoral. Admonitione 36. Quid ergo, ait, quòd opus nostrum & ita faciendum est, ne videatur, & tamen, ut debeat videri, præcipitur? nisi, quòd ea quæ agimus, & occultanda sunt, ne ipsi laudemur; & tamen ostendenda sunt, ut laudem cœlestis Patris augeamus. Nam, cùm nos justitiam nostram coram hominibus facere

cere Dominus prohiberet, illicò adjunxit, ut videamini ab eis. Et cùm rursùs videnda ab hominibus bona opera nostra præciperet, protinus subdit; ut glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. Qualiter igitur videnda essent, & qualiter non videnda ex sententiarum fine monstravit, quatenus operantis mens opus suum & propter se videri non quærat, & tamen hoc propter cœlestis Patris gloriam non cœlaret. Non prohibet Dominus, ut opera luceant, sed ut fiant ea intentione, ut luceant, ac videantur; quia cùm sint opera virtutis, lucere debent, virtus enim per se maximè resplendet & fulget. De Joanne Bapt. dicitur: *Erat lux ardens & lucens* Joan. 5. 35. primò dicitur ardens; deinde lucens: nam cùm arderet charitatis igne, & omnium flammâ virtutum, consequens erat, ut esset lucens. *Induamur arma lucis, sicut in die honestè ambulemus.* Rom. 13 2 Quænam sunt hæc arma? arma virtutum, ùt explicat S. Chrysost. Tam annexa est virtuti lux, ut nomine lucis virtus denotetur. S. Chrysol. serm. 24. Sociæ, ait, semper boni operis sunt lucernæ. In manibus Sanctorum ipsa opera sunt lucernæ, dicente Domino: sic luceat lux vestra, & Tertull. l. de cultu fœminarum. Hæc sunt, quæ nos luminaria mundi faciunt, bona scilicet opera.

XXI. *Quo sensu Christus dicit v. 17. se non venisse, ut legem solveret, sed ut adimpleret,* cùm re vera solverit & abrogaverit legem veterem, *Lex & Prophetæ usq; ad Joannem* Matt. 11. 13.? R. Verissimè dixit, se non venisse ad solvendam legem, sed ad implendam. Quia quæ in lege erant promissa, ipse exhibuit, quæ cæremoniis & figuris erant adumbrata, ipse in se, ac suo corpore, suisq; actionibus, atq; operationibus, & vitæ ac passionis cursu totum adimplevit & repræsentavit: quæ in prophetis erant prænuntiata, omnia peregit & præstitit. Et ita statim infert v. seq. *Amen dico vobis, donec transeat cælum & terra, jota unum, aut unus apex non præteribit à lege.* Et sæpiùs Evangelistæ scribentes gesta Christi dicunt, ut impleretur, quod dictum est per Prophetam. Unde ùt rectè observat Abulensis, dum Christus de se asseruit, venisse ad implendam legem, seipsum verum esse Messiam declaravit, quia nullus alius poterat totam legem adimplere. Christus abrogavit legem veterem, non solvendo, sed implendo; non violando, sed perficiendo. Sicut pictor, ait Theophyl. non corrumpit lineamenta prima, sed cùm ultimam manum apponit, colores adhibet, primam & inchoatam figuram magis illustrat, adimplet & absolvit. Lex autem dicitur usq; ad Joannem, quia tunc ægrotare & infirmari cœpit, ùt suo loco dicetur. *Legem non solvit Christus.*

XXII. *Quo sensu minimus vocabitur in regno cælorum, qui solverit unum de mandatis istis minimis & docuerit sic homines?* R. Ultimus habebitur, vilis reputabitur, contemptui erit in cœlis DEO & Sanctis Angelis, quasi hominum postremus & plane indignus, qui in regnum cœlorum admittatur, ideoq; damnabitur & relegabitur ad gehennam: Unde S. Chrysost. & Theophyl. *minimus,* interpretantur, *nullus;* quia in regno cœlorum non nisi magni esse possunt, ait S. Aug. utpote reges cœli, filii DEI & cohæredes Christi.

XXIII. *Quænam fuit justitia Pharisæorum, & quare insufficiens ad regnum cælorum.* v. 20.? R. Quia tota in apparentia hominum posita erat. Nam primò docebant & non faciebant Matt. 23. Justitia Apostolorum sit abundans, ut faciat & doceat: qui autem fecerit & docuerit, hic magnus erit. Justitia Pharisæorum, tota erat in exteriori: nam sibi persvadebant: actus externos occidendi, adulterandi esse peccata, at desideria & concupiscentias internas vix ullum esse peccatum censebant. Valde mirum, quòd Scribæ qui erant legis Doctores, versati in lege ac Scriptura; ac Pharisæi, qui etiam docti ac maximè se jactabant de legis observatione, tot essent erroribus pleni, tot falsitatibus scaturirent. Nam ipsi dicebant, internas cogitationes occidendi, concupiscendi vix ullum esse peccatum, quod falsissimum esse, apertè ac planè constat ex Scriptura, ut patebit ex q. seq. Sed sua præsumptione ac peccatis ita erant obcœcati, ut Scripturas non intelligerent. *Oblati sunt, ne videant oculi eorum, & ne intelligant corde suo.* Isa. 43. 18 Deinde Pharisæi tot perversis dogmatibus erant pleni, nam suis populum seducebant erroribus, & ita ab ipsa plebe victum ac alimoniam sibi comparabant, facilè enim quilibet favet, patrocinaturq; erroribus, quibus pingvescit, aliter, ac vivit. *Justitia Pharisæorum.*

XXIV. *An actus interni iræ, & homicidij fuerint lege prohibiti?* R. Lyranus & Abul. ajunt, Scribas & Pharisæos existimâsse, præcepta decalogi solas externas actiones prohibere, non autem actus internos. Communior tamen est doctrina, quòd hancsuam doctrinam solùm tradiderint in quinto & sexto præcepto. Unde totam legem falsissimis interpretationibus prævaricabantur: nam lex expressè dicebat: *non concupisces uxorem proximi tui,* tunc ipsi prævaricatores existimabant impleri legem, ùt ait Hugo Card. Dummodo alienam uxorem non raperent. Carthus. ait; quòd ita interpretabantur præceptum *non concupisces* signis externis; non autem prohiberi, dicebant ipsi, concupiscentiam intus latentem. Quæ omnia, quàm apertè à veritate devient, omnes vident. Apertè Lex & Scriptura damnans malas cogitationes clamabat contra errorem Pharisæorum. Sapiens *Actus interni sunt prohibiti.*

toto c. 15. Prov. ibi. v. 26. *Abominatio Domini cogitationes malæ* Isaiæ 1. v. 16. *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum.* Doctrina igitur omnium Catholicorum est, quinto & sexto præcepto prohiberi non solùm actus externos, sed etiam internos.

Iræ tres gradus. XXV. *Quomodo intelligendi sunt tres gradus iræ* v 21.? ℟. Primus gradus iræ est: *qui insciturfratri suo.* Est illa ira & indignatio, quæ concipitur & continetur in animo. Agitur hîc de utraq; ira tam mortali quàm veniali, utraq; enim spectat ad judicium divinum, præcipuè tamen agitur de mortifera, quæ spectat ad homicidium ac judicium capitalis culpæ. Secundus gradus iræ: *Qui dixerit fratri suo,* RACA. Raca est ira cum voce irascentis, ùt ait S. Paschasius l. 3. in Matt: Sed *raca*, ait idem est Hebræum, significans indignantis animi motum, quas Grammatici partes interjectionis vocant, velut in latino dicitur à dolente, heu ab irascente hem: quæ nimirum voces in nullam aliam lingvam facilè transferri possunt. Tertius gradus: Qui *dixerit fratri suo fatue.* Quod est, quando quis alteri dicit verbum contumeliosum determinatè significans opprobrium aliquod, per quod sit gravis injuria infama & honore proximi. Ut si quis viro honorato dicat, *fatue*, stulte, vel sub *fatue* intelliguntur multa genera calumniarum & convitiorum, per quæ maximè læditur, & vilipenditur honor & decus viri nobilis & honorati; & ideo huic opprobrio ac convitio gravior pœna, nempe gehennæ ignis, infligitur.

Ira, quæ prohibetur. XXVI. *Quæ ira prohibetur?* ℟. quæ est sine fundamento & ratione. Et ita præsentem textum legunt Codices Græci: *qui insciturfratri suo temere, & sine causa, reus erit judicio.* Nam ira per zelum est commotio animi contra animi vitium, quod videt in persona contemnente legem DEI. *Et ira hæc*, ait Alb. M. *est mater disciplinæ, custos virtutum.* Nam hac laudabili ira commoti sunt Moyses contra idololatras Exod. 32. v. 19. Phinees in luxuriantes Num. 25. v. 7. Samuel in Agag Regem Amalech 1. Reg. 15. Elias in Sacerdotes 3. Reg. 18. De quibus pulchrè ait S Basil. hom 10. de ira: Irâ velut armis utamur. Ideo Moyses omnium hominum mansvetissimus, vituli idololatriam damnans, Levitarum manus in cædem fratrum armavit. Quid Phinees justum reddidit? nonne contra fornicantes ira, qui alioqui mitis, ac mansvetus existens, protinus utrumq; trucidavit. Samuel autem Regem Amalech nonne justa ira in medium trahens occidit? Sic itaq; fit ira sæpe numero bonarum actionum administra Elias verò zelotes turpidinis Sacerdotes justa indignatione in totius Israel utilitatem, ut morte multarentur, effecit.

Pœnæ gradus tres. XXVII. *Quomodo intelligendi sunt tres gradus pœnæ, correspondentes tribus gradibus iræ?* Ante responsionem nota, apud Hebræos triplex fuisse tribunal. Primum erat *domus judicii trium virorum,* in quo stabant tres judices, & judicabant causas pecuniarias & minores. Secundũ Tribunal appellabatur domus judicii viginti triũ; vel dicebatur *Synedrion parvum,* & in hoc judicio sedebant 23 judices, ad illudq; pertinebant causæ capitales, & hoc simpliciter dicebatur judicium. Et hæc duo tribunalia, tam trium virorum, quàm viginti trium erant per singulas civitates. Deuteron 16. 18. Tertium tribunal vocabatur *Concilium,* seu *Sanedrim magnum.* In quo 72. Conciliarii seu judices stabant juxta ea, quæ Moyses fecit Num. 11. 24. Et in hoc Concilio gravissimæ causæ reip. ac religionis, ut idololatriæ, Apostasiæ tractabantur. Et hoc summum concilium solùm erat Jerosolymis, ùt testatur Josephus l. 14. 17. Unde quando aliquis committebat aliquod pecuniarium crimen, dicebatur, reus est judicio trium virorum; quando crimen capitale, reus est judicio, scilicet viginti trium, quia ad illud hujusmodi causa pertinebat, & hoc simpliciter dicebatur judicium: quando aliquod gravissimum crimen perpetrabatur, vulgaris erat vox: Reus est Concilio; quia ibi ejus causa agenda erat. Unde ℟. Prima species supplicii: *Reus erit judicio.* Loquitur hîc Christus de judicio, non ùt Num. 11. de judicio humano, sed de judicio Divino. Et facit Dominus metaphoram de judicio humano viginti trium ad Divinum. Primùm autem judicium trium omisit Dominus, quia ibi agebatur solùm de re pecuniaria; & hîc tractat tantùm de judicio viginti trium, quia ad illud pertinebat homicidium, sub quo Dominus includit iram Et ait: *reus erit judicio,* hoc est, ut ejus causa examinetur in judicio: nam si ira fuit consummata & perfecta inferendi magnum nocumentum proximo, est mortifera & punienda, non pœna temporali, sed æterna; si autem ira fuit levis, vel motus quidam primo primus, tunc judicandus est ad pœnam temporalem in purgatorio solvendam. Secunda species supplicii: *Reus erit Concilio.* Christus ex humanis applicat Divina, & se accommodat ad modum loquendi Scribarum: nam qui committebat aliquod gravissimum crimen, dicebatur reus Concilio, seu Sanedrim; ita hîc ait Christus: Qui dixerit proximo suo graviorem injuriam Raca, reus erit Concilio, hoc est, ut puniatur graviori & majori pœna, ut fiebat in illo concilio pro mensura & quantitate delicti. Tertia species supplicii: *Reus erit gehennæ ignis;* hoc est, qui apertè infert proximo suo magnam & gravem contumeliam, dicendo, *fatue,* non jam judicio, nec Concilio opus est, sed certa damnatio ignis inferenda. Per gradus culpæ, crevit ordo sententiæ ait S. Greg. l. 21. moral. c. 4.

Oculus XXVIII. *Quid per oculum dexterum* v. 29, *& per manum dextenm* v. 30. *intelligit Domi-*

Dominus? R. Non imperat Dominus amputare aut auferre materialia corporis membra, ut fecit Origenes, qui se castravit, aut quidam juvenis, qui pede conculcaverat parentem, illum amputavit, ut legitur in vita S. Antonii Olyssiponensis, nam hæc illicita sunt. Sed parabolicus est sensus, nam sicut oculus dexter, & manus dextera sunt membra valde chara homini, ac necessaria ad vitæ commoditatem, ita etiam sub hac parabola nos instruit Dominus, quòd quæcumq; nobis maximè chara & utilia, ac frugifera ad vitam transigendam, si tamen nobis sint impedimenta ac offendicula ad viam salutis, omnino amputentur, & dimittantur à nobis. Pulchrè S. Cyrill. Alexand. l. 12. in Joan. c. 18. Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum. Quod enim à felicitate nostra nos removet, etiamsi amicitiæ lege nobis conjungatur, etiamsi natura ipsa, & sangvinis propinquitate copuletur, non nostrum, sed hostile putandum est. *& manus dextera.*

XXIX. *Quomodo intelligendus est* v. 32. OMNIS, QUI DIMISERIT UXOREM SUAM EXCEPTA FORNICATIONIS CAUSA, FACIT EAM MOECHARI, ET QUI DIMISSAM DUXERIT, MOECHATUR? R. Causa est illi, ut mœchiam committat: nam mulier, sive alteri nubat, sive innupta maneat, & fornicetur, adulterium perpetratur, semper enim manet vinculum primi conjugii: nam licèt per divortium fiat separatio, quo ad thorum, non tamen quo ad vinculum, ut cum multis Sanchez l. 10. de matrimonio, disp. 2. num. 3. Nec enim illa particula, *exceptâ fornicationis causâ*, ita est intelligenda, quodsi mulier, v. g. dimittatur ob fornicationem, liceat ei alteri nubere. Hoc expressè juxta sacros Canones est prohibitum à Concilio Trid. sess. 24. can. 7. Sed intelligenda cum S. Aug. & S. Thoma hoc loco. Quodsi ipsam dimittat ob causam fornicationis, ipse non facit eam mœchari: sed ipsa, cujus est reatus. Si vir dimittat uxorem injustè, v. g. quia eam invisam, ac in odio habet, vir est in causa, si mulier adulterat; nam ipse eam exponit adulterandi periculo. At verò si mulier dimittitur ob fornicationem, sive ob causam justam, non facit vir eam mœchari, nec exponit eam periculo, sed ejus reatus est in causa, ut ipsa adulteret, ac sit in tali incontinentia. *Et qui dimissam duxerit*, adulterat, ut explicat Glossa, mulier dimissa debet manere innupta, vel viro reconciliari, ut Paulus ex præcepto Domini nos docet, 1. Cor. 7. v. 10. *Uxor dimissa.*

XXX. *An antiqua lex permiserit inimicos odio haberi, cùm dicatur* v. 43. ODIO HABEBIS INIMICUM TUUM? R. In lege nullum erat mandatum de odio inimicorum, sed Pharisæi tale odium falsis interpretationibus conabantur deducere ex aliquibus Scripturæ locis. De Chananæis ait Deus Israelitis Deut. 25. v. 19. *Delebis nomen ejus sub cœlo. Cave, ne obliviscaris.* Et Deut. 23. v. 26. de Amonitis & Moabitis mandavit Dominus populo: *Non facies cum eis pacem; nec quæras eis bona cunctis diebus vitæ tuæ in sempiternum.* Probatur autem odium inimicorum nullo modo esse traditum à lege. Quia odium inimicorum est intrinsecè contra legem naturæ, ut communiter docent DD. Ratio est, quia inimicus est proximus, cùm sit creatura DEI & capax beatitudinis, ergo odium erga hujusmodi creaturam, prout respicit personam ejus, est malum, & repugnat cum natura. Deinde, quia naturale jus dictat, aliis faciendum esse, quod nobis fieri cupimus. Quæcumq; vultis, ut faciant vobis homines, eadem vos facite illis; unusquisq; autem cupit diligi, & sibi subveniri in necessitate, ergo eadem debet facere aliis. Probatur secundò. Quia in Testamento veteri dabatur doctrina de charitate erga inimicos: *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publicè argue eum. Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum.* Lev. 19. 17. & 18. Cùm occiderit inimicus tuus, ne gaudeas; & in ruina ejus non exaltetur cor tuum. Prov. 24. 17. Si esurierit inimicus tuus; ciba illum. Prov. 15. 22. Deinde lex dicebat: *Diliges proximum tuum;* proximus autem est etiam inimicus. Probatur deniq; efficaci ratione. Si in lege includeretur mandatum de odio inimicorum, contrarius actus, scil. dilectio inimicorum esset à lege prohibita: atq; dilectio inimicorum dicit quamdam bonitatem moralem, per quam homo assimilatur bonitati Divinæ, ut Christus subdit: *ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos.* Ergo non poterat mandari à DEO in lege. Nec loca in contrarium aliquid probant. Imò cum illis poterant habere charitatem eximiam cum omnibus gentibus. Nam primò, quòd Deus jusserit Israeli delere Chananæos, hoc illi populo mandavit, tamquam ministro Divinæ justitiæ, sicut judex punit reum ob culpam, quem aliàs, ut hominem diligit. Secundò mandavit non facere pacem cum Amonitis ac Moabitis, quia eorum conversatio erat valde periculosa Israeli (nam per mulieres seducti sunt ad fornicationem) ne quærerent bona, scil. temporalia, nec eorum prætextu inter eos fieret amicitia. *Amor inimicorum.*

XXXI. *Quomodo nobis mandatur* v. 48. *Ut simus perfecti, sicut Pater cœlestis perfectus est?* R. Mandat Dominus non ad perfectionis æquationem, sed ad proportionem quamdam, ut, quantum in nobis est, ipsum imitemur, ut numquam perfectione aliqua simus contenti, sed semper majorem & majorem inquiramus. Sic Christus orans ad Patrem ait Joan. 17. 11. *Ut unum sint, sicut & nos.* & Christus ait discipulis suis Joan. 13. 33. *Perfectio hominis semper majora sequi.*

Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Nos illam substantialem unionem, quæ est inter Patrem & Filium, adæquare non possumus, nec illum Christi Domini erga genus humanum amorem perfectissimum: nobis tamen hæc proponuntur, ut illa omnibus viribus imitemur, & ne, dum aliquem unionis, vel amoris gradum sumus assecuti, quiescamus, sed semper excellentiorem affectemus, & numquam prætermittamus sequi majora, & ad ulteriora semper tendamus. In quo stat perfectio nostra. S. Greg. Nyssenus l. de vita Moysis sic ait: Ita enim se habere, ut ad ulteriora semper in virtute homo velit ascendere, id ipsum forsan, humanæ naturæ est. S. Aug. lib. de verbis Apostoli sic ait: Semper tibi displiceas, quod es, si vis pervenire ad id, quod non es. Nam ubi tibi placuisti, ibi remansisti; si autem dixeris, sufficit, periisti. Unde pulchrè ait S. Bern. ep. 253. Jugis conatus ad perfectionem, perfectio reputatur: nolle proficere, deficere est.

CAPUT VI.

Quomodo facienda eleemosyna, instituenda oratio, condonanda proximo offensa, jejunandum, thesaurizandum, oculus mundandus, solicitudo seu anxietas tollenda.

Opera nostra coram hominibus.

QUæstio I. *Nonne hæc sententia: Ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis,* contradicit illi: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona?* R. Ipsa verba Christi pugnantiam solvunt, *sic luceat, inquit, lux vestra, ut videant homines opera vestra bona;* quorsum? quo fine? adjungit: *ut glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Hoc proposito fine, illustria facta, etsi videantur, nulla subest, inanis gloriæ tinea. Sic ea videri non prohibet Dominus. Hoc autem loco; *attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus.* Nec constitit hoc loco sententia. Additur; *ut videamini ab eis,* hoc est: ne opera justa coram hominibus faciatis, ut vos glorificent, non cœlestem Patrem. Itaq; sic videri vult Dominus opera, ut cœlesti Patri laus tribuatur. Vult non videri eo fine, ut nos videamur, id est, inani laude & gloria efferamur. Videri autem & non videri, hoc pacto non pugnant. V. cap. 5. q. 20.

Eleemosyna occulta.

II. *Quo sensu dicitur* v. 3. *Te faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua?* R. Adeo fuge eleemosynæ, & virtutis tuæ ostentationem, & quantum ad te attinet, secretum appete, ne ab hominibus celebretur tua virtus, ut si per impossibile siniſtra manus tua oculos haberet, videre tamen non posset, quid dextera tua faciat boni, qualesq; & quantas eroget eleemosynas. Celata virtus, DEO judice, gaudet inquit S. Hieron. in epitaphio Fabiolæ.

Stantes orârunt Judæi.

III. *An Judæi stantes oraverint?* R. Sacerdotes & Levitas stando sacrificâsse DEO, & psalmos cecinisse; populum quoq; stando ea spectâsse: si enim genuflexissent, ob interjectum inter se & altare septum tres cubitos altum, sacrificia videre nequivissent præsertim in magna hominum turba. Aliàs verò Judæi orabant genuflexi, præsertim in actu adorationis vel pœnitentiæ, cùm à DEO delictorum veniam flagitarent. Ita Salomon in dedicatione templi genuflexus, oravit & adoravit, nam utrumq; genu in terram fixerat 3. Reg. 8. 54. Daniel c. 6. 10. ter per diem genua flectens Deum adorabat. Sic Michæas ait c. 6. 6. *Curvabo genu DEO excelso.* Quod ergo Scribæ & Pharisæi stantes orabant, superbi & Pharisaici fuit supercilii, ipsi enim sibi videbantur reliquo populo esse digniores & sanctiores.

Orare clauso ostio.

IV. *Cur dicitur* v. 6. CLAUSO OSTIO, ORA IN ABSCONDITO? R. Non damnatur publica in Ecclesia oratio, quæ antiqua consvetudine, & communi tum Judæorum, 3. Reg. 8. v. 29. tum Christianorum Act. 1. 24. & c. 6. usu recepta, totoq; orbe semper laudata fuit: & ipsa naturalis ratio probat, nempe ut publica oratione publicè colatur Deus, proximus ad orandum excitetur, & quod petitur, faciliùs, quasi vi DEO illata, impetretur, inquit Tertull. l. 6. de orat. c. 1. Sed comparativè loquitur, q. d. Potiùs quàm videri velis orare, & gloriolam inde captare, fugias testes, devites turbam, quæras secessum.

Orantes nõ multum loquantur.

V. *Cur vult orantes non multum loqui* v. 7.? R. Non damnat longas preces (cùm ipsemet pernoctârit sæpiùs in oratione DEI, docueritq; Luc. 18. v. 1. perpetuò nobis orandum;) sed inanem & supervacuam verbositatem. Addit enim, *sicut ethnici faciunt:* in quibus duo reprehendit; primùm, putant, quòd multiloquio suo, vel lenicinio verborum flexuri sint Deum, ut rhetorum vel pœtarum verbositate flectuntur animi hominum. Secundum, volunt docere Deum quasi ignorantem statum & miseriam mortalium. Ab his duobus cave, & non erit multiloqua, etsi longa & multiroga oratio. Rogator sis oportet, non enarrator, inquit S. Hieron. Nam pleraq; dona sua dare quidem, sed non nisi rogatus, decrevit Deus, & vult orando nos coram ipso humiliemus, indigentiam nostram agnoscamus, ipsum bonorum omnium fontem & largitorem fateamur, ipsiusq; beneficia

neficia promereamur. Quæ omnia cùm eò accuratiùs fieri ſoleant, quò diutiùs ferventiusq; mente cum DEO colloquimur, etſi etiam voces accedant; ejuſmodi prolixæ preces non reprehenſionem, ſed ſummam laudem promerentur.

VI. *An peccent, qui nolunt dimittere, dicendo,* SICUT ET NOS DIMITTIMUS? *Debitorum dimiſſio.*
℟. Salmeron tom. 5. tr. 51. docet, eos non peccare, quia id dicunt in perſona Eccleſiæ, quæ debitoribus debita dimittit: & quia per hoc incitantur ad remittendum, & tacite poſtulant gratiam à DEO, qua idipſum faciant. Igitur *ſicut & nos dimittimus,* id eſt, ſicut multi ex nobis ſuis debitoribus dimittunt. Adde recitativè hæc verba accipi, tanquam formulam precandi, à Chriſto præſcriptam, ut eâ moneamur dimittere noſtris debitoribus. Inſuper *dimittimus,* id eſt, ſicut debemus & optamus dimittere, ſed quia infirmitas noſtra id præſtare non valet, tu Domine da robur, & cor noſtrum immuta, ut id præſtemus. Eſt ergo hîc tacita oratio, qua petimus à DEO gratiam dimittendi injurias nobis illatas. Deniq; ſi rigidè accipiantur hæc verba, mendacium ſonant, ſed ut videtur veniale tantùm: nulli enim pernicioſum eſt.

VII. *Quid ſignificat ad literam, Ungere caput & lavare faciem* v. 17.? ℟. Non ſignificatur vera unctio capitis, ſed in vultu quædam hilaritas ac jucunditas, cùm jejunamus ut ſimulationem & occultationem quamdam jejunij præbeamus. Nam cum abſtinentia triſtitiam præſeferat, Phariſæi jejunantes valde mœſtos, lugentes, ac ſupercilioſos ſe exhibebant, ut ita omnium oculis ſuum jejunium oſtentarent. Cùm ergo hanc vanam oſtentationem Chriſtus vitare moneat, nobis mandat, ut in tempore jejunij læti ac hilares incedamus, tamquam in die feſtivo & perjucundo. Alludit ad conſuetudinem Orientalium & Palæſtinorum, qui in diebus ſolemnibus, lætis & convivialibus, ſolebant lavare faciem, caputq; oleo ungere, ut ita gratioſiores, nitidioresq; prodirent. Illa enim regio valde calida & æſtuoſa, ac proinde incolæ nimium ſudant, qui ſudor faciem deturpat, parùm gratum ſpirat odorem, præcipuè ex capite & capillis. Lavant ergo faciem, ut ſudorem abluant, ungunt verò odoriferis tum vultum, tum caput, ut fœtori occurrant. Ungebantur ergo tum in ſignum lætitiæ, *ut exhilararet faciem in oleo* Pſ. 103. v. 15. tum recreationis ac ſanitatis causâ. Et ita dicitur de Rege Ezechia, quòd legatis Babylonijs oſtenderit domum aromatum & pigmenta varia. 4. Reg. 20. v. 13. Tum etiam hæc adludebant in odorem atq; fragrantiam; & ita dicitur de Magdalena Chriſtum ungente: domus impleta eſt ex odore unguenti. Joan. 10. 3. In triſtitia ac mœrore ab his abſtinebant antiqui, ùt notat Alb. M.. Moraliter autem lavare faciem, hoc eſt, conſcientiam, ùt explicat S. Chryſoſt. hom. 15. fit primò per contritionem aquâ lacrymarum. *Lava à malitia cor tuum Jeruſalem* Jer. 4. 14. 2dò, per confeſſionem. Iſa. 1. 16. *Lavamini, mundi eſtote:* 3tiò, per tribulationum patientiam Apoc. 7. 14. *Laverunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni.* 4tò per devotam orationem Gen. 18. 4. *Afferam pauxillum aquæ, ut laventur pedes veſtri,* hoc eſt, affectus veſtri. Ungere autem caput moraliter multiplex habet ſignificatum. Primò S. Chryſoſt. hom. 15. in Imperfecto ait: Caput tuum Chriſtus, eſurientem ciba, ſitientem pota, & ſic oleo miſericordiæ, unxiſti caput tuum, id eſt, Chriſtum, qui clamat in Evangelio, quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. 2dò S. Hieron. per unctionem intelligit operationem omnium virtutum. Ut enim jejunium ſit fructuoſum, cæteris virtutibus debet eſſe aſſociatum, ùt ait S. Leo ſerm. 6. de Quadrag. Impleri debet jejunium, non ciborum tantùm parcitate, ſed maximè privatione vitiorum. 3tiò S. Thom. *Unge caput tuum,* id eſt, mentem oleo nitoris conſcientiæ, ne Diabolus per capillos, id eſt, cogitationes, introeat ad cor tuum. Cùm autem Chriſtus jubeat caput ungere, cùm jejunamus in ſignum lætitiæ, cur Eccleſia caput prima die Quadrageſimæ cinere inſpergit, utiq; in ſignum luctûs & triſtitiæ? Reſpondeo, Chriſtus hîc loquitur de jejunio particulari, quod quilibet ſibi voluntariè aſſumit. Et ideo, ùt notat S. Paſchaſ l. 4. in Matth. non dixit: *cùm jejunatis,* ſed in ſingulari: *tu cùm jejunas,* quia non de univerſali jejunio, ſed de particulari ac ſpeciali agebat. At Eccleſia prima die Quadrageſimæ capitibus noſtris cinerem inſpergit; quia talis abſtinentia & pœnitentia publica eſt & univerſalis cunctis, ad illamq; Eccleſiaſticis mandatis adſtringimur. Et quando jejunium ac carnis maceratio particularis eſt, & uniuſcujusq; propria voluntate electa, tunc debet eſſe occulta, & abſcondita virtus: *Ne videaris hominibus jejunans.* At quando ipſa pœnitentia ex generali ac communi præcepto, & obligatione omnibus incumbit; tunc manifeſtis, & publicis mortificationis ſignis in omnium conſpectu exeat & prodeat.

VIII. *Quare Chriſtus præcipit, non theſaurizare in terra, ſed in cœlo* v. 20.? ℟. non prohibet, quod in more eſt omnium gentium, ut homines ſibi, ac filiis ſuis & reip. recondant terreſtres theſauros. Nam Paulus 2. ad Cor. 12. 18. ait quòd parentes theſaurizant filiis, ſed illa tantùm theſaurizatio damnatur in terris, quæ contraria eſt in cœlo, quæ tunc fit, quando homines congregant divitias terrenas, confidentes in illis tantùm, ita ut non curent, nec cogitent providere ſibi in cœlo: & horum ſalus, vita & Deus, theſaurus in terra eſt. Mandat Deus nos theſaurizare in cœlo, ut ad ipſum dirigamus noſtras co- *Theſaurizare non in terra ſed in cœlo.*

gitationes & actiones, ac in Deo ponamus noſtram ſpem, atq; fiduciam, ac ut figamus mentem ad æterna, & non ad peritura. S. Chryſoſt. hom. 15. in Imperfecto id confirmat: Qui collocat theſauros in terra, non habet, quid ſperet in cœlo. Ut quid enim aſpiciat cœlum, ubi nihil repoſitum habet. Qui theſaurizat in cœlo, ipſa concupiſcentia ſpiritualis facit eum ſollicitum non ſolùm ut non perdat, quæ habet, ſed ut adhuc augeat ſuper id, quod habet. S. Chryſol. ſer. 8. Miſericordia & pietas, ait, jejunij ſunt alæ, per quas tollitur & portatur ad cœlum, ſine quibus jacet, & volutatur in terra. Jejunium ſine miſericordia non eſt virtus, ſed hypocriſis, dicente Domino: cùm jejunatis &c. Qui non jejunat pauperi, Deo fingit: qui jejunans, prandium non erogat pauperi, ſed deponit, cupiditati probatur jejunare, *non Chriſto.*

Mammonæ ſervire.

IX. *Quid eſt ſervire Mammonæ ſeu divitiis* v. 24 ? R. Aliud eſt habere divitias, aliud illis ſervire, ille divitiis ſervit, qui ſervi inſtar, divitiarum cupiditati obſequitur, utq; divitias congreget, crimina non pertimeſcit. Non dixit Dominus (ait S. Hieron.) qui habet divitias, ſed qui ſervit divitiis. Qui enim divitiarum ſervus eſt, divitias cuſtodit, ut ſervus. Qui autem ſervitutis excuſſit jugum, diſtribuit eas, ut Dominus &c. Hujus rei Chryſoſt. hom. 22. in Matth. Job exemplum nobis proponit. Job, inquit, dives erat, non tamen pecuniæ ſerviebat. Sed habebat divitias, eisq;, ut congruit, imperabat, nec erat famulus earum, ſed Dominus, ſicut enim alieni patrimonii diſpenſator, ita illa omnia poſſidebat, non modò aliena non rapiens, ſed propria quoq; indigentibus largiens &c. His adjungit: Non tales ſunt ætate noſtra divites, ſed captivis omnibus deteriùs affecti, & ſicut inviti cuidam tyranno tributa pendentes non quieſcunt à miſeria ſervitutis. Quaſi enim arcem quandam, ita eorum mentes amor auri inſedit. Unde per dies ſingulos præcepta eis plena iniquitatis imponit &c. Item Auctor imperfecti. Aliud, ait, eſt, habere divitias, aliud ſervire divitiis, ſi habes divitias, & divitiæ non te faciunt ſuperbum, aut violentum, ſed ſecundùm quod potes, das impotentibus. Dominus es divitiarum tuarum, non ſervus, quia non te divitiæ tuæ tenent, ſed tu divitias tuas &c.

Dies ſollicitus ſibi.

X. *Quomodo dies ſollicitus eſt ſibi* v. 34. ? R. Tribuit diei perſonam, quaſi cogitare & ſolicitus eſſe poſſit. Cùm tamen non dies ſit ſolicitus, ſed in die homo ſolicitudinem habeat de iis, quæ diei ſunt neceſſaria. Eſt ſenſus: Nolite in craſtinum diem ſoliciti eſſe immoderata ſolicitudine, & non neceſſaria atq; anticipata. Nam ipſe dies craſtinus ſuam ſolicitudinem neceſſariam afferet; cumq; ille venerit, tunc ſolicitudinem habebitis neceſſariam ac moderatam.

Diei malitia.

XI. *Quo ſenſu dicitur: Sufficit diei malitia ſua?* R. Malitia, afflictio dicitur, cura & ſolicitudo diei. Non enim hæc eſt malitia moris, ſed laboris, non culpæ, ſed pœnæ. Singulos dies ſua ſequitur malitia, hoc eſt, ſuus comitatur labor, ſua de victu quærendo ſolicitudo: Satis eſt, cuiq; diei ſuum onus, ſuaq; ſolicitudo: ne alteram ei addas. Si enim ait S. Chryſoſt. hom. 23. hodie cures de craſtino, & rurſus craſtino ipſo die cures, nonne ſuperfluo ac nimio temetipſum deprimes onere curarum? Cur cogis diem plusquàm ipſe ſortitus eſt, afflictionis accipere, & ſupra proprios ejus labores, etiam ſequentis diei pondus ei imponis? &c.

CAPUT VII.

Non temerè judicandum de proximo: non dandum ſanctum canibus: præſtandum proximo, quod nobis factum vellemus: cavenda via lata, ineunda arcta: vitandi pſeudoprophetæ: arborem ex fructibus dignoſci: non ſupra arenam, ſed ſupra petram ædificandum.

Judicium temerarium.

QUæſtio I. *De quo judicio loquitur* verſus 1. ? R. Non de publico Magiſtratûs judicio, quo reos condemnat, innocentes abſolvit; hoc enim neceſſarium in omni Republica, ſed tantùm privatum, cùm ſcil. temerarium eſt, aut curioſum, aut detractorium; hoc enim charitati & juſtitiæ ipſiq; DEO, cujus judicium uſurpamus, repugnat: proximo enim dati ſumus non judices, ſed ſocii, quare ſi temerariè malam de eo habemus opinionem, injuriam ei facimus, eiq; famam in animo noſtro, & apud alios, ſi eam ore eloquamur, eripimus. Nihil aliud, inquit Aug., hoc loco nobis præcipi exiſtimo, niſi ut ea facta, quæ dubium eſt, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur. Serm. 201. de temp. De manifeſtis tamen fas eſt judicare. Unde S. Aug. l. 2. de ſerm. Domini. Quod, inquit, ſcriptum eſt: ex fructibus eorum cognoſcetis eos: de manifectis dictum eſt, quæ non poſſunt bono animo fieri, ſicut ſunt ſtupra, blaſphemiæ, vel furta, vel ebrioſitates, & ſi quæ ſunt ſimilia, de quibus judicare permittitur &c. Item: Sunt facta quædam media, quæ ignoramus, quo animo fiant, quia & bono & malo animo fieri poſſunt: de quibus temerarium eſt judicare, maximè ut condemnemus &c.

Judicium

II. *Quo ſenſu dicitur:* IN QUO JUDICIO JUDICAVERITIS, JUDICABIMINI ?

Num-

Numquid si nos judicio temerario judicaverimus, temerè etiam de nobis Deus judicabit? aut, numquid si iniqua mensura mensi fuerimus, apud Deum iniqua mensura est, unde nobis remetietur? R. Sensum esse: quomodo judicaveritis, sic à DEO judicabimini. Si bene judicaveritis, id est, si proximum non damnaveritis, sed bonam de illo opinionem animo conceperitis: Deus bene de vobis judicabit; hoc est, vos non damnabit, imò præmio afficiet. Si verò malè de proximo judicaveritis, proximumq; ut peccatorem temere damnaveritis; Deus vos malè, id est, in malum vestrum judicabit, peccatiq; & supplicii reos habebit. Vos tamen facietis temerè, Deus autem magna cum causa faciet. Nam in omni similitudine & comparatione, quæ à creatis rebus depromitur, cùm de DEO sermo est, quidquid mali, vel imperfectionis est, longè propellere oportet. Ita Barradius. Ita etiam intelligenda sunt verba: *in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* *DEI simile nostro.*

III. *Quos increpat Dominus:* QUID VIDES FESTUCAM IN OCULO FRATRIS? R. eos, qui aliorum minora peccata cernunt, & incusant, sua maxima nec accusant, nec vident. Festucas appellat minora, trabes peccata majora. Veniale peccatum quispiam si in alio acutè cernat & carpat, cùm ipse mortifero sit obstrictus: is festucam alieno in oculo cernit, trabem in suo non videt. Præcipit Dominus, trabem ut ejicias tuam, deinde festucas pellas alterius. Si alterius curam gerere cupis, ait S. Chrysost. hom. 24. in Matth. teipsum antè curato. &c. *Festuca in oculo fratris.*

IV. *Quid est Sanctum dare canibus, & margaritas projicere ante porcos?* R. Est fidei Christianæ sancta & occulta mysteria, pretiosasq; gemmas, hominibus flagitiosis, impuris, veritatis impugnatoribus pandere, qui inde nihil fructûs percepturi, quin potiùs & docentibus perniciem & conculcationem allaturi sunt Canibus, inquit, Nazianz. orat. 1. Sancta projicimus, atq; ad porcorum pedes margaritas mittimus, prophanis auribus & animis doctrinam Divinam evulgantes. Christus tamen, S. Stephanus, S Paulus & alii perversissimis & obstinatissimis Judæis prædicârunt Evangelium, eorumq; incredulitatem acriter corripuerunt & castigârunt, licèt scirent se idcircò ab eis occidendos. Id enim fecerunt, tum ut publicum perhiberent testimonium veritati & gloriæ DEI; tum ad contestationem inexcusabilis impietatis improborum; tum propter aliorum astantium utilitatem, & vitandum scandalum. Tunc enim Sancta non dantur porcis, sed potiùs DEO & electis ejus. Ita S. Aug. qui per canes intelligit impugnatores veritatis per porcos, contemptores. S. Chrysost. verò per canes accipit Gentiles summè immundos; per porcos, hæreticos ventri deditos. Per sanctum accipit Baptismum & Eucharistiam, quæ non debet dari canibus & porcis, id est, immundis & indignis: margaritæ sunt mysteria veritatis inclusa Divinis verbis in maris profunditate, id est, Scripturæ altitudine. *Sanctum dare canibus.*

V. *Quid sunt vestimenta ovium in falsis prophetis* v. 15.? R. Sunt quædam bona opera, ùt jejunium, orationes, eleemosynæ, & similia, quæ licèt secundùm se sint bona, tamen prout fiunt ab istis falsis prophetis, & ab eorum depravata intentione procedunt, fugienda sunt nobis. *Intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Non enim illa faciunt, ut laudent Deum, sed ut cum DEO pugnent, non ut proximum ædificent, sed ut destruant, non ut miseriam alterius sublevent, sed ut decipiant, ac seducant. Unde isti habent exteriùs lenitatem lanæ ovium; intrinsecus verò ungulam, dentemq; luporum. Cyrill. Catech. 4. A pelle quidem, ait, mansveta induti, specie probitatis decipiunt; pernicioſum verò impietatis venenum ex dentibus. Foris homo videtur, intus bestia fremit. Ita dicitur Apoc. 13. v. 11. Vidi aliam bestiam descendentem de terra, & habebat cornua duo agni similia & loquebatur, quasi draco; & omnem potestatem prioris bestiæ faciebat. Per duo cornua agni intelligunt multi mansvetudinem & innocentiam simulatam. S. Greg verò l. 33. Mor. c. 36. hypocrisim sanctitatis, & sapientiam mentitam, & loquebatur, ùt draco. Assùmit agni speciem, ait S. Greg. ut draconis exerceat operationem. *Vestimenta ovium in falsis prophetis.*

VI. *An falsi Doctores possint miracula facere ad confirmandam falsam doctrinam?* R. non posse. Miraculum enim etiam unicum duntaxat, modò verum sit & evidens est argumentum non tantùm probabile, sed moraliter certum veræ doctrinæ. Miraculum est singularis, supernaturalis & propria DEI solius operatio, qua quasi sigillo Deus sua dicta, rectamq; fidem & veritatem obsignat: quare si Deus falsum Doctorem, invocantem se pro miraculo ad stabiliendum errorem exaudiret, videretur illi cooperari, & errori attestari, & per consequens mentiri & fallere, quod est impossibile. Deus enim est prima veracitas & fidelitas, qui proinde potestatem faciendi miracula sibi soli reservavit, ut per eam, quasi proprium sibi testimonium, sua dicta, suasq; veritates obsignaret, testareturq; illa à se promanare: miraculum ergo est, quasi vox DEI operantis, & attestantis se loqui, suaq; dicta hoc quasi sigillo obsignare. *Miraculum falsi Doctores non possunt facere.*

VII. *Cur DEus concedit malis ministris virtutem ad facienda aliqua miracula,* nam Saul, & Balaam & Caiphas prophetârunt, nescientes, quid dicerent. Act 19. v. 14. filii Scenæ videbantur ejicere dœmonia, sed & Judas cum animo proditoris multa signa inter cæteros Apostolos fecisse narratur, ùt ponderat S. Hieron.? R dent S. Hieron. & Abul. *Miracula per iniquos facta.*

q. 13. & 14. quòd aliquando iniqui virtute Divinâ faciunt miracula, dœmonia ejiciunt, quia interdum non ejus est meriti, qui operatur, sed vel invocatio nominis Christi hoc agit, vel interdum fit propter fidem ejus, in quo miraculum perpetratur, vel propter eorum, qui eum repræsentant; vel etiam ob condemnationem eorum, qui nomen Christi invocant, qui cùm essent tantis donis insigniti, damnati sunt. S. Paschasius l. 4. in Matth. ait, hæc ideo per eos, licèt reprobi sint, potestate Divina fiunt, ut discant fideles Christi, virtutes operari, non magnopere studere, sed Christum in omnibus imitari, charitatemq; ejus sectari., Vult Deus, ut etiam isti iniqui ministri, hujusmodi miracula perpetrent, ut inde erudiantur fideles, ut potiùs incumbant ad Christi virtutem obtinendam, quàm ad hujusmodi potestatem assequendam. Nam potestate illâ insigniti multi damnati sunt: virtutem autem Christi amplexantes, imitatoresq; illius omnes salvati sunt. Dicebat Dominus Luc. 10. 20. *In hoc nolite gaudere, quia Spiritus subjiciuntur: gaudete autem, quia nomina vestra scripta sunt in libro vitæ,* Etiam ùt ait Alb. M. illa conceduntur fieri ob honorem ipsius dignitatis, verbi gratiâ, quia Judas inter Apostolos erat conscriptus. Sic Caiphas prophetavit, quia erat Pontifex anni illius.

Voluntas peccandi.

VIII. *Quare Christus dicit* v. 23. *in præsenti,* DISCEDITE A ME, QUI OPERAMINI INIQUITATEM, *& non in præterito, qui operati estis iniquitatem?* ℟det S. Hieron. Non dixit, qui operati estis iniquitatem, ne videatur tollere pœnitentiam: sed, qui operamini, id est, qui usq; in præsentem horam, cùm judicii tempus advenerit, licèt non habeatis facultatem peccandi, tamen adhuc habetis affectum. S. Anselmus ait: Discedite à me, qui operamini iniquitatem, non dicit, qui operati estis, quia licèt modò non habeant facultatem operandi, tamen adhuc peccare vellent, si adhuc viverent. De præsenti, ait, *qui operamini.* Semper Dominus in nostris actionibus maximè ponderat affectum nostræ voluntatis, plusquam ipsas actiones & opera. S. Chrysost. hom. 19. Non dicit, ait, discedite à me, qui operati estis iniquitatem, sed qui operamini. Quia iniqui etiam post mortem non desinunt esse iniqui, quia etsi peccare non possunt, tamen peccandi propositum tenent.

CAPUT VIII.

Descendens de monte leprosum sanat, & servum Centurionis, & socrum Petri, & alios plurimos malè habentes. Scribam sequi volentem deterret, alium etiam insepulto parente sequi jubet. Mare procellosum sedat. Duos Dæmoniacos curat, Dæmonibus in porcos subintrare, & omnes in mare præcipites dare permissis.

Petitio leprosi.

QUæstio I. *Cur leprosus sub conditione petit,* SI VIS v. 2.? ℟det Cassianus l. 5. c. 11. Ignarus hic leprosus erat, an eum Dominus mundare dignaretur, cùm ipse se sentiret indignum, ita verba passionis suæ, & affectionis submissè promebat, dicens: Domine, si vis, potes me mundare. Alb. M. ait: Non dubitat, sed quia scivit, quòd voluntas DEI est omnipotens, & non nisi bona est, & bonum cuilibet facit, & nescit, an sibi bonum esset, quòd mandaretur, vel non: ideo sub conditione locutus est, id est: si bonum est mihi, tunc scio, quòd velis. Etsi non est bonum mihi, tunc scio, quòd non vis. Bonus leprosus, nulla merita in se videns, non audet absolutè petere: munda me; sed cum humilitate, & modestia sub conditione obsecrat: si vis, potes me mundare. Nam sine meritis magna præsumere, alta affectare, nimia audacia est.

Leprosi tactio.

II. *Cur Christus tangendo leprosum sanat?* ℟. ut ostenderet se esse supra legem, quæ leprosi contactum vetabat Lev. 13. utpote qui leprosum non contaminandi (Deus enim est incontaminabilis) sed curandi causâ tangeret, ait Tertull. l. 4. contra Marcion. c. 9. Porrò lex non vetabat contactum leprosi, nisi ob periculum contagionis, ne scil. tangens eadem inficeretur: hoc autem periculum non erat in Christo, sed potiùs certitudo curationis leprosi. Ergo Christus idcirco tangens leprosum non faciebat contra, sed potiùs juxta mentem legis.

Leprosus ostendit se sacerdoti.

III. *Cur Christus præcepit leproso, ut se sacerdoti ostenderet?* ℟. Ut lex servaretur, quæ præcipit Lev. 14. ut ad Sacerdotem mundatus leprosus adducatur, offeratq; munus, sive sacrificium DEO. Adde voluisse Christum hoc facto Sacerdotibus exhibere reverentiam. Unde S. Cyprian. ep. 65. ad Rogatianum: Christus, inquit, usq; ad passionis diem servavit honorem Pontificibus, & Sacerdotibus, quamvis illi nec timorem DEI, nec agnitionem Christi servâssent.

IV. *Cur Centurio dixit:* DOMINE NON SUM DIGNUS? ℟. quia summam Christi dignitatem DEO illustrante cognovit. Eandem ob causam per amicos, Luca testante, dixit: meipsum non sum dignus arbitratus, ut venirem ad te &c. Si Judæi ad Ethnicos accedere non audebant, Ethnici tamen ad Judæos venire, eosq; in ædes suas recipere non vere-

verebantur. Ergo Centurio Christum, quòd Judæus esset, in ædes suas jam venientem recipere non recusabat; sed quòd summam ejus dignitatem cognoverat dicebat: *Domine non sum dignus.* Itaq; ex fide profecta sunt verba hæc. S. Chrysol. Serm 15. Petrus, inquit, exclamavit Luc. 5. dicens: *exi à me Domine, quia peccator sum.* Sic eum Petrus à se exire rogat, quomodo Centurio eum ad se supplicat non venire. Agit uterq; ne indignitas hospitii, in hospitis manet injuriam &c.

V. *Quomodo hæc verba:* DOMINE NON SUM DIGNUS &c. consentiunt illis verbis Lucæ: *misit ad eos Seniores Judæorum, rogans eum, ut veniret.* Si enim indignum se arbitrabatur Centurio, qui Dominum tecto suo reciperet, cur per seniores rogavit, ut domum ipsius veniret? Præterea si rogavit, ut veniret, cur postea prohibuit dicens: *Noli vexari &c.* item: *Meipsum* (apud Lucam) *non sum dignum arbitratus, ut venirem ad te &c.* Si se dignum non existimabat, qui ad Christum veniret, quomodo Christum rogabat, ut domum suam veniret? Nec dixit Lucas, misit seniores rogantes: sed, misit seniores, rogans ipse. Non enim seniores ex seipsis, sed ex ore Centurionis rogârunt. Solvitur hic nodus, si dicatur Centurionem cum Judæis senioribus crassiùs egisse, nec patefecisse illis suam fidem. Illis igitur se accommodans, & illorum ductum sequens per illos rogavit, ut veniret. Postea verò per amicos, & per seipsum, fidem suam demonstravit, petens ne veniret: quòd dignus non esset, qui eum tecto reciperet.

VI. *An fides Centurionis superaverit fidem omnium Judæorum,* cùm Christus dicat: NON INVENI TANTAM FIDEM IN ISRAEL? ℟. Dominum non simpliciter omnes Israelitas cum Centurione conferre, sed illos tantùm, qui ab eo sanitatem petierunt, estq; sententia illorum verborum hujusmodi: Postquam concionari, & miracula cœpi facere, nullus â me tanta fide sanitatem petiit, quantâ hic petiit Centurio: Nullus enim dixit: dic verbo, & sanabitur &c. Hoc indicat verbum *Inveni.* q. d. Non occurrit mihi hactenus ullus, qui tanta fide sanitatem postularet. *Fides centurionis.*

VII. *Quando Christus curavit Socrum Petri?* ℟. Est hìc hysterologia, sive inversus ordo. Hoc enim miraculum, & cœtera Christi gesta, quæ deinceps narrat Matthæus usq; ad finem capitis 9. contigerunt ante curationem leprosi & servi centurionis, imò ante ascensum & sermonem Christi in monte, ùt colligitur ex Marci c. 1. 22. & 29. ac Luc. c. 4. v. 32. & 38. atq; ex ipso Matth. Sermo enim Christi in monte habitus fuit coram 12. Apostolis, ac consequenter coràm ipso S. Matthæo, qui tamen suam vocationem post hæc describit c. 9. v. 9. Nimirum voluit Matthæus initio prædicationis Christi, Breviarium conscribere Doctrinæ editum à Christo in monte, ac deinde miracula, quibus eandem Christus tam ante sermonem, quàm post eum confirmavit, ordine pertexere. Hæc ergo est series rei gestæ, ùt patet ex Marco & Luca: Christus, cùm à piscatione Petrum & Andream vocâsset ad sui sequelam, uti narravit Matth. 18. ingressus Capharnaum, ibi in Synagoga prædicavit & sanavit Dœmoniacum, indeq; pergens ad domum Petri, ibi socrum ejus febricitantem sanavit. Hoc ergo miraculum & cœtera sequentia usq; ad finem cap. 9. Matthæi, recto historiæ ordine anteponenda forent, & inserenda cap. 4 Matthæi statim post v. 22. *Socrus Petri curata.*

VIII. *Quo sensu accipienda sunt verba* v. 17. ex Isaiæ c. 53. v. 4. IPSE INFIRMITATES NOSTRAS ACCEPIT, ET ÆGROTATIONES NOSTRAS PORTAVIT? ℟. Duplicem possùnt habere sensum: primus est de morbis animæ, id est, peccatis, eorumq; pœnis, quas in se suscepit, & in cruce exolvit Christus, & hoc maximè intendit Isaias. 2dus est de morbis corporis, qui typi sunt æquè ac affectus morborum animæ, quos Matthæus ait Christum portâsse, non quòd eos in se suscepisset, hoc enim indecens fuisset, & impedimentum Christo ad circumeundum Judæam, in eaq; prædicandum, sed quòd portârit eos per compassionem, sublatis scil. ipsis morbis, morbidisq; persanatis, sicut Medicus dicitur per compassionem & curam portare & sustentare ægros, dum eorum ægritudines lenit, curat & sanat. *Infirmitates nostras Christus portavit.*

IX. *Cur Christus dicit Scribæ* v. 20. VULPES FOVEAS HABENT &c. ℟. Detegit latens vulnus avaritiæ in Scriba. q d. Tu cupis me sequi, quia vides me populo esse gratum ob sanitates & beneficia, quæ ei confero. Unde speras te in mei sequela posse rem tuam augere, & multa dona corradere, quasi ego ex Evangelio me meosq; locupletem, sed erras, quia ego velut perfectionis magister, pauper sum, & paupertatis studiosus, talesq; volo esse meos discipulos, ut expediti à cura rerum temporalium; toti vacent mihi, & DEO ac prædicationi, in qua satagant verbo & exemplo omnes ad cœlestia, ipsumq; cœlum traducere: quod audiens scriba, siluit, ac spe sua frustratus ab oculis Christi se subduxit, ut tacitè hìc innuit S. Matthæus. Quid, inquit S. Hieron. me propter divitias & sæculi lucra sequi vis, cùm nec hospitiolum habeam? *Vulpes foveas habent.*

X. *Quo sensu dicitur* v. 22. SINE MORTUOS SEPELIRE MORTUOS SUOS? ℟. Ludit in voce *mortuos.* Priùs enim mortuos spiritualiter, puta infideles, & fide, gratiaq; DEI destitutos significat, ait S. Chrysost. Hieron. & Aug. q. 6. in Matth. posteriùs *Mortui sepeliunt mortuos.*

mortuos corporaliter intelligit: ſicut enim corpus ab anima ſeparatum, eſt mortuum, ſic anima à DEO ſeparata eſt mortua. Sicut enim corporis vita eſt anima, ſic animæ vita eſt Deus, ait S. Aug. ſenſus ergo eſt, q. d. Sine mortuos, id eſt, infideles (id eſt, Judæos fidem meam reſpuentes) immerſos peccato & mundo, ac gratiâ DEI ac ſpiritu deſtitutos, *ſepelire ſuos*, id eſt, ſibi cognatos & affines mortuos corporaliter, fortè etiam ſpiritualiter; te enim volo me, qui vera ſum vita, ſequi; & mecum vivere hîc per gratiam illuſtrem & perfectam, ac in futuro per gloriam eximiam, atq; utramq; aliis evangelizare, ùt addit Lucas.

Reprehenſio ſit occulta.

XI. *Quare ſoli diſcipuli aſcendunt cum Chriſto in naviculam, & nullus de turba ingreditur* v. 14.? R. Chriſtus agnovit, quòd diſcipuli ſui in periculo erant infirmi futuri, & hac de cauſa erat ipſe increpaturus eos, dicens: *modicæ fidei*. Diſpoſuit ergo, ut turbæ ibi non adeſſent, ne diſcipulorum viderent defectum, neq; Domini in eos reprehenſioni aſſiſterent: tum quia reprehenſio debet eſſe ſecreta, ne crimina propalentur, tum quia non videbatur decens, ut eos, quos Dominus antea jam laudaverat; dicens: Vos eſtis ſal terræ, vos eſtis lux mundi: in publicum argueret, eorumq; defectum coram multis objiceret. Ait Job 42. v. 2. de ſe: *Inſipienter locutus ſum, & quæ ultra modum excederent ſapientiam meam.* Quibus verbis, agnoſcit Job ſuam reprehenſionem, quam ſecretò à Domino acceperat, eò, quòd involverit DEI conſilium imperitis ſermonibus, ac ſuarum ærumnarum cauſas non promptè apprehenderit. Et tamen poſt hæc ſtatim ſubdit textus v. 7. Poſtquam autem locutus eſt Dominus verba hæc ad Job, dixit ad Eliphaz Themanitem: iratus eſt furor meus in te, & in duos amicos tuos, quoniam non eſtis locuti coram me rectum, ſicut ſervus meus Job. Ecce Dominus laudat ſapientiam Sermonum Job, nam quod rectum eſt, prudentiâ, ſapientiâ & ſcientiâ plenum eſt, quomodo ergo ei objicitur: *inſipienter locutus es?* Adverte Divinæ ſapientiæ conſilium. Privatim ac occultè Dominus ſuum amicum Job increpat & arguit de his, quæ parum conſideratè locutus eſt, ùt dicunt S Thom. & Carthuſianus, publicè & coram aliis laudat, magnis encomiis extollit. Nec enim Divina clementia eum, quem magnis teſtimoniis illuſtravit: *non eſt ei ſimilis in terra, homo ſimplex, & rectus, ac timens DEum, & recedens à malo* Job. 1 8. publicè ac in aliorum conſpectu reprehenſione devenuſtat Mirabilis prudentia, inquit Oleaſter. Convicerat ipſe Job, ut fatetur, ſe ſtultè locutum, & apud amicos commendat ejus locutionis rectitutidinem. Sic etiam, cùm voluiſſet arguere Aaron, & Mariam murmurantes in Moyſem, eos ad fœderis tabernaculum ſeorſim præcepit cum fratre ire: *egredimini vos tantùm tres ad tabernaculum fœderis.* Num. 12. 4.

Dormit Chriſto ſæviente tempeſtate.

XII. *Quare Dominus ſæviente tempeſtate dormit* v. 24.? R. Videns Dominus ſuorum diſcipulorum fidem parvam, & imperfectam, ut eam probet ac perficiat, dormit. Perſvadebant ſibimetipſi diſcipuli, quòd Dominus dormiens, nec res præſentes cognoſceret, nec eos à periculo liberare poſſet. Dormit ergo Chriſtus, ut dum eum excitant, dicentes: *ſalva nos, perimus,* illorum exigua ac modica fide detecta, & ipſismet manifeſta, eos arguat & reprehendat. Et ita ex reprehenſione diſcant, ac informentur, quòd ipſe tam dormiens, quàm vigilans omnia intueatur, omnibusq; auxiliari poſſit: ac proinde, quòd ad evadendum periculum, ad ſedandam tempeſtatem fruſtra ipſum excitent, cùm æqualiter dormiens ac vigilans, hæc omnia poſſit præſtare. Ut ergo diſcipuli deponant ſuæ fidei exiguitatem, in eaq; proficiant, priùs vult Dominus, ut illius imperfectionem agnoſcant; nam, ut à ſuis defectibus curetur, prius requiritur, ut eorum præcedat cognitio. Dormiebat Chriſtus corpore, ait Orig. hom. 6. in Diverſis, ut Apoſtolos ſuſcitaret & evigilare faceret, præcipuè autem nos omnes, ne unquam animo dormiamus. Dormimus autem in corde & animo, quando præ deſidia negligimus actus fidei, ſpei, charitatis & aliarum virtutum, cùm autem easdem virtutes iterum exercemus, iteratò evigilat cor noſtrum. Dormivit JEſus in navi tempore tempeſtatis, ut evigilaret fides Apoſtolorum, & ut eum Deum & hominem agnoſcerent. Utraq; Chriſti natura in hoc miraculo indicatur, ait Drutmarus c. 19. in Matth. & DEI & hominis: DEI, quia mari, & ventis imperat, hominis, qui dormire narratur. Dormivit JEſus in navi in maximo periculo, ut ſpes evigilaret, & nos in maximo periculo refugium noſtrum ad eum acciperemus. Nullum adhuc ſpei ſuæ ſpecimen dederant Apoſtoli, fiducia eorum in Chriſtum in cordibus eorum velut obdormierat, ad eam excitandam, obdormivit Chriſtus, permiſit interim ventos flare, mare intumeſcere, navim aquis oppleri, & verba illa extorſit: *Domine, ſalva nos, perimus.* Evigila ſpes & fiducia, cùm advertis JEſum veluti obdormiviſſe in imminenti periculo, & mox ad te juvandum evigilabit, non jacet in lecto, ſed ſolùm ſuper cervical, paratus ad ſtatim ſurgendum, ſicut ſtatim ſurrexit ad vocem Apoſtolorum: ſurgens imperavit ventis & mari & facta eſt tranquillitas magna. Dormivit etiam JEſus, ut amor evigilaret. Qui dormit, claudit oculos, nec videt, quid circa aut contra ſe fiat. Videte, ait S. Chryſoſt. ſerm. 21. quemadmodum DEI oculi clauduntur, ne videant eos, ut vindicent, qui delinquunt. Numquid ergo amor non

evigi-

evigilet? an JEsum non ames, qui amore tui oculos claudit, indormit, peccata tua non videt, ut puniat.

XIII. *Quale fuit cervical, super quod Marci 4. 38. dicitur Christus dormivisse?* R. Alii putant fuisse ligneum cum Theophyl. alii laneum vel lineum Corn. à Lap ait: Cervical, in quo inter fluctus maris, certumq; imminentis naufragii periculum mente tranquillus, & sui securus dormiebat JEsus, denotare mysticè mo bonam conscientiam, 2dò resignationem in DEI voluntatem. 3tio fiduciam in DEI ope & providentia O pulvillum somni securi efficassimum conciliatorem. Pulvillum dico, tribus constantem partibus, bonæ conscientiæ securitate, qua fruebatur Aug. cùm contra Manichæum scriberet c. 1. Senti de Augustino, quidquid libet, sola me in oculis DEI, conscientia non accuset. Deinde conformitate cum DEI voluntate, qua imprimis enituit Job, qui identidem repetebat: *sicut Domino placuit, ita factum est.* Postremò firma in Deum ope sciunt enim justi, oculos Domini super ipsos esse, & quòd non in finem oblivio erit pauperis. *Cervical quietis.*

XIV. *Quare Christus in puppi dormivit,* quæ est ultima pars navis, & non in prora parte navis anteriore, vel sub malo in medio navis? R. det S. Aug. in Ps. 30. Docere nimirum dormiens voluit, bonam conscientiam in fine vitæ potissimum lætam quiescere & obdormire. Exultabunt sancti in gloria, inquit Ps. lætabuntur in cubilibus suis. Quæ est ista gloria, in qua Sancti exultaturi prædicantur? Hæc est gloria nostra testimonium conscientiæ nostræ. 2. Cor. 1. 12. Conscientia exultationem in vitæ puppi, agone inquam, procurat. Lætabuntur in cubilibus suis, scilicet in conscientia, inquit Hugo, quia habent tam bonum Dominum. Si apud quosdam vitæ tempore, consopita fuit conscientia, si è numero eorum fuerunt, qui Prov. 2. Lætantur, cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis, non putent se in agone quietem à conscientia habituros, variis illa tunc modis animam oppugnabit. *Conscientia bona.*

XV. *An ex verbis* v. 29. VENISTI ANTE TEMPUS TORQUERE NOS, *aliqui rectè inferant, Dæmones necdum recepisse ultimum demeritorum suorum supplicium, nec ante diem judicij esse damnandos, ut in Gehenna torqueantur?* R. Negativè. Certum enim est ex Scriptura & Patribus, Dæmones ab initio mundi, mox ùt peccârunt, fuisse damnatos, igneq; gehennæ cruciatos, quo igne cruciantur etiam absentes, dum inferno egressi in hoc àere versantur, per DEI omnipotentiam Ignis enim gehennæ, quia est instrumentum supernaturale DEI omnipotentis, hic DEO volente in distantissima agere potest. Quod ergo ajunt Christo: *venisti ante tempus torquere nos,* non antiquam, perpetuam, & irrevocabilem ignis gehennæ torsionem, sed novum, quod à Christo timebant tormentum, deprecantur Novum hoc erat expulsio à corpore hominis, quod possidebant, uti docet S. Chrysost. hom. 29. ac Dominii in tentandis vexandisq; hominibus diminutio: item relegatio ad carcerem gehennæ. Dæmones enim gaudent, dum permittuntur in hoc àere versari, tum quia in eo aliquid libertatis habent ad vagandum per varias provincias, ad concitandum tempestates, sterilitatem, morbos, pestes &c tum quia in eo, facultatem habent homines tentandi & affligendi. Quare tormentum eis est relegari in infernum: hæc enim eorum est quasi incarceratio, & summa coarctatio, ad quam damnabuntur in perpetuum à Christo in die judicii, in quo fiet publica eorum reprobatio & damnatio, quæ erit summa eorum pœna & confusio coram omnibus Angelis & Beatis. Videntur ergo hi Dæmones timere, ne diem judicii, quem ipsi remotum putabant, Christus anticipet, ac velut judex in eo illos ad tartara illicò condemnet, aut certè seorsim eò ipsos ableget, Ita Maldonatus, Toletus & Suarez l. 8. de Angelis c. 2. num. 13. *Dæmones cruciantur post peccatum.*

CAPUT IX.

Paralyticum sanat remissis illi peccatis: Matthæum vocat & peccatores: Principis Jairi filiam à morte suscitat: mulierem à fluxu sanguinis, duos à cœcitate curat; ut & mutum & Dæmoniacum.

QUæstio I. *Quæ hìc dicitur civitas Christi?* R. Capharnaum, hìc enim relictâ Nazareth habitabat, ùt ait Matth. c. 4. quæ habitatio effecit, ut Patria Christi dicatur. Bethlehem ipsum tulit, ait S. Chrysost. Nazareth educavit, sed Capharnaum perpetuum ipsius erat habitaculum. Probatur ex Marco. Is enim paralyticum in Capharnaum sanatum ait: ergo Matthæus Christi civitatem, in qua Christo paralyticus oblatus est, Capharnaum vocat. *Civitas Christi.*

II. *Quid est difficilius, dimittere peccata, aut sanare paralyticum?* R. Per se difficilius est, remittere peccata, quàm sanare paralyticum, imò quàm creare cœlum & terram. Ratio à priori est, prima, quia peccatum & peccator, utpote hostis DEI, longè magis distat à DEO, quàm paralysis & paralyticus, imò quàm omnes res creatæ, utpote in se bonæ, imò quàm ipsum nihil, ex quo creatæ sunt, nihil enim negativè duntaxat, & *Paralysis facilius curatur, quàm peccatum.*

privativè opponitur enti & DEO; peccatum verò ex diametro adversatur & contrariè repugnat DEO: nulla enim contraria magis sibi adversantur, quàm summa bonitas, & summa malitia, hoc est, Deus & peccatum. 2da quia remissio peccatorum est altioris ordinis, quàm sit natura, omnesq; res naturales: spectat enim ad ordinem supernaturalem gratiæ; illamq; secum adducit. Gratia autem est summa participatio divinitatis: per gratiam enim simus *divinæ consortes naturæ.* 2. Pet. 1. v. 4.

Lecti portatio.

III. *Cur lectum jussit Dominus tollere?* R. Lectus erat signum ægritudinis, idem fit signum sanitatis. Signum ægritudinis fuit paralyticum portans, signum sanitatis fuit, à paralytico portatus. Unde Chrysologus Serm. 50. Tolle, inquit, lectum tuum, ut quod infirmitatis testimonium, sit probatio sanitatis, ut lectus doloris tui, sit meæ curationis indicium, ut receptæ fortitudinis magnitudinem, ponderis asserat magnitudo &c. Haymo in Matth: Lectus te portavit, quando infirmus eras, ut ostenderet te infirmum esse, porta tu lectum tuum, ut cùm portatur à te, ostendat te sanum esse effectum &c.

Matthæus in telonio peccavit.

IV. *An Matthæus in munere telonarii peccârit?* R. Munus quidem ipsum justa tributa exigendi peccato caret. At Patres Matthæum in eo tractando peccâsse ajunt: Chrysost. hom. 31. in Matth. fercula ipsa, quæ in convivio appositi, injustè, ac rapaciter acquisita scribit. S. Chrysol serm 28. Matthæum, inquit, divitiæ fornace avaritiæ sic coquebant, sic alligabant vinculis cautionum, sacculorum ponderibus sic premebant, ut levari ad innocentiam non valeret &c. Et serm. 30. Deterius, inquit, sedebat publicanus in telonio, quàm paralyticus jacebat in lecto. Hic carnis patiebatur paralysim, ille mentis. Paralyticus doloribus succumbebat invitus, publicanus vitiis voluntariis serviebat &c.

Convivia Christus adit.

V. *Cur Christus ad convivia peccatorum venit?* R. ut spirituales illis epulas præberet. Hinc S. Hieron. Matth. 9. Ibat, inquit, Dominus ad convivium peccatorum, ut occasionem haberet docendi, & spirituales invitatoribus suis præberet cibos. Chrysol. serm. 30 Venit ad convivium vita, ut faceret secum convivere morituros; decubuit indulgentia, ut peccatores levaret ad veniam.

Publicani infames.

VI. *Cur apud Judæos Publicani infames erant?* R. det Card. Baronius in Annalibus pag. 120. Nulla alia subest causa, nisi quòd Judæi genus Abraham ex libera, liberos se esse profiterentur. Unde licèt inviti ad vectigal & tributum pendendum adigerentur: nefas tamen, execrandumq; existimabant Judæos à contribulibus suis, ad id Romanis præstandum compelli, cùm illud Nomine Imperatoris ab illis exigerent. Item Cajetanus Matt. 9. Publicani publicis vectigalibus seu censibus Romanorum vacabant; propterea infames erant apud Judæos, tanquam ministri gentilium in damnum populi fidelis &c

Justi an vocati à Christo.

VII. *Quo sensu dicitur* v. 13. NON VENI VOCARE JUSTOS? R. Apud S. Lucam additur: ad pœnitentiam. Alioqui enim Christus quoq; vocavit Nathanaelem, qui jam erat justus, ad sui sequelam; item B. Virginem, S. Joannem & Elisabetham, qui jam erant Sancti, vocavit ad majorem sanctitatem & perfectionem; sed tamen prior quoq; horum, quin & primorum Patrum, ut Abrahæ, Mosis, Davidis sanctitas manavit ex prævisis meritis Christi: qua de causa S Aug. l 3. contra duas epistolas Pelagij c. 4. Abraham & omnes priscos Sanctos vocat filios non tam vereris, quàm novi testamenti, hoc est, Christi Discipulos & Christianos: omnes enim, quasi filij Adæ peccatoris eguerunt redemptione, fide & gratia Christi: *Omnes enim peccaverunt, & egent gloriâ,* (gloriosâ gratiâ) *Dei.* Rom. 3. 23. ita S. Chrysost. Aliter S. Hilarius, Hieron. Theophyl. & Euthimius, q. d. Non veni vocare justos, eos scil. qui superbè sed falsò se justos æstimant & jactitant, cùm revera sint peccatores & hypocritæ, quales vos estis, ô Scribæ & Pharisæi.

Jejunium non est impositum Discipulis Christi.

VIII. *Quare Christus non imposuit suis Discipulis aliqua jejunia?* R. Ad manifestandam celsitudinem legis gratiæ supra legem veterem. Nam Moyses in sua lege dedit multa & dura mandata, & ideo Petrus Act 15. v. 10. eam appellat grave jugum, quod nec Patres nostri, nec nos portare potuimus. Et tamen hujusmodi Mosaica præcepta ex se non justificabant, nec dabant gratiam. At Christus D. tanta sublimitate dedit suam legem, ut in ea nullum imposuerit durum onus jejuniorum, vel cæremoniarum, sed in ea nobis dedit septem Sacramenta, quæ sunt septem perennes fontes gratiæ, quæ mira suavitate hominem sanctificant, & justificant, unde ait Joan. 1. 19. *Lex per Moysem data est, gratia & veritas per JESUM Christum facta est.* Nam Moyses promulgavit illam legem, ut legem servorum, & ideo dedit illa præcepta dura & servilia. At Christus dedit suam legem, ut filiorum legem & ideo in illa ut sua propria mandata, solùm dedit præceptum fidei, & Sacramentorum, quæ ex opere operato sanctificant & justificant homines, & faciunt filios & hæredes DEi. Ita docet S. Thom. 1. 2. q. 108. art. 1. & clariùs 2.

Commissura panni rudis.

IX. *Quo sensu dicitur* v. 16. NEMO IMMITTIT COMMISSURAM PANNI RUDIS IN VESTIMENTUM VETUS: &c. R. Nemo prudens vestimento veteri, & jam rupto resarciendo insuit fructum novi & impexi panni, sic enim tolleret *plenitudinem ejus à vestimento,* id est, laceraret etiam illam veteris vestis partem, quæ adhuc integra erat, & faceret fissuram majorem, deformiorem, & instauratu difficiliorem, & utrumq; periret

dupli-

duplicato damno. q. d. Ita nec ego prudenter facerem, si discipulis meis adhuc imperfectis & parum firmis, nova, robusta & gravia onera extraordinariorum jejuniorum & precum Luc. 5. 33. ut vos urgetis imponerem. ita Theophyl. Jansenius. *Utres veteres* novo vino immisso rumpuntur, musti efferveſcentis violentiâ. Nempe discipuli mei paulatim mihi formandi fingendiq; sunt, donec planè novi & robusti evadant hausto spiritu novo Act. 2. v. 2. tunc sponte susciplent jejunia, aliasq; austeritates. Act. 13. v. 2. &c.

X. *Quomodo conciliandi sunt Evangelistæ circa verba Jairi precantis pro filia:* Marcus ait eum dixisse: *Filia mea in extremis est.* Lucas: *Unica filia erat ei, & hæc moriebatur.* Matthæus autem: *Filia mea modò defuncta est.* R. S. Aug. l. 2. de consensu Evangelistarum c. 28. arbitratur Jairum id dixisse, quod Marcus scribit: *Filia mea in extremis est.* Matthæum verò non quid ille dixerit, retulisse, sed quid cogitaverit & voluerit, attendisse: filiam enim, quam in extremo spiritu reliquerat, obiisse mortem Jairus cogitabat, & in vitam revocari volebat. Attendit (ait Aug.) Matthæus, non verba Patris de filia, sed, quod est potissimum, voluntatem. Et talia verba posuit, qualis voluntas erat. Ita enim desperaverat, ut potiùs eam vellet reviviscere, non credens vivam posse inveniri, quam morientem reliquerat. Placet magis credere Jairum utrumq; dixisse. Videlicet, primum quidem dixit: *in extremis est:* deinde rem exaggerans, vel ita credens addidit, *modò defuncta est.* A tempore itineris, ait Chrysost. mortuam puellam esse conjecisse, aut certè calamitatem amplificâsse. *Filia Jairi mortua.*

XI. *Cur noluit Christus cum Regulo descendere in domum suam, sed ipsum reprehendit, cum archisynagogo autem vadit in domum, nec ipsum increpat?* Respondet S. Paschasius l. 5. in Matth. Cum Jairo tendit in domum, ut in via curaret mulierem à fluxu sanguinis in qua eximia fides resplendebat, ut ergo huic promptæ fidei subveniret, Jairi defectum putantis Christum absentem subvenire non posse dissimulat. S. Bonav. ait: Non reprehendit Dominus istum, qui rogabat, ut iret in domum suam, sicut Regulum, quia Regulus magis credebat eum infirmum sanare posse, quàm mortuum suscitare. Unde dixit Domino: *Descende priusquàm moriatur filius meus.* Hic autem credidit, quòd æquè bene posset utrumq;, & ideo juxta Matthæum pro filia mortua rogans introducitur. Archisynagogum non reprehendit, sicut Regulum, nam in multis virtutibus eum præcelluit. Jairus enim multò majorem habuit reverentiam ac humilitatem erga Christum; siquidem adorabat eum, & cecidit ad pedes ejus, ùt explicat S. Lucas, habuitq; multò majorem orationem, & cum magno affectu, ùt exprimit S. Marcus, *deprecabatur eum multùm,* habuitq; multo majorem fiduciam, siquidem credidit, mortuum posse suscitare. Ergo licèt Archisynagogus habuerit aliquem defectum in fide, noluit Dominus patenter arguere, sed ejus precibus annuens dissimulat, & cum ipso pergit in domum, eum ad perfectam fidem adjuvans, rarò enim invenitur pretiosissimum virtutum aurum, absq; aliqua scoria. Deniq; erat iste Princeps synagogæ & sacerdos; ergo ob Ecclesiasticam dignitatem fuit venerandus, & non publicè arguendus ac increpandus.

XII. *Cur Christus sine mora descendit cum archisynagogo in domum suam, post annuntiatum autem Lazari infirmitatem Joan. 11. v. 6. moram traxit?* Respondet Rupertus l. 10. in Joan. Quare mansit in eodem loco duobus diebus? utiq; idcirco, ut in eo retardante moreretur, sepeliretur langvidus ille. Non enim volebat langvidum sanare, non mortuum in domo adhuc jacentem, sicut Archisynagogi filiam, resuscitare: Audita morte adolescentulæ sine ulla dilatione ad eam tendit, & cognita infirmitate Lazari, duobus diebus moratur in eodem loco. imò expende textum: *JEsus Lazarum diligebat: ùt ergo audivit, quòd infirmaretur, tunc mansit duobus diebus.* Manet in illo loco, ut fieret manifestum, quàm ægrè ac difficulter vitam istam, ac temporalia bona amico suo & justo præstabat. 2dò in Lazaro publicum ac notorium delictum adumbratur, in ista verò adolescentula significabatur peccatum occultum, & adhuc inclusum in domo: ergo sine dilatione ad eam pergit Christus, antequàm è domo exeat, & peccatum in omnium oculis sit positum; nam evulgata delicta difficulter emendantur, cùm peccator jam verecundiam amiserit, & impudens factus sit. 3tiò & maximè ad mentem Ruperti. Audita infirmitate Lazari moratur Dominus in loco illo, ut defunctus sepulturæ traderetur. Christus D. suâ prudentiâ non statim exhibet omnia, sed in suis mirabilibus paulatim processit, tres mortuos suscitavit, imò, hanc puellam in domo inclusam. 2dò filium viduæ Naim in porta civitatis, cùm jam in sepulchrum portaretur; ultimo loco Lazarum jam in terra defossum, ac lapide coopertum, quod omnibus quid majus erat.

XIII. *Quæ fuit mulier, quæ tetigit fimbriam vestimenti Christi?* R. Non fuit Martha Lazari soror, ùt innuit S. Amb. l. de Salom. c. 5. sed alia ex Cæsarea Philippi oriunda, quæ in eadem urbe statuam postea Christo erexit hujus beneficii indicem, sub qua nascentes herbæ, simul ac statuæ fimbriam attigissent, morbis, quibuslibet medebantur, inquit Euseb. l. 7. hist. c. 14. Statuâ hac dejectâ Julianus apostatâ suam substituit, quæ mox fulmine icta est, teste Zozomeno l. 5. c. 21. *Fimbriam vestis Christi tangens mulier.*

Puella non est mortua.

XIV. *Cur Christus dixit* v. 24. *Puella non est mortua*, cùm tamen revera fuerit mortua? R. Non est mortua, eo, quo vos putatis modo, scil. ut maneat in morte: sed *dormit* exspectans, ut à me suscitetur, cui facilius est illam à morte, quàm hominibus à somno excitare.

CAPUT X.

Duodecim Apostolis suis gratiam curationum impertit, mittitq; ad prædicandum Evangelium, priùs optimis monitis instructos & roboratos. Factum id mense Julio anno secundo prædicationis Christi.

Judas eligitur.

QUæstio I. *Cur elegit Christus Judam in Apostolum, quem sciebat fore proditorem?* R. Ut hoc eximio beneficio arctius illum sibi devinciret, & magis obstrictum redderet, 2dò, ut familiariori suî copiâ illi datâ, non deesset suo tempore facultas & occasio. 3tiò, ut indicaret semper in Ecclesia permiscendos bonis malos, donec area planè permundetur. 4tò, ut ostenderet non enervari vim Sacramentorum, neq; inanem reddi illorum administrationem propter ministrorum (qui semper aliqui erunt mali) indignitatem.

Gratis accepta gratis danda.

II. *Quomodo Apostoli jubentur gratis dare, quæ gratis acceperunt?* R. non præcisè, quia gratis acceperunt (qui enim scientiam vel artem naturalem à DEO infusam haberet, ut Bezeleel vel Salomon, posset ejus functiones vendere) sed quia quod spirituale, vel supernaturale est, v. g. patrare miracula, res talis ac tanta est, ut non possit humanâ industriâ, sed solo DEI munere obtineri, ac proinde id pretio vendere indignum esset. Unde patet Simoniam non solo jure positivo, sed & naturali prohibitam esse. Unde Petrus ad Simonem, à quo Simoniæ vitium nomen invenit, Act. 8. *Pecunia*, inquit, *tua tecum sit in perditionem. Quoniam domum DEI existimâsti pecuniâ possideri.*

Præceptum temporale de non habenda pecunia.

III. *An Præcepta Christi de non possidenda pecunia, calceis, virga & duabus tunicis data Apostolis fuerint perpetua, an verò tantùm temporalia?* R. Fuisse tantùm pro tempore, quo primùm missi sunt bini prædicare per Judæam, ut Judæis hoc opum contemptu, atq; hac vita Angelica & cœlesti persvaderent se esse Apostolos veri Messiæ, id est, Christi, qui è cœlo in carnem descendens, omnes ad cœlestem vitam & gloriam spretis rebus terrenis vocabat. Postea verò per Gentes proficiscentes, ibant ad Infideles: qui eos quasi hostes Deorum suorum prima fronte aversabantur, nec eis hospitium & cibum dare dignabantur, donec per miracula & sanctitatem vitæ eis fidem adhiberent: ergo antequam eis fidem persvaderent, debebant sibi de victu providere, præsertim quia sæpe magno comitatu Catechistarum, interpretum & aliorum Coadjutorum incedebant, ut videre est de S. Paulo Act 20. 4. Hinc S. Thomas: Ante passionem, inquit, missi sunt Apostoli ad Judæos. Apud Judæos autem consvetudo erat, quòd suis debebant providere Magistris: ideo Christus nihil ferre præcepit Apostolis, cùm mitteret eos ad Judæos. Sed ista non erat consvetudo in gentibus. Ideò cùm missi sunt ad gentes, data est eis licentia portandi sumptus: portabant igitur quando prædicabant aliis, quàm Judæis.

Pecuniam Christus non habuit

IV. *Cur Christus præceptum, quod dedit Apostolis de non portandis pecuniis, ipse non servavit?* R. Christus in se servavit, quia ipse non portavit loculos, sed Judas, ac cùm initio solus cœpit prædicare, loculis omnino caruit, ut patet ex illo: *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.* Matth. 8. Quo ad Apostolos verò & discipulos 72. quos secum ducebat alendos, permisit Judam portare loculos, quia aliàs eos alere fuisset impossibile. Quis enim tantam hominum multitudinem hospitio excipere, & continuò sustentare voluisset, aut potuisset? Apostolos autem per Judæam misit binos duntaxat: bini autem facilè apud aliquem virum pium hospitium & victum reperire poterant.

Tunica dua vetantur.

V. *Quo sensu vetat Christus* DUAS TUNICAS v. 10.? R. Mutatorias, scil. duo paria tunicarum, ait S. Thom. ut nunc unum, nunc alterum induas: alioquî frigoris & necessitatis causâ, duabus simul indui tunicis non vetat, nam & ipse Christus duabus indutus fuit Joan. 19. Lyran. Toletus & Barradius ajunt absolutè hîc unicam tunicam præcipi: una enim in Judæa, utpote regione calida, tunica sufficit. Unde & Christus unicam tantùm externam habuit: nam illa inconsutilis interna erat loco indusii, vel subuculæ: externæ deinde pallium injiciebant.

Calcei vetantur.

VI. *Quales calceos vetat Christus?* R. Qui totum pedem tegant, non sandalia, hoc est, soleas, quæ plantam pedis duntaxat muniunt, ne in saxa impingant: hæc enim Apostolis concessâ docet Marcus c. 6 v. 9. Judæa enim aspera & saxosa est regio, quòd supernè pedes relinquant nudos; calcei verò pedes stringunt, & quasi incarcerant, ut minùs sit liber & expeditus ad iter, atq; eundem sæpe nimis calefaciunt. Calceos ergo vetuit Christus Apostolis per Judæam peregrinantibus, ut expeditiores forent ad iter, utq; eis nimiam pedum curam adimeret.

VII.

VII. *Quomodo conciliandi sunt Evangelistæ.* Matthæus & Lucas ajunt Christum præcepisse Apostolis, ne virgam ferrent. Marcus autem ait: *Præcepit eis, ne quid tollerent in via, nisi virgam tantùm?* R. Virgam defensoriam & vindicatoriam, quæ hebraicè vocatur scheveth, & synecdochicè quævis arma inhibet per viam: concedit tantùm virgam, seu baculum viatorium, dictum hebraicè mischan, ut Marcus expressit. Hæc ad literam hac sola vice suis Christus præcepit, ùt patet ex Lucæ 22. v. 35. *Quando misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis.* Pro aliis vicibus tantùm prohibet id, quod per hæc significabatur, putà, curam minùs necessariam corporis, quæq; offendiculo aliis esset, vel ipsismet impedimento. Patet, quia neq; Christus neq; Apostoli aliàs hæc ad literam observârunt, cùm constet & loculos habuisse, & *mulieres sorores,* à quibus necessaria curarentur, & pecuniam pro rebus venditis ad pedes Apostolorum depositam esse. *Virga non ferenda.*

VIII. *Quare Christus dixit,* v. 17. CAVETE AB HOMINIBUS, *cùm antea dixerit* MITTO VOS, SICUT OVES INTER LUPOS, *cur non dicit: cavete à lupis?* R. det S. Chrysost. hom. 24. in Imperfecto. Ideo, ait, dixit: Attendite vobis ab hominibus, quasi à quibusdam pessimis malis, & super omnia mala malis. Quod latè probat, & tandem concludit: Homo malus pejor est, quàm ipse diabolus. Diabolus enim, si videt justum, non est ausus ad eum accedere. Homo autem malus, quamvis hominem sanctum, non solùm illum non timet, sed magis contemnit. Non enim diabolus homini præstat virtutem, sed homo diabolo. Arma enim diaboli est malus homo. Sicut enim homo sine armis non potest aliquid facere contra hostem, sic & diabolus etiam sine homine non valet aliquid contra sanctos. Haymo ait: Quos Dominus superiùs appellavit lupos, eos nunc appellat homines: lupos eos vocat propter voracitatem, homines propter ferocitatem. Licèt lupus sit valde vorax ad deglutiendum; at homo rabie agitatus & ira, valde est super omnia animantia ferox. Hoc respicit Seneca ep. 109. *Occurret,* ait, *nobis loco feræ, & homo feris omnibus perniciosior.* Egressus unus leo è sylva occidit prophetam 3 Reg. 13. 24. Egressi duo ursi è saltu laceraverunt 42. pueros 4. Reg. 2. 24. At cùm Joseph ploratur occisus à bestia, dicitur: *fera pessima devoravit Joseph.* Gen. 37. 33. Cur in aliis est tantùm Leo, vel ursus, hìc verò fera pessima? denotabantur homines, S. Chrysost. l. c. Si bestiis comparare volueris hominem, pejorem invenies eum. Bestia enim, quamvis sit crudelis, tamen quia est irrationabilis, declinatur ab homine crudelitas ejus. Homo autem crudelis, cùm sit & rationabilis, non facilè evadetur crudelitas ejus. *Homo malus.*

IX. *Cur jubet Christus excutere pulverem de pedibus* v. 14.? R. Ut Apostoli significarent, se non terreni lucri vel commodi causa ipsos accessisse, ut nulla prorsus re, ne quidem omnibus communi, putà terrâ & aquâ, communicare velint cum his, qui Evangelium DEI rejiciunt. Ita ad literam fecerunt Paulus & Barnabas Act. 13. Signum hoc est anathematis, maledictionis & damnationis impendentis. Ita Orig. Hilar. Hieron. Chrysost. Aug. & Theophyl. *Pulvis de pedibus excutiendus.*

X. *Quomodo tolerabilius erit Sodomitis, quàm civitati non recipienti Apostolos?* R. Etsi Sodomia gravissimum peccatum sit in specie libidinis, contra naturam, & in cœlum clamans: cedit tamen peccato infidelitatis, inobedientiæ, contumaciæ & rebellionis in Deum, peccato contra legem etiam naturalem & divinam, contra Spiritum Sanctum & cœlestem illius gratiam, tam clarè, tam promptè, tam liberaliter ipsis oblatam & miraculis confirmatam. Quorum nihil habuerunt Sodomitæ. Ita S. Hilarius, Hieron. Beda, Theophyl.

XI. *In quo consistit prudentia serpentum?* R. Maximâ curâ & astutiâ sibi cavent ab omni eo, quo impugnari se sentiunt: contra incantationes obturant aures Ps. 57. 6: contra enses aliaq; arma caput suum membrorum reliquorum objectu tutantur; pellem subinde, per angustum foramen rependo, sibi detrahunt, ut novam inducant: venenum in guttur collectum tamdiu servant, donec opportunum sit illud jacere, nec nisi quàm cautissimè effundunt. Ita S. Aug. *Serpentum prudentia.*

XII. *In quo consistit simplicitas columbæ?* R. Columbæ, licèt pullis orbentur, ad eosdem tamen nidos, & domos redeunt; q. d. Christus; sic & vos ô Apostoli, nolite esse memores injuriarum vobis factarum, sed placidi & amantes redite ad eos juvandos & convertendos, à quibus læsi vexatiq; estis. *Columbæ simplicitas*

XIII. *An fugere in persecutione sit præceptum, vel tantùm permissum?* R. Aliquando est præceptum, putà quando vel Ecclesiæ, vel Evangelii necessitas, vel lapsus proprii periculum ita exigeret. Aliquando consultum, etsi non præceptum, nempe quando ex fuga major perfectio speratur, seu propria, seu aliena. Aliquando tantùm permissum, cùm quis valde metuit pœnas, nec obligatur manere. Sed prohibitum est fugere, cùm fidei, justitiæ, vel ovibus inde periculum Joan. 10. v. 11., aut scandalum crearetur. Et sunt hæc omnia juris naturæ. *Fuga in persecutione.*

XIV. *Quare Christus Apostolis dicit:* CAPILLI CAPITIS VESTRI NUMERATI SUNT

SUNT v. 30.? R. det S. Hieron. Immensam DEI erga nos ostendit providentiam, & ineffabilem signat affectum, quòd nihil nostrum lateat Deum, etiam parva & otiosè dicta. Christus Dominus hìc loquitur ad literam de capillis exterioribus. Non est autem ei difficile capillos numerare, cui difficile non fuit creare. S. Aug. serm. 6. de verbis Domini ait: *Videte, quia nec minima vestra contemnit DEus.* Habet in numero capillos vestros, qui in numero habet nostra minima obsequia sibi exhibita. S. Hilarius hìc ait: In numerum aliquid colligi, diligentiæ & solicitudinis cura est. Neq; enim dignum negotium, peritura numerare. Ut igitur nihil ex nobis periturum esse cognosceremus, ipso capillorum nostrorum suppuratorum numero monstratur, salvis nobis ex solido futuris, cum quid innumerabile in nobis sit, conservandi affectu, & potestate numeratur. Ut Christus D. à suis omnem ruinæ timorem removeret, eorum capillos numeratos dicit: Nemo enim numerat, quæ in perditionem dat, sed tantùm ea, quæ sub custodia, ut salva sint, servantur.

XV. *Quomodo Christus venit mittere non pacem, sed gladium* v. 34.? R. per accidens, & præter intentionem suam. Nam Evangelio & Doctrinâ suâ omnes excitat & provocat ad pacem cum DEO, cum proximo, cum propria conscientia. Sed tanta est plerorumq; nequitia & pertinacia, ut nolint vel ipsi bene monenti obsequi, & obsequentibus impune id esse, unde proditiones, bella, & neces. Clamat quidem tota Scriptura, Christum pacem allaturum in terras. Ps 71. 7. Orietur in diebus ejus justitia & abundantia pacis Isa. 9. 7. Vocabitur Princeps pacis: multiplicabitur ejus imperium, & pacis non erit numerus. Et in Nativitate ejus Angeli cantabant Luc. 2. 14 *In terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Et ipse Dominus suis discipulis in quamcumq; domum intrantibus præcepit, ut dicerent Luc. 10. 5. *Pax huic domui.* Et discessurus ad Patrem suis discipulis dixit Joan. 14. 27. *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis.* Multipliciter tamen sumi potest pax per respectum ad varia subjecta Christus venit in mundum ad faciendam pacem inter Deum & homines, delendo peccata nostra, reconciliandoq; nos DEO, cujus pacis ipse dicitur princeps, & hanc annuntiaverunt Angeli in ejus Nativitate. 2dò venit Christus ad faciendam pacem inter homines diffundendo charitatem in eorum cordibus, qua probi & boni fideles se mutuò diligant, quæ etiam charitas ad proprios inimicos ac adversarios se extendit, ac eos amat, ac quantum fas est, adjuvat, ac pro eis orat ad Deum. 3tiò Christi adventu inducta est pax intra ipsum hominem, dum per Christi gratiam appetitus subjiciuntur spiritui, caro spiritui, quæ pax à solo DEO provenire potuit. Philip. 4. 7. *Et pax DEI, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras in Christo JESU.* Alia pax est cum iniquis, & perversis. Hanc Christus Dominus abstulit, nam ejus sacratissimo adventu, luce evangelica exorta in mundo, multi à Christo illuminati, ejus fidem susceperunt; alii verò in sua obcœcatione ac errore permanentes, odio, persecutione, ac nimia tyrannide insurrexerunt in Christi fideles; & ita inter eos, qui aliàs, ùt consangvinei, ac patritii, erant amicitia conjuncti, facta est dissensio & contentio, quæ est sancta, & pia dissensio, ùt ait S. Hier. *Propterea bellum missum est bonum, ut rumperetur pax mala.* Hæc autem dissensio fuit valde expediens, ut fieret separatio fidelium ab infidelibus, ne pars sana & sancta corrumperetur à putrida, & infecta. Ad hanc autem separationem ac scissionem indicandam dicit, se mittere gladium in terram. Sic latè hìc discurrit S Chrysost. hom. 36. Præcipua, singularisq; pax tunc præstatur, quando quod tabo vel sanie corrùptum est, abscinditur, atq; projicitur: nam & medicus hoc modo reliquum corpus conservat facilè, si quod reduci ad sanitatem non potest, exciderit, atq; abjecerit. Quod ipse probat exemplo turris filiorum Adam, quando pernicioſa illa pax per salutarem vocis dissonantiam dissoluta est, tranquillam atq; laudabilem pacem reddidit, Gen. 11. 7. Et quòd aliquando concordia sit mala, probat S. Pater: *Tempore ipsius Naboth concordia illa quovis bello fuit atrocior: nec enim semper concordia laudanda, cùm etiam latrones magnâ inter se concordiâ conspirare sciamus.* S Isidorus Pelusiota l. 3. ep. 246. sic ait: Pax si habet annexam justitiam, Divina quædam res est; si autem altera sine altera sit, virtutis pulchritudnem labefactat: Pacem ergo, quæ est cum justitia Christus adduxit; eam verò, quæ existit sine illa, abstulit.

Aquæ frigidæ merces.

XVI. *Quare promittitur merces danti potum aquæ frigidæ* v. 42.? R. cum Glossa. Deum magis ad pium affectum dantis respicere, quàm ad quantitatem rei exhibitæ, quamvis enim vas aquæ frigidæ nullius valoris sit apud homines, tamen pro eo multam mercedem dat Deus, si confertur nomine discipuli Christi, quia opus ipsum est valde acceptabile, potiùs ex intentione dantis, quàm ex quantitate. Vidua illa paupercula solùm duo ærea minuta intulit, & tamen à Christo laudatur, quòd plus omnibus obtulerit Luc. 21. 3. S. Chrysost. hom. 36. in imperfecto. *Verè justus judex, qui enim & pro verbo otioso constituit pœnam.* Matth. 12. 26. *Justum erat, ut pro aqua frigida daret mercedem:* Non dixit aquam calidam, sed frigidam, nam calida indiget aliquo labore, tempore, & ex-

pensis

pensis lignorum, ignis & vasis ad calefaciendum: at aquam frigidam, ut à fonte manat, quilibet dare potest.

CAPUT XI.

Joannes è carcere mittit discipulos ad Christum. Christus præfert Joannem omnibus Prophetis: Judæos incorrigibiles arguit, obstinatis minatur: parvulis seu humilibus gratulatur, fatigatos & oneratos ad requiem invitat.

QUæstio I. *An Joannes dubitavit Christum Messiam esse?* R. Non dubitavit de hoc Joannes (etsi ita sentiat Justinus & Tertull.) nam pridem testatus fuerat publicè illum esse Messiam. Sed quia plerosq; discipulorum suorum alieniores experiebatur à Christo, utpote qui Joannem Christo præferrent, voluit facta legatione illos coràm sisti Christo, & hac occasione, per illum instrui tum dictis, tum factis, atq; ita ad illum traduci. Unde & prudenter, ut discipulorum consulat pudori, suo nomine rogat Joannes: *Tu es, qui venturus es.* Ita S. Hilarius, Chrysost. & Cyrillus. Interrogat per discipulos, ait author imp. hom. 27. non ut ipse disceret, sed ut missi discipuli oculis viderent opera Christi, & crederent. *Joannes non dubitavit de Christo.*

II. *Quo sensu dicitur* v. 11. NON SURREXIT INTER NATOS MULIERUM MAJOR JOANNE Baptista? R. Sermonem esse de hominibus veteris testamenti, præcedentis scil. sæculi usq; ad Christum. Non ergo Joannis hìc comparatur cum Christo, B. Virgine vel Apostolis, qui Christum secuti sunt, & ob dignitatem Apostolicam Joanne non fuêre minores, sed potiùs majores. De Moyse quidem dicitur Deut. 34. 10. *Et non surrexit ultra Propheta in Israel sicut Moyses.* Sed additur: *Quem noverit Dominus facie ad faciem, in omnibus signis & portentis, quæ misit per eum, ut faceret in terra Ægypti Pharaoni.* q.d. Non fuit similis propheta Mosi, similis, inquam, in isto familiari DEI alloquio & potentia, qua tot plagis percussit Ægyptum; in aliis autem rebus Joannes similis, imò major fuit Mose, cæterisq; Prophetis. *Joannes major inter natos mulierum.*

III. *Quis in cœlo minor dicitur, qui tamen major sit Baptistâ?* R. S. Hieron. hoc de Salvatore intelligit, quòd qui minor est tempore, major sit dignitate &c. Erit ergo hujusmodi sensus: inter natos mulierum major propheta non surrexit Joanne. at licèt cæteris Prophetis major sit, non est major Messia. In verba in regno cœlorum connectit Chrysost. cum sequentibus non cum antecedentibus hoc pacto: qui minor est ætate, hic major est in regno cœlorum, id est, ùt Chrysost exponit, in spiritualibus omnibus, cœlestibusq; Bonis S. Aug. sic exponit: qui minor est Joanne nascendi tempore, in regno cœlorum, id est Ecclesia major est eodem Joanne. Nam Christus in Ecclesiæ regno maximus est, ejus Rex ac Pontifex summus, verusq; Deus, Joannes ejus servus. Alii sic explicant: Inter eos, qui in terris vixerunt, Prophetas, nullus Joanni præcellit. At qui minor est in regno cœlorum Angelus Deum cernens, major est illo. Superat enim DEI cognitio, beatificaq; scientia omnem propheticam cognitionem. Amor quoq; patriæ, amorem viæ, objecto præsente vincit.

IV. *Quomodo à diebus Joannis Baptistæ regnum cœlorum vim patitur?* R. Quia ad tempora Joannis non nisi obscurè cognitum, nunc autem clarissimè ostensum, & ut bravium viriliter certantibus propositum, *vim patitur*, id est, vi quæritur, invaditur, occuparur. *imò* quia magna multitudine ac fervore incipiunt homines illi inhiare *zdò* quia quibus nullum jus regni esse videbatur, putà peccatores, publicani, meretrices, Gentiles, in illud jam irruunt, & præ filiis regni intrare contendunt inquit S. Hilarius & Amb. Alludit Christus ad figuram regni cœlorum, nempe terram promissionis, quæ non nisi viribus & armis erat obtinenda. *Regnum cœlorum vim patitur.*

V. *Quis est sensus verborum* v. 13. OMNES PROPHETÆ ET LEX USQUE AD JOANNEM PROPHETAVERUNT? R. Lex Mosis & Prophetæ omnes ante Joannem, & usq; ad Joannem prophetaverunt, id est, obscurè & per ænigmata prædixerunt & promiserunt Christum, ejusq; regnum cœlorum, promittendo bona terrena, scil. abundantiam vini, frumenti & olei, regnumq; temporale pacificum & opulentum, simile regno Salomonis, quod erat figura & typus regni cœlorum afferendi per Christum. At Joannes primus clarè & disertè, cœpit prædicare regnum cœlorum mox referandum à Christo, eumq; Judæis digito ostendit, quæ causa fuit, ut Judæi felicitatem & gloriam regni cœlestis ponderantes, illius consequendi certa spe excitati illud omni studio ambirent, & in illud vim facerent eo sensu, quo dixi q. præced. Duo hìc observanda sunt. Imò, quòd tempus, de quo hîc agitur, tempus erat designatum adventûs Messiæ: nam lex & Prophetæ, usq; ad Joannem prophetaverunt, & non ultrà, quia Joannis tempore Messias prophetatus advenit: nam res prophetata successit prophetiæ, & ideo à Joanne tempus est Messiæ prophetati, qui nobis aperuit regnum cœlorum. zdò.

His verbis non significat Christus Dominus, ùt quidam Novatores perperam dixerunt, quòd Joannis tempore lex omnino desierit; ait enim Christus: *Lex & Prophetæ usq; ad Joannem prophetaverunt:* non enim ait, usq; ad Joannem duraverunt, ùt notavit Barradius, longè enim aliud est, prophetare, quam durare, ùt ex se liquet: à Joannis tempore lex vetus cœpit infirmari, ac ægrotare; & paulò post mortem Christi mortua est, ut docent Maldonatus hìc, & Suarius l. 9. de Legib. c 12. n 18.

Joannes dicitur Elias.

VI. *Quomodo Joannes dicitur esse* ELIAS, QUI VENTURUS EST? Rdet S. Hieron. hìc & epist. 51. ad Algasiam q. 1. Ipse (Joannes) inquit, est Elias, qui venturus est, non quòd eadem anima, ùt hæretici suspicantur, & in Elia & in Joanne fuerit, sed quòd eandem habuerint S. Spiritûs gratiam, zonâ cinctus, ùt Elias; vivens in eremo, ut Elias; persecutionem passûs ab Herodiade, ut ille sustinuit à Jezabel; ut quo modo Elias secundi præcursor adventûs est, ita & Joannes venturum in carne Dominum Salvatorem, non solùm in eremo, sed etiam in matris utero salutârit, & exultatione corporis nuntiârit.

VII. *Quid intendit* v. 17. SIMILIS EST PUERIS SEDENTIBUS IN FORO &c. R. Erat ludi genus, pueri in duas classes distributi diversas diversorum hominum conditiones (instar Democriti & Heraclìti) repræsentabant, una classe lamentante, altera tibiis læta cantillante, reliquis liberum erat, cui se vellent classi adjungere. Sed morosi non rarò pueruli neutro lusu trahebantur. Ita nempe etiam morosi scribæ (nam hos per generationem istam, seu per istius ætatis homines, hìc designari à Christo & populo reliquo opponi, patet ex Luc. 7. v. 30.) nec planctu, id est, severâ vitâ Joannis; nec cantu, id est, laxiore & svaviore vita Christi, provocari volebant ad conversionem & salutem. Ira S. Amb. Cyrill & Theophyl. Veluti si dicatur: Joannes sua rigida & austera vita non manducans, neq; bibens, prædicans pœnitentiam veluti lamentatus est peccata populi: & tamen Pharisæi, & eorum asseclæ ad fletum & pœnitentiam non sunt adducti. Christus svavi ac communi vita manducans ac bibens, veluti ceciniisse videtur: & tamen tam placido cantu, cœlestis doctrinæ, ac miraculorum Pharisæi non sunt ad imitationem allecti, sed Christum & Joannem impiè calumniati sunt: de Joanne dicentes: *Dæmonium habet.* De Christo D. dixerunt: Ecce homo vorax, & potator. His igitur insinuat Christus, quod nihil ad eorum salutem spectans ab ipso fuerit omissum, hinc dicit Isa. 5. 4. *Quid est, quod ultrà debui facere vineæ meæ, & non feci?* Unde post adductum cit. textum Isaiæ ait S. Chrysost. hom. 38. in persona Christi loquens Ego & Joannes ad vos venimus, idq; fecimus, quod venatores solent facere, qui, quando fugacissima, captuq; difficillima insectantur animalia, non unâ viâ sed diversis, & non diversis solùm, sed per contraria plerumq; aggrediuntur, ut si alterum effugerint, in alterum incidant.

CAPUT XII.

Discipulos Sabbatho spicas vellentes excusat, ùt & manum aridam à se curatam, neglectis Phariſæorum obloquiis, & confutatis blasphemiis, quibus ob curatum energumenum, cœcum & mutum jactabant, illum in Beelzebub hæc facere. Signum de cœlo petentibus dat signum Jonæ. Deniq; docet, quinam sint veri & evangelici parentes sui.

Panes propositionis quando licet edere.

QUæstio 1. *Quæ est vis argumenti sumpta à panibus propositionis* v. 4.? R. David vir secundùm cor DEI in necessitate famis usurpavit & comedit panes propositionis sanctos, quos aliàs laicis edere non licebat, sed solis Sacerdotibus, quia prudenter judicavit legem positivam de non comedendis his panibus à laicis, cedere debere legi, juriq; naturæ, quod dictat in gravi necessitate famis conservandam esse vitam comedendo quoslibet panes & cibos etiam DEO consecratos, ideoq; S. Paulinus, S. Laurentius & alii, calices & vasa DEO consecrata vendiderunt, ut per eorum pretium succurrerent gravi necessitati, famiq; pauperum. Ergo pariter, imò multò magis licet mihi meisq; discipulis vellere spicas in Sabbatho, ut elicitis inde granis fami nostræ succurramus. Sanctitas enim Sabbathi prohibens opus servile, uti est vellere spicas, est juris Divini positivi, quod cedere debet juri naturæ dictanti, in fame vitæ esse consulendum, quolibet cibo, etiam sacro. Hæc Corn à Lap.

Sabbathũ non est in templo.

II. *Quomodo Sabbathis Sacerdotes in templo Sabbathum violant, & sunt sine crimine.* v. 5.? R. Sabbathis in templo boves, oves, vitulos jugulant, excoriant, dissecant, lavant, ligna comportant, ignem instruunt, & tamen sunt sine crimine. Licèt enim hæc tam laboriosa, sordida, & servilia opera, quantum ex se est, sabbáthum violent, tamen pietas, sanctitas & mandatum DEI illa excusat, & ex profanis sacra facit. Unde udæi dicebant, in templo non esse sabbathum. *Major autem templo est hic,* seu in hoc loco, nempe Filius DEI, cujus domus est templum, ac proinde longè dignior & sanctior templo. Si ergo opera servilia, vel ob hoc solùm, quia ministerio templi exhibentur, fiunt sacra, DEO

grata,

grata, nec ulla lege Sabbati prohibita; quanto potiore jure talia fient, quæ & quia ministerio Filii DEI hìc præsentis exhibentur? atqui ministratur Filio DEI à suis discipulis, quando spicis avulsis & manu attritis pascunt famelicum corpus suum, ut filio DEI prædicanti & iter facienti adsint, serviant, juvent, quod longè DEO gratius est, quàm quævis templi sacrificia.

III. *An Dæmon cœcum, mutumq; hominem effecerit?* ℟. det Abul. hîc q. 10. Hunc hominem mutum & cœcum fuisse, vel naturâ vel casu aliquo. Ait enim Matthæus: Oblatus est ei dœmonium habens cœcus & mutus, & curavit eum, ita ut loqueretur & videret &c. Distingvit tria, scil. dœmonium habere, cœcum esse & mutum, significat igitur fuisse cœcum & mutum, non ex Dœmonis sola præsentia, sed ex causa alia. Sic & S. Hieron. Tria, inquit, signa simul in uno homine perpetrata sunt. Cœcus videt, mutus loquitur, postesius à Dœmone liberatur &c. Quod si Dœmon suâ tantum præsentiâ mutum cœcumq; hominem effeciset, unum tantùm fuisset miraculum; ejecto enim Dœmone, sine alio miraculo mutus loqueretur, cœcusq; videret, impedimento ablato. Dicit quidem Lucas *dæmonium illuderat mutum. Et cùm ejeciset dæmonium, locutus est mutus.* Non tamen dicitur mutum ab effectu, quòd hominem loqui impediret, dœmonium enim potiùs loquaces faceret, quàm mutos: loquendo enim multa peccata committuntur, quæ tacendo evitantur. Dicitur dœmonium mutum, quòd in homine muto esset, & loqui non posset, ut solent dœmones, qui homines loquentes torquent.

IV. *Quinam vocantur filii Judæorum* v. 27. *Filii vestri in quo ejiciunt?* ℟. det Abul. loqui Dominum de exorcistis, qui DEI invocatione apud Judæos Dœmones pellebant. Filii vestri, id est, exorcistæ, si aliquando Dœmones pellunt, Divina vi id fieri dicitis. Quare igitur in me idem opus, eandem non habeat causam? *Filii Judæorum.*

V. *Cur blasphemia in Spiritum S. non remittetur, neq; in hoc sæculo, neq; in futuro* v. 32.? ℟. Quia tales nec instructionem admittunt, nec de pœnitentia cogitant, imò directè oppugnant, id sine quo pœnitere nequeunt, putà bonitatem & benevolentiam Divinam, omnemq; tam internam quàm externam mentis illuminationem, atq; inspirationem, à qua dum manent alieni, magis magisq; excœcantur & obdurantur in dies, ac tandem in reprobum sensum traduntur. Sic morbus ille dicitur incurabilis, qui directè impedit, & oppugnat id, sine quo sanitas recuperari nequit, ut qui prohiberet omnem cibum omnem concoctionem, omnem medicinam. Nota, frustra adderetur: neq; *in futuro sæculo*, nisi aliqua peccata, vel peccatorum pœnæ solerent post mortem remitti (putà in purgatorio, ut tenet Ecclesia) sicut frustra quis diceret se non ducturum uxorem neq; in hoc sæculo, neq; in futuro. *Blasphemia in Spiritum Sanctum.*

VI. *Quo sensu dicitur* v. 33. AUT FACITE ARBOREM BONAM ET FRUCTUM EJUS BONUM &c. ℟. Vult dicere: ut cohærentia loquamini, alterutrum fateamini necesse est; aut principium effectivum meorum miraculorum esse bonum, putà Spiritum Sanctum, si nempe ipsa mea miracula vobis bona & laudabilia videntur: aut si principium velitis esse malum, putà Dœmonem, debetis etiam fateri ipsa miracula mea esse mala. *Nam ex fructu arbor agnoscitur.* At vos ordinem omnem pervertentes, miracula mea probatis, principium improbatis. Ita S. Hieron. Hilarius, Chrysost. & alii.

VII. *Per quænam loca arida Dæmon pulsus ambulat?* ℟. Dœmonem ex homine ejectum doloreq; affectum, deserta loca petere, si alios homines lædere non permittitur. Postea verò ad eundem hominem revertitur, qualiter vivat, explorat. Cumq; vacantem, id est, habitatore DEO carentem, flagitiisq; mancipatum, & ad excipiendum priorem hospitem, veluti domum scopis mandatam & ornatam, paratum cernit: sociis aliis comitantibus miserum ingreditur. Unde fiunt novissima hominis pejora prioribus, pejus enim torquetur à 7. dœmoniis, quàm priùs ab uno torquebatur. *Loca arida.*

VIII. *Quam requiem Dæmon tartareis incensus flammis quærere & habere potest?* ℟. Dœmonem requiem tunc invenire, cùm homini nocet. Unde Abul. ait, dœmon non potest quiescere, quia in æternum cruciabitur, sed quærit quietem suæ malæ voluntatis, est enim invidus, & desiderat nocere homini, & quando nocere potest, quiescit aliquo modo &c. Ambulat igitur per loca arida & inaquosa, quærens hujusmodi requiem: sed desertis in locis atq; inviis, illam non invenit, quia hominibus aliquid detrimenti non affert. *Requies Dæmonis.*

IX. *Quomodo Judæi similes homini, ad quem pulsus regreditur Dæmon?* ℟. Ab illis pulsus est Dæmon à DEO per legem, per Mosem, per prophetas, per supplicia. Sed postquam Messiam suum, dixit Dæmon: revertar in domum meam, unde exivi, id est, in synagogam Judæorum, & invenit eam vacantem, seu habitatore carentem, absq; DEO Messia habitatore: invenit scopis veluti mandatam, & ornatam, id est, paratissimam ad tartareum hospitem excipiendum. Tunc pluribus comitatus sociis, illam ingressus est. Factaq; sunt novissima Judaicæ Gentis pejora prioribus. Maximum enim scelus Judæi perpetrârunt, cùm Messiam suum occiderunt: maximasq; pœnas tanti sceleris dederunt à Romanis profligati, totoq; terrarum orbe, absq; ulla reparationis spe dispersi.

Pejus modò habent, quam ullo unquam tempore: absq; DEO, absq; Messia DEI filio naturali, absq; fide, absq; regno & crassissimis in tenebris degunt. Quodq; pejus est, tenebras suas lucem putant, & veluti phrænetici, cùm gravissimo opprimantur infidelitatis morbo, sanos se putant, medicamentaq; omnia despiciunt.

CAPUT XIII.

Parabolæ seminis, zizaniorum, sinapis, fermenti, thesauri, margaritæ, sagenæ. Obloquuntur Christo cives ejus Nazarethani.

Cognitio regni DEI.

QUæstio I. *Quomodo Apostolis data est cognitio regni DEI?* R. Eis à Patre sine parabolis gratis data est cognitio absconditi regni Messiæ & fides. Cognoscebant enim Apostoli DEI & Messiæ regnum, fidemq; habebant At cæteris incredulis, cognitio hæc per parabolas exhibetur.

Dæmon rapit verbum

II. *Cur diabolus verbum rapit, quod auditor non intelligit?* R. idcircò rapit, ne postea intelligat, & ex illius intellectione, ac meditatione fructum capiat Vel quia non intelligit, idcircò rapit, quia facilè obliviscitur. Aliter: is Auditor verbum non intelligere dicitur, qui intelligit quidem, quæ dicuntur, sed non bene animadvertit. non meditatur, & ùt ait Cajetanus, non penetrat.

Granum sinapis Ecclesia.

III. *Quomodo Ecclesia comparatur grano sinapis?* R. Granum sinapis minimum est, id est, ex minimis olerum seminibus unum est: nam semina papaveris, rutæ, & quædam alia minora sunt. Fit tamen arbor, durescens â stirpe sursum. Et quidem in Syria, aliisq; calidioribus regionibus longè ultra humanam staturam assurgit inquit Cajet. & Salmeron. Ita Evangelium, quo crescit & ampliatur & conditur Ecclesia DEI, paraturq; cœleste regnum in terris, inter omnia doctrinarum genera, quæ in mundo sunt, minimum est, minimum habet splendoris & commendationis, sive à naturali ratione, sive ab hominum consvetudine, sive à Magistrorum eloquentia, dignitate, frequentia, imò abhorret ab insito hominibus judicio, *Judæis scandalum, Gentibus stultitia.* 1 Cor. 1. tamen ubi à me, meisq; legatis sparsum divulgatum, explanatum fuerit, cætera omnia doctrinarum genera superabit celebritate, soliditate, firmitate, & per universum orbem sese diffundet. Ita S Amb. Hieron Aug

IV. *At cur tanta rerum sublimitas denotatur per quid tam minimum?* R. det S. Chrysol. serm. 98. Si infirmum DEi, ait, fortius est hominibus & stultum DEi sapientius est hominibus. 1. Cor. 1, 25. hoc minimum DEi tota magnitudine mundi magnificentius invenitur. Quod bene confirmatur ex verbis Christi ad Discipulos Matth. 17. 19. Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, transi hinc illuc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis. Prædicatio Evangelica à tenui principio cum Christo cœpit, ac per paucos Apostolos, humiles, pauperes, ignobiles in totum mundu dilatata Sicut lapis ille parvus factus est mons magnus Dan. 2. v 35. Sinapis granum, colore rubrum, ignem charitatis denotans, in virtute sua etiam multum calorem continet, quod dum comeditur, inflammatur homo, ùt notavit S. Aug ser. 31. de Sanctis, qui est de S. Laurentio. Cibum, ait, flammei saporis exhalat, tanto caloris fervore succenditur ut mirum sit, in eo tantum ignem fuisse conclusum. Granum sinapis specie humile, virtute magnum, ut notavit S. Aug cit. Granum sinapis, ait, magnum est, non specie, sed virtute: prima fronte speciei suæ parvum est, vile, despectum, non saporem præstans, non odorem circumferens, non indicans svavitatem, at ubi teri cœperit, statim odorem suum fundit, acrimoniam exhibet. Granum sinapis virtute magnum, virtutes ejus enumerat Plinius l. 20. imò igneam vim & halitum expirat, quo inflammat hominem. 2dò utpote acris, mordax, lacrymas excitat: 3tiò superfluitates ex cerebro purgat, easq; facit defluere per nares & os 4tò tritum cum aceto ad morsus scorpionum & serpentum inservit. 5tò vim veneni infringit & compescit. 6tò stomacho, pectori, ac pulmonibus utilissimum contra pravos humores est. 7mò multùm valet contra epilepsiam, hydropem, & alias multas infirmitates. 8vò cibos sua acredine saporat, ut delectabiliter comedi valeant. Bene hæc omnia conveniunt Evangelicæ doctrinæ. imò hominem inflammat in charitate, & amore DEI 1dò ad lacrymas compunctionis, ac amaritudinis movet 3tiò provocat vomitum peccatorum ex ore per confessionem. 4tò ipsa sacra doctrina unà cum acredine contritionis quam in nobis excitat, Dæmonum morsus sanat. 5tò vim veneni peccatorum à nobis ejicit. 6tò omnibus animæ potentiis medetur, ac opitulatur, mentem illuminat, voluntatem dirigit, memoriam impingvat, concupiscentias defœcat. 7mò odia, iras, rapinas, cæteraq; vitia, ac malas animi infirmitates expellit. 8vò Evangelium, quidquid arduum est, in virtutibus, valde sapidum efficit, ut dulciter ac delectabiliter homo teneat ac amplectatur.

Fermenti parabola.

V. *Quid significat parabola fermenti?* R. Ecclesiæ & Evangelicæ doctrinæ vim & incrementum. Nam quemadmodum fermentum massam fermentat: sic evangelica doctrina fermentavit orbem. In tria sata sive mensuras immissum est fermentum parabolæ:

in tres

in tres orbis partes, Europam, Africam, Asiam, immissum est fermentum Evangelii: donec fermentetur totum id, quod Deus fermentandum præscivit, ac decrevit. Fermentum in bonam & in malam partem sumitur. In malam Marci 8. *Cavete à fermento Phariſæorum & fermento Herodis &c.* Et Gal. 5. *Modicum fermentum totam maſſam corrumpit.* Et 1. Cor. 5. *Expurgate vetus fermentum.* In bonam partem hoc loco sumitur. Velut fermentum est fidei sermo, ait Euthym. cùm sit quantitate modicus, in multorum hominum animabus occultatus per doctrinam, omnes in unum unit Ecclesiæ corpus, ac in alteram conversationis speciem transmutat. Cumq; mortui sint ad opera virtutis, vivificat ad ejus operationem, & sursum facit ascendere ad cœlum. Theophyl. in fermento Apostolos putat designatos. Sicut enim, ait, fermentum, cùm parvum sit, totam farinam in se transfert; sic & vos totum mundum transformabitis, licèt pauci sitis. In justis non tam paucitas, quàm eorum virtus consideranda est, quæ juxta salis, ac fermenti naturam magnam copiam valet condire, ac separare, adeo ut per unum justum fiant populi, civitates & regna S. Chrysost. hom. 48. Apostolos fermento comparans ait: Sicut fermentum suffoditur quidem, non autem destruitur, sed paulatim ad suum habitum omnia transmutat: sic & in prædicatione vestra continget. Non itaq;, quia multas dixit superventuras vobis vexationes, timeatis; ita enim fulgebitis, & omnes superabitis. Valde mirum! 12. Apostoli parvo numero totam orbis terrarum farinam fermentârunt, ac converterunt ad fidem: & quamvis persecutionibus viderentur opprimi & suffodi, tunc magis augebantur, ac totum ad se orbem transmutabant. Secundum doctrinam S. Amb. ser. 21. fermentum Evangelicum designat etiam Verbum DEi incarnatum, quod in assumptione humanæ naturæ, se in eam, velut in farinam immisit, & in se convertit, sicut ait Raynaudus l. 2. sect. 5. c. 12. [Verbum DEI quamvis reipsa planè immutatum, ex quo tamen per assumptionem Humanitatis detrivit & exinanivit semetipsum, massam, cui copulatum est, ac tenaciter illigatum, suis veluti qualitatibus ac prærogativis imbuit, cùm Humanitas sit aliquid ejus personæ, quæ verè Deus est & homo inde constitutus, non purus homo, sed Deus-homo nominetur & sit.] Immaculatus uterus Virginis vas erat illud spirituale & honorabile, in quo Deifica hæc fermentatio facta est. Cùm Angelo honorem Maternitatis Divinæ offerenti diceret: FIAT: apprehendit eo verbo quodammodo Filium DEI, quasi fermentum, abscondit in humanitate ejus è purissimo suo sanguine per Divinam potentiam elaborata, donec fermentaretur tota, & evoluto novem mensium spatio, ex ea velut ex clibano bene coctus animarum nostrarum panis per Virgineum partum egrederetur. Felix mulier, loquor cum S. Bern. serm. de triplici mixtura, & benedicta in mulieribus, in cujus castis visceribus superveniente igne S. Spiritûs coctus est panis iste. Tua fides, tuusq; consensus Angelo DEI nuntio datus eo sensu fermentum panis extitit, quòd absq; eo fermentatio illius in utero tuo facta non esset. Hoc sensu cum Andrea Hierosolymitano te saluto: fermentum sanctum, in quo totius humani generis massa fermentatur. Orat. in salutatione Deip. Hoc sensu cum S. Germano Constantinopolitano te rursum saluto. Serm. de Nat. Deip. Benedicta tu in mulieribus, Bethlehem spiritualis, quæ panis vitæ summè spiritualis Domus, & appositione simul & naturâ dicta simul & facta es, nam in te inhabitans, eo quo ipse novit modo, & cum nostra massa inconfusè commixtus, totum sibi fermentavit Adam, ut cælestis, vitalisq; fieret panis.

V. *Quid per tria sata significatur in parabola?* R. Satum vox est Syriaca, & mensura aridorum, vulgari usu erat, apud Hebræos, non solùm tempore Evangelii, sed etiam ipsius Abrahæ, & deinceps. Gen. 18. 6. Et S. Hieron. satum vertit modium. Tres autem modii efficiunt unum Ephi, ùt constat ex Ruth 2. 17. Continent ergo tria sata tres modios Atticos, ut ait Josephus. Hæc autem mensura valde in usu erat apud Hebræos. Sic & mater Samuelis adduxit puerum in templum in tribus modijs farinæ 1. Reg. 1. v. 4. Per tria sata intelliguntur tres mundi partes, ùt dixi in præced. q. Asia, Africa, Europa, quæ designatæ fuerunt in tribus filijs Noè: filij Sem Asiam inhabitârunt, Cham Africam, Japhet Europam. Has omnes partes Evangelium illuminavit, charitas inflammavit, doctrina sacra instruxit, sonus Apostolorum implevit, & gratia ac misericordia Christi suis donis ditavit. Moraliter S. Amb. & Hieron. docent, quòd Evangelium fermentat, componit, ac sibi unit tria sata, hoc est, tres hominis appetitus, scil. rationalem iratcibilem, & concupiscibilem. Ut inquit S. Hieron. in ratione possideamus prudentiam, in ira odium contra vitia, in desiderio cupiditatem virtutum.

VI. *Quo sensu dicitur:* SINE PARABOLIS NON LOQUEBATUR EIS? R. Sine parabolis, inquit Aug. in lib. de Quæstionibus Evangelicis q. 15. non loquebatur eis. Non quia nihil propriè locutus est: sed quia nullum ferè sermonem explicavit: ubi non aliquid per parabolam significavit: quamvis in eo aliqua & propriè dixerit. Ita ut sæpe inveniatur totus sermo ejus parabolis explicatus, totus autem proprie dictus nullus inveniatur.

VII. *Quis est thesaurus absconditus & margarita pretiosa?* R. Evangelica doctrina & viva fides thesaurus est opulentissimus, propter quem omnia mundi bona, si opus est relin- *Thesaurus absconditus.*

relinquenda sunt. Margarita est summi pretii, quæ omnibus deliciis, & divitiis est comparanda. S. Chrysost. hom. 48. Fermenti, inquit, & sinapis parabolis magna Evangelii virtus ostendebatur, quæ omnino totum terrarum orbem erat superatura. Hæ verò parabolæ (scil. thesauri & margaritæ) summi esse pretii significant. Sicut enim, ut granum sinapis extenditur, atq; propagatur: & ùt fermentum superat: sic quasi margarita pretiosissimum est. Pariter margarita pretiosa est fides Christi, ejusq; Evangelica doctrina, ac ipsemet Christus. Ita S. Aug. l. de Quæst Evang: quæst. 13. S. Hieron. hìc ait: Bonæ margaritæ sunt lex & prophetæ, & notitia veteris testamenti. Unum autem est pretiosissimum margaritum, scientia Salvatoris, & Sacramentum Passionis illius, & resurrectionis arcanum, quod cùm invenerit homo negotiator, similis Pauli Apostoli, omnia legis, prophetarumq; mysteria, & observationes pristinas, quasi purgamenta contemnit, & quisquilias, ut Christum lucrifaciat. Theophyl. Multæ margaritæ, multorum sapientium opiniones. Una autem pretiosa, una est veritas, quæ scilicet Christus est. At S. Cyrill. Alexand. Necessarium est, ait, quæri priùs à nobis bonas margaritas, ita enim inveniemus unam, & pretiosam, nempe Christum. Quænam autem sint bonæ margaritæ? Dixerim sanctos esse. Investigandæ sunt itaq; diligenter, quæ de unoquoq; præcipuè veterum acta & dicta sunt. Videbimus enim in illis altum religionis nostræ mysterium, hoc est Christum. Hæc ille. Bonæ margaritæ sunt facta & dicta, hoc est, opera, & documenta Sanctorum. Eliæ, Joannis, ac Apostolorum, eorumq; virtutes, ùt ait Dionys. Carthusianus. Qui ergo has bonas Sanctorum Margaritas quærit, in eorumq; studio ac odore versatur, hic perveniet ad pretiosissimam margaritam CHRISTUM JESUM. Optimè Christus dicitur margarita, quæ ùt ait Theophyl. concipitur ex fulgore, ac rore cœli, sic & Christus D. in Virgine conceptus est superno fulgore, ac rore, scilicet Spiritûs Sancti. 2dò Hugo. Margarita in conchis reperitur sic Christus in eis, qui clauso ostio in cubiculo orant Patrem. Unde Christus non natus est in diversorio Luc 2. 7. Et Dominus antiquitus apparuit in caligine. Exod. 19. 9. Item dicitur, quòd margarita valet contra morbum caducum. Sic Christus contra mortale peccatum.

Margaritæ pretiosa.

Sagenæ parabola.

VIII. *Quid significat parabola sagenæ?* R. mò Non omnes homines Ecclesiam ingressuros, sicut non omnes maris pisces ingrediuntur rete. Non intrant Ecclesiam Mauri, Turcæ, Judæi, Ethnici multi. 2dò significat parabola esse in Ecclesia bonos permixtos malis: eamq; permixtionem ad judicium usq; permansuram. Ad litus usq; permanet hæc permixtio. In litore secernuntur pisces mali à bonis, in judicio per Angelos separabuntur tandem omnes improbi homines à probis, ita ut deinceps nunquam permisceantur. Nunc, inquit S. Greg. hom. 11. in Evangelia, bonos malosq; communiter quasi permixtos pisces, fidei sagena nos continet, sed litus indicat, sanctæ Ecclesiæ sagena, quid trahebat. 3tiò significat, non satis esse fidem absq; operibus & charitate, ut quispiam æternam salutem consequatur. Non satis est esse intra sagenam, ut bonus piscis sit: nec satis est esse intra Ecclesiam per fidem solam, ut probus quisquam sit Christianus. Quicumq; in Ecclesiæ sagena sunt, fidem habent. Attamen alii sunt pisces boni, alii mali, ergo sola fides nos facit bonos: Quid igitur est illud, quod bonos pisces facit? quid illud est, quo pisces mali carent, ac propterea quia carent, mali sunt? nimirum charitas est, & opera cum fide conjuncta. Quia fidem, charitatem & opera habent quidam, boni sunt, & servantur: quia fidem habent, non verò charitatem & opera, alii sunt mali, & repudiantur. Ita Euthymius. Adde, quod Haymo ait: Boni soli numquam sunt, nisi in cœlo; mali autem nusquam soli sunt, nisi in inferno: Ecclesia autem, quæ in medio consistit, utriusq; partis cives recipit.

Sagena est Ecclesia.

IX. *Quomodo Ecclesia comparatur sagenæ, pisces q; Christianis, cùm pisces in reti existant violentia quadam coacti, & constricti, in Ecclesia autem Catholici voluntariè resideant?* R. det Cajetanus: Ecclesia malos habet mixtos bonis tamquam captos simul cum bonis, hoc est, involuntarios, & coactos se profiteri Christianos. Innumerabilis est multitudo hominum, qui baptismo in infantia, aut timore suscepto, tamquam captos se retinent Christianos: qui si essent omnino liberi, etiam quo ad famam, & honorem &c. non expectarent exituros Angelos ad separandum eos à justis, sed à sagena exirent. Hæc ille.

Malorum à bonis separatio.

X. *Quare* v. 49. *dicitur, quòd Angeli separabunt malos de medio justorum, cùm* Matt. 25. *dicatur, quòd rex eos separabit?* R. Euthymius: Ipse, scilicet Rex separabit eos suo jussu: Angeli verò separabunt eos operatione præceptum Domini tamquam ministri exequentes: Christus dicitur separationem instituere, quia ipsam fieri imperabit. Sicut 3. Reg 6. 2. narratur, quòd Salomon ædificaverit templum, cùm illud ædificare mandaverit. Sic dicitur, quòd homo seminaverit bonum semen in agro suo, cùm tamen non per seipsum, sed per servos fuerit terræ mandatum. Quæ enim homo facere præcipit illi ùt Auctori referuntur. Abul. q. 70. ait, quòd in illa die duplex erit separatio: una ante judicium, alia post illud completum. Prima, de qua dicitur: Congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab invicem, sicut pastor &c. Et hanc faciet Christus per se, per so-

lam

lam voluntatem jubens. Altera verò est, de qua dicitur, quòd ibunt hi in supplicium æternum; justi autem in vitam æternam: Et hæc executio fiet per Angelos: quia idem est: quod ibi dicitur: Ibunt in supplicium æternum: ac quod hìc legitur: mittent eos in caminum ignis. Non est tamen inconveniens, quòd utraq; separatio fiet imperativè à Christo; executivè per Angelos. Ad supremam Domini majestatem spectat, quòd habeat ministros, qui ea, quæ ipse vult, adimpleant.

X. *Qui dicuntur fratres & sorores Christi* v. 55.? ℟. Cognati & consangvineæ ejus, vulgato Judæorum more. Nam Lot filius Aram fratris Abraham, Abrahæ frater vocatur Gen. 13. Et Laban avunculus Jacob Gen. 28. frater Jacob nominatur Gen 29. Non solùm autem Virginis Deiparæ, sed etiam Joseph consangvineos, Christi esse cognatos, sive fratres arbitrabantur Nazarethani. *Fratres & sorores Christi.*

CAPUT XIV.

Herodis Antipæ judicium de JESU: carcer & decollatio Joannis Baptistæ. Quinque panibus & duobus piscibus saturantur quinq; millia virorum, & supersunt 12. cophini fragmentorum. Apostoli fluctibus jactati roborantur à Christo supra fluctus ambulante, supra quos dum & Petrus graditur & mergi incipit, manu Christi detinetur. In terra Genezar tactu fimbriæ Christi langvores omnis generis curantur.

Quæstio I. *An DEus ad multiplicationem panum aliquid creârit?* ℟. Deus nihil de novo creat ex nihilo, sed ex materia initio mundi creata omnia producit & transformat. Christus benedictione sua virtutem aliquam non physicam, sed moralem panibus indidit, scil. deputationem suam & ordinationem ad miraculosam multiplicationem, per quam manum, id est virtutem suam Divinam quasi panibus appo suit, ut illico reipsa multiplicarentur, nimirum aërem vicinum, vel aliam materiam sensim inter distribuendum, sed insensibiliter & continuè in panes convertendo. Sic multiplicavit farinam & oleum viduæ Sareptanæ ob merita Eliæ, & alterius ob merita Elisæi *Ad multiplicationē panum Deus nihil creavit.*

II. *Cur nulla hìc fit vini mentio?* ℟. Christum non dedisse turbæ vinum, quia vicini erant aquarum fontes, ad quos pro potu accedere poterant. Potus enim aquæ est naturalis & sanus, ac naturæ sufficit. Ulteriùs verò gulam irritare Christus vino noluit. Dat enim cibum Deus ad necessitatem & sarietatem, non ad voluptatem & lasciviam. Sic Angelus Eliæ detulit panem & vas aquæ, non vini in deserto 3. Reg. 19. Sic corvus jussu Dei, quotidie deferebat dimidium panem ad S. Paulum primum Eremitam, sitim verò ex vicino aquæ fonte eum levare volebat. Idem fecit Deus aliis Sanctis. Imò ab Adamo usq; ad diluvium per 1600. annos usq; ad Noë, qui primus vitem plantavit, homines religiosiores non comederunt carnes, nec biberunt vinum, sed fructus edebant & bibebant aquam, & tamen vivebant per 900. annos. *Vinum non dedit Christus turbæ.*

III. *An Petrus dubitaverit Christum esse, dicens* v. 28: DOMINE SI TU ES, JUBE ME AD TE VENIRE SUPER AQUAS? ℟. imò. Petrum ex voce, gestu, habitu & multò magis ex interiore Christi instinctu agnovisse hoc non esse phantasma, sed ipsummet Christum quòd ergo ait, *si tu es*, non est vox dubitantis, sed lætitiâ gestientis, ulteriusq; optantis ad Christum citò venire, ut illi, quem summè amabat, per mare miraculosè accedenti, quàm proximè jungatur. 2dò Si velis *rò si tu es* esse dubitantis, dicendum per *rò jube me venire ad te super aquas*, Petrum postulâsse id sibi juberi non simpliciter, sed cum efficacia, ita scil. ut Christus non tantùm exteriùs, sed & interiùs juberet, ac hac sua jussione inderet animo suo tantam audaciam, fiduciam & securitatem, ùt non dubitaret, quin Christo jubente securus ambularet super aquas: unde mox eo jubente, juxta navim tentans aquam pedibus, illico sensit eam non cedere, sed se super eam ambulare, quare fidens & securus super aquas perrexit ad Christum. *Petrus non dubitavit Christu super aquas.*

IV. *Quomodo Petrus ambulavit super aquas?* ℟. Factum id esse uno è tribus modis, scil. quòd Christus vi Divinâ detineret Petrum ne mergeretur, sicut Angelus capillis detinuit Habacue rapuitq; in Babylonem Dan. 14. aut non concurrerit cum gravitate corporis Petri, ut eum gravidaret, & sub aquas deprimeret, aut quòd non concurrerit cum aqua, ut loco cederet, sed ut solida firmaq; sub pedibus Petri instar glaciei vel crystalli consisteret. Ita Joan. Major hìc. *Petrus ambulat super aquas.*

V. *Quid inferendum ex verbis Petri:* DOMINE SALVUM ME FAC? ℟. Petrum non dubitâsse, quin is, qui apparebat, esset Christus; alioqui enim eum in tanto periculo non invocâsset, sed Deum, qui est in cœlis, uti solent facere naufragi: sed dubitâsse tantùm, Christus permitteret ventum suæ naturæ suisq; viribus, ut se in fluctibus ambulantem iisdem obrueret: cùm tamen & Christus fidem dedisset, dicendo, *veni*, qua voce eum *Petri dubitatio.*

assecu-

assecurabat, quòd non mergeretur: sed validitas venti quatiens latera Petri, hanc ei fidem excussit & difflavit. Pulchrè S. Aug. serm. 14. Titubatio ista Fratres, quasi mores fidei fuit. Sed ubi exclamavit, fides iterum resurrexit. Non ambularet, nisi crederet, sed nec mergeretur, nisi dubitaret. In Petro itaq; communis omnium nostrûm consideranda conditio est, ut si nos in aliquo, tentationum ventus conatur subvertere, vel unda submergere, clamemus ad Christum. Hæc Aug

VI. *Quare Christus permisit Petrum aliquantulum mergi* v. 30? ℟det S. Hieron. Paululum relinquitur tentationi Petrus, ut augeatur fides. S. Maxim. serm. 1. de SS. Petro & Paulo: Petrus, ait, ob id trepidâsse visus est, ut fragilitas humana cognosceret, quanta esset inter Dominum, servumq́; differentia. Et Theophyl. Hoc, inquit, fecit Christus, ne Petrus superbiret. Permisit hoc Christus, ut Petrus se humiliaret, sciretq; quantum ex se, quantumq; ex Domino posset; suæq; fidei infirmitatem agnosceret, ejusq; augmentum à Christo postularet, fieretq; petra fidei juxta illud: *Tu es Petrus.* S. Chrysol. serm. 90. Petrus, ait, cùm per æquora Divinos imitatur incessûs, & novus viator molle iter duris gressibus calcat, antea dilapsus supplicat, quàm gaudeat de donato. Quamdam jactantiæ auram maximè devitat Dominus in suis. Ne ergo Petrus de tanto dono sibi dato in inanem lætitiam ruat, permittitur, ut in eum ventus validus insurgat, quo potiùs humiliter supplicet, quàm inaniter gaudeat de tanto bono.

CAPUT XV.

Occasione lavandarum manuum reprehendit præposteras Pharisæorum & Scribarum traditiones: docet, quæ sint sordes animam coinquinantes. Chananææ filiam & aliorum varios langvores curat. Deniq́; quatuor millia virorum pascit 7. panibus & paucis piscibus.

Lotio manuum.

QUæstio I. *An Apostoli sordidis manibus mensæ accubuerint?* ℟. Nequaquam. Solùm abstinebant ab illa crebra, religiosa, & scrupulosa lotione manuum Marci 7.4 calicum, mensarum, & lectulorum, quam citra præceptum DEI haud ita pridem Pharisæi in morem induxerant, jussis semper apponi hydriis, aquâ plenis, ut, si fortè contactu morticinii, vel alterius rei immundæ irregularitatem quis contraxisset juxta legem Lev. 11, v. 31. Num. 19. v. 21 mox illam ablueret, & vasa mundarentur, ne cibos, & consequenter convivas (quod verebantur,) polluerent. Unde illud Coloss. 2 v. 21. *Ne tetigeritis, neq; gustaveritis, neq; contrectaveritis,* semper in ore habebant, de animi lustratione parum interea soliciti. Christus econtra ad animi lustrationem volebat omnem curam dirigi: parvi pendens superfluas illas lotiones, utpote exiguæ, vel potiùs nullius pietatis aut utilitatis.

Parentibus egenis debetur sustentatio.

II. *Quomodo Pharisæi transgrediebantur Præceptum DEI de honorandis parentibus?* ℟. Fiebat id subtractione rerum ad honestam sustentationem necessàriarum. Nam filiis familias volentibus inopi patri vel matri succurrere, id dissvadebant, urgentes ut in victimas templi nummulos suos impenderent, id est, ut illorum reti sacrificarent (pleriq́; enim Pharisæorum Sacerdotes erant, aut saltem Levitæ) *& ultra* (ùt addit Marcus c. 7. v. 12.) *non dimittatis* eos *quidquam facere patri suo aut matri* quantumcunq́; egenti & filiorum opem imploranti. *Dicitis* v. 5. legem DEI de honorandis parentibus abunde impliet, & gratius obsequium DEO præstat, *quicunq; dixerit patri* etsi egentissimo, *& matri* etsi fame pereunti: *Corban* Marci c 7. v. 11. id est, *donum,* seu munus à me offerendum DEO, non mihi soli sed & tibi proderit, ô pater, si non quoad corpus, saltem quoad animam. Sed toto cœlo erratis Hypocritæ: nam vinculum pietatis, & obligatio erga parentes egenos, est juris naturæ, cui proinde omnis victima, omne votum, omne aliud vinculum jure, seu humano, seu Divino positivo inductum cedere necessàriò debent. Ita Tirinus cum aliis.

Traditiones Christus non reprehendit.

III. *An Christus reprehendat Præcepta Ecclesiæ & traditiones Apostolicas* v. 9. SINE CAUSA COLUNT ME DOCENTES DOCTRINAS ET MANDATA HOMINUM? ℟. Minimè, quia hæ (ùt palàm constat) legibus Divinis non adversantur, potiùs illis stabiliendis, & in praxin redigendis subserviunt, nec tam hominum sunt, quàm DEI præcepta, per vicarios & legatos suos nobis tradita. Sed solùm reprehendit *mandata hominum,* quæ ita sunt hominum, ut non sint DEI, id est, quæ homines non inspirante DEO, sed suopte ingenio & arbitratu effingunt contra mentem & voluntatem DEI; qualia sunt, de quibus hìc agitur, nempe vana prorsus & futilia, ùt lotiones illæ superstitiosæ v. 2. Vel etiam erronea, ùt inquinari animam per cibos v. 11. Vel apertè contraria legi naturali & Divinæ, ùt parentum defraudatio v. 6.

Carnes non inquinant per se.

IV. *An hæretici ex verbis* v. 11. *quod intrat in os, non coinquinat hominem rectè inferant. Ergo nec carnes comestæ in Quadragesima?* ℟. Non carnes, sed inobedientia, in-

tem-

temperantia & scandalum, quæ tunc esu carnium committuntur, inquinant animam, id est, immundam, invisam, ingratam DEO reddunt. Sicut olim in pomo Adami & in esu ciborum lege Mosaica Lev. 11. vetitorum contingebat. Neq; hoc negat hìc Christus (alioquin eum statim reum legis peregissent:) sed solùm, cibos immundos non ex se, seu ex substantia sua polluere comedentem: quod Pharisæi opinabantur, & Pythagoras ante docuerat, & S. Paulus postea 1. Timoth. 4. v. 4. acerrimè redarguit.

V. *Quo sensu dicit Christus* v. 24. NON SUM MISSUS NISI AD OVES ISRAEL? R. Non sum missus hoc tempore, ut corporalem meam præsentiam, annuntiationem Evangelii & miraculorum gratiam (quam hìc vocat panem) illis jam exhibeam. Judæis enim primario promissus erat Messias, Gentibus solum ex accidenti, teste S. Paulo Rom. 15. v. 8. qui ideo Christum vocat *ministrum Circumcisionis*, id est, Circumcisorum, id est, Judæorum Doctorem, ad confirmandam veritatem seu veracitatem, *promissionum* DEI *factarum* Patriarchis: *Gentes autem super misericordia impertiti* seu concessi, etiam ipsis Christi, sed gratuitò, *honorare DEum*. Unde si Christus absq; discrimine tam Gentibus, quàm Judæis se Doctorem & miraculorum operattorem passim præbuisset, ansam dubitandi habuissent Judæi, an ipse esset, qui promissus fuerat Judæis Messias.

CAPUT XVI.

Pharisæis & Sadducæis signum è cœlo petentibus dat Jonæ signum è terra. Monet cavendum ab eorum fermento. Petrum petram fundamentalem Ecclesiæ suæ designat, & claves regni cœlorum promittit. Mortem suam Jerosolymis obeundam prædicit: Petrum illam dehortantem facessere jubet. Bajulationem crucis & sui abnegationem omnibus inculcat.

QUæstio I. *Cur rubor cœli vespere signum est serenitatis?* R. Quia rubor cœli, id est, àëris, indicat nubes esse raras, ideoq; facile tota nocte consumendas vel dissipandas, ac consequenter manè fore serenum, utpote nube vacuum. Rubor enim est medius color inter nigredinem & albedinem. Nigredo nubium significat nubes esse spissas & densas, utpote per quas radii solis penetrare nequeant, ideoq; opacas & solutu difficiles: albedo indicat eas esse rarissimas, utpote per quas radii solis transparent & tralucent: rubedo indicat eas nec esse planè densas, nec rarissimas, sed rarescere, ideoq; partim solem per eas transparere, partim excludi: rubedo enim partim habet aliquid nigredinis, & aliquid albedinis; ex utraq; enim commista est: quatenus accedit ad nigredinem, solis radios excludit; quatenus accedit ad albedinem, eosdem admittit, & transmittit. *Rubor cœli vespere signum serenitatis.*

II. *Cur rutilus seu rubeus color* MANE *notat tempestatem?* R. Cœlum si vespere rubeat, indicat raras esse nubes, ideoq; nocte, utpote quæ prolixa est, consumendas, sol enim occidens & abiens nequit eas liquare: sin manè rubeat, indicat nubes raras esse quidem, sed tamen ita densas, ut à sole oriente nequeant consumi, sed illi resistant: quare mox â sole increscente & incalescente resolvendas in pluviam aut ventum. Ex eo enim, quòd per penetrationem radiorum solis raræfactæ sunt, liquet eas viciniores esse, ut in pluviam aut ventum resolvantur à sole, quàm ut ab eo alio propellantur. *Color rutilus indicat tempestatem.*

III. *Quæ sunt signa temporum* v. 4.? R. Signa temporum, vocat signa adventûs Messiæ, sive temporum, id est, 70. hebdomadarum Danielis, Vaticinii Patriarchæ Jacob Gen. 49. 10. & cæterorum Prophetarum. Hæc enim vaticinia, uti & miracula, quæ per singulos dies patrabat Christus, planè convincebant Messiam jam venisse, ipsumq; esse Messiam. Est hìc argumentum à minori ad majus. q. d. Si ex signis cœli, ô Pharisæi nôstis dijudicare futuram serenitatem vel tempestatem. ergo multò magis ex oraculis Prophetarum, meisq; miraculis potestis & debetis agnoscere me esse Messiam. Hæc enim illis sunt clariora & certiora. *Temporum signa.*

IV. *Cur discipulos Christus interrogat:* QUEM DICUNT HOMINES ESSE FILIUM HOMINIS? R. Quia passionem suam voluit discipulis prædicere, de fide priùs illos voluit rogare. Unde S. Anselmus hìc. Quia, inquit mortem suam Apostolis revelare volebat, priùs in fide sua eos vult confirmare, ne audita infirmitate suæ passionis titubent &c.

V. *An putârunt Judæi animam Baptistæ vel prophetæ alicujus migrâsse in corpus Christi?* R. Affirmant Jansenius, Cajet. & Baronius in Annal Anno Domini 33. Alii dicunt Judæos putâsse Baptistam à mortuis surrexisse, quod indicat Herodes Matt. 14. *Hic*, inquit *est Joannes Baptista, ipse surrexit à mortuis.* Similiter existimabant Jeremiam, aut alium ex antiquis Prophetis surrexisse. Eliam autem venturum expectabant ex Malach c. 4. Nota erat Judæis resurrectio ex Scripturis, & ex miraculis Christi, ideoq; opinabantur Baptistam surrexisse, vel alium ex antiquis Prophetam.

VI. *Cur non credebant Christum esse Prophetam aliquem novum ad Judæos, recèns missum, sed ex antiquis unum?* R. Miraculorum magnitudinem ac multitudinem in causa fuisse. Non enim putabant tot miracula adeo stupenda, ab alio posse patrari, quàm à Propheta aliquo à mortuis excitato. Nam post resurrectionem Prophetas ad miracula edenda potentiores esse opinabantur, juxta illud Herodis: Hic est Joannes Baptista, ipse surrexit à mortuis, & ideo virtutes operantur in illo.

VII. *Cur discipuli non addiderunt, alios dicere: Dominum esse Christum, id est, Messiam, cùm multi fuerint, qui eum Messiam esse arbitrarentur?* R. quia hoc verum erat. Illi autem sententias numerare voluerunt ineptas, ac falsas, hanc autem veram, falsis admiscere noluerunt. Præterea hæc sententia non erat hominum, id est vulgi, sed discipulorum rectè sentientium, ideoq; Apostoli inter alias vulgi opinationes eam minimè numerârunt. Abul. ait hìc, Christum cum Judæis non concurrisse, ut crederent ipsum esse Messiam, ne passioni impedimentum opponeretur. Si de auxilio ad credendum sufficiente intelligatur, falsum est. Deus enim sufficiens auxilium nemini denegat, si de auxilio abundantiori velis intelligere, verum erit, multis abundantius auxilium non dedisse. Dedit tamen omnibus, quod satis superq; esset.

VIII. *An Petrus pro se tantùm, an etiam pro cæteris Apostolis responderit:* TU ES CHRISTUS? R. Multi dicunt, Petrum tanquam Principalem pro se & pro aliis responsum dedisse. Abul. verò Maldon. & Barradius in contraria sunt sententia, quòd pro se Petrus responderit: quia Christus propter responsionem solum Petrum remunerat, cum illo solo loquitur, illum solum beatum appellat, illi claves promittit, nullam de reliquis Apostolis mentionem facit. Cur ita? quia pro se Petrus responderat, suam fidem explicaverat, & cæteris Apostolis ut idem facerent exemplo præiverat. Dicitur tamen pro cæteris respondisse, quia quod illi fuerant responsuri, respondit primus.

IX. *An Nathanael & alii Christum filium DEI sint confessi, eodem sensu, quo Petrus?* R. det S. Chrysost. his verbis: Nisi propriè Petrus intellexisset, & ab ipso Patre natum Christum crederet, non fuisset revelationis opus illa confessio, neq; aliqua beatificatione digna, si unum ex multis DEI filiis illum putâsset. Etenim jam pridem post tempestatem, qui erant in navigio dixerunt: *verè filius DEI es tu*, & quamvis verè dixerint, beatificati tamen ab eo non sunt. Non enim ita ut Petrus, sed unum ex multis verè filium æstimabant, præcipuum quidem magisq; dilectum, non tamen ex Patris substantia natum. Nathanael quoq; dicebat: *Rabbi tu es filius DEI*, nec solùm beatificatus non est, verùm etiam, quasi multò inferiora, quàm oporteat, cogitaret, à Christo erat redargutus &c. Et Joan. 1. Etsi, inquit, iisdem verbis Petrus & Nathanael usi sunt, non tamen idem ambo senserunt, sed Petrus filium DEI tanquam verum Deum, Nathanael tanquam hominem tantum confessus est. Sic Chrysost & Theophyl. Joan 1. Quamvis Nathanael filium DEI confiteatur Christum, non tamen sicut Petrus. Nam Petrus quidem confessus est Filium DEI, ideo & beatus prædicatur, & Ecclesia ei concreditur. Nathanael verò: ut hominem nudum eum fatetur, gratia autem propter virtutem adoptatum in filium DEI. Martham Christum Deum esse eo tempore nondum intellexisse, testantur Chrysost. Theophyl. & Toletus. Nondum enim Personarum Divinarum mysterium illi fuerat revelatum.

X. *Quid promisit Dominus Petro verbis illis:* ET EGO DICO TIBI, QUIA TU ES PETRUS &c.? R. Summum Ecclesiæ Pontificatum, q. d. Beatus es ô Simon Bar Iona, quia à Patre, quis ego sim edoctus es. Pater meus divinitatem meam tibi revelavit. Et ego Patri æqualis, Ecclesiæ meæ summum Pontificatum tibi dabo. Quid est, ait Chrysost. *Ego tibi dabo?* Quemadmodum Pater tibi dedit, ut me cognosceres: sic ego tibi dabo claves regni cœlorum &c.

Ecclesia super petram.

XI. *Super quam Petram dicit Christus se ædificaturum Ecclesiam suam?* R. super ipsum Petrum. Tu, ait Dominus, es Petrus, seu Cephas, id est petra, utebatur enim Hebraico seu Cyriaco nomine, sequitur: *& super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Quamnam petram demonstrat pronomen illud demonstrativum *hanc?* profectò illam, quæ præcesserat, præcesserat autem Petrus, ergo supra Petrum Ecclesia dicitur extruenda. Reddit enim Dominus rationem nominis Petri, quod Apostolo imposuerat. q. d. Tu es Petrus à me appellatus. Etenim super te, tanquam super Petram ædificabo Ecclesiam meam. In ædificiis non unus tantùm est fundamenti lapis, sed multi. Sic in Ecclesia lapis maximus, præcipuumq; fundamentum est Christus. Super Christum ædificatur Ecclesia primo, illi Petrus tanquam petra fundamenti secunda innititur. Hinc illud Pauli ad Ephes. 2. Superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo Angulari lapide Christo JESU.

Claves regni cœlorum.

XII. *Quid per claves regni cœlorum intelligitur* v 19? R. Summa absolutaq; auctoritas & regendi potestas (hoc enim fine claves urbium solent regibus tradi) & quidem totius regni cœlorum, id est integræ Ecclesiæ militantis, cui tamquam hæredi destinatum est regnum cœleste. Hoc uno verbo promittit Christus Petro, ejusq; Successoribus,

bus, potestatem tum ordinis, tum jurisdictionis, necessàriam ad regendam ut oportet Ecclesiam, deducendosq; filios ad vitam æternam. *Quodcunq; ligaveris* in Ecclesia *super terram* militante, *erit ligatum* etiam *in cœlis*. Quamvis ergo mortalis homo sit Petrus, ejusq; successor, tamen cœlesti præditus est potestate, inquit S. Chrysost. nec aliunde petenda est vitæ mortisq; certitudo post latam à Petro sententiam, sed quod ille judicârit, habendum est tanquam Divinum è cœlo responsum, & quod ille è sua cathedra decreverit, tanquam ab ipso DEO decretum. Porrò generalis hæc ligandi potestas exercetur imò, culpam non absolvendo, sed ut erat, relinquendo. 2dò remissâ culpâ pœnitentiam injungendo. 3tiò excommunicando, suspendendo à sacris, vel interdicendo. 4tò præcepta & leges Ecclesiasticas præscribendo. 5tò definitione Controversiarum Scripturæ vel fidei judicium nostrum astringendo. E quibus è contrario patet, qua ratione potestas solvendi exerceatur.

XIII. *Cur præcepit Dominus discipulis, ne dicerent ipsum esse Messiam?* R. duo fuisse tempora, alterum hoc probandi: alterum vulgandi. Tempore, quod resurrectionem, & Spiritûs Sancti adventum præcessit, Messiam se satis esse probavit Dominus, hujus verò rei per discipulos promulgationem, in tempus illud reliquit, quod Spiritûs Sancti adventum est consecutum. Spiritûs enim Sancti lumine indigebant tum Apostoli, ut veritatem hanc prædicarent: tum Auditores, ut illam possent intelligere. Euthymius ait: Immissurus erat Spiritus Sanctus intellectum non solis discipulis, sed omnibus etiam credentibus: & tunc jam demum omnibus publicari volebat & divinitatis & passionis suæ mysterium, ut absq; ullo offendiculo prædicatio procederet. &c. *Messias noluit Christus dici.*

XIV. *Quo sensu dicitur* v. 23. VADE POST ME SATANA, id est, *adversarie in hac causa?* R. Facesse è conspectu meo. q. d. præpostero zelo tuo, Diaboli (qui antonomasticè Satanas seu adversarius dicitur) partes obis, idemq; cum Diabolo, licet nescius, moliris; nempe, ne per me salvetur humanum genus. *Scandalum*, id est, offendiculum, & impedimentum *es mihi*, quantum ex te est. *Non sapis, quæ DEI sunt* hac in parte, seu quæ Deus probat.

XV. *Quomodo Christus paulò antè Petrum vocavit petram, id est solidum & constans fundamentum Ecclesiæ, si nunc erravit?* R. Potuit Petrus in moribus & factis errare etsi non in dogmatibus fidei è cathedra definiendis, ut passim Theologi docent. Deinde necdum erat hæc petra jacta in fundamentum, sed jacienda demum post resurrectionem Christi: ac proinde poterat jam adhuc adversari Christo, inquit S. Hieron.

CAPUT XVII.

Christus transfiguratur in monte, & Eliam partim venisse, partim venturum docet. Sanat lunaticum, prædicit instare sibi passionem & mortem. Solvit didrachma pro se & Petro, etsi ad id se non teneri ostendat.

QUæstio I. *Quomodo conciliandi sunt Matthæus & Lucas?* Matthæus dicit: *Et post dies sex* Lucas verò c. 9. 28. ait: *factum est autem post hæc verba ferè dies octo?* R. det S. Hieron. Facilis est solutio, quia hìc medii dies ponuntur, ibi primus additur & extremus. Matthæus ergo & Marcus non numerant primum diem, quo Christus hæc, quæ audivimus, dixit, & promisit transfigurationem, quia imperfectus erat, nec ultimum & octavum, quia manè summo transfiguratus est Christus, sed tantùm sex intermedios. Lucas verò omnes numerat tam plenos, quàm non plenos & imperfectos, idcirco ait, *ferè*.

II. *Qua ratione & modo Christus est transfiguratus?* R. Non ita transfiguravit se, ut tribus Apostolis ostenderet suam divinitatem, hæc enim oculis corporeis videri nequit. Nec mutavit vultûs sui essentiam aut formam, imò nec figuram, colorem vel alias qualitates, sed ut rectè ait Euthymius, assumpsit ingentem splendorem, quasi divinum, ut fulgeret instar solis, imò ut sole esset augustior & fulgidior. Transfiguratio ergo dicitur, eò quòd Christus in ea figuram, id est, formam & speciem externam faciei, assumpto splendore in clariorem & augustiorem transformârit. Non enim Christus hic assumpsit dotes alias corporis glorioſi, scil. impassibilitatis, agilitatis & subtilitatis, sed claritatis duntaxat, hæc enim sola Apostolis erat visibilis. *Transfiguratio Christi.*

III. *Cur transfiguratus est Christus?* R. imò ut per hanc claritatem & gloriam ac per testimonium Eliæ & Mosis Apostolis divinitatem suam probaret, illamq; sub humanitate occultatam atq; velatam ostenderet. 2dò ut præmuniret discipulos, ne caderent animo, cùm ipsum visuri essent in monte Calvariæ cruci affixum. 3tiò ut fidem & spem,

animumq; & zelum Apostolorum, cæterorumq; fidelium ad certamen & cruces quaslibet pro Evangelio fortiter subeundas, spe similis gloriæ in resurrectione obtinendæ excitaret & acueret. Ita S. Leo serm. de Transfigur. Transfiguratus est, inquit, Dominus, ut de cordibus discipulorum crucis scandalum tolleret, & ne conturbaret eorum fidem voluntariæ humilitas passionis, quibus revelata esset absconditæ excellentia dignitatis.

IV. *Cur Moses & Elias præ aliis Prophetis apparuerunt?* R. Quia Moses fuit legislator legis veteris; Elias verò Princeps Prophetiæ & Prophetarum: Unde ipse repræsentavit totum Prophetarum chorum. Hi ergo duo apparuerunt, ut ostenderent Christum verè esse Messiam, Salvatorem mundi à se in lege & Prophetis promissum. Per Mosen igitur ostenditur Lex, per Eliam prophetia in Christum conspirare, ac utramq; jam officio suo perfunctam terminari & dare locum Christo novo legislatori & prophetæ à DEO misso, atq; per omnes Prophetas ac nominatim per Mosen promisso Deut. 18. v. 18. *Prophetam*, inquit, *suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, & ponam verba mea in ore ejus &c.* Ita S. Hieron. Chrysost. Amb. & Euthym.

Moses & Elias apparuerunt.

V. *Qua ratione & modo hic apparuit Moses & Elias?* R. De Elia omnes conveniunt, ipsum in proprio corpore apparuisse; Elias enim raptus curru igneo in cœlum, & adhuc vivit, ut veniat, certetq; pro Christo contra Antichristum. Ergo ex paradiso, vel loco in quem à DEO translatus est, Elias subitò per Angelum translatus fuit in montem Thabor, ibiq; in Transfiguratione Christi extitit collocutor & testis. De Mose verior est sententia animam ejus è limbo per Angelum translatam fuisse in terram ibiq; egressam venisse in montem Thabor ad Christum assumpsisse corpus, vel àëreum formante illud Angelo, ut volunt Lyran Salmer. Abul. & S. Thom. 3. p. q. 45. a. 3. ad 2. Vel certè proprium corpus resumpsit & resurrexit, ita ut anima Mosis è limbo per Angelum deducta sit ad ejus sepulchrum, ibiq; collectis ab Angelo Mosis cineribus, Deus illis animam inserverit & univerit, ut verus vivusq; fuerit Moses, quem idem Angelus ex sepulchro transtulit in Thabor. Sic Suarez 3. p. q. 45. disp. 22. sect. 2. cum aliis à se citatis. Si hoc censeas, Mosen resurrexisse necesse est, ut dicas, eum rursum esse mortuum, nam primus resurgentium ad vitam immortalem fuit Christus.

VI. *Quo signo Apostoli agnoverunt Mosen & Eliam?* R. imò ex specie externa, seu habitu, quo in SS. literis describuntur v. g. Moses ex facie nimio lumine cornuta Exod. 34. v. 29. vel ex duabus tabulis legis ibid. Elias ex curru igneo, vel zona pellicea. Idò, ex colloquio, quo nomina sæpe ingeminantur. Itiò & præcipuè ex inspiratione Divina, inquit Tertull.

Testes transfigurationis

VII. *Cur tres discipulos, nec plures, nec pauciores eligit Christus ad montis Thaboris gloriam, non verò ad ignominias suæ passionis?* R. Quia in Deut. c. 9. v. 15. In ore duorum aut trium testium stabit omne verbum. Quia ergo Apostoli post Resurrectionem reddituri erant testimonium de hac gloriosa Transfiguratione, utpote de re valde magna, & excedente humanas vires, ac conditionem statûs hujus vitæ, ideo expediens fuit, ut maximus testium numerus à lege datus adhiberetur, ut scil. tres essent oculati testes. Ad Calvariæ ignominias verò nullum assumpsit, quia ut ait S. Bern. serm. 2. de Passione: Ea hostia, sicut sola prodesse potuit, sic sola sufficit, neq; Christum decuit simul alium discipulum assumere, ut montem ascenderet, passurus pro nobis, sicut assumpsit, cùm se gloriosum exhibuit. Imò crucifixi sunt cum eo duo alii nequam, de quibus nulla prorsus suspicio posset haberi, quòd ex eis minus efficax sacrificium suppleretur. Et S. Amb. explanans illa verba Joan. 18. v. 8. *Sinite hos abire.* sic ait: Non quæro consortem passionis, qui ad salutem omnem omnium adjutore non egeo. Christus D. gloriam suis communicat; passiones verò ac dolores sibi assumit. Loquens Isaias 63. v. 3. in persona Christi D. de sua passione ait: *Torcular calcavi solus, & de gentibus non fuit vir mecum.* Et tamen cùm ad suam Resurrectionem properat, *multa corpora Sanctorum, qui dormierunt, surrexerunt.* Matth. 27 v. 52. Tempestuosum passionis mare solus ingreditur; in splendore verò resurrectionis multis comitatus exurgit. S. Paschasius l. 12. in Matth. Quamvis Christus unus sit mortuus, inquit, & solus pro omnibus, noluit solus resurgere, sed cum plurimis, ut primum testes haberet resurrectionis: Deinde ipse unà cum multis, ut spem refunderet desperatis.

Christus nobis communicat gloriam, sibi retinet dolores.

Petrus, Joannes, & Jacobus præcellunt aliis Apostolis.

VIII. *Quare ex omnibus Apostolis hos tres potiùs elegit Dominus, quàm alios?* R. Quia excellentiores erant cæteris, scil. in meritis ac virtute, quod ex multis excellentiis, ac privilegiis, quibus cæteris anteibant, conjicere licet: nam Petrus cæteris erat ardentior & ferventior in amore, ut ait S. Hieron & ideo cæteris præcessit, divinitatem Christi confitendo Matt. 16. v. 16. indeq; moras non sustinens, natando venit ad Christum in mari, ut citiùs ad illum perveniret Joan. 21. v. 7. cùm alii navigio venerint, ac proinde Dominici gregis est ei data cura, *pasce oves meas.* Joannes cæteros privilegio excessit, quia Christus in cruce matrem suam ei commendavit, dicens eum filium Virginis Joan. 19 v. 26. Deinde Christus eum summè dilexerat, unde per excellentiam dicitur Discipulus,

quem

quem diligebat JESUS, privilegioq; Virginitatis inter cœteros resplendebat, de aliorum enim Apostolorum virginitate ante vocationem non constat, ùt notat Abul. q. 12. Jacobus verò excessit cœteros privilegio martyrii. Ipse enim ante omnes martyrio laureatus est. Act. 12 v. 2. S. Thom. ait, Jacobus assumptus est, quia præcipuus debellator erat adversariorum fidei. Unde in magnum obsequium Judæorum Herodes eum occidit Theophyl. ait: Assumit tres vertices Apostolorum. Petrum tamquam confitentem, & diligentem, Joannem tàmquam dilectum, Jacobum tamquam Alcivotum & Theologum. Hosq; tres semper ad magna adhibuit. Cùm puellam suscitat Marci 5. v 37. Quando in horto agonem cumhorrore mortis iniit. Matth. 26. v. 37. Quando Apostolos creavit, his tribus nova nomina imposuit Marc. 3. v. 6. & 7.

IX. *Quomodo Transfiguratio Christi facta est?* R. Christus Dominus quamdiu inter homines vixit, fuit simul viator & comprehensor, & sicut a primo instanti creationis suæ sacratissimæ animæ, ac unionis cum Verbo ipsa anima fruebatur DEI visione, beataq; erat: ita ipsa beatitudo poterat in corpus redundare secundùm suas dotes; sed ex alto DEI consilio repressa est, ut nos redimeret. Tamen variis in occasionibus, dotibus ipsius beatitudinis usus est, ùt notat Hugo à S. Victore. Quatuor sunt dotes subtilitas, agilitas, claritas impassibilitas. Subtilitate usus est, cùm nascitur ex purissimo Virginis utero, & ad discipulos clausis januis ingreditur: agilitate, cùm ambulat super aquas: claritate in Transfiguratione: impassibilitate verò utitur, cùm corpus suum sub sacramento dat discipulis. Quia tamen multò communior est opinio D. Thomæ corpus Christi datum discipulis in cœnaculo sub speciebus Sacramentalibus, cùm diceret ordinem ad corpus naturale, fuisse passibile, dicimus, quòd licet Christus aliis beatorum dotibus uteretur, non tamen impassibilitate. Claritas autem in Transfiguratione non proveniebat ab ipsa natura Divina clarè visa, sicut in beatitudine se præbet beatis. Nam divinitas oculis corporeis per nullam potentiam videri potest, ùt communiter tentent Theologi. Claritas autem illa visa in corpore Christi erat ejusdem speciei cum claritate corporum beatorum, quia Christus D. dixit discipulis suis Matth. 16. *Sunt de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno suo.* Alii legunt: *venientem in gloria Patris sui.* id est, in Transfiguratione, ùt multi explicant, ergo erat ejusdem speciei cum illa, quæ est in gloria Patris in corporibus Beatorum. *Transfiguratio Christi quomodo facta est*

X. *A quo hæc claritas emanabat in corpore Christi?* R. ab ipsa anima, utpote beata, & hypostaticè DEO unita. Et hæc gloria erat debita corpori Christi duplici titulo, scil. unionis hypostaticæ, & beatitudinis animæ, tertio etiam titulo meriti eam obtinuit per mortem & labores Luc. 24. 26. *Non hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.* Cùm autem gloria corporis veluti naturaliter emanaret ab anima beata & unita, tamquam quoddam miraculum extitit, quòd esset repressa pro mysterio nostræ salutis. In Transfiguratione autem, dum gloria illa diffunditur in corpus, fuit cessatio repressionis, ac miraculi. Hic splendor non fuit subjectatus in aëre, nec in oculis Apostolorum, ùt aliqui dixerunt, nec in sola Christi facie, sed faciei, manibus, pedibus & toti corpori Christi inhæsit. Sic docet S. Ephrem Orat. de Transfigur: Facta sunt, inquit, vestimenta ejus alba, etenim ostendit Evangelista, quòd ex toto ejus corpore ejus gloria scaturit, ex tota ejus carne resplenduit ejus facies, & ex totis ejus membris resplenduerunt radii &c. Et iterim: Christus toto suo corpore, tamquam sol suis radiis resplenduit gloria suæ divinitatis. Et ratio est, quia Christi Transfiguratio fuit perfecta & plena, ergo totum ejus corpus nitore resplenduit. Cùm S. Matth. & S. Marcus solùm faciem commemorant, sub facie tamquam parte principali oris, ac magis spectabili, cætera membra intelligunt. *Claritas à quo emanabat.*

XI. *Quare puer dæmoniacus dicitur lunaticus* v. 14.? R. Non fuit hic morbus in eo naturalis, ùt aliqui putabant, sed Dæmonis vexatione inductus est, ùt communiter docent SS. PP. Probatur, quia Christus puerum sanans juxta S. Marcum c. 9. v. 24. dixit: *Surde & mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo.* Et S. Matth. ait: *Exiit ab eo dæmonium, & curatus est puer ex illa hora.* Si ergo Dæmonis ejectione tantùm, puer sanitatem recuperavit, fit manifestum, quòd non naturali morbo, sed dæmonis vexatione laborabat. Si autem pater eum lunaticum appellavit, potest dici cum S. Thoma, quia talem eum putabat Dæmonis fraude deceptus. Unde ait S. Chrysost. hom. 58. Non turberis, si lunaticus est appellatus, patris enim dæmoniaci hæc vox fuit. S Hieron. in c. 4. Matth. ait: Non erant verè lunatici, sed reputabantur Lunatici ob dæmonum fallaciam: qui observantes lunaria tempora creaturam infamare cupiebant, ut in creatorem blasphemiæ redundarent. Intendebat Dæmon lunam infamare, ut morborum causam. Euthym. verò ait: Ut dum luna mali causa videretur, ejus creator calumniæ exponeretur S Remigius ait: Lunatici à luna dicti sunt, quæ dum menstruis temporibus crescit, & decrescit, ipsi vexantur. Crescente vel decrescente luna omne humidum mutatur cerebrum, cùm sit humidissimum, *Lunaticus.*

per lunæ cursus alteratur, quod explorabat dœmon, ut lateret, quod ipse totius mali esset causa: semper ipse intendit, ut malum, quod infert, in alterum redundet. S. Chrysol. serm. 53. Aptans, ait, lunæ cursibus hominis passiones, vexabat corpus lunaribus incrementis: ut esse lunæ crederetur, quod erat diaboli in criminis & furoris. Sic inquit S. Paschas. l. 3. in Matth. Sæpe diabolus homines per homines tentat, ut malum hominis homini tribuatur. Sicq; per filias Moab Israëlitas ad idololatriam provocat Num. 25.

Fides requisita ad miracula.

XII. *Quem alloquitur Christus* v. 17. O GENERATIO INCREDULA &c. R. Patrem Lunatici, persvasi à Scribis, ut minùs crederet in Christum, & ideo non potuerunt discipuli (novem illi relicti, cùm Christus esset in monte) puerum sanare. Adverte hìc qualem fidem Christus exegerit ab eis, quos curabat: scil. ut crederent, Christum virtute Divina, aut Apostolus in virtute Christi posse hæc facere; non autem requirebat, ut crederent, se revera salvatum iri ipso facto, cum hoc Christus neq; docuisset, neq; revelâsset. Ex quo collige insignem errorem nonnullorum, qui nescio qua simplicitate, profitentur se posse thaumaturgias exercere; cùm autem non succedit, culpant miseros homines, quod non crediderint, se esse sanandos. Quasi verò æger fide Divina credere vel possit vel debeat se sanandum, cùm Deus id nusquam revelârit. Sed requiritur, ut credat, Deum id posse facere, si voluerit; hujus fidei defectus impedit beneficia Divina, & nullius alterius. Designari autem hoc loco incredulos Scribas, docent SS. Hilarius, Chrysost. Hieron. contra Origenem volentem notari Discipulos Christi. Attamen fatendum est etiam in Discipulis defectum fuisse non simpliciter, sed satis intensæ, & aliis virtutibus sociatæ: cùm nonnulli dœmonum, qui sunt ex altiore ordine, valde pertinaces & superbi sint; & hoc ipsum Discipuli videntes hæsitaverint; an ipsi pares futuri essent hujusmodi spiritui, cum tamen in Christi promissione confidere debuissent. Et hæc patent ex versu 20

Fides & incredulitas.

XIII. *Cur cùm pater lunatici, se credere dicat, adhuc se incredulum fatetur:* CREDO DOMINE, ADJUVA INCREDULITATEM MEAM. Marci 9. v. 23? R. det Victor Antioch. Non unius rationis est fides: est enim inchoata, est rursus consummata: exorsus igitur credere, ut Dominus virtute sua, quod deerat, adjiceret, opus habebat, ajebant Discipuli quoq; ad Salvatorem: Adauge nobis nobis fidem Luc. 17. v. 5. Credebat Christi potentiam efficacem ad sanandum filium suum, ideo hunc ad illum attulit; sicq; dicebat, Credo. Qua tamen de efficacia ipsius potentiæ erat dubius, ut ipse de se fatetur Marci 9. 21. *Si quid potes, adjuva nos, misertus nostri,* ex sua ergo hæsitatione adhuc incredulitate detinebatur, nam fides nutans, indelitas est, & qui in fide dubitat, incredulus censetur. Uno eodemq; tempore, ait Beda, is, qui necdum perfectè crediderat, simul & credebat, & incredulus erat. Vel simul ait: *Credo & adjuva incredulitatem meam.* A Christo illuminatus credidit, & accensus colloquio, ac verbis Domini, jam cum lacrymis ad multam humilitatem ac virtutis perfectionem evehitur; & inde fidem, quam conceperat, tam imperfectam & diminutam judicat, ut incredulitatem dicat, tam parvam eam judicat, ut adhuc se incredulitate detineri præsumat: proprium enim est viri justi, ut in suis maximè diffidat nihilq; boni de se audeat sperare. In ultima cœna dixerat Dominus, se ab uno Discipulorum suorum esse tradendum. Quid tunc Discipuli? & contristati valde cœperunt singuli dicere: numquid ego sum Domine? At ille respondens ait, qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet Matth. 26. 22. Ab uno audiunt tantum nefas perpetrandum, & tamen omnes turbantur, & singuli de se quærunt. Quare sic singuli de se quærunt. Quare sic singuli de se dubitant? Maximè ipsi videbant suum affectum erga suum Magistrum longissimè à proditione distantem, videbant affectum esse suum, qui licet in omnibus, una Juda excepto, esset valde fervidus & constans; tamen cùm suum agnoscerent, de eo quodammodo diffidebant, ac etiam verebantur, ne minùs verum esset, quod de se putabant. S. Leo serm. 7. de Passione. Omnes tibi, inquit, non edito impietatis auctore formidant. Contristati enim sunt, non de conscientiæ reatu, sed de humanæ mutabilitatis incerto, timentes, ne minùs verum esset, quod in se quisq; noverat.

Justus sua reputat exigua.

Fides sicut granum sinapis.

XIV. *Quare fides ad montes transferendos cum grano sinapis confertur* v. 18.? R. Si habueritis fidem, sicut granum sinapis, id est, fidem humilem, minimeq; se ostentantem, ac proinde hominum oculis parvam, sed virtute vivam, acrem, vehementè, fervidam instar sinapis quod aspectui exiguum, & vile est; attritum autem & contusum monstrat, quantæ sit acrimoniæ, quantiq; fervoris: non enim à sola quantitate grani sinapis deducitur ista similitudo, sed etiam simul ab ejus interiore virtute. S Thom ait: Granum sinapis, antequam conteratur, nullum fervorem habere videtur; cùm conteritur, fervere incipit: sic homo fidelis, antequam probetur, despectibilis videtur, quando verò atteritur, tunc apparet ejus sanctitas. Granum sinapis cùm sit minimum, ita fœcundat, ut crescat, & fiat arbor magna, ita ut volucres cœli habitent in ea Sic fides, quamvis videatur parva, paucisq; contenta articulis, tamen per sanctam operationem ita crescit, ut omnes fructus justitiæ in ea habitent. Unde dicitur: Sancti per fidem vixerunt regna, operati sunt justitiam,

stitiam, adepti sunt remissiones Heb. 11. v. 33. Fides ad hujusmodi miracula impetranda ea est, quæ constantissimè DEI omnipotentiam credit, & de DEI bonitate tantam concipit fiduciam impetrandi id, quod petit, ut nihil vacillet & hæsitet: sed summa firmitate persistat.

Tributum solutum à Christo.

XV. *Quodnam tributum Judæorum exactores à Christo perquisiverunt* v. 23.? R. Hoc tributum non fuisse sacrum pro templo solvendum, sed prophanum, Romanis, vel Herodi Antipæ, à Romanis Galilææ Regi constituto, ut docent Recentiores, & probatur ex verbis Christi ad Petrum: *Reges terræ, à quibus accipiunt tributum?* Ergo hoc tributum erat regium, & pro regibus exigebatur. Et idem confirmatur ex his, quæ Herodiani, seu ministri Herodis tentantes exquirunt à Christo: an liceat censum dare Cæsari? Aliqui ut Abulens. & Lyran. tenent hoc tributum tantùm solvi à patribus familias, seu à capitibus familiarum. Tamen melius tenendum est cum Jansenio & Recentioribus, à singulis Judæis persolvi esse solitum. Et probatur ex translatione Syriaca: *Accesserunt ii, qui accipiebant binas drachmas argenti captatim.* Et Dominus statim pro se & Petro jussit solvi staterem, in ore piscis repertum, id est, duo didrachma; unum pro se, alterum pro Petro. Ergo pro unoquoq; unum solvebatur didrachma. Causa & origo hujus tributi fuit, ut referunt Joseph l. 14. Antiq. c. 8 Hegesip. l. 1. c. 7. Quòd Pompejus victis Judæis, eos Romanis subjecit, eisq; tributum imposuit; & quia Judæi templo pendebant quotannis didrachma, jussi sunt à Romanis, pariter illis pendere didrachma. Et cùm rebellaret Jerosolyma, eamq; Vespasianus cepisset, templum evertit: & tunc didrachma solitum templo pendi, imperavit ipse Romano Capitolio solvi. Joseph l. belli 7. c. 26. in fine de Vespasiano sic ait: Stipendium Judæis ubicumq; degerent, indixit, binasq; drachmas singulis annis deferre ad Capitolium jussit, ita ut antehac Jerosolymorum templo pendebant.

Clerici an immunes à tributo.

XVI. *An nonnulli Canonistæ rectè colligunt ex v. 26. jure Divino clericos esse immunes & liberos ab omni tributo?* R. Non rectè, pari enim ratione colligeretur, ab eodem immunes esse omnes Christianos, uti volunt Anabaptistæ. Christiani enim sunt filii DEI adoptivi, renati in baptismo per gratiam; quod tamen falsum esse docet Apost. Rom 13. 7. & tota Ecclesia: nam hæc adoptio est altioris hæreditatis & ordinis, scil. cœlestis non terreni. Ita S. Hilarius, Chrysost. & alii. Rectè tamen & apposite ad hoc Christi dictum, Reges & Principes à tributo exemerunt Ecclesiasticos, qui sunt quasi de domo & familia Christi. Et hoc tantum vult hic Hieron. & Canones, dum dicunt: Clericos non tantùm jure humano, sed & Divino exemptos esse à tributo, quia scil. jus Divinum dictat hanc exemptionem à Principibus esse concedendam. Vide Lessium de Justitia l. 2. c. 23. dubio 4. Ubi ostendit exemptionem Clericorum à tributo, esse juris non Divini, sed humani.

CAPUT XVIII.

Instar parvuli fiat, qui vult intrare in regnum cœlorum, caveatq; ne cui illorum scandalum creet. Frater in nos peccans quomodo corripiendus: qui Ecclesiam non audit pro Ethnico habendus. Potestas ligandi & solvendi Discipulis omnibus communicatur. Plurium in idem conspiratio commendatur. Integra offensarum remissio, etsi septuagies septies, indulgenda, & quidem ex intimo corde, ut docet parabola regis rationem ineuntis cum servis suis.

Regnum cœlorum.

QUæstio I. *Quid significet regnum cœlorum?* R. Significat regnum cœleste, hoc sensu: quis maximus erit in cœlesti beatitudine. Disputârunt quidem Apostoli de terreno primatu, sed non fuerunt ausi Christo de illo quæstionem proponere, sed mutârunt in quæstionem de primatu cœlesti enim regno loquitur Christus, ergo Discipuli de eodem rogabant. Alii sumunt regnum cœlorum pro regno Messiæ, quod hoc tempore temporale fore Discipuli arbitrabantur, eritq; sensus, quis major erit in regno tuo, quod in terris erit post resurrectionem. Apostoli de regno quærebant Messiæ, quod temporale fore tunc existimabant: Christus ad regnum cœleste & æternum sermonem transfert.

Majoratus in cœlo.

II. *Cur majoratus in regno cœlorum tribuitur humilitati, cùm potiùs Charitati videatur tribuendus,* tamquam virtuti Theologicæ, & majori omnibus? R. det S. Thom. Charitatem necessariò comitatur humilitas, sicut enim in superbia sunt duo, affectus inordinatus, & æstimatio inordinata de se, ita è contrario est in humilitate, quæ propriam excellentiam non curat, item non reputat se dignam: ergo homo, quo plùs humilitatis habet, eò magis diligit Deum, & magis excellentiam sui contemnit, minusq; sibi attribuit:

sic

sic quò plùs charitatis, eò magis humilitatis habet. Lyran. ait: Humilitas est fundamentum totius perfectionis: & ex magnitudine fundamenti colligitur magnitudo ædificii: ideo magnitudo præmii, quod debetur omnibus virtutibus, attribuitur humilitati, quia illa est fundamentum omnium. Et quia Discipuli ex aliquali vanitate contendebant, quisnam major esset in regno; ideo Christus opportunè illis occurrit, objiciens fundamentum virtutum, humilitatem scil. per quam majoratum obtinere poterant.

Submersio melior, quàm peccare.

III. *Quonam modo expedit scandalizatori, ut in mare præcipitetur?* ℟. Melius & utilius esse scandalizatori in pelagus præcipitari, quàm quempiam scandalizare. Deum enim offendit, tartareiq; ignis supplicium incurrit; quod multò gravius est, quàm submersio. Satius est vel turpissimo mortis genere vitam amittere, quàm crimen aliquod committere. Ob magna peccata, multasq; idololatriæ abominationes, ob sancta prophanata ac conculcata, gravia minatus est Deus supplicia Babylonico populo, ut sic fortè resipiscens à delictis suis retrahatur dicens: Descende, sede in pulvere, Virgo filia Babylon, sede in terra, non est solium filiæ Chaldæorum, quia ultra non vocaberis mollis, & tenera. Tolle molam & mole farinam. Isa. 47. 1. Mandatur filiæ Babyloniæ, ut suum decorem deponat, descendatq; à regali solio, & in pulvere sedeat, deinde adjungitur, ut molæ alligetur, hocq; illi assignatur tamq; omnium miseriarum compendium. Nonne major erat calamitas, ut in montem abiret, filiosq; suos interfectos videret? Hoc tamen omisso, molæ alligatio apponitur, & nulla major miseria, quàm quòd rejecta humana conditione servilem ac infamem brutorum resumeret. S. Cyrill. Alexand. Volens, nolens, ait, servitutis miseriam subibis: moles farinam, apparebis nuda, retegetur ignominia tua, apparebunt decora tua. Sicq; Samson pro magno opprobrio comprehensus ab adversariis hoc supplicio afficitur, ut ad molam alligatus triticum tereret. Jud. 16 21.

Scandalū.

IV. *Quid significat hoc loco scandalizare?* ℟. offendiculum alicui ponere, in quod impingat & cadat, quidquid illud sit, sive malo exemplo & consilio, sive contumelia, sive alio modo scandalum præbeatur. Constat ex illis verbis: *si manus tua vel pes tuus scandalizat te*, non est sensus: si manus tua vel pes tuus despicit, aut vituperat te, sed si tibi est offendiculum. Dominus enim eodem sensu de scandalo loquitur omnibus his verbis.

Manus, pesq; abscindendus

V. *Cur Christus non solùm præcipit, manum vel pedem, ac oculum abscindere; sed etiam projicere.* v. 8.? ℟. Per oculum, manum, vel pedem, non intelliguntur corporis membra naturalia, sed metaphoricè illa, quæ nobis sunt offendicula, & in damnum spirituale vergunt S. Chrysost. hom. 60. ait: Non hæc de membris dicta sunt: sed de amicis, ac necessariis, quos quasi membra nobis conjunctos ducimus, nihil ita perniciosum, ac pestiferum est, ùt consvetudo pravorum hominum & conversatio. S. Hieron. Si quis est tibi conjunctus ait, ut manus, pes, oculus, & est utilis atq; sollicitus, & acutus ad perspiciendum, scandalum autem tibi facit, & propter dissonantiam morum te pertrahit in gehennam, meliùs est, ut & propinquitate ejus & emolumentis carnalibus careas &c. Non solùm mandat Dominus manum vel pedem scandalizantem abscindere, sed etiam addit, *& projice abs te:* non solùm præcipit, ut peccatum, seu peccandi occasio abscindantur, sed etiam procul abjiciantur. Sic Joannes clamabat Matth. 3. 10. *Jam securis ad radicem arborum posita est.* Non ait, quòd securis applicata sit ad ramos vel frondes tondendas, sed ad radices extirpandas, ut penitus peccati malum excidatur. S. Berm. serm. 2. de Assump. Virg. An verò, inquit, aliud est, quàm fictio execranda; si peccata superficie tenus radas & non intrinsecus eradices? Certus esto, quoniam pullulabit uberius. Excisam non extirpatam arborem in sylva pullulare videas densiorem. Quod periculum si volumus declinare, securim ponamus, necesse est; ad radices arborum, non ad ramos.

Ordo correctionis in religionib9

VI. *Quo jure in quibusdam Religionibus non servatur ordo correctionis fraternæ præscriptus à versu* 15. *sed peccatum fratris jubetur immediatè ad superiorem deferri?* ℟. Quia superior istic, quasi alter ego, & pater utriusq;, & in hoc genere prudentior, magisq; expertus, subit locum meum, & corripit delinquentem non publicè ùt judex, sed privatim ùt pater. Et hoc gratius solet esse delinquenti, quàm si à confratre suo corriperetur. Quæ inde suboriri videtur levis infamia, aut æstimationis apud Superiorem imminutio, nullius momenti est, utpote apud Patrem, honoris filiorum suorum non minùs, quàm proprii studiosum. Strictiori verò juri famæ propriæ censetur quivis Religiosus tum renuntiâsse, cùm Religionem ingrederetur, in qua utpote schola & palæstra humilitatis, sciebat ejusmodi legem vigere, & ob majus bonum inde consequens, ab omnibus observari debere.

VII. *Quomodo ex potestate ligandi* Matth. 16. v. 19. *colligi potuit primatus Petri etiam supra alios Apostolos, cùm eadem potestas hìc v. 18. omnibus Apostolis communicetur?* ℟. Quia Petro Potestas ligandi etiam reliquos Apostolos data fuit, utpote totius Ecclesiæ pastori & principi; at Apostolis nulla fuit potestas in se mutuò data, multò minùs in Petrum.

VIII.

VIII. *Quare tam severè benignus Dominus mandat servum, & omnia illius vendere.* ℟. Ut peccator recognoscat miseram statûs sui conditionem Cùm mandatur venundari, jam amittit Dominum suum, scil. Deum, deinde omnia gratiæ bona, & ad diaboli transit mancipium. Cùm venundatur, jam deperdit usum propriè vitæ, cùm alterius sit, alteriq; vivat. Cum venundatur, jam suum perdit honorem, servus enim constituitur Cum venundatur, uxoris ac filiorum sit expers. Cùm venundatur, etiam omnia bona sua, quæ habebat, deperdit. O utinam homines recogitarent, quot mala illis inferunt peccata, tam in ordine supernaturali, quàm naturali. In supernaturali amittit Deum, indeq; omnia gratiæ dona. In naturali verò propriam vitam, honorem, & omnia, quæ habet homo. S. Greg. Nazian Orat. 6. Libertas, ait, & divitiæ in sola mandati observatione sitæ sunt, quemadmodum contrà paupertas, & mala in illius violatione. S. Chrysost. ait: Volebat illum hujusmodi terrere minis, quoad sibi supplicandum, ne venundaretur, excitaret. Post commissum idololatriæ scelus in adoratione vituli, ait Deus Moysi: *Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos* Exo. 32. 11. Deus à nullo dependet, quomodo sic loquitur, quasi Moysi voluntati subordinatus? cur commissò illo horrendo crimine; illicò non vibrat fulmina in perfidorum capita? ad quid se dicit velut ligatum? Ne ob gravitatem execrandi delicti frigesceret Moyses, rogationes multiplicare non audens, se, ait Deus, illius precibus quasi adstrictum, ut inde majori fiducia concepta fervidius orationibus instarer pro populo, illiq; indulgentiam impetraret. Dimitte me Quasi tu tenes me, vel tenere potes: per hoc ergo dedit fiduciam exorandi, & impetrandi pro eis, si enim velles verberare filium, & diceres sedenti juxta te, dimitte me, ut verberem filium meum; nonne quodammodo hortareris: ut te exoraret, ne verberares eum? Tenuit ergo Moyses Deum, servus Dominum, creatura Creatorem. *Servus jubetur venundi.*

IX. *Quare pauper servus audet spondere, se omnia Domino suo redditurum* v. 26. ℟det S. Greg. Nazian Orat. 17. Ad bonum enim & facilem Dominum accesserat. In multa talentorum summa deprehensus erat servus debitor; & tamen audax rogat: patientiam habe in me &c. Unde iniquo servo tanta præsidentia, ut herum sibi iratum precibus aggrediatur, & bona credat flecti posse ad pietatem? Agnoscebat servus herum suum esse Deum, naturâ bonum & pium, flectiq; facilem; magnum & excelsum in misericordia; de cujus adjuvamine sperabat, se posse pro omnibus suis debitis reddendis impetrare patientiam, indeq; reus audax est in poscenda venia. S. Chrysost. ait: Non falsùs est, se nihil habere, quod redderet: sed hic mos est debitorum, ut in summa inopia, promittant tamen, quo præsens periculum elabi possint. Quomodo pauper servus, & ad magnas angustias redactus solveret tantam summam aureorum? sagaciter tamen tempus extrahit, moras nectit, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Magnæ enim prudentiæ est, in re eximii ponderis tempus interponere, ut totum negotium in meliorem fortunam mutetur, ut ita præsens periculum elabi possit. *Spes veniæ ex Domini pietate.*

X. *Quàm magnifica fuit liberalitas Domini in servum?* ℟det S Chrysost. hom. 28. in Gen. Vidisti, inquit, misericordiam Domini? Ille procidit, supplicat, orat, ut longius sibi tempus præfiniatur: longanimus esto in me, inquit, & omnia reddam tibi. Sed bonus Dominus, misericors, nostriq; curam agens, supplici benevolus, non solùm quantum petiit, sed quantum nec cogitare quidem ausus fuit, dedit. Servus inducias temporis à Domino postulaverat: *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* At Dominus non est contentus minora concedere, sed multò præstantiora supra postulatum largitur: *Dimisit eum,* & debitum dimisit illi. Non tantùm dat, quod petitur, sed etiam supra id od cogitaripoterat à petente. Non solùm præbet donum, sed etiam honorem. Alb. M. *Ne amplius esset servus, dimisit eum, hoc est, filium fecit & liberum.* Pro delicto commisso, & pecunia deperdita damnatus erat homo, ut ipse cum omnibus suis venundaretur, & captivus fieret. At Dominus non solùm debitum condonavit, sed etiam à captivitatis ignominia liberavit, *dimisit eum,* excellentiq; honore sublimavit, ut filius & liber esset.

XI. *Quare servus egressus tam durus erat in conservum, ut eum suffocaret* v. 28.? ℟det Theophyl. Egressus servus, qui veniam obtinuerat, strangulat, ac premit conservum: nullus enim, qui in DEO manet, compassionis expers est, sed ille egressus erat, & à DEO nunc alienus erat: magnæ autem erat crudelitatis. Rationem tantæ crudelitatis indicant verba illa, nimirum, *egressus est.* Qui enim abscesserat à Domino, jam servus erat, & omnem filialem amorem deposuerat: si enim ut filius in patre permaneret, multis pietatis visceribus in alios esset propensus; in nullo enim magis ostenditur filialis ingenuitas, qua quis maximè DEO adhæret, quàm eo, quòd affectet, proximis prodesse, eisq; impendere benevolentiam. *Servus egressus.*

XII. *Cur, cùm debitum jam dimissum esset servo à Domino suo, tamen ipse traditur tortoribus, quoad usq; illud redderet* v. 34. *An Dominus talenta semel dimissa iterum repetebat?* ℟. Minimè: nam licèt Theologi cum S. Thoma 3. p. q. 89. a. 5. meritorum reviviscentiam concedant, tamen q. 88. reviviscentiam non admittunt. Quodnam igitur illud *Debitum remissum repetitur.*

universum debitum? Respondet Isidorus Clarus: Intellige universum debitum, peccatum illud, quo ingratus tantæ Domini beneficentiæ, nec exiguum debitum remittere fratri voluit: quod peccatum tam grave fuit; ut illud priùs decem millium talentorum æquaverit. Quod etiam docet S. Thom. cit. q 88 a 5 ad 3. Propter subsequentem ingratitudinem, ait, reddit universum debitum, in quantum quantitas peccatorum præcedentium proportionaliter invenitur in ingratitudine subsequenti, non autem absolutè. Et quamvis opus non sit, ut hoc posterius peccatum illi priori ac antecedenti omnino æquetur, ut docet S. Thom. l. c. illud tamen saltem efficitur, ut peccatum novum, aliàs ex objecto suo non ita grave, ac antecedens peccatum; tamen ex circumstantia ingratitudinis ob ingens beneficium acceptum, gravissimum evadat, majoriq; pœna reddatur dignum.

CAPUT XIX.

Docet matrimonii vinculum esse indissolubile, triplicis esse generis Eunuchos: parvulos non contemnendos: neminem absolutè bonum esse, nisi solum DEum: mandatorum observationem necessariam ad salutem, sed ad perfectionem assequendam requiri insuper, ut omnia relinquas, & Christum sequaris.

QUæstio I. *Quomodo Christus probat viro non licere dimittere uxorem?* R. Probat duplici ratione. Prior est v. 6. *itaq; jam non sunt duo, sed una caro.* q.d. Dimissio uxoris, & ab ea viri divortium est contra naturam, sicut contra naturam est, ut una caro & unus homo dividatur in duos; ergo id fieri non debet. Posterior est in illis verbis: *Quod ergo DEus conjunxit, homo non separet.* q.d. Divortium est contra DEI institutionem; ergo si fiat, impiè fit: distrahitur enim id, quod Deus conjunxit. Quis audeat temerare, quod Deus sanxit? quis audeat dividere, quod Deus sociavit & conjunxit?

Matrimonii insolubilitas.

II. *Cur DEus primitus sanxit matrimonii insolubilitatem?* R. Ut major esset unio & amor conjugum inter se. Deinde, quia natura in homine ordinariè hoc quasi exigit, ut proles commodè ab utroq; parente possint educari. Hæc enim educatio in homine est ardua & longa, cùm interim aliæ & aliæ proles subnascantur, quæ similiter ab utroq; educandæ sunt. Deniq; causa fuit allegorica, ut scil. matrimonium insolubile esset typus & figura insolubilis conjugii, & unionis Verbi Divini cum carne nostra, & per eam cum Ecclesia, uti docet Apost. Eph. 5. 32. *Sacramentum hoc magnum est, inquit, ego autem dico in Christo & Ecclesia.*

Divortium

III. *An Christus concedit divortium* v. 9. QUICUNQUE DIMISERIT UXOREM SUAM, NISI OB FORNICATIONEM, ET ALIAM DUXERIT, MOECHATUR &c. R. Concedit viro divortium quoad thorum ob fornicationem uxoris, non autem matrimonii solutionem, ita ut ei liceat aliam ducere; patet id imò, quia Marcus & Lucas generalem omnino habent sententiam, & hanc exceptionem, *nisi ob fornicationem* omittunt, sic enim habet Lucas c. 16. 18 *Omnis, qui dimittit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam:* facit ei gravem injuriam, quia fidem ei datam violat. Patet id 2dò ex præcedentibus, ubi Christus absolutè ex natura & prima institutione matrimonii, quam non tollit fornicatio, probavit matrimonium planè esse insolubile. 3tiò, quia in sequenti casu hæc exceptio intelligi nequit, ut dicatur: *& qui dimissam nisi ob fornicationem duxerit, mœchatur.* Si enim melioris conditionis esset dimissa ob fornicationem, utpote libera, & potens aliud matrimonium inire, quàm dimissa citra culpam suam, cùm hæc non possit alium maritum ducere. 4tò, quia ita explicat S. Paulus 1. Cor. 7. v. 10. & 11. ac Patres passim. & Trid. Conc. Sess. 24. can. 6.

IV. *Cur Matthæus addidit hanc exceptionem,* NISI OB FORNICATIONEM? R. Quia Pharisæi duas quæstiones tacitè proposuerant Christo, prima erat, an quacunq; ex causa liceret uxorem dimittere? 2da an dimissa uxore per libellum repudii, solutum esset matrimonium, & posset aliud iniri, ideo enim dimittebant suam, ut ducerent aliam. Christus ergo utriq; quæstioni respondit, idq; ut videtur duabus propositionibus. 1ma: Quicunq; dimiserit uxorem, nisi ob fornicationem, mœchatur. 2da: Quicunq; aliam duxerit, mœchatur: sustulit enim cum libello repudii etiam polygamiam, sive pluralitatem uxorum olim licitam.

Eunuchi triplices.

V. *Qui sunt triplices Eunuchi* v. 12.? R. Primi sunt, qui à natura tales sunt, testibus trunci, vel frigidi. 2dò spadones ab hominibus injuriam passi, excisis, contusis vel attritis testibus. 3tiò *qui se ipsos castraverunt propter regnum cœlorum.* Alludit Christus ad Isaiæ 56 3. ubi Eunuchos, hos sub Christo futuros prædicit, eisq; promittit nomen melius à filiis & filiabus, nomen, inquam, sempiternum.

VI.

VI. *Quid significat vox* CASTRAVERUNT? R. Duo significat. Primum nostri arbitrii esse cum DEI gratia nos castrare, id est, castos & cœlibes efficere, idq; perpetuo voto firmare & servare. Hoc enim significat vox eunuchi, & vox castraverunt, scilicet, impotentiam moralem ad generandum: alioqui enim dixisset, sunt, qui se castrant, vel castrare nituntur, jam dicit, castraverunt, id est, potentiam sibi abstulerunt, seq; quasi execuerunt & inhabiles ad generandum effecerunt, scilicet, per votum continentiæ. Ita S. Epiphan. hæres. 58. idò *castraverun*, significat continentiam hanc in incontinente non fieri sine ingente carnis lucta & dolore, perinde ac si ei genitalia execarentur. ita Nazianz. Orat. 31. Origenes hoc ad literam accepit. Unde reipsa castitatis amore ipse seipsum castravit, & membrum execuit; sed perperam, tum quia non licet se castrando mutilare, tum quia libido castratione non restingvitur, sed acuitur.

VII. *Cur Christus redarguit juvenem, quòd eum bonum vocaverit* v. 17? R. Venerat adolescens multùm rudis in Christi cognitione, eum enim solùm existimabat hominem; voluit ergo eum Dominus inducere ad plenam ac perfectam sui fidem, ac proinde veluti objurgando ait illi, quid me vocas bonum? Crede me esse Deum, & tunc bonum dices, nemo enim per se bonus, nisi unus solus Deus. Unde bene ait Abul. q. 113. quòd hæc verba non sint dicta à Christo principaliter intentione redarguendi juvenem, sed dandi ei occasionem, ut eum, cùm bonum dicat, Deum esse intelligat. Alb. M. hoc dictum est, ait, quid me dicis bonum? propter imperfectam voluntatem: quoniam temporale bonum in corde eligens, quæsivit de bono spirituali. Quod etiam S. Thom. docet, Hoc dicit, ait, tamquam cognoscens ejus affectum, quia non habebat animum ad obediendum bono. Adolescens Dominum ore bonum vocat; & tamen ejus verba maximè dissonabant ab ejus corde; nam in ore resonabant bona spiritualia; in corde verò temporalia retinebat; illius ergo laudes, quas lingva pronuntiaverat, rejicit Christus, verba enim ore prolata, quæ longè discrepant à corde, contemnenda, & parvi facienda sunt, inde tamquam objurgando Christus ea à se excludit, dicens: *Quid me dicis bonum?* *Bonus quis?*

VIII. *An adolescens in eo,* quod dixit: CUSTODIVI OMNIA MANDATA, *est mentitus?* R. Affirmat S. Hieron. inquiens: Mentitur, si enim hoc, quod positum est in mandatis: Diliges proximum tuum sicut te ipsum, opere complêsset, quomodo postea audiens, Vade & vende, quod habes, & da pauperibus, tristis recessit, quia habebat multas possessiones? Negant tamen Origines, Maldon. Barradius, Corn. & alii mentitum, nixi illo fundamento, nam postquam ipse dixit se omnia mandata illa servâsse, addit S. Marc. *Jesus autem intuitus eum, dilexit eum.* Absq; dubio, quia vera loquebatur, & mandata servaverat. Beda in c. 10. Marci, ait: Si mendacii, aut simulationis noxâ reus teneretur, nequaquam intuitus arcana cordis ejus, eum diligere diceretur Jesus. Diligit enim Dominus eos, qui mandata legis, quamvis minora custodiunt. Nec ratio in oppositum omnino convincit. Nam diligere proximum sicut seipsum, est præcepti: dare verò omnia pauperibus, est consilii. Ad implendum autem præceptum dilectionis proximi, sat est, quòd homo pro loco & tempore det aliqua, aliàs divites, qui habent possessiones multas, si non dant omnia sua pauperibus, proximos non diligunt sicut se ipsos, quod nullo modo est dicendum, hoc enim tantùm est consilii, & Christus, ut ad majorem perfectionem juvenem provocaret, hoc subjecit, ut omnia sua relinquens pauperibus daret. *Mandata custodita.*

IX. *Quomodo explicatur sententia* v. 4: FACILIUS EST CAMELUM PER FORAMEN ACUS TRANSIRE, QUAM DIVITEM INTRARE IN REGNUM COELORUM? R. cum communi SS. Patrum sententia, Dominus hoc communi proverbio: *facilius camelus intrabit &c.* quàm difficile sit divitem intrare in regnum cœlorum. Dixerat enim ipse supra: *Arcta est via, quæ ducit ad vitam* Matth. 7. 14. Modò angustias hujus viæ, nobis ob oculos ponit, admonens, quòd nullus illuc est intraturus, nisi à sæcularium rerum sarcina exoneretur propter nimiam sui angustiam, & propter grandem ejus molem, ac tumorem. Ut ergo dives ingrediatur, ait Euthym. oportet omnem repellere tumorem juxta Apostolum, & attenuari per voluntariam paupertatem. S. Thom. & Abul. q. 168. ajunt: Quòd camelus non possit intrare per foramen acûs, hoc est secundùm leges naturæ; quòd autem dives, qui amat divitias, in eisq; confidit, cùm sit in peccato mortali secundùm leges Divinæ justitiæ non potest intrare in regnum cœlorum; facilius autem est, ut omnis natura subvertatur, quàm quòd Divina justitia immutetur. Deus enim fidelis est in promissis suis, & seipsum negare non potest. 2. Tim. 2. At interveniente DEI manu, ejusq; gratia, qua ex peccatore homo convertitur, & fit justus, tunc expedite intrat & avolat in cœlum. *Diviti difficilis ingressus in cœlum.*

X. *Quare Christus D. centuplum pollicetur relinquentibus temporalia* v. 29.? R. S. Hieron. Amb. Orig. Non de bonis temporalibus, sed spiritualibus interpretantur, recipiet centuplum, id est, in hoc sæculo accipiet gratiam, charitatem, cæterasq; virtutes, ac dona Spiritûs S. quæ multò pretiosiora sunt omnibus divitiis, quas relinquere possumus. *Centuplum*

Theophyl. Euthym. Barrad. & alii sic exponunt centuplum, ut qui pro DEO dimiserit Patrem, matrem, vel fratrem, &c. faciet Deus, ut inveniat alios centum, imò & plures, qui eum amore, ope, ac charitate Patris, matris, ac fratris prosequantur. Ita ùt ait Cassian. collat ult. cap. ult: Centuplam fratrum, patrum, parentumq; recipiet quantitatem, quisquis patris unius vel matris, seu filii pro Christi nomine charitate contempta in omnium, qui Christo serviunt, dilectionem sinceriſſimam transit pro uno scil. tot patres, fratres ferventiore ac præstantiore sibi affectu devinctos, multiplicata etiam domorum atq; agrorum possessione ditabitur &c. Qui enim relinquit agros proprios & domos pro Christo, ex omnium agris alitur, à quibus instar fratrum, ac patrum diligitur. Vide quantum habeatur ex his, quæ pro DEO dimittuntur, unde eleganter exclamat S. Chrysol. serm. 25. Usura mundi centum ad unum, Deus unum accipit ad centum: & tamen homines cum DEO nolunt habere contractum.

CAPUT XX.

Multos opinione hominum noviſſimos primas apud DEum tenere docet parabola de variis operariis in vineam conductis. Paſſionem ſuam iterum Apoſtolis prædicit. Zebedæi filiis primatum ambientibus calicem paſſionis ſuæ propinat, & humilitatem docet. Cæcis duobus viſum reſtituit.

Primi & noviſſimi. QUæstio I. *Quinam hìc primi, quinam noviſſimi vocati?* R. Plerique; Sanctorum Patrum intelligunt Sanctos diversorum graduum, & Statuum in cœlo: nulli enim oberit, quòd in ultima ætate seu mundi seu vitæ suæ ad Divinum servitium accesserit, imò hic præferetur aliis, si majori fervore gratiæ cooperatus fuerit. Sed Christus videtur hìc potiùs agere de militante, quàm de triumphante Ecclesia. Unde alii per *primos* intelligunt Judæos, per *noviſſimos* Gentiles & Christianos. Judæi enim sub graviſſimo legis pondere tot sæculis æstuantes *denarium diurnum*, id est, pro opera diei unius pendi solitum, putà mercedem operibus legis Mosaicæ addictam acceperunt quidem: sed nihilo minorem, imò multò lautiorem accipiunt Christiani sub svaviſſimo novæ legis jugo modicè laborantes: ut enim opera horum DEO sunt gratiora, ita ampliore etiam præmio compensantur. Deus ergo Paterfamilias totius suæ Ecclesiæ gubernator ac rector exiit conducere operarios ad vineam suam, homines nempe ad suam Ecclesiam proposito præmio Judæi fuerunt primi, Gentiles verò noviſſimi. Paulus & Barnabas dixerunt Judæis: Vobis oportebat primùm loqui regnum DEI: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes Act. 13. 46. Judæi ergo, qui erant primi, facti sunt noviſſimi, extremi nempe, quia Christum non receperunt. Gentiles verò quia erant noviſſimi, facti sunt primi, quia in Christum crediderunt. Multi enim ex Judæis vocati sunt ad fidem Christianam, pauci verò ex illis fuerunt electi. Et ideo Judæorum natio, quæ prima erat, facta est postrema. Et Gentilitas, quæ noviſſima erat, in recipienda mercede primas tenet.

Primi & noviſſimi. II. *Quomodo in parabola dicitur, quòd primi & eamdem mercedem receperunt, cùm Judæi facti noviſſimi, non receperint eamdem mercedem, quam Chriſtiani, æternam nempe beatitudinem, ſed gehennalium pœnarum cruciatus?* R. cum S. Chrysost. hom. 65. In parabolis non oportet nimiâ curâ in singulis verbis perangi. Sed cùm, quid per parabolam intendat Dominus, didicerimus, in utilitate collecta, nihil ulteriùs, anxio conatu, inveſtigandum est. In tota hac parabola nihil aliud significatur, quàm Gentiles, qui fuerunt noviſſimi vocati, credentes tamen in Christum præferendos esse Judæis, qui fuerunt vocati, cùm legi, Moysiq; pertinaciter adhærentes Christum contempserint, eis præferuntur Gentiles tam in gratia & Ecclesia militante, quàm in gloria, & Ecclesia triumphante. Hoc docet Christus. Luc. 13. v. 29. Cùm videritis Abraham, Isaac, & Jacob, & omnes Prophetas in regno DEI, vos autem expelli foras; & venient ab Oriente & Occidente, & Aquilone, & Austro, & recumbent in regno DEI. Ita locum communiter explicant recentiores.

Denarius diverſus. III. *An omnes Beati æqualem recipiant beatitudinem, ſiquidem omnibus operariis datus fuit idem denarius diurnus?* R. cum S. Aug. serm. 59. de verbis Domini & aliis Quòd omnibus datur eadem merces in communi, ac genere, omnibus enim Beatis confertur vita æterna; non tamen eadem merces in specie, ac in particulari, sed valde diversa in singulis est. *Stella à ſtella differt in claritate, ſic & reſurrectio mortuorum.* 1. Cor. 15. v. 42. Sic & denarius nummus communis erat, sub se multas continens species & formas. Denarius enim alius erat aureus, alius argenteus, alius æreus. Et quòd operariis dispar merces fuerit data ex eo patet, quia noviſſimi, qui undecimâ horâ venerunt, aliis prælati sunt, qui primâ, tertiâ, sextâ horâ venerunt; nam licèt hi diutiùs laboraverint, illi tamen majori

jori gratia diligentia ac fervore laboraverunt; fieri enim potest, ut aliquis tantùm unâ horâ laborans præ mentis ardore, ac diligentia tantum mereatur, quantum alius tota die laborans promeretur, minore ardore ac diligentia operans. Consummatus in brevi explevit tempora multa Sap. 4. v. 13.

IV. *An ex uno omnibus persoluto denario rectè concludant hæretici, præmia meritorum omnium esse æqualia?* ℟ Perperam, nam in hoc solùm servit hîc unitas seu par quantitas denarii, ut indicetur, compensatum iri singulis integrè laborem anteacti diei, seu partis diei quæ compensatio fieri potest denarijs seu nummis, quo ad substantiam valde inæqualibus, prout merita singulorum etiam in pari labore possunt esse valde inæqualia. Vide q. præced. *Præmia meritorum non sunt æqualia.*

V. *Quare primi conqueruntur de denario diurno novissimis dato* v. 12.? ℟ det S. Chrysost. in imperf. hom. 34. Non dolebant quasi fraudati de mercede sua, sed quia illi amplius, quàm merebantur, acceperant: hoc enim est proprium invidiæ, quando aliquid alteri additur, sic dolent invidi, quasi illis sit aliquid subductum, quod illi est additum ut putà, si viderit aliquem fieri ditiorem, putat invidus, se pauperem factum, & sapientior si fuerit factus, ita dolet, quasi ipse sit insipiens. Unde S. Hieron. ad illa verba: *amice non facio tibi injuriam,* sic ait: Quid quæris amplius? Non tam ipse plus accipere, quàm alium nihil accipere desideras, quasi alterius consortio minuatur præmii meritum. Cur eis non occurrit, quomodo generosè absq; conventione & pacto, secus ac alii egerant, laborem suscepissent? Cur non considerant, quòd in sola illa posteriori hora tanto nisu & fervore in excolenda vinea incubuerunt, ut brevi spatio ea attulerint commoda, quæ alii longo tempore? Quomodo etiam non vident eorum constantiam, quia per totum diem in foro steterunt, expectantes sui conductorem. Cur inter tantas virtutes nihil aliud animadvertunt obtrectatores, nisi id, quod minus videbatur, nempe quòd illi unâ horâ laborârunt? Fecerunt juxta invidorum mores, qui maculis proximorum tantùm pascantur, & à virtutibus oculos deflectunt; quæ improba, judicant & considerant, quæ laude & præmio digna sunt, prætermittunt & obvelant. *Invidia.*

VI. *Cur Discipuli, qui sæpe Dominum audierunt de sua morte differentem, tamen nunc dicitur, quòd nihil eorum intellexerunt?* ℟. Apostoli verba Christi quoad corticem literæ intellexerunt, ac proinde agnoverunt verba Christi significare amaram mortem & crucem, ignorabant tamen modum, causam, finem, ac utilitatem mortis Christi? eorum enim mentem non intrabat, quomodo ille, quem verum Deum esse credebant, qui tot, tantisq; miraculis effulgebat, morti traderetur, non enim intelligebant mysterium passionis Christi, ac Sacramentum ejus amoris, quomodo ex sua immensa charitate pro redemptione generis humani offerendus esset in ara crucis. Ac proinde significationem verborum Christi, & quod ipse non fuerit parabolicè locutus probat Discipulorum tristitia: *contristati sunt vehementer,* probat etiam S. Petrus, quia verba non parabolicè ac allegoricè intellexit, sed germanè, ideo cœpit eum increpare: *absit à te Domine, non erit tibi hoc.* Quòd autem non intellexerint mysterium passionis Christi, probant ea, quæ Dominus dixit Petro: *Non sapis ea,* hoc est, non intelligis, quæ DEI sunt, sed ea, quæ hominum. Matth. 16. 23.

VII. *An ex verbis* v. 23. SEDERE AD DEXTERAM MEAM VEL SINISTRAM, NON EST MEUM DARE VOBIS, *bene concluserint Ariani Christum esse Patre minorem?* ℟ Perperam: non enim comparantur inter se Pater & Christus: quasi Pater dare possit, Christus non possit; sed duo fratres, & alij quibus decretum est à Patre & Filio, & Spiritu Sancto, conferuntur. *Non est meum dare vobis,* sed meum est dare illis, quibus decretum est à Patre meo. Illis enim dare meum est, quibus paratum est, illis autem paratum est, qui ordinatis à me rationibus eo tendunt, non qui ambitu ad magistratum venire moliuntur. *Christus Patri non est minor.*

VIII. *An Prædestinatiani & Calvinus rectè inferant ex verbis illis* v. 27. DARE ANIMAM SUAM REDEMPTIONEM PRO MULTIS, *Christum non pro omnibus mortuum esse?* ℟. Perperam: Christum enim pro omnibus omnino hominibus, passum & mortuum esse docet S. Paulus 2. Cor. 5. 14. & Joan. ep. 1. c. 2. v. 2. dicitur pro multis, quia licèt Christus pro omnibus mortuus sit, omnibusq; media ad salutem sufficientia postulârit, impetrârit, & dederit, tamen fructus mortis ipsius, & perfecta salus tantùm ad justos & eos qui in justitia, usq; ad mortem perseverant, pervenit. ita S. Hieron. & alij. *Christus pro omnibus mortuus.*

CAPUT XXI.

JESUS asinâ vectus Jerosolymam cum triumpho ingreditur, negotiatores templo expellit, Pharisæis indignantibus os obturat, ficulneæ maledicit, fidei efficaciam docet; principum Sacerdotum quæstionem, qua potestate talia signa faceret, alia quæstione de baptismo Joannis retun-

dit: duplici vineæ parabola prædicit regnum DEI à Judæis ad gentes transferendum.

Asinâ Christus vectus.

QUæstio I. *Cur Christus vectus asinâ voluit ingredi Jerosolymam, qui hucusq; pedes totam Judæam circumierat?* R. Voluit ostendere se, Regem esse Judææ, putà Messiam, Davidis filium & hæredem, ideoq; regali pompa Jerusalem ingreditur, vehitur asinâ, ut ostendat regnum suum esse mite & humile, situm in contemptu pompæ Sedet Christus, ait Author Imperfecti, super asinam tranquillitatis & pacis, oneris patientissimam & laboris. Non autem vides in circuitu ejus splendentes gladios, aut cœtera ornamenta terribilium armorum: sed quid? ramos frondentes, testimonia pietatis, venit ergo, non ut propter potentiam timeretur, sed ut propter mansvetudinem amaretur.

II. *Cur Christus hac pompa ingredi voluit?* R. ut objiceret Pharisæis & Scribis in hoc regali ingressu seipsum, quem agnoscere hoc facto possent & deberent esse Messiam, utpote à Zacharia c. 9. 9, taliter promissum & prædictum: sciebat tamen ipsos inde magis exacerbandos, & necem crucis ipsi machinaturos, quod ipse permittere statuit, ut sic mortis adeo expetitæ compos fieret, per eamq; nos redimeret. ita Auctor imperfecti. Deus, ut responderet typo Agni paschalis. Hic enim decimo die mensis primi, solemni pompa inducebatur in urbem, immolandus die 14to. Ita Christus quasi Agnus DEI, qui tollit peccata mundi, die decimo putà die palmarum, ingressus est Jerusalem immolandus die 14to: ingressus autem est cum pompa & faustis turbæ acclamationibus, ut, quia certus erat de victoria mortis, peccati, inferni & Dœmonum, triumphum duello præciperet, & triumphans duellum iniret.

Vendentes Christus è templo ejicit.

III *Cur Christus ejecit vendentes è templo, id est, atrio templi?* R. ob duas causas. Prior est, quòd non deceret res illas vendi in templo, sed in foro. Templum enim est domus orationis, non negotiationis, ùt ait Christus Posterior erat avaritia & usura Sacerdotum Hi enim per suos vel famulos vel institores, oves, hœdos, columbas vendebant carò iis, qui illa offerri volebant in templo; partim peregrè venientibus, & pauperibus, à quibus ob dilationem solutionis, lucrum per usuram extorquebant.

Templum Domus Dei

IV. *Cur templum dicitur Domus DEI?* R. non quasi in eo velut in Domo Deus corporaliter inhabitet (hoc enim negat S. Paulus Act. 17. 24.) sed quia templum est locus deputatus ad colendum & orandum Deum, in quo Deus preces orantium exaudit: Templum verò Christianorum specialiter dicitur Domus DEI, quia in eo corporaliter habitat in Eucharistiæ sacramento Christus Dominus.

CAPUT XXII.

De vocatis à cœlesti rege ad filii sui nuptias Judæis & Gentilibus, de veste nuptiali, de censu Cæsari dando, de resurrectione mortuorum, de maximo mandato regis, de Parente Messiæ.

QUæstio I. *Quæ est explicatio parabolæ Regis ad nuptias filii sui invitantis?* R. Rex est Deus Pater. Filius Regis sponsus, est Filius DEI incarnatus, putà Jesus Christus, cujus sponsa est Ecclesia: utriusq; nuptiæ inchoatæ sunt in Christi incarnatione, in ea enim Christus humanam naturam sibi hypostaticè, & per eam Ecclesiam, id est, cœteros homines fideles quasi sponsam mysticè sibi despondit per gratiam, sed in cœlo hæ nuptiæ consummabuntur per gloriam.

Vestis nuptialis.

II. *Quæ est vestis nuptialis?* R. Non est fides, ùt volunt hæretici; omnes enim in hoc Ecclesiæ convivio habebant fidem, imò non nisi per fidem in illud ingredi poterant: ergo vestis hæc est charitas; vita enim pura & sancta est instar vestis mundæ & cycladis splendidæ, ex virtutibus & bonis operibus contextæ, quæ mirè hominem exornat. Ita S. Hieron. Hilarius, Chrysost. & alii.

Herodiani.

III. *Qui fuerunt Herodiani* v. 16.? R. Erat secta Judæorum, Romano Cæsari ejusq; tributo, faventium, ita dicta à primo Herode Ascalonita infanticida, qui totus erat Cæsaris, utpote Rex Judææ à Romano Senatu & Cæsare Augusto creatus, quiq;, ùt ait Josephus, tributis Cæsaris in Judæa præerat ita S Hieron. & alii. Addit S. Epiphan. l. 1. hæresi 20. & alii. Herodianos fuisse sectarios sive hæreticos Judæorum, qui Herodem Ascalonitam censebant esse Messiam, sive Christum à Prophetis promissum, eò quòd viderent in ipso defeciisse sceptrum de Juda, juxta oraculum Jacobi Gen 49. 10. Avidè hos adulatores audivit, fovitq; Herodes, ideoq; occidit infantes in Bethlehem, ut interficeret Christum, ne alius quàm ipse haberetur Christus: atq; de ea causa magnificentissimum Judæis exædificavit templum veteri destructo, quod cum templo Salomonis certare videbatur, ut docet Josephus l. 15. Antiq. c. 14.

IV. *An*

IV. *An ex v. 30. aliqui bene inferant fœminas in sexu virili resurrecturas, seu omnes fœminas commutandas in viros, & resurrecturas in sexu virili.?* R. Perperam. Quia sexus fœmininus non est vitium, sed natura & naturalis conditio, unde erat etiam in statu innocentiæ, putà in paradiso. Eva enim mater viventium à DEO creata est fœmina, sicut Adam vir. In resurrectione autem eadem omnino natura in quolibet homine resurget, eadem, inquam, numero sive in individuo: ad hoc autem multum facit sexûs diversitas & proprietas; ergo illa tunc remanebit, ne aliud individuum, & alius homo ab eo, qui in hac vita fuit, resurgere videatur. Idem liquet ex eo, quod ait hìc Christus: *non nubent, neq; nubentur: non nubent*, scil viri, *non nubentur*, scil. fœminæ; igitur tunc erunt fœminæ æquè ac viri, sexu inter se discreti. Christus ergo non negat tunc fore fœminas, sed potius eas fore præsupponit, ita tamen; ut sexu suo ad usum nuptiarum & generationem non utantur, ùt rectè advertit Beda. Et hoc tantùm voluerunt Patres, qui contrarium dicere videntur. Tantùm enim significare voluerunt, in cœlo non fore sexuum diversitatem quoad usum, sed quoad substantiam eam non negant, imò fore præsupponunt. *Fœminæ in suo sexu resurgent.*

CAPUT XXIII.

Scribarum & Pharisæorum doctrinam & imperia (ubi non constat eos errare) docet sequenda; sed non item mores, in quos acerrime invehitur; prædicens, impletâ brevi scelerum mensurâ, Jerosolymam ab hostibus excidendam, & ab incolis deserendam.

QUæstio I. *Quo sensu dicitur:* DILATANT PHYLACTERIA SUA v. 5.? R. Habebant Judæi quasdam membranas, quibus inscripta erant præcipua legis mandata, quas scrupulosiores Judæi, nimis ad literam exponentes illud Deut. 6. v. 8. *Ligabis ea in manu tua, & inter oculos tuos*, circumdabant brachio suo sinistro, & fronti quasi coronam alligabant. Pharisæi verò & Scribæ præ aliis dilatant, id est, latiora, splendidiora, magis conspicua, & pluribus mandatis inscripta gestant, quo se studiosiores legis Divinæ simulent, inquit S. Hieron. *Phylacteria dilatare.*

II. *Quis est sensus:* MAGNIFICANT FIMBRIAS? R. Num. 15. 38. & Deut. 22. 12. jussit Dominus, ut Judæi fimbrias, seu fila quædam, ex infima ora vestis dependentia gestarent easq; hyacinthini, sive cœlestis coloris, quasi qui cœlestem vitam in legis custodia profiterentur & agerent: addit Hieron. Judæos pientiores hisce fimbriis, inseruisse spinas acutissimas, ut ambulantes earum punctura legis Divinæ semper admonerentur. Hæc omnia majora & latiora præ cæteris gestabant Pharisæi, ut viderentur omnibus religiosiores & exactiores legis custodes, cùm tamen in animo suo eandem parvi facerent, nec observarent. *Non intelligentes*, ait S. Hieron. *quòd hæc in corde portanda sint, non in corpore, alioquin & armaria & arcæ habent libros, & notitiam DEI non habent.* *Fimbrias magnificare.*

III. *Quomodo Pharisæi dicuntur claudere regnum cœlorum ante homines?* R. Quia suis sceleribus eos scandalizabant, suoq; exemplo in eadem ipsos trahebant, tum quia Christum calumniando & persequendo, ipsos ab eo ejusq; fide, quæ via est ad cœlum, abstrahebant, ipse enim est ostium, quia per eum solum ingressus patet ad cœlum.

IV. *Quid est Proselytus* v. 15.? R. Proselytus Græcè, idem est, quod latinè advena, vel adventitius, qui scilicet ex Gentilismo conversus ad Judaismum accedit, venitq; ad Judæos, eorumq; Ecclesiam & religionem. Christiani vocant Neophytos. Scribæ enim satagebant multos Gentiles efficere Judæos, tum ambitionis, tum avaritiæ causâ, ut suas oblationes augerent. *Proselytus.*

V. *Quis fuit Zacharias* v. 35.? R. est triplex sententia, prima censet esse illum, qui inter 12. Prophetas est penultimus; hic enim fuit Barachiæ filius, sed quod occisus sit inter templum & altare nusquam legimus. 2da verior certiorq; est Zachariam hunc fuisse filium Jojadæ Pontificis, qui à Joas rege ingrato occisus est immani sacrilegio in loco Sanctissimo: scil. in atrio sacerdotum, quod erat inter templum sive sanctum, & altare holocaustorum; hoc enim altare erat in atrio Sacerdotum 2. Paral. c. 24. v. 21. Zacharias hic fuit quidem filius Jojadæ non Barachiæ, ait tamen S. Hieron. Jojadam alio nomine dictum fuisse Barachiam, fortè; quòd Barachias Hebr. significat Benedictum Domini, talem autem fuisse Jojadam virum Sanctissimum liquet. Tertia est, Zachariam hunc fuisse Patrem Joannis Baptistæ, quem tradunt occisum esse à Judæis, eò quod Christi prædicaverit adventum, dicens in suo Cantico: *Et tu puer Propheta Altissimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus.* quódq; Joannem filium suum ab Herode infanticida quæsitum ad necem, ob mirabilia, quæ in ejus nativitate acciderant, neci subduxerit & absconderit. Vide Corn. hic.

CAPUT

CAPUT XXIV.

Prædicit excidium templi & urbis Jerosolymitanæ, ac demum etiam totius mundi, multa præambula signa denuntiat in terris & in cœlis: diem judicij omnibus esse ignotum, ideoq; semper vigilandum.

QUæstio I. *Cur Discipuli Christo ædificationes templi ostendunt?* R. Quia Christus in fine capitis præcedentis, prædixerat Jerosolymæ, & consequenter templi excidium & desolationem. Discipuli ergo hanc desolationem tantæ urbis admirantes, stupentesq;, ut Christum excitent ad commiserationem, & ad revocandam excidii sententiam, ostendunt ei admirandam templi fabricam, pulchritudinem, magnificentiam, quæ æternitatem mereri videbantur.

II. *Quid interrogant Discipuli verbis illis* v. 3. QUANDO HÆC ERUNT? R. Duo interrogant; primum, quando excindenda sit Jerusalem; secundum, quando excindendus sit orbis, & futurus dies judicii, quo ipse venturus sit judicare omnes homines. Putabant enim Apostoli, quòd Jerusalem & templum diruenda essent in glorioso Christi adventu & regno, in fine mundi, quasi ipse in pœnam & ultionem suæ cædis, & necis eam esset eversurus. Putabant ergo hæc tria eodem tempore eventura, scil. excidium urbis, excidium orbis, & diem judicii. atq; quia ex verbis Christi cognoverant imminere excidium urbis, opinabantur pariter imminere excidium orbis, & diem judicii. Id sibi videbantur colligere ex dictis Christi Matt. 22 v 7. & 8. & c. 25. v. ult. & penult. ubi Christus videtur hæc omnia conjunxisse, seu conjunctim de omnibus locutus esse.

Signa ante excidium Jerosolymæ.

III. *Quæ signa præcesserunt excidium urbis Jerosolymæ?* R. Recensetlla Josephus l. 7. belli c. 12. & Eusebius l. 3. hist. c. 8. imò horribilis cometes, formâ gladii, Jerosolymæ integro anno ante excidium è cœlo incubuit. 2dò in Paschate confluente populo, horâ nonâ, lux meridiana in templo per mediam horam fulsit. 3tiò, Bos immolandus in templo agnum peperit. 4tò Orientalis porta templi, ænea & gravissima, ut vix à 20. viris claudi posset, horâ noctis sextâ ultrò patefacta est. 5tò in aëre visæ fuêre armatæ acies, currus & pugnantium prælia. 6tò audita in Pentecoste vox Angelorum in templo, *migremus hinc*. 7mò, Plebejus quidam & rusticus nomine Jesus, Anani filius, repentè exclamare cœpit: *Vox ab Oriente, vox ab Occidente, vox à quatuor ventis, vox in Jerosolymam & templum, vox in maritos novos, novasq; nuptas, vox in omnem populum:* atq; hæc interdiu noctuq; clamitans omnes civitatis vicos circuibat, adeoq; per septem annos, quasi attonitus horrenda voce assiduè intonabat: *Væ, væ Jerosolymis;* donec cincta à Tito urbe, in muro solitò fortiùs clamans: *Væ Jerosolymis, templo, populo & mihi,* lapide hostili ictus interiit.

Prægnantes.

IV. *Cur dicit* v. 19. *Væ prægnantibus & nutrientibus?* R. Quia prægnantes onere embryonum, quos utero gestant, nutrientes, sive lactantes, sarcinâ infantium lactentium gravatæ, fugere non poterunt, unde ab hoste Romano irato & sæviente capientur, & cum suis parvulis trucidabuntur. Addit Theophyl. hìc alludi ad gravitatem famis, qua coactæ matres nonnullæ in obsidione Jerusalem comederunt suos infantes teste Josepho l. 7. belli c. 8.

Dies propter electos breviati.

V. *Quomodo dicuntur propter electos breviati dies* v. 22.? R. duplices sunt electi scil. ad gratiam, uti sunt omnes fideles & iusti, & ad gloriam, uti sunt omnes salvandi. Utriq; hìc accipi possunt, sed maximè secundi: hi enim perfectè sunt electi. Sensus ergo est, q. d. Nisi Deus ab æterno pauciores fore decrevisset, & in tempore pauciores exhibuisset dies vastationis Judææ, pauciores inquam, quàm & Judæorum culpa & Romanorum ira exigebat, omnes omnino Judæi periissent. Nam si tempus obsidionis Jerusalem & stragis Judææ diutiùs duràsset, omnis caro, id est, omnes Judæi non salvarentur, sed peste, fame, & bello fuissent consumpti, Deus ergo dies hos stragis Judaicæ breviavit, id est, pauciores effecit propter electos, id est, partim propter Christianos, qui è Jerusalem fugere vel non poterant, vel noluerant; partim propter Judæos, qui in obsidione tanta clade perculsi, conversi fuêre ad Christum, aut postea convertendi erant, item propter nascituros ex eis, vel convertendos, eosq; omnes quidem, sed maximè propter perseveraturos ex eis in fide Christi & gratia, ac consequenter à DEO electos, uti ad gratiam & perseverantiam, sic & ad gloriam.

Aquilæ ad corpus advolant.

VI. *Quid illud significat:* UBICUMQUE FUERIT CORPUS, ILLUC CONGREGABUNTUR ET AQUILÆ? R. Est parabola ænigmatica vel ænigma parabolicum significans rem latere non posse, q. d. Christus: Sicut aquilæ suam prædam sive corpus, quod prædantur, illico ex alto cernunt, in illudq; involant: & sicut aquila vulturina odoratur cadaver etiam remotissimum, ad illudq; advolat: sic pariter meus glorioſus in mundum ad judicium adventus, & reditus non erit occultus, sed omnibus manifestus; quare tunc

fideles

fideles & justi, velut aquilæ acutissimi visûs, & sagacissimi odoratûs per vim Divinam me odorabuntur, id est, præsentient, imò oculis cernent, & ad me advolabunt, ut me meâq; gloriâ felicissimè reficiantur, pascantur & beentur in æternum. Hoc est, quod ait Paulus: *Rapiemur in nubibus obviàm Christo in aëra, & sic semper cum Domino erimus.* 1 Thess. 4. 17.

VII. *Unde proveniet obscuratio solis sub diem judicii & finem mundi?* R. Deus subducet soli concursum suum, non quidem lumen, sed vim illuminandi radiosq; suos spargendi illi adimet, quo fiet, ut in sole sit lux, in terra verò meræ tenebræ; uti fecit in passione Christi, ut ejus indignitatem ostenderet; utpote quam sol, luna, terra, petræ, omniaq; elementa lugere viderentur, imò indignari & fremere in Judæos Christicidas, velleq; quasi in eos insilire, ac exterminare. Rursum Deus inducto fumo & nube densissima solem occultabit; fortè etiam ad hoc accedent extraordinariæ & miraculosæ Ecclipses, ut colligitur ex Lactantio l. 7. c. 16. *Solis obscuratio.*

VIII. *Quæ virtutes cœlorum commovebuntur?* R. Poli & cardines, qui sunt quasi robora, fortitudines, & firmamenta cœlorum, q. d. cœli omnes in fine mundi concutientur, & è suis polis & cardinibus convellentur, ut deorsum ruere videantur, idq; ut hominibus impiis terrorem injiciant, ac Christi irati indignationem repræsentent. Hoc enim facere DEO est facile, ac terrori illius diei, impiorumq; & mundi excidio congruum. *Cœli commovebuntur.*

IX. *Quod est signum filii hominis* v. 30. *seu Christi incarnati?* R. est Crux: hæc enim est signum, quia est vexillum Christi, & causa victoriæ fidelium; infidelium verò & impiorum olim fuit scandalum, sed eorundem in judicii die erit condemnatio & tormentum, ita Ecclesia in Officio S. Crucis: *Hoc signum crucis erit in cœlo, cùm Dominus ad judicandum venerit.* Causæ, cur crux apparebit, sunt tres: 1ma ut significetur, Christum per crucem sibi hanc gloriam & potestatem judiciariam meruisse. 2da ut indicetur Christum pro salute omnium fuisse crucifixum, ac proinde ingratos esse & inexcusabiles, qui tantam ejus gratiam & charitatem neglexerint. 3tia, ut ostendatur omnes Christi Crucifixi Cultores, jam cum ipso esse exaltandos in cœlum, & omnes ejus osores dejiciendos in gehennã. *Signum Christi incarnati.*

X. *An solus Pater sciat consummationis seculi diem, & horam, non verò filius?* R. Per *τὸ solus* non excluditur Filius, nec Spiritus S. nam & ipsi sciunt diem & horam judicii æquè ac Pater, cùm eadem omnibus sit essentia, majestas, voluntas, mens, potestas, intellectus & scientia. Regula enim Theologorum est, quòd *τὸ solus*, si addatur attributis essentialibus DEI (quale est scientia) tribuaturq; uni personæ Divinæ, non excludat reliquas duas, sed tantùm creaturas, quæ alterius sunt essentiæ & naturæ: at in attributis notionalibus, *τὸ solus* excludit alias personas Divinas, ut cùm dicitur solus Pater generat, solus Filius generatur &c. Quod S. Marcus c. 13. 32. addit: *neq; filius*, indicat Christum dicere, id se nescire, ùt homo est, & ùt DEI legatus erat ad nos, quia non ita sciebat, ut revelare illum hominibus posset, sive illum revelare non habebat in mandatis à Patre. Sicut Legatus, si rogetur de secretis Regis sui, verè respondet, se ea nescire; etiamsi illa sciat, quia nescit, ùt Legatus: ut Legatus enim tantùm refert illa, quæ illi à Rege dicenda commissa sunt: secreta enim ab eo taceri jussit Rex. *Pater solus scit diem judicii.*

CAPUT XXV.

Parabola de Virginibus quinq; fatuis, quinq; prudentibus: item de talentis variis variè distributis, probat distribuenda cuiq; in judicio præmia vel pœnas pro merito operum cujusq;. Formam deniq; & quasi historiam futuri judicii subnectit.

QUæstio I. *Quis est scopus parabolæ de decem virginibus?* R. Ut Christiani intelligant, in hac vita quasi in perpetua vigilia sibi excubandum esse, nec in singulos modò annos, sed dies & horas adventum judicis exspectandum: nec fide modò, sed omnium virtutum paratura instructos Domino occurrere oportere: nec locum esse torpori, cùm tot pericula vigilantiam excitent. Nam & parta facilè amitti possunt, & quæ sperantur, nostrâ culpâ, negari: itaq; dum quo te loco judex sit deprehensurus ignoras, prudenter eum in omni loco præstolaberis. *Parabolæ de 10. Virginibus.*

II. *Quæ sunt Virgines prudentes & fatuæ?* R. Virgines sunt quilibet fideles; *prudentes* illi, qui habent fidem cum operibus misericordiæ, charitatis, aliarumq; virtutum; *fatuæ*, qui solùm fidem habent sine bonis operibus. Unde harum lampades extingvuntur, quia *Fides sine operibus mortua est* Jacobi 2. Lampas ergo est mens fidelis, oleum sunt bona opera, sine quibus fides est mortua, & quasi extincta, cum iis verò viva & accensa; lux sive ardor lucernarum est charitatis: hæc enim alitur studio bonorum operum, sicut flamma lampadarum alitur oleo. Vas est conscientia vel anima fidelis atq; hac de causa moribundis candelam ardentem in manus damus significantes vel optantes, ut habeant fidem cum operibus, ut quasi sponsa cum lampade accensa, Christo Domino, quasi sponso decenter digneq; occurrant. *Virgines prudentes & fatuæ.*

Dormire & dormitare. III. *Quid est dormire, & dormitare?* Rdet Abul. dormitat, qui quamvis incipiat somno premi, penitus tamen se ei non permittit; dormit verò, qui plenum oculis, membris soporem excipit. Utrumq; torporem & negligentiam denotat, qua animus & præcavere non curat peccata, ne fiant, & postquam fuerint admissa, abolere non satagit, quæ si venialia fuerint, cum prudentibus constitutis in gratia DEI, dormitare dicitur; si verò mortalia dormire cum fatuis, ejusdemq; gratiâ privatis. Somnus in vitio ponitur, cùm vanissimis terrenorum bonorum amatoribus dicitur. Ps 75. 6. Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt viri divitiarum in manibus suis. Ut dormientes interdum somniant, se invenisse thesauros, deliciis frui, honoribus in altum levari, ita terrestrium bonorum sectatores sibi somnia fingunt, seq; dormientium imaginationibus ludunt cum detrimento animarum suarum. Econtra somnus in laude virtutis ponitur, cùm Spiritus S. de sponsa ait Cant. 2. 7. Adjuro vos filiæ Jerusalem, ne suscitetis, neq; evigilare faciatis dilectam, quoad ipsa velit. Per hunc somnum Beda l. 3. in Cant. amorem intelligit: felicissimo somno sopita est anima, quæ in Divino novit amore quiescere.

Talentorũ distributio. IV. *Quomodo DEus distribuit talenta unicuiq; secundùm propriam virtutem?* R. Idem esse ac secundùm potestatem & vires, id est, prout videt quemq; ferendo esse & egere pro suo statu. Neq, enim deest in necessariis: & alia dat subsidia Regibus, quàm rusticis, alia Episcopis, quàm nautis. Sed absit, cum Pelagio dicamus (ut mentitur nos dicere Calvinus) gratias & dona DEI dari hominibus secundùm vires & merita naturæ cujusq;. Etsi enim gratias datas sæpe viribus naturæ contemperet, id tamen non facit intuitu meritorum naturæ, sed pro nudo beneplacito suo: nam sæpe præstantiori naturæ minora paucioraq; largitur, quàm minùs præstanti. Gratias verò gratum facientes nullo modo naturæ, sed vel nudæ voluntati suæ, ut in prima gratia excitante & justificante, vel meritis cujusq; ex gratia DEI cooperante profectis commensurat. *Gratia* enim *meretur augeri* inquit Aug., *ut aucta mereatur & perfici.*

Talenta lucrari. V. *Quid est lucrari talenta* v. 16? R. Est pro mensura cooperationis cujusq; cum gratiis Divinis, intendi habitus gratiarum supernaturales, gratiorem continuò hominem reddentes DEO: adeo ut respectu doni Divini in conversionis exordio accepti, sæpe millecuplum lucrum successù temporis comparetur.

CAPUT XXVI.

Describit unctionem Magdalenæ, cujus pretium ambiens Judas vendidit Christum. Enarrat ultimam Christi cœnam, & institutionem Eucharistiæ: item ejusdem orationem in horto, captivitatem; accusationem, condemnationem, colaphizationem, trinam Petri negationem, & mox pœnitentiam.

Pascha. QUæstio I. *Quid est Pascha?* R. idem quod transitus aut transsultus, scil. Angeli percutientis primogenita Ægyptiorum. Hic enim Angelus transiliebat domos Hebræorum & insiliebat in domos Ægyptiorum, eorumq; primogenita occidebat, qua strage cõegit Pharaonem, & Ægyptios, liberos ex Ægypto dimittere Mosen & Hebræos.

Chronotaxis ultimorum dierũ Christi. II. *Quæ est Chronotaxis ultimorum dierum Christi?* R. Feriâ sextâ, sive die Veneris, quæ fuit octava dies mensis Nisan ex Ephrem venit in Bethaniam: postero die Sabbathi cœnavit in domo Simonis Leprosi, ubi unxit eum Magdalena murmurante Juda, quòd ungventi hujus pretium non accepisset, ideoq; de Christo prodendo cogitante, sequenti die Dominica, quæ fuit dies decima mensis *Nisan,* Christus solemni pompa cum ramis ingressus est Jerusalem. Undecima die Nisan, sive postera die Lunæ, sterili ficui maledixit, & in templo docuit. Duodecima die Nisan sive die Martis, docens in templo, disputavit cum Scribis & Pharisæis, & eis multoties væ interminatus est Matt. 23. atq; de tempore excidii orbis & urbis Jerosolymæ vaticinatus est, ac utriusq; signa prævia prædixit, ideoq; variis parabolis omnes ad vigilantiam & studium bonorum operum est adhortatus. Matt. 24. & 25. Decima tertia die Nisan, sive die Mercurii, Principes consilium inierunt de Christo capiendo, in quo Judas eum illis vendidit 30. argenteis. Decima quarta die Nisan, sive die Jovis ad Vesperam fuit festum Paschæ, in qua Christus Agnum Paschalem cum suis comedit, Eucharistiam instituit, ac mox orans in horto Gethsemani à Juda proditus, & à Judæis comprehensus est. Decima quinta die Nisan, sive die Veneris crucifixus & occisus est. Decimâ 6tâ die Nisan sive Sabbatho requievit in sepulchro. Decima 7ma die Nisan, sive die Dominica è sepulchro glorioſus resurrexit.

Dies prima azymoram. III. *Quæ est prima dies azymorum?* R. Hæc aliquando vocatur dies 14. mensis Nisan, aliquando verò dies 15ta. Nam vespera illa, qua Judæi celebrabant Phase, cum quo incipiebant dies esûs azymorum, secundùm diem naturalem, pertinebat ad diem præcedentem;

dentem, putà ad diem 14. Niſan: eadem verò ſecundùm computum ſacrum, qui ſervabatur in feſtis, pertinebat ad diem ſequentem, qui erat dies 15. Niſan. Feſta enim incipiebant à Veſpera, & finiebantur in Veſpera ſequenti. Ita S. Aug. ep. 86.

Euchariſtia inſtituta die Jovis.

IV. *Qua die Chriſtus præcisè celebravit Pascha, & Euchariſtiam inſtituit? an eodem die, quo Judæi celebrârunt Pascha, an alio?* ℟. & ſuppono Chriſtum paſſum & Crucifixum feriâ 6tâ, ſeu die Veneris: pridie ergo, id eſt, die Jovis ad Veſperam cœnavit agnum, & Euchariſtiam inſtituit. Jam imò Græci autumant Chriſtum celebrâſſe Pascha Lunâ 13, ſeu 13 menſis Niſan: ipſum enim prævenisſe tempus Paschæ à lege inſtitutum, ob ſuam paſſionem, quæ poſtero die, quo Judæi celebrabant Pascha, futura erat: & quia poſtero die cum Paschate incipiebat uſus azymorum, cenſent Chriſtum ante azyma inſtituiſſe Euchariſtiam, in pane non azymo, ſed fermentato, ideoq; ipſi celebrant in fermentato, dicuntq; hoc eſſe præceptum. Verùm Bellarm. l. de Euchar. c. 8. Toletus, Suarez. S Thom. Abul. & alii dicunt Chriſtum & Judæos eadem die à lege præſcripta celebrâſſe Pascha, ſcil. die 14. Niſan ad Veſperam. Ita eſſe patet ex Matt. Marco & Luca, quia ajunt Chriſtum celebrâſſe Pascha primo die azymorum, *quo neceſſe erat* (ex lege) *occidi pascha*, & quo die *immolabant pascha*, ſcil. Judæi. Alioquin enim Judæi Chriſtum, quaſi legis & Judaismi transgreſſorem & Apoſtatam arguiſſent & damnâſſent.

V. *Quomodo Joannes dicit 18. 28. Judæos non fuiſſe ingreſſos prætorium, ne contaminarentur, ſed ut puri purum comederent pascha?* ℟. Paſcha ibi non ſignificat Agnum paschalem, hic enim jam erat immolatus & comeſtus veſperâ præcedente, ſed ſignificat alias victimas Paschales, quæ per ſeptem conſequentes dies, ac præſertim primo die azymorum, id eſt, manè diei 15. Lunæ ex lege immolari ſolebant.

Cœna Chriſti triplex.

VI. *Quotuplex fuit hìc cœna Chriſti?* ℟. triplicem fuiſſe, primam ſacram Agni Paschalis quam juxta legem Exodi 12. Chriſtus & Apoſtoli peregerunt ſtantes; 2dam communem aliorum ciborum poſt Agnum, quam cœnârunt diſcumbentes in lectulis, more communi gentis ſuæ: nec enim ex ſolo agno ſaturari poterant omnes perſonæ familiæ præſertim ſi illa ampla erat & numeroſa; quare poſt cœnam Agni, addebatur cœna communis ſive uſualis aliorum ciborum. Chriſtus verò tertiam addidit ſacratiſſimam imò Divinam, ſcil. inſtitutionem Euchariſtiæ. Poſt cœnam Agni, & communem ſive uſualem ante inſtitutionem Euchariſtiæ lavit pedes Diſcipulorum, etiam Judæ, ut ſignificaret, qua puritate ad tanta myſteria accedendum, ùt patet Joan. 13. v. 4.

VII. *An ex verbis illis* v. 29. NON BIBAM AMODO DE HOC GENIMINE VITIS &c. *bene infentur in calice Euchariſtiæ non eſſe ſangvinem Chriſti, ſed vinum duntaxat ex vite genitum, cùm genimen vitis, ſit vinum ex vite genitum, ejusq; uvis expreſſum?* ℟. Pronomen *hoc* cùm ait, *de hoc genimine vitis*, non præcisè ſignare id, quod fuerat in calice conſecrato, ſed in genere vinum, quod erat in menſa, ex quo calix iſte impletus erat, tum in cœna Agni, tum in Conſecratione Euchariſtiæ. 2dò ſangvis Chriſti poteſt vocari vinum, ſicut corpus Chriſti à Paulo vocatur panis, nimirum ratione ſubſtantiæ panis & vini, quæ prius ante conſecrationem fuit, & ratione ſpecierum panis & vini, quæ poſt conſecrationem remanent, imò ipſæ ſpecies, ſive accidentia vini, quia nata & orta ſunt ex vite, rectè genimen vitis nuncupantur. Corn. à Lap. putat probabilius eſſe Chriſtum hæc dixiſſe ante inſtitutionem Euchariſtiæ, de cœna & calice Agni Paschalis: in Agni enim cœna circumferebatur calix vini, quem Paterfamilias primus libabat, deinde mittebat in orbem ad omnes ex Agno comedentes, ùt tradunt Hebræi. Id ita eſſe probatur, quia id diſertè aſſerit Lucas, qui utramq; Chriſti cœnam, id eſt, tam Agni, quàm Euchariſtiæ (quas hìc brevitati ſtudens Matthæus convolvit & in unum redigit) diſtinctè enarrat, & ante Euchariſtiam in cœna Agni, de ejus calice hæc à Chriſto dicta eſſe aſſeverat. Accedit, quòd idem planè de cœna Agni priùs dixerit Chriſtus, ùt patet ex Luc. c. 22. 15. *Deſiderio*, ait, *deſidero hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno DEI.* Et mox immediatè de calice Agni ſubjungit, *& accepto calice gratias egit & dixit: accipite & dividite inter vos. Dico enim vobis, quòd non bibam de genemtione vitis, donec regnum DEI veniat.* Deniq; ſtatim ſubjicit inſtitutionem Euchariſtiæ, ejusq; calicem à Chriſto conſecratum, dicens: *Et accepto pane gratias egit &c. Similiter & calicem poſtquam cœnavit dicens: Hic eſt calix novum teſtamentum in ſangvine meo, qui pro vobis tradetur.*

Triſtitia Chriſti.

VIII. *Quomodo ex viva apprehenſione inſtantis paſſionis, potuit contriſtari anima Chriſti, quæ erat in ſummo & continuo gaudio, utpote videns DEum?* ℟. Factum id reſpectu diverſorum objectorum ſaltem formalium, nimirum DEO ſupernaturaliter capacitatem animæ ejus extendente, & dilatante per concurſum ſpecialem, quo concurrebat cum anima Chriſti, ut ſimul ſummum gaudium ob viſum Deum, & ſummam triſtitiam ob inſtantem ſibi mortem ſuſcipere & elicere poſſet. Ita communiter docent Theologi, qui refellunt M. Canum dicentem l. 12. de locis c. 14. in Chriſto ſuſpenſum fuiſſe gaudium, quod naturaliter ex viſione ſequitur, eo tempore, quo fuit viator, ut dolere & triſtari poſſet.

Christus ergo fuit simul viator & comprehensor; ut viator, tristatus & passus est; ut comprehensor, beatus extitit & gaudio plenus. Porrò Christus non tantùm, quà comprehensor, sed etiam quà viator simul summè gaudebat & dolebat de sua passione. Dolebat enim de ea secundùm partem animæ inferiorem, quatenus passio hæc erat noxia naturæ; gaudebat de ea secundùm partem animæ superiorem, quatenus illa erat à DEO volita & ordinata ad hominum salutem.

Judæi inexcusabiles.

IX. *Nonne Judæi excusandi sunt à peccato, occidentes Christum, quia adimpleverunt Scripturas prædicentes ejus cædem* v. 54.? R. Non: *Neq; enim,* inquit S. Athan. tr. de passione & cruce, *inservientes propheticis verbis ista contra Christum ausi sunt, sed suo ipsimet studio sponte volentesq; illa perpetraverunt, ut non prophetæ istarum rerum auctor sit aut causa, sed ipsorum voluntas; quin potiùs ipsi causa fuerunt, ut talia de ipsis Prophetæ prædivinarent.* Judæi ergo hoc sacrilegium, Christicidium & Deicidium ex solo scelere, malitia & odio in Christum perpetrârunt, idq; futurum prævidentes Prophetæ prædixerunt duntaxat, non autem probârunt, aut Judæis, ut id facerent, imperârunt Deus autem jussit Christo, ut hoc Judæorum odium & cædem patiendo in se exciperet, itaq; pro hominum peccatis satisfaceret. Unde illud: *Actio displicuit: Passio grata fuit.* Hinc S. Leo serm. 1. de Pass. *Nihil,* ait, *vobis gratiæ ô Judæi, nihil tibi Juda debemus. Salvationi quidem nostræ, non hoc vobis volentibus, impietas vestra servivit, & per vos factum est, quidquid manus DEI & consilium decreverunt fieri; mors igitur nos liberat, vos accusat: meritò soli non habetis, quòd omnibus perire voluistis.*

CAPUT XXVII.

Judas relatis argenteis, laqueo se suspendit: Jesus coram Pilato accusatus non respondet, uxor autem Pilati dicit ipsum justum: præeligitur tamen Barabbas: Pilatus lotis manibus Jesum flagellatum tradit crucifigendum: qui à militibus multipliciter illusus ducitur ad crucifigendū: & felleo vino potatus inter latrones crucifigitur, divisis ipsius vestimentis: & à variis multæ jactantur in eum blaspemiæ, suboriunur tenebræ, & clamans Jesus, Eli, acetoq; potatus, cum clamore exspirat, ac signa varia fiunt. Corpus Jesu à Joseph sepultum, custoditur à militibus.

Ecclesia DEI non erravit.

QUæstio I. *An erravit tota Ecclesia in fide, quando v. 1. Christus morti traditus est?* R. Nequaquam. Nimirum nunquam fuit nec esse potest, plus quàm una Ecclesia. Unde dum Synagoga cessâvit, Ecclesia Christi cœpit. Et Ecclesia Christi quoad substantiam, non contrariebatur Ecclesiæ Judaicæ sed erat una. Tametsi enim erraverit totum Synedrion, non tamen ipsum tunc ampliùs erat Magistratus Ecclesiæ DEI, cùm Colegium Apostolicum jam esset institutum, & Christus ipse, Ecclesiæ caput, fidelia sua membra conservaret in fide; qualia membra erant non solùm Apostoli, Deipara, & innumeri per Galilæam ac Judæam dispersi sed etiam quotquot ex gentibus credebant ea, quæ tunc explicite crependa erant. Sicut proinde Synagoga desiit, quoad præcepta legalia & cæremonialia, ita, quoad illa solùm distingvebatur ab Ecclesia novi testamenti, mansit autem quoad substantiam fidei, & sic dilatata est ad omnes gentes, nunquam proinde in fide erravit. Verbo: Synedrion tunc non erat ampliùs caput Ecclesiæ, & custos fidei, sed qui ad hoc à Christo substituti fuerant; etiamsi adhuc essent capita synagogæ, prout hæc ritus & legem Mosaicam profitebatur atq; ita tametsi errârit synagoga, prout contra Ecclesiam DEI distincta erat, non tamen propterea erravit ipsa Ecclesia DEI.

Judæi cur non occiderunt Christum.

II. *Cur ipsi Judæi non occiderunt Christum?* R. imò cum S. Chrysost. Quia Romani jus necis inferendæ illis ademerant, relicta sola potestate cognoscendi & judicandi in criminalibus, quæ ipsorum legem peculiariter concernebant. Sed ne tunc quidem licebat illis damnato necem inferre sine Romanorum consensu. Patent hæc ex eo, quòd Pilatus dimitteret eis unum vinctum quotannis in Pascha, scil. quia nullos ipsi reos capitis habebant in sua potestate. Facilè tamen in id consentiebat præses, ut & consensit de Jesu Joan. 18. v. 31. Subinde quoq; dissimulabat, maximè cùm constaret subito furore & indignatione factum, ut S. Stephano contigit Act 7. R. 2dò Ursisse Judæos, ut non quovis genere mortis mulctaretur Christus, sed crucis supplicio, hoc autem modo non licebat eis interficere quenquam, ut ipsimet fatentur Joan. l. c. 3tiò Nolebant ipsi Pascha suum contaminare. Hinc etiam Herodes Agrippa, etsi rex, Petrum tamen in vinculis detinuit, usq; dum peractum esset pascha Act. 12. v. 4. Deniq; timebant plebem, cui sciebant Christum acceptum esse: unde illius occisi invidiam volebant à se in judicem Gentilem transferre: & præsidi ad manum erant militaria præsidia, quibus populus, si insurgeret, compesci posset.

III.

III. *Quale & quotuplex est regnum Christi* v. 11.? R. Christus, qua homo duplex habuit regnum, etiam dum viveret in terris. 1mum Spirituale, scil. Ecclesiam. Hanc enim quasi Remp. fidelium in Judæa instituit, ac certis legibus, ordinibus, sacramentis &c. ordinavit, ac per S. Petrum, ejusq; Successores quasi vicarios suos regit. & per omnes gentes propagat. Hoc est regnum, quod Messiæ, id est, Christo dandum prædixerunt David & Prophetæ. Ita S. Aug. tr. 115. in Joan. 2dum Christi regnum, ut docet S. Thom. l. 1 de Regimine Principum c. 12. est Physicum sive mundanum. Christus enim à primo instanti conceptionis suæ, propriè & directè habuit regnum & dominium totius mundi, saltem quoad jus & potestatem, ut posset Reges quoslibet è regno deponere & alios creare, licèt hac potestate in terris non sit usus. *Regnum Christi.*

IV. *An Christus quà homo, habuit jus humanum ad regnum Judæorum?* R. habuisse, erat enim ipse filius David, cæterorumq; Regum Judææ, ut patet Matt. 1. ideoq; eorum successor & hæres. Regnum tamen hoc actu non adiit, nec in eo Rex inauguratus est: ejus tamen specimen quoddam dedit, cùm in Dominica Palmarum, solemni pompa, quasi rex Messias asino vectus ingressus est Jerosolymam, ac turba ei acclamavit: Hosanna filio David Matt 21. Sed, ut dixi, reipsa hoc regnum non adiit, nec administravit Christus, præsertim, quia ante eum jam pridem regnum familiæ Davidis cessârat in Jechonia & Sedecia, qui fuerunt ultimi reges Judæorum è stirpe David, ac postea hoc regnum communi consensu populi translatum fuit ad Assâmonæos; scil. ad Judam, Jonatham, & Simonem Machabæos, eorumq; posteros. *Christus habuit jus ad regnum Judæorum.*

V. *Cur Christus est crucifixus potiùs, quàm combustus, lapidatus, capite plexus?* R. Causa literalis fuit, quòd Judæi ex odio in Christum, ut ejus nomen & sectam infamarent, & planè abolerent, voluerunt eum morte summè infami plectere. Talis autem est mors crucis. Hac de causa crimen ei imposuerunt, quòd affectâsset regnum Judææ, & Cæsari rebellâsset: rebelles autem, seditiosi & regnum ambientes jure Romano crucifigebantur, ut, qui voluerant cæteris eminere in regno, cæteris, eminerent in patibulo. *Christus cur crucifixus.*

VI. *Quo sensu dicit Christus se derelictum à Patre* v. 46.? R. Non ab unione hypostatica Verbi, non etiam à gratia & amicitia DEI, sed eò; quòd Pater eum à morte jam instante non eripiebat, nec consolatione ulla tam diram passionem, in carne & parte animæ inferiore mulcebat & mitigabat, sed eum doloribus & tormentis meris cruciari permittebat; ut ostendat, quàm amara & acerba sit illi in cruce mors, & animæ in corpore per tantos dolores extorsio, & tam violenta partium adeo amicarum separatio, sicut in horto agonizans, sudansq; sangvinem oravit: *Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste.* *Christus derelictus à Patre.*

VII. *Quo fundamento S. Matthæus sanctam appellat civitatem* v. 53. ET EXEUNTES DE MONUMENTIS POST RESURRECTIONEM EJUS, VENERUNT IN SANCTAM CIVITATEM, cùm sciret omni vitio & abominatione plenam esse, in qua regnabat iniquitas, dominabatur malitia? R. S. Matthæus non attendit ad consertam vitiorum manum, quæ imperabat in ea, sed ad antiquum, DEO gratum, quo olim floruit, statum, vel ad templum DEO dicatum, quo maximè erat illustris, ut ab his nomen sanctum illi daret. Ita S. Paschasius l. 12. in Matth. At verò ista, inquit, venerunt in sanctam civitatem, scilicet Jerusalem illam, & apparuerunt multis. Sancta autem ideo vocatur, vel propter templum, quod erat in ea, seu propter Sancta Sanctorum: vel ideo, quia priùs sancta fuerat, & adhuc ex antiquo jure ita vocabatur vocabulo. Ita ille.

CAPUT XXVIII.

Facto terræ motu, exterritisq; custodibus, Angelus mulieribus narrat Christi resurrectionem: qui ipsis apparens jubet, sicut & Angelus jusserat, ut discipulis nuntient, quòd Dominum in Galilæa visuri sint: Milites, sepulchri custodes, pecuniâ corrupti dicunt corpus Christi furto sublatum. Discipuli videntes in Galilæa Dominum, jubentur ire ad docendas & baptizandas omnes gentes.

QUæstio I. *Quis est sensus* v. 1. VESPERE AUTEM SABBATHI, QUÆ LUCESCIT IN PRIMA SABBATHI? R. *Vespere*, seu vesperam Sabbathi, esse noctem, quæ sequebatur Sabbathum, quæ nox lucescit, id est terminatur & desinit in lucem, in prima Sabbathi; id est, manè diei Dominicæ, quæ prima dies est post Sabbathum.

II. *Quot horis Christus fuit in sepulchro?* R. ferè 33. Nam ab hora nona diei Parasceves, quæ apud nos est tertia post meridiem, ad Solis occasum, restant tres horæ, quia horâ sextâ sol occumbebat. Inde per noctem & diem Sabbathi habes horas 24. à vespera verò Sabbathum terminante, noctis accipe horas 9, quia tribus ante solis ortum horis videtur Christus resurrexisse, & habebis summam propositam. Nempe tribus horis mor- *Horis 33. fuit Christus in sepulchro.*

tuus quoq; pependit in cruce, antequam sepeliretur; ita ex 36. horis, quibus fuit in inferno, restant 33. sepulturæ. Itaq; Christi anima, corpore soluta, statim penetrans infernum, Patribus, & seipsum, & suam Deitatem; per lumen gloriæ videndam exhibuit, adeoq; limbum Patrum vertit in Paradisum, ut latroni promiserat. Post horas 36. eductis secum Patribus, in sepulchro, monstravit suum corpus penitus deformatum, in quo, Divina virtute, mundato, cùm partes sanguinis & cutis amissas, reposuisset animam suam eidem rursum univit, & transiit sepulchrum; simulq; eodem modo, animabus Patrum sua corpora restituit. Post hæc Angelus lapidem amovit, ingentiq; motu milites excitavit.

III. *Quomodo Matthæus & Marcus dicunt Angelum sedisse, Lucas autem eum stetisse?* ℟. Priùs foris sederat, quasi custos sepulchri contra milites; postea autem ingressus stetit, tanquam mulieribus monstraturus vacuitatem sepulchri.

EVANGELIVM SECVNDVM MARCVM.

MARCUS juxta Bedam, Levita & Sacerdos, à S. Petro baptizatus, ut colligitur ex 1. Petri 5. 13. scripsit Romæ Evangelium, rogatus à Christianis, idq; breve, & quod esset velut compendium Matthæi, sed prout Petrum referentem audierat, qui & ejusdem idem evangelium probavit, juxta S. Hieron. in Catal. Script. Eccles. Quo anno Christi 45. Claudij 3. conscriptio venit Alexandriam, ibiq; fundatam Ecclesiam novennio gubernavit. Fundavit ibidem primam Christianorum scholam, ex qua plurimi Doctores, Episcopi, Martyres prodiêre. Putatur scripsisse Græcè; tametsi vel per se, vel per alium, illud Latinè verterit.

CAPUT I.

Joannes in austeritate vitæ prædicat, ac baptizat aquâ; Christus verò Spiritu S. à Joanne baptizatur, jejunat &c.

Angeli ministrant Christo.

QUæstio I. *Quando Angeli ministrârunt Christo?* ℟. Non ante tentationem & victoriam, ut vult Beda: sic enim Jesus à diabolo fuisset agnitus esse filius DEI. ex Angelorum famulatu, reverentia & adoratione; neq; eum diabolus aggredi & tentare fuisset ausus; sed post tentationem partâ jam victoriâ, ut patet Matth. 4. 11. idq; ad hoc, ut Jesus solus cum solo duellans diabolo, eumq; superans, in se oftenderet, tentamenta vincentibus à DEO paratam esse consolationem, & consortium, obsequiumq; Angelorum.

II. *Quomodo diabolus dicit Christo, venisti perdere nos* v. 24.? ℟. Idem est, quod torquere, ut habet Matt. c. 8. 39. ex hominibus ejicere, & in infernum mittere. Unde Theophylactus: *Exire ab homine*, inquit, *suam perditionem dicit.* Summa enim Dæmonum voluptas est, homines possidere, vexare, tentare. Hoc est, quod ait Luc. c. 8. 31. *Et rogabant illum, ne imperaret illis, ut in abyssum* (infernum) *irent.*

III. *Cur Christus jussit Dæmonem obmutescere, dicentem: Scio qui sis,* nimirum, *Sanctus DEI?* ℟. imò, Quia non decebat Christum, id est, Deum à Dæmone laudari, sicut non decet Virginem à meretrice commendari. Ita Tertull. l. 4. contra Marcionem. 2dò, ne videretur esse amicus Dæmonis, & cum eo commercium habere. 3tiò, ut doceret adulationi esse resistendum, ne illa aliquod vanæ gloriæ desiderium in pectore nostro excitet. 4tò. quia Dæmon hìc intempestivè & nimis citò eum prodebat esse Messiam: quare hoc nocuisset Christo, & populum ab eo avertisset: tam grande enim arcanum sensim aperiendum & per miracula multa populo erat persvadendum, qui alioqui illud initio capere, & credere non poterat; quia necdum ad hoc erat dispositus, qua de causa c. 8. 30. Christus vetat Apostolis quoq;, ne ipsum dicant esse Christum.

CAPUT II.

Paralytico sanitatem tam animæ, quàm corporis restituit. E telonio vocat Matthæum ad sui sequelam. Scribis obmurmurantibus respondet: Non veni vocare justos, sed peccatores. Pharisæis dat causam, cur Discipuli sui non jejunent, eosq; spicas in Sabbatho ad famem levandam vellentes excusat.

Quæstio

QUæstio I. *Cur Christus sanaturus, priùs dimittit peccata?* R. ut ostendat eum ob culpam pati. Affliguntur homines corporis molestiis, aut ad augmentum meriti, ut ob & Martyres; aut ad humilitatis conservationem, ut Paulus: aut ad correctionem peccati, ut soror Moysi, & hic paralyticus: aut ad DEI gloriam, ut cœcus natus: aut ad initium damnationis, ut Herodes. *Sanaturus Christus dimittit peccata.*

II. *Quomodo* v. 26. *dicitur David introiisse in domum DEI sub Abiathar principe Sacerdotum,* cùm 2. Reg. 21. v. 6. dicitur id factum sub Achimelech? R. Constat ex Scriptura tam Patrem quàm filium fuisse binomium, & utrumq; nunc vocari Abiathar, nunc Achimelech, ut patet 2. Reg. 8. 17. 1. Paral. 18. v. 16. & c. 24. 6.

III. *Quid innuit Christus illis verbis* v. 27. *Sabbathum propter hominem factum est, & non homo propter Sabbathum?* R. Si quies Sabbathi homini valde est noxia, relinquenda est, & labor capessendus, ut homini consulatur; ideoq; rectè ego hìc permitto meis Discipulis modicum laborem vellendi spicas in Sabbatho, ut fami suæ consulant; præstat enim Sabbathi quietem perire, quàm hominem perire.

Cætera hujus capitis vide Matthæi 9. & c. 12.

CAPUT III.

Curatâ Sabbatho manu aridâ, & ob id indignatis Pharisæis; secedit Christus, turbis ubiq; illum prosequentibus, quarum infirmos curat 12. Apostolos mittit prædicatum Verbum DEI, datâ potestate, morbos curandi & Dæmones pellendi. Blasphemos Scribas, quasi virtute Beelzebub expelleret dæmonia, falsitatis convincit, docens blasphemiam in Spiritum S. non facilè remitti: & quæ sit Mater & fratres sui.

QUæstio I. *Quid significat Christus illis verbis* v. 4. *Licet sabbathis benefacere an malè &c.* R. Significat Sabbatho non benefacere ægro, cùm possis, esse eidem malefacere. Atqui nunquam licet malefacere, ergo semper licet tali benefacere, adeoq; in Sabbatho. Hoc enim DEO & bonis operibus dicatum est. Unde gravius peccatum est, in Sabbatho malefacere, quàm aliis diebus. Sic enim violatur Sanctitas Sabbathi, sicut benefaciendo illa magis celebratur & sanctificatur.

II. *An ex verbis illis* v. 5. CIRCUMSPICIENS EOS CUM IRA *bene inferatur, in Christo fuisse veram iram, tristitiam, cæterasq; passiones & affectus, qui sunt in aliis hominibus?* R. fuisse, sed domitas & rationi subjectas, quare ira erat ei cos virtutis. *Ira in Christo.*

Ira, ait Franc. Lucas, *nobis est passio, Christo tanquam actio erat: nobis sponte oritur, à Christo in se excitatur: orta in nobis reliquas corporis animiq; vires turbat, nec pro arbitrio potest reprimi, à Christo excitata, movet, quod ipse moveri velit, turbat nihil, deniq; quiescit pro voluntate ipsius.* Hoc est, quod S. Leo ait ep. 11. *Sensus corporei vigebant* (in Christo) *sine lege peccati, & veritas affectionum sub moderamine Deitatis & mentis.* Ira in aliis hominibus nascitur ex amore sui: in Christo verò nascebatur ex amore DEI, quia enim ipse summè amabat Deum, hinc de ejus offensa per peccata & peccatores facta summè tristabatur & irascebatur, volens illam offensam compensare vel puniendo vel corrigendo peccatores & infideles.

III. *An Dæmones verè cognoverint Jesum esse Messiam, sive Christum DEI filium?* R. ex hoc loco v. 11. & Matt. 8. 29. & Lucæ c. 4. 41. & Patribus liquet Dæmones, licèt in baptismo Christi & ante baptismum non planè eum cognoverint: nam post baptismum tentârunt eum, ut, quis esset ipse, agnoscerent; ipsos tamen postea id cognovisse ex tot tantisq; miraculis, quæ evidenter videbant esse vera miracula, ac suam & Angelorum omnemq; naturalem vim transcendere, & à solo DEO supernaturali vi patrari, quæq; Christus faciebat hoc fine & scopo, ut probaret imò, se esse Messiam Patribus promissum, idò, se esse Deum, Deiq; filium; hinc inquam Dæmones cognovisse Jesum & esse Messiam, & Dei Filium maximè dum jcum miraculis Christi conferebant Scripturas & prophetias veteres de Christo, quæ ipsum talem fore, qualis erat Jesus, taliaq; miracula patraturum prædixerant. Nonnunquam tamen hac in re hæsitârunt.

CAPUT IV.

Parabolæ seminantis, Lucernæ, seminis & sinapis quas Apostolis suis seorsim exponit. A quibus in navi à somno excitatus, tempestatem, sedato mari, depellit.

Quæstio

QUæstio I. *Quo sensu hìc dicit Christus* v. 24. IN QUA MENSURA MENSI FUERITIS, REMETIETUR VOBIS? R. Vult dicere, si largè & copiosè doctrinam meam aliis communicaveritis & prædicaveritis, ego quoq; largè & copiosè longè majorem ejus intelligentiam, sapientiam, gratiam & gloriam quasi præmium vobis impertiar. Sic fontes quo plus aquæ deorsum effundunt, eò plus sursum recipiunt.

II. *Quis est sensus* v. 25. *Qui enim habet, dabitur illi: & qui non habet etiam quod habet, auferetur ab eo?* R. Habet, id est, utitur, & utendo ostendit se habere; hìc enim habet in actu, cùm ille, qui non utitur gratia & dono, illam habeat in habitu & otio duntaxat, hoc est, quod Theologi dicunt, utentem gratiâ suâ habere illam in actu secundo, non utentem verò habere eam duntaxat in actu primo, hoc est, in potentia & habitu. Sensus ergo est, q. d. qui doctrina sibi à DEO, sive per studium, sive per infusionem impertita utitur, huic dabitur augmentum doctrinæ, ab illo autem qui doctrina sua non utitur, Deus illam auferet ab eo, utpote otiosam & inutilem. Christus enim hìc stimulat Apostolos ad diligentem & ferventem prædicationem Evangelii, pollicendo eis, si id fecerint, majorem sapientiæ suæ & gratiæ affluxum.

CAPUT V.

Christus ab energumeno ejicit legionem Dæmonum, quæ Christo permittente, ingressa in porcos, eos in mare præcipitat. Hemorrhoissam à profluvio sanguinis sanat. Jairi filiam à morte revocat ad vitam.

QUæstio I. *Quæ erat illa mulier in profluvio sanguinis* v. 25.? R. Erat ex Cæsarea Philippi, quæ priùs Dan, deinde Paneas, deniq; Cæsarea est dicta. Hæc celebris hæmorrhoissa à fluxu sanguinis curata à Christo, in memoriam tanti beneficii, statuam illius indicem, Cæsareæ Christo erexit, è cujus basi nascens herba cùm Christi fimbriam tetigisset, morbis quibuslibet medebatur, teste Eusebio l. 7. Histor. c. 14. Julianus apostata hostis Christi, statuam hanc dejecit, & sui effigiem ejus loco collocavit, sed hæc fulmine icta dissiliit, teste Zozomeno l. 5. c. 21

II. *Cur hæc mulier venit in turba retro?* R. Quia non audebat coram Christo in manifesto accedere, tum ex reverentia Christi; tum quia erat immunda ex fluxu sanguinis, ait Scholiastes apud S. Chrysost. immunda inquam, tum legaliter; Lex Mosi enim immundos è templo arcendos decernebat eos, qui sanguinis fluxu laborabant; tum physicè: est enim fœdus hic profluvii morbus, & tangentes polluit.

III. *Quo sensu dicitur Christus cognovisse virtutem, quæ exierat ab illo* v. 30? R. Non quasi qualitas aliqua à Christi fimbria exierit, aut virtus hæc de loco in locum, putà de fimbria Christi in hæmorrhoissam migrârit, sed ratione effectûs quem in muliere causabat. Virtus enim manens in Christo, operabatur effectum sanitatis in muliere. *Sicut* inquit Theophyl. *doctrina doctorum dicitur communicari Discipulis, & in eos transfundi*, cùm tamen doctrina ipsa in Doctoribus maneat, & sui effectum duntaxat, putà cognitionem similem in Discipulos traducat.

CAPUT VI.

Prædicans Jesus in patria sua Nazareth contemnitur à suis. Mittit Apostolos suos prædicatum, cum potestate sanandi ægros, & Dæmones expellendi. Herodes Antipas auditâ famâ Christi, dicit Joannem Baptistam (cujus ab Herode decollati historia subsequitur) à mortuis resurrexisse. Reversis à prædicatione Apostolis, pascit Christus quinq; panibus quinq; millia virorum. Supra mare ambulat, tempestatem sedat, plurimos solius fimbriæ contactu sanat.

QUæstio I. *Cur Christus non potuit in Nazareth miracula facere?* R. Ad miraculum, ut modo convenienti fiat, duo requiruntur, scil. potentia in patrante, & fides ac fiducia in patiente, cùm alterutrum deest, dicitur fieri non posse, inquit Theophyl. & Euthymius. Quod Lucæ 4. v. 22. dicitur: Nazarethanos omnes testimonium Christo dedisse miratos in verbis gratiæ &c. solùm convincit, coactos fateri insignem doctrinam ejus & eloquentiam, & obstupuisse, unde talis ac tanta obvenerit filio fabri: sed non convincit non mansisse incredulos doctrinæ, & contemptores personæ ipsius: neq; enim agnoscebant illum pro Messia, multò minùs pro Filio DEI.

Unctio ægrorum ab Apostolis.

II. *Quali oleo Apostoli ungebant ægros & sanabant* v. 13.? R. Theophyl. Beda, Lyranus & alii volunt hanc esse eam, de qua S. Jacobus agit c. 5. suæ epistolæ, nempe Sacramentum

mentum extremæ unctionis. Verùm istius Sacramenti minister solus est Sacerdos: atqui Apostoli tunc necdum erant Sacerdotes. Et Apostoli promiscuè quosvis ægros ungebant, etiam non moribundos, non baptizatos. Dico ergo hanc Apostolorum Unctionem non fuisse Sacramentum, sed typum seu figuram Sacramenti Extremæ Unctionis, ut Trident. insinuat Sess. 14. c. 1. de Extr. unct. Erat enim (sicut & baptismus Joannis) nuda cæremonia ad hoc solùm adhiberi justâ à Christo, ut congruo symbolo testatum facerent Apostoli se missos à Messia, seu à Christo, id est, uncto: virtutemq; qua ægrorum corpora curabant, ab eo promanare, quem *unxit DEus oleo lætitiæ præ consortibus suis* Ps. 44. 8. Huic cæremoniæ pro illo tempore Christus annexam volebat miraculosam curationem morborum omnis generis. Sicut postea variis subinde Sanctis concessit, uti S Genovefæ.

III. *Quæ erat Herodias* v. 17.? R. Erat filia Aristobuli ab Herode Ascalonita parente suo jam pridem occisi, soror regis Agrippæ senioris. Hæc nupsit Patruo suo Philippo (quem Josephus l. 18. Antiq. c. 7 Herodem vocat, nomine, ut videtur, communi toti familiæ) sed quia hic petulantiæ uxoris non sat respondebat, ut erat vir modestus, transiliit ipsa ad fratrem Philippi Herodem Antipam. Sed an vivo adhuc Philippo? Respondeo, vivo: nam teste Josepho Philippus vigesimo demum anno Tiberii Cæsaris è vita excessit, cùm Joannis ob improbatas has nuptias incarceratio, & decollatio contigerit anno 16. Tiberii. Philippus autem ut amator quietis & otii, malebat dissimulare acceptam injuriam, quàm bello vindicare. Et licet mortuus fuisset, adhuc nihilominus vetitæ erant Herodiadi ejusmodi nuptiæ: Nam Philippus semen ex ea reliquerat, nempe hanc saltatricem, quam Josephus Salomen vocat. Ita definitur Lev. 18. v. 16. *Herodias.*

CAPUT VII.

Pharisæorum calumnias de non lotis manibus Discipulorum, reciproca superstitionum & scelerum ipsorum reprehensione refellit. Syrophœnissæ filiam à dæmonio liberat: surdum & mutum sanat.

QUæstio I. *Cur non lotæ manus vocantur communes?* R. quia non lotæ manus sunt immundæ, res autem immundæ, prophanæ, & pollutæ erant communes Judæis, & Gentibus, mundis, & immundis.

II. *Cur à foro reduces baptizabantur?* R. Quia in foro est omne genus, uti rerum, sic & hominum mundorum & immundorum, quorum attactu se pollutos verebantur, ideoq; immunditiem hac lotione non manuum, sed totius corporis abstergere sese debere putabant, unde sequitur: *nisi baptizentur*, hoc est, nisi totum corpus aquis immergant, & abluant. Plus enim est baptizari, quàm manus abluere: quia ergo in foro Gentiles attingere, & alloqui, quædam etiam immunda attrectare cogebantur, hinc redeuntes domum totos se abluebant, ait Vatab.

III. *Quale est præceptum* v. 36. PRÆCEPIT ILLIS NE CUI DICERENT? R. Non fuit propriè dictum præceptum, quod ad culpam obligaret, sed urbanitas duntaxat, & modestiæ indicium, ut scil. significaret, se nolle sua miracula ostentare, & ex iis aucupari vanam hominum gloriam. Quare non peccabant, qui eo non obstante illa divulgabant. Unde sequitur: quantò autem præcipiebat illis, tantò magis plus prædicabant.

CAPUT VIII.

Christus 7. panibus pascit 4. millia hominum. Docet cavendum à fermento Pharisæorum. Curat cœcum, qui homines vidit sicut arbores ambulantes. Prædicit suam passionem & mortem, Petrumq; illi renitentem quasi Satanam rejicit. Deniq; jubet cuiq; tollere crucem suam, & animam suam salvare.

QUæstio I. *Quod erat fermentum Herodis* v. 15.? R. Erat doctrina Saducæorum, negantium immortalitatem animarum, quam sequebatur Herodes; nam Joannem resurrexisse potiùs ex mente vulgi, quàm suâ, dicebat. Nonnulli ex S. Hieronymo & Origine, intelligunt sectam Herodianorum, habentium Herodem pro Messia. *Fermentū Herodis.*

II. *Quare Christus curaturus infirmum eduxit eum extra vicum* v. 23.? R. imò, ne videretur inanis gloriæ referendæ causâ coram multitudine populi miracula patrare 2dò ut commodiùs Orationi, & recollectioni animi se daret cum suis: nam Christum sequebantur Apostoli, & etiam qui cœci curam gerebant. 3tiò, quia incolæ Bethsaïdæ multis visis miraculis credere nunquam voluerant, unde indignos se reddebant novo beneficio, inquit Theophyl. & Euthymius.

III. *Cur Christus hunc cœcum non nisi sensim curavit?* R. ut miracula omnis generis *Curatio cœci.*

ris & modi ederet. 2dò ut cœci fidem, ſpem, & deſiderium magis, magisq; accenderet. unde & fidei illius initio imperfectæ, ſed mox paulatim creſcenti ſe attemperabat. 3tiò, ut miraculum certiùs appareret & pluris fieret.

CAPUT IX.

Transfiguratur Chriſtus. Elias præcurſurus dicitur Adventum Chriſti. Dæmoniacus ſurdus & mutus curatur. Quis maximus in regno Chriſti. Vetat impediri quendam non ſuum diſcipulum, tamen in nomine ſuo Dæmonia expellentem. Amputari jubet ſcandalum manûs, pedis, oculi.

QUæſtio I. *Cur ſtupefactus eſt populus videns JEſum* v 14? ℟. quia vidit Jeſum abſentem tam inopinatò & opportunè adeſſe, ut diſcipulos ſuos contra Scribas tueretur, & defenderet. Deinde quòd videret in vultu Jeſu paulò ante transfigurato reliquos adhuc aliquos ſplendoris radios; ſicut Moſi poſt DEI colloquium in vultu adhæſerunt radii, & quaſi cornua lucis Exodi 34. 29. Unde ſequitur, *& accurrentes ſalutabant eum.*

II. *Quomodo Diſcipuli ignorabant verbum* v. 31. *quod Chriſtus eis dixerat* v. 30. QUONIAM FILIUS HOMINIS TRADETUR IN MANUS HOMINUM &c.? ℟. Non intelligebant, quomodo hæc verba de ejus morte ſibi inſtante conſentirent cum iis, quibus ſæpè eis dixerat regnum ſuum appropinquare, nam alioqui Apoſtolos intellexiſſe, & credidiſſe Chriſtum moriturum, patet Matth. 17. 23. ubi dicuntur ex hoc de morte Chriſti verbo & oraculo fuiſſe contriſtati. Niſi malis eos dici mortem Chriſti ignorâſſe, quia de ea hæſitabant, & fluctuabant, ob diverſa Chriſti dicta in ſpeciem contraria, ac proinde eos inclinâſſe in partem potiùs mitiorem, ſibiq; gratiorem, ſcil. Chriſtum non moriturum: hoc enim ipſi optabant, & verum eſſe cupiebant: *quia amantes ſibi ſomnia fingunt:* perſvadere ergo ſibi conabantur verba Chriſti de morte ſua, alium habere ſenſum occultum, eſſeq; myſticè accipienda, non ad literam, uti ſonabant.

III. *Qui erant qui Dæmonia* v. 37. *ejiciebant in nomine Chriſti, nec tamen eum ſequebantur?* ℟. fuiſſe fideles, ſed imperfectos, utpote abhorrentes ab aſpera paupertate, & rerum ſuarum abdicatione (quam fecerant Apoſtoli) ac ſequela Chriſti ad Evangelicos labores, perſecutiones, & cruces: habuiſſe tamen aliquam fidem in Chriſtum, cujus virtute pellebant Dæmones: ita S. Amb. in c. 9. Lucæ v. 49. idq; agente, & cooperante eis Chriſto, ut eo major oſtenderetur virtus, & gloria Chriſti, quæ per tam imperfectos, & quaſi alienos tanta operabatur. ita Theophyl.

IV. *Quo ſenſu dicitur* v. 48. OMNIS ENIM HOMO IGNE SALIETUR? ℟. Maldonatus, & Franc. Lucas exponunt de infernali reproborum igne: is enim damnatis erit pro ſale, non conſumens, ſed conſervans perpetuò cruciandos. Sed Theophyl. & Beda id intelligunt de igne metaphorico partim tribulationis, partim doctrinæ Evangelicæ: dicuntq; reddi hìc rationem, cur antè dixerit, eruendum potiùs oculum, vel manum ſcandalizantem præcidendam, nempe ut ſic homo victima fiat ſpiritualis & grata DEO. Cumq; omnis victima ſecundùm legem Lev. 2. v. 13 ſale condiri debeat, debebit etiam hæc victima ſpiritualis ſale, & igne tribulationis expurgari, & ſale Evangelicæ doctrinæ condiri.

V. *Quis eſt ſenſus* v. 49. BONUM EST SAL &c.? ℟. *Bonum*, id eſt, utile *eſt ſal* nempe Vos ô Apoſtoli mei. Sed *ſi* hoc *ſal inſulſum* reddatur, ſcil. ſi vel ambitione, vel aliis cupiditatibus evaneſcat, vel timore diffluat; nihil eſt, quo poſſit iterum colligi, condiri, & exacui. *Habete* perpetuò, ſi ſapere vultis, *in vobis ſal* ſcil. ſapientiæ virtutumq; omnium. Ludit enim Chriſtus in voce *ſal*, quod nunc propriè, nunc figuratè & myſticè uſurpat.

CAPUT X.

Uxorem negat dimittendam: parvulis benedicit: diviti adoleſcenti ſuadet, ſed fruſtra, ut relictis opibus ſibi adhæreat. Quanta præmia maneant eos, qui omnia propter Chriſtum relinquunt. Prædicit paſſionem ſuam: Diſcipulorum ambitionem compeſcit: Bar-Timæum cœcum curat.

QUæſtio I. *Cur Apoſtoli ſequentes Chriſtum* v. 32. *Stupebant & timebant?* ℟. Cauſa pavoris erat, ait Beda, inſtans mortis periculum: ſtupebant enim quòd Chriſtus animo tam alacri & reſoluto, ſe ſuosq; in apertum necis diſcrimen conjiceret, timebant enim, ne ipſi cum Chriſto paterentur & occiderentur.

II. *Quem*

11. *Quem baptismum vocat suum Christus* v. 39.? ℟. Passionem suam, quia in illam planè erat immergendus & demergendus, juxta illud Davidis de se, & multò magis de Christo Ps. 68. 1. *Salvum me fac DEus, quoniam intraverunt aquæ* (tribulationum) *usq; in animam meam. Infixus sum in limo profundi, & non est substantia* (locus in quo subsistam) *Veni in altitudinem maris & tempestas demersit me.* *Passio Christi baptismus.*

CAPUT XI.

Asello vectus Jerosolymam triumphabundus invehitur: ficui infructuosæ maledicit, & arefacit: ementes & vendentes expellit è templo: efficaciam fiduciæ in Deum ostendit, & peccata fratribus remittenda. Scribis, qua potestate id faciat, quærentibus, alia quæstione de Baptismo Joannes os obturat.

QUæstio I. *Quomodo dicitur* v. 10. BENEDICTUM, QUOD VENIT REGNUM PATRIS NOSTRI DAVID? ℟. Ex DEI benedictione & beneficentia benedictum, id est felix, faustum, florens, firmum, auctum, bonisq; omnibus cumulatum *sit regnum Patris nostri David*, id est regnum Israël, quod sub Davide & Salomone ejus filio fuit amplissimum, florentissimum, & felicissimum, quod in Captivitate Babylonica, & deinceps collapsum, jam *venit*, id est, redit & instauratur à nostro hoc Messia Davidis filio, qui illud pristino flori, decori, & robori restituet, imò longe florentiùs, pulchrius, & robustius efficiet.

II. *Quale vas non sinebat transferre per templum* v. 16.? ℟. Utensile instrumentum, vel supellectilem ad usus prophanos, v. g. sportam, cacabum, lagenam, sarcinam &c. transferre per templum, id est, per extimum templi atrium, quod erat gentium, in quo scilicet Gentiles degere, & orare poterant, & solebant. Nam illis, quibus ex foro pecuario, dicto Bethesda, corruptè Bethsaida, transeundum erat in superiorem urbem, vel in Regiam Salomonis, compendiosissima erat via per hoc atrium, & porticum Salomonis, alioqui enim totum hoc atrium exterius circuire debebant.

CAPUT XII.

De vinea infidis agricolis collocata: de tributo Cæsari dando: de certitudine resurrectionis contra Sadducæos: de maximo mandato: de Messia, cujus sit filius: de vitiis Scribarum cavendis: de vidua paupercula, ob duo minuta in gazophylacium missa, prolixè laudata.

QUæstio I. *Quid significat* VINEAM PASTINAVIT v. 1? ℟. Idem quod plantavit. Pastinare propriè tribuitur vitibus, idemq; est, quod agrum vineæ fodere, ut vites inserantur. Unde repastinare vites, idem est, quod illas, cùm sterilescunt, resodere.

II. *Quid innuitur per illud* v. 34. NON LONGE ES A REGNO DEI? ℟. Non longè abes à via salutis: per dilectionem enim DEI & proximi itur in cœlum. Rursum non longè es ab Ecclesia mea, per quam hic militantem itur ad triumphantem in cœlis.

III. *Cur & quomodo de Scribis dicitur* v. 40. HI ACCIPIENT PROLIXIUS JUDICIUM? ℟. Scribis hisce incumbet severiòr DEI in die judicii sententia & gravior condemnatio, tum quia simulatione probitatis ad improbitatem tendunt, ac DEI vestibus amicti, diabolo militant: *simulata enim sanctitas duplex est iniquitas*, ait S. Chrysost. hom. 74. in Matth. tum quia Scribæ avaritiam suam pro pietate venditabant, eamq; religionis colore depinxerant, ait Author Imperfecti in Matth. c. 23. v. 6.

IV. *Quid erat gazophylacium?* ℟. erat arca, in quam donaria à populo conjiciebantur, & custodiebantur ad usus templi, & ad alendos Sacerdotes & pauperes. Hinc etiam porticus, in qua illa servabantur, eodem nomine vocatur Joan. 8. 20. *Hæc verba locutus est Jesus in gazophylacio docens in templo.*

V. *Quomodo* v. 43. *dicitur, Vidua pauper plus omnibus misisse?* ℟. Licet per se & cæteris paribus eleemosyna vel oblatio major & melior sit illa, quæ plus dat & offert, tamen per accidens, si cætera non sint paria, major eleemosyna & oblatio est, quæ majori affectu charitatis & religionis, sive pietatis datur, & offertur. Deus enim non tam pensat donum, quàm donantis affectum. Rursum major est ea, non quæ in se est majoris valoris & pretii, sed quæ major & difficilior est respectu dantis, vidua ergo hæc dans quadrantem, plus omnibus dedit, quia totum, quod habebat, dedit, licet sibi ad vitam necessarium, plus datura, si plus habuisset, cæteri verò dabant superflua, quibus abundabant, ut ait Christus.

CAPUT XIII.

De destructione urbis Jerosolymæ, totiusq; universi: de abominatione desolationis: de gravissima persecutione, & aliis variis signis excidium præcessuris: de Evangelio per totum orbem promulgando: de adventu Christi ad judicium: cujus tempus, quia omnibus est ignotum, jubet omnes continuò vigilare & orare.

QUæstio I. *Quid observandum in verbis illis* v. 2. NON RELINQUETUR LAPIS SUPER LAPIDEM? ℟. Post expugnatam urbem per Titum ad fundamenta usq; eversum esse templum partim flammis, partim manibus. Sed fundamenta tunc relicta, tribus ferè post sæculis, nempe anno Christi 362. jussu Apostatæ Juliani eruta esse à Judæis, novum templum substituere parantibus: à quo tamen prohibiti sunt horrendis terræ motibus, & flammarum globis è terra erumpentibus, & opera & operas absumentibus, ut narrat etiam Gentilis Ammianus, & S. Chrysost. Nazianz. & alii.

II. *Quomodo intelligendum est illud* v. 32. *de die autem* extremi judicii, *vel hora nemo scit, neq; Filius, nisi Pater?* ℟. Explicatum id est Matth. 24. 36. scil. & qui ejusdem est cum Patre naturæ, intellectus & scientiæ, nempe Filius, & Spiritus Sanctus. Particula enim exclusiva, *non nisi*, non excludit alias personas in Divinis, nisi quando & ubi opponuntur, ut fit in relationibus, & subsistentiis relativis, & actionibus notionalibus. Porrò scientia est quid absolutum & essentiale, ac proinde omnibus tribus personis commune. Vide ibi dicta.

CAPUT XIV.

Magdalena unguentum pretiosum effundit in caput Christi, unde murmurans Judas, de Christo vendendo cum Judæis Pontificibus adsciscitur. Christus celebrat convivium Agni Paschalis, in eoq; Eucharistiam instituit, ac Apostolos eadem nocte scandalizandos, & fugituros, Petrum verò ter se negaturum prædicit. In horto ter orat, capitur, fugientibus Apostolis solus ligatur, & ducitur ad Caipham, ibiq; falsò accusatur, reus mortis judicatur, conspuitur, collaphizatur, & à Petro ter negatur.

Christus in Eucharistia.

QUæstio I. *Quo sensu accipienda sunt verba illa:* HOC EST CORPUS MEUM, HIC EST SANGVIS MEUS? ℟. Non figurato, ùt somniant Sacramentarii (nullus enim hìc vel apiculus adest, ex quo possit tropus seu figura colligi) sed vero, naturali & propriè dicto, ita ut corpus & sangvis verè, realiter ac substantialiter sit præsens, sed sacramentaliter, id est, modo Sacramentis proprio, quo res significata invisibilis occultatur sub signis visibilibus. Qui modus essendi sacramentalis non est metaphoricus, moralis, vel mysticus, sed est verus, & realis seu à parte rei. Et verò si sola figura corporis Domini est in hoc Sacramento, ergo figuris veteris testamenti non successit veritas in novo testamento, sed figura nobilioribus successit simplicior figura & vilior. Clariùs enim & aptiùs indicabat Agnus Paschalis occisus, & tot aliæ victimæ jugulatæ mortem Christi, quàm fustulum panis vel cochlear vini. Porrò vi verborum jam dictorum ponitur sub speciebus panis Corpus Christi, sub speciebus vini, sangvis ejusdem; sed sub utrisq; concomitanter (ut Tridentinum loquitur) totus Christus, uti constat anima & corpore. Qualis enim est in suo esse naturali, talis est in sacramento: nisi quod in esse suo naturali côextendatur loco, v. g. sex pedum; in sacramento verò non côextenditur loco, sed modo spiritualium substantiarum invisibile & indivisibile existit tam in divisibili quolibet puncto hostiæ, quàm in tota hostia, & quidem totum inqualibet particula, & puncto hostiæ. Nec manet quidquam hìc substantiæ panis vel vini, sed sola accidentia seu species, ùt definit Concilium Lateranense & Tridentinũ, & SS. Patres unanimiter tradunt.

Sangvis testamenti.

II. *Cur vocatur sangvis novi testamenti?* ℟. Quia per hunc confirmabatur novum testamentum, seu fœdus inter Deum & homines, item nova ultima voluntas testatoris Christi. Condebat enim hìc Christus suum testamentum, seu ultimam voluntatem & fœdus novum cum Ecclesia inibat. Et quidem commodiùs hìc quàm in cruce, quia liber adhuc erat, & aderant Apostoli, qui nomine Ecclesiæ acceptarent: pro victima & sangvine, quo solent fœdera sanciri, erat ipsum corpus & sangvis Domini sub speciebus panis & vini oblata DEO. Hoc Christi testamentum in hac cœna conditum, mox sequenti die publicè obsignatum est in cruce, & plenè confirmatum morte testatoris.

III. *Quis fuit adolescens amictus syndone* v. 51.? ℟. Epiphan. vult hunc fuisse Jacobum

bum Alphei, sed hic non erat tunc temporis adolescens, sed ferè sexagenarius. S Chrysost. Amb. Greg. & Baronius dicunt fuisse Joannem Evang. Sed unde hìc nudus? An cum reliquis Apostolis non adfuerat Christo in horto, utiq; vestitus media, & frigida nocte sub Dio? Dico ergo verosimilius fuisse filium vel famulum villæ horto adjacentis, qui strepitu tumultuantium militum excitus è lecto, spectatum accurrit. Hoc insertum voluit historiæ suæ S. Marcus, ut indicio nobis esset, quanti periculi fuerit, Christum ea nocte sequi, & quàm grave Judæorum odium, etiam in omnes Christi sequaces, qui & certò apprehendissent omnes Apostolos, nisi imperio & virtuti Christi prohibiti fuissent. *Adolescens amictus syndone.*

CAPUT XV.

Christus coram Pilato accusatur, Barabbæ postponitur, flagellatur, spinis coronatur, crucifigitur inter duos latrones, à transeuntibus blasphematur & irridetur: vestimenta ejus sorte dividuntur: tenebræ in meridie suboriuntur: Jesus opem Patris cœlestis inclamat, sitiens aceto potatur, & valide clamans exspirat: corpus à Joseph sepelitur.

QUæstio I. *Cur DEus præ aliis suppliciis voluit Filium suum crucifigi?* R. In causa fuit, inquit Tertull. ut qui per lignum vicerat, æmula operatione, per lignum quoq; vinceretur. 2dò, ut extensione ad 4. partes universi, Orientem, Occidentem, Septemtrionem, Austrum, cœlum, & infernum ostenderet se pro omnibus pati. Joan 12. v. 32. *Omnia trahens ad se*, inquit Lactantius 3tiò, ut perpessione crudelissimi supplicii copiosam nobis pararet redemptionem, longissimè satisfaciendo Divinæ justitiæ, ut ait S. Chrysost. 4tò, ut tot figuris, tot Prophetarum oraculis, quibus id prædictum & præfiguratum fuerat, fieret satis. Deniq; ut nobilissimarum virtutum nobis exemplar esset & prototypon, puta contemptus omnium rerum terrenarum & omnis generis tormentorũ pro ustitia & veritate: elevationis spiritus, & affectuum versùs cœlum & cœlestia: crucifixionis carnis nostræ cum vitiis suis & concupiscentiis, ùt ait S. Paulus Gal. 5. *Christus crucifixus.*

II. *Quomodo dicitur* v. 25. ERAT HORA TERTIA ET CRUCIFIXERUNT EUM, cùm Joannes dicat fuisse *quasi sextam*, quando Pilatus tradidit Jesum crucifigendum? R. Erat hora tertia finiens, seu ultima pars horæ tertiæ, quæ durabat usq; ad meridiem, à qua inchoabatur hora sexta. Colligitur ex v. 33. ubi Crucifixo Christo dicit fuisse horam sextam. Quidam tamen malunt hìc mendum in numeris agnoscere. Hebræi diem & similiter noctem in 4. partes, sive horas dividebant, quarum singulæ æquivalebant tribus horis nostratibus. Prima inchoabatur à solis ortu durans usq; ad nonam nostratem. Sequebatur tertia, durans usq; ad meridiem. Inde Sexta & Nona dimidium diem reliquum implebant, ad solis occasum.

III. *An uterq; latro Christum convitiatus fuerit* juxta v. 32.? R. Initio, inquit, Origenes, Hilarius, & Chrysost: fuisse convitiatum. Sed Cyprian, Amb. Hieron. & Aug. volunt alterum solùm id fecisse, cui S Lucas id adscribit 23. v. 39. & per Synecdochen hìc positos *latrones* pro *latrone:* nec tam notari personarum numerum, quam conditionem seu qualitatem, quasi ne illi quidem ei compaterentur, qui iisdem cum eo tormentis torquebantur.

CAPUT XVI.

Angelus Mulieribus nuntiat Christum resurrexisse, & nuntiari jubet Discipulis. Mox apparet Christus Magdalenæ, dein duobus Discipulis euntibus in Emaus: deniq; undecim Apostolis, quos mittit, ut in universo mundo prædicent Evangelium, & baptizent, subjunctis signis, seu miraculis, quæ sequentur credentes, atq; ita in cœlum ascendit.

QUæstio I. *Quomodo v. 14. dicitur, Christus apparuisse illis undecim, cùm Thomas tunc abfuerit?* R. Undecim hìc vocari, licet abfuerit Thomas, qui erat undecimus, quia Collegium Apostolorum post Judæ proditionem, & suspendium, redactum erat ad undecim, quare 11. vocantur, licet unus Thomas desit. Sic decem viri dicuntur congregati, etiamsi unus vel alter absit.

II. *Quomodo hæretici abutuntur ad hæresim suam stabiliendam illis verbis* v. 16.? *Qui crediderit & baptizatus fuerit salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur?* R. imò abutuntur Lutherani, ut probent fidem solam sufficere ad salutem, nec requiri bona opera, ast dicendum est illis sensum Christi esse, qui credendo in Christum, ejusq; baptismum suscipiendo à peccatis ablutus, & gratiâ DEI imbutus, sanctificatus fuerit, hic salvus erit,

ſubaudi, ſi ita moriatur, ſi in iſto ſtatu gratiæ & ſanctitatis decedat, ſi gratiam DEI usq; ad mortem retineat, nec per peccatum aliquod deperdat. Retinere autem hanc gratiam baptizatus nequit, ſi bona opera non faciat, quæ lex Chriſti præcipit. 2dò, Anabaptiſtæ ex hac Chriſti gnome inferunt non eſſe baptizandos parvulos, eò quòd credere nequeant. Aſt dicendum eis, Chriſtum loqui de adultis: hi enim ſoli credere poſſunt, & adultos ſolos omnia præcedentia Chriſti verba denotant: Parvulos enim eſſe baptizandos, liquet ex perpetua traditione & praxi Eccleſiæ, ac ex illo Ioan. 3 5. *Amen, amen dico vobis, niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum DEI.* S. Aug. addit, hæc verba Chriſti ad parvulos quoq; ſuo modo pertinere, eò quòd illi ſicut aliena voluntate Adæ peccaverunt, & peccatum originale contraxerunt; ſic pariter alienâ fide Eccleſiæ & parentum vel offerentium credant. 3tiò, Calviniſtæ ex hiſce Chriſti verbis colligunt, baptiſmum non eſſe ad ſalutem neceſſarium, ſed ſufficere ſolam fidem, quia de ea ſola, inquiunt, Chriſtus ſubjicit: *qui verò non crediderit, condemnabitur.* R. ſub *tò crediderit*, id eſt, ſub fide intelligi baptiſmum, qui eſt Sacramentum fidei, & cætera omnia, quæ ex fide naſcuntur. Marcus enim brevitati ſtudens, ex iis, quæ immediatè antè dixerat, Lectori relinquit ſubintelligendum *tò, aut non fuerit baptizatus:* alioqui non conſtat Antitheſis, eſtq; mutila & imperfecta; ut enim perfecta ſit, ſic dicendum: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit: qui verò non crediderit, aut non fuerit baptizatus, condemnabitur.* Nam baptiſmum requiri ad ſalutem patet ex verbis Chriſti Joan. 3. 5. jam citatis.

SANCTVM JESV CHRISTI EVANGELIVM SECVNDVM LVCAM.

Lucas Antiochiâ Syriæ Metropoli oriundus, pictor & medicus ad Chriſtum non ante ejus Paſſionem (ut putavit S. Greg. Dorotheus, & Mariana) ſed pòſt converſus per S. Paulum (ut docent Tertull. Hieron: & Irenæus, Baron. & alii (in ejusdem Pauli comitatu, dum in Achaia verſatur, Evangelium Græcè conſcripſit ſtylo cæteris elegantiore (utpotè in Græcis apprimè eruditus) anno tertio Neronis, 26. à morte Chriſti, ut S. Hieron. & alii apud Baron. teſtantur. Pari poſtea elegantiâ conſcripſit Acta Apoſtolorum, maximeq; S. Pauli usq; ad prima ejus vincula Romana, nempe quousq; ipſi comes adhæſit. Mox enim Epiphanio teſte, Româ in Dalmatiam abiit, Galliam peragravit, Macedoniam, Græciam, Lybiam evangelizando tranſiit: ac tandem apud Patras urbem Achaiæ, cœlebs anno 84. ætatis Apoſtolatum ſuum nobili martyrio concluſit, ex olea arbore ſuſpenſus, inquit Nicephorus, Cedrenus, & Glycas, anno Neronis ſexto, à morte Chriſti 29. ita Nazianz. & alii apud Baronium. Ubi & de imaginibus Chriſti, Deiparæ, & SS. Petri & Pauli à Luca depictis, item de miraculis ad ejus ſepulchrum patrari ſolitis multa habes & pulchra.

CAPUT I.

Deſcribit conceptum Joannis Bapt. nuntiante Archangelo Gabriele; deinde Chriſti ex Spiritu Sancto. B. Mariæ viſitationem, & ſalutationem Eliſabethæ, per quam Joannes in utero Matris gaudio exiliit; Eliſabeth prophetavit, B. Maria cecinit Magnificat. Nativitatem S. Joannis, in qua Zacharias Pater mutus loquelam recepit, & cecinit: Benedictus Dominus DEus Israël, in quo multa & magna de Chriſto & Joanne prophetavit.

Zacharias non fuit ſummus Sacerdos.

Quæſtio I. *Cur dicitur* v. 1. *Multi conati ſunt?* R. Videtur ſugillare Evangelia apocrypha, Mathiæ, Thomæ, Nicodemi, Nazaræorum, Ægyptiorum, Hebræorum. Ideo enim poſt Matthæum & Marcum ſcripſit, ut confortaret falſos evangeliſtas in Syria, & Græcia ſuborientes; deinde ut ſuppleret, quæ ab aliis Evangeliſtis omiſſa fuerant.

II. *An Zacharias fuerit Summus Sacerdos?* R. Aliqui ex Patribus fuiſſe exiſtimârunt. At contrarium ſatis docet S. Lucas, cùm eum vocat Sacerdotem de vice

Abiæ,

Abiæ, quæ erat octava classis earum, in quas omnis Sacerdotum turba distributa erat, & per vices ministrabat, cùm Pontifex, nullum statum, sed perpetuum haberet ministrandi tempus. Deinde Zacharias erat à dextris altaris incensi, in Sancto Sanctorum, ubi summus Sacerdos tantùm sacrificabat, nullum erat altare incensi, sed extra in primo tabernaculo, ùt rectè colligit Lyran. ex Paulo Heb. 9. Item Zacharias ingressus est, ut poneret incensum tamquam sacrificium, sed ad summum Sacerdotem non pertinebat facere sacrificium ex incenso, aft tantùm illud ponebat, ut tabenaculum nebulâ impleretur. Exod. 36. v. 10. Lev. 16. v. 2. Ergo non fuit summus Sacerdos.

III. *Quid nomina Zacharias & Elisabeth indicant?* R. Zacharias apud Hebræos idem significat, quod latinè memoria DEI; Elisabeth autem idem, quod DEI juramentum. Utrumq; quadrat Joannis conceptioni, & nativitati, præcursor enim futurus Christi, ejus adventum proximè indicabat, in quo quidem Christi adventu, Deus & recordatus dicitur eorum, quæ promiserat, & implevit, quæ juraverat. De priori B. V. dixit: *Suscepit Israël puerum suum, recordatus misericordiæ suæ.* Quod etiam prædixit David Ps. 97. *Notum fecit Dominus salutare suum, in conspectu gentium revelavit justitiam suam, recordatus misericordiæ suæ.* De posteriori locutus est ipsemet Zacharias; *Jusjurandum quod juravit ad Abraham Patrem nostrum daturum se nobis.* *Zacharias & Elisabeth quid indicant.*

IV. *An Joannes verè & realiter in utero à peccato originali sit purgatus, & justificatus?* R. Negat S. Aug. ep. 57. ad Dardanum, quia renasci supponit nasci. Atqui Joannes in utero existens non erat natus, ergo non potuit tum renasci reipsa, sed tantùm secundùm prædestinationem. Verùm contraria est communis sententia Patrum. Probatur imò, quia id clarissimè promittit hic Joanni Angelus dicens: *Et Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero Matris suæ.* q.d. Ab utero erit Sanctus, imò plenus Spiritu Sancto. 2dò quia Joannes ad salutationem B. Virginis in utero credidit in Christum, eum adoravit, dilexit, & præ gaudio exiliit. Ad rationem S. Augustini R. eò, hominem, ut per gratiam renasci possit, censeri natum, quando conceptus in utero, à DEO animam & vitam accepit: tum enim ut nascitur cum peccato originali, ita & per gratiam ab eo expiari, & renasci potest, imò & baptizari, ut patet, si infans in utero matris existens baptizetur, sive mortuâ, & discissâ matre, sive ea vivente, v. g. si infans manum vel pedem foras emittat, qui aquis ablui possit, ut habet praxis Ecclesiæ. *Joannes in utero sanctificatus.*

V. *Quorum Patrum corda Joannes convertet in filios?* R. Abraham, Isaac, Jacob, & aliorum Patriarcharrum, ùt bene afficiantur posteris suis Judæis, viventibus tempore Joannis, & Christi. Fecit id Joannes, eos verbo & exemplo incitando, ut fidem & pietatem patrum suorum imitentur: Sic enim Patres agnoverunt filios suos, legitimos sui imitatores. Deiq; veri cultores, dum *in id, quod senserunt Patres, consentient & filii.*

VI. *An B. Virginis cum S. Josepho verum fuerit matrimonium?* R. Aliqui videntur dicere non fuisse verum matrimonium, sed veluti quoddam pactum ad mutuam tantùm cohabitationem ordinatum, ut Josephus B. Virgini ministraret, ejusq; virginitatis custos, & testis existeret. Certum tamen est, ùt fusiùs probant Doctores Theologi, qui subtiliùs sacra mysteria perscrutantur, in iisq; Suarez tom. 2. disp. 7. sect. 1. inter B. Virginem & Josephum verum ac proprium fuisse matrimonium, quod vocatur ratum. Id enim satis docet nomen uxoris & conjugis, quod Scriptura eis tribuit, quæ nihil vetat, proprio in sensu accipi. Nam, ut est illud Augustini l. 2. de Consensu Evangel. c. 1. Hoc exemplo magnificè fidelibus insinuatur conjugibus, etiam servatâ pari consensu continentiâ, posse permanere, vocariq; conjugium non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu. Cui reliqui Patres non contradicunt, cùm eum maritum negant: quippe solam carnis conjunctionem excludunt, in quo omnes consentiunt, sicut & in Voto à B. Virgine emisso. Sed nec minus consentiunt eam ex Divina revelatione in matrimonium consensisse, simulq; divinitus intellexisse, sponsum suum libenter in perpetuam ejus virginitatem consensurum: quippe quem vitam omnem virginem traduxisse graves authores, imprimisq; Hieron. & S. Thomas affirmant. Itaq; ab Orig. Epiphan. Hippolyto, aliisq; dissentiunt, qui & viduum fuisse & octogenarium crediderunt; cùm tamen illum eâ ætate esse oportuerit, quæ probabilem faceret vulgò Christi ex eo generationem, & iis viribus, quæ ad tot peregrinationes obeundas pares essent, & familiam manuum labore sustentandam, qualis est triginta circiter vel 40. annorum. *Matrimonium B. Virginis cum S. Josepho.*

VII. *An solus Spiritus Sanctus obumbravit Virgini?* R. Nequaquam: nam tota Sanctissima Trinitas, ut efformavit naturam humanam Christi, & in ea substantialem illum nexum produxit, quo hypostaticè unita est Filio DEI; ita absolutè dicenda est operata fuisse incarnationem Filii DEI, sicut operatur omnes alias actiones ad extra. Appropriatur tamen speciatim Spiritui Sancto hæc incarnatio, quia opus est sanctissimum & summæ bonitatis DEI erga nos, qualia solent adscribi Spiritui S. inquit S. Aug.

VIII. *Cur ergo tota Trinitas non dicitur incarnata?* R. Quia nexus ille substantialis, etsi ab omnibus tribus personis productus; formaliter tamen non connectebat naturam huma- *Trinitas tota non dicitur incarnata.*

humanam cum alia, quàm cum persona Filii, ùt fusè Suarez & alii Theologi in 3. p.

Maria turbatur.

IX. *Quæ fuit causa turbationis Mariæ?* ℟. Fuit insignis amor Virginitatis, cùm enim in Angeli verbis aliquid, quod prolem, & conceptionem redoleret, apprehendisset, & modum adhuc ignorâsset, timuit dubitans virginitatem se conservare non posse, quamvis enim Angelum DEI agnosceret, & quod futurum erat, DEI voluntatem esse non dubitaret, virginitatem tamen conservare summopere optabat: Sciebat enim Deum ita quæ præcipit velle nos facere, ut non displiceat, in eisdem nos dolorem concipere. Nam cùm jussit Abraham filium suum occidere, non displicebat DEO dolor Abrahæ de filio occidendo; sita nunc B. Virgo DEI voluntati obedire paratissima, virginitatem amittere timebat, qui timor perfectissimus, & honestissimus fuit, dignusq; tanta Virgine. Causam hanc insinuat Nyssenus orat. de Nat. Domini. Angelus, inquit, partum denuntiat, illa virginitatem complectitur, castitatem præferens Angelicæ apparitioni, non quòd non esset obediens Divinæ voluntati, sed quod vellet, si posset, virginitatem conservare.

Hæreses enervatæ ex verbo concipies.

X. *Quæ hæreses expugnantur per vocem* CONCIPIES? ℟. expugnatur imò hæresis Manichæorum negantium Christi carnem fuisse veram, contra quos verbum hoc irrefragabiliter pugnat, si enim vera Christi caro non esset, nulla ratione B. Virgo Christum concepisse dici posset, unde doctè Athan. l. de Assumptione hominis, hoc Angeli verbo talem hæresim evertit. 2da fuit Valentini, & quorundam aliorum, qui affirmabant Christi carnem alterius esse substantiæ à nostra, & non de B. Virgine sumptam, sed aliunde in ejus utero positam. Convincuntur autem hi hæretici verbo eodem, non enim concepisse diceretur, nisi de ejus substantia caro illa sumpta esset, hoc enim est gignere, seu concipere. 3tia fuit eorundem hæreticorum, qui, vel quia carnem Christi veram non esse, vel quia alterius esse substantiæ existimârunt, negârunt B. Virginem matrem fuisse Christi. Hæc autem hæresis eodem verbo refutatur, si enim concepit, genuit, si autem genuit, mater vera fuit, nec enim stant simul hæc, concepisse filium, & matrem non esse. 4ta hæresis fuit Nestorii, & quorundam aliorum, admittebant quidem Matrem esse Christi, negabant tamen Matrem esse DEI. Utuntur autem hæretici isti hoc argumento, non genuit divinitatem, ergo non est Mater DEI. Solvitur autem à Cyrillo in Concil. Ephes. congregato contra hanc hæresim t. 1. c. 1. Inter homines enim mœros fœmina dicitur Mater hominis, & tamen non genuit animam, cùm sit à solo DEO creata, nam, ut Mater hominis dicatur, satis est, si materiam hominis præstet, cui anima uniatur, & fiat homo: sic B. Virgo carnis materiam exhibuit, cui Divinitas est unita. Si ergo argumentum eorum efficax esset, contra eosdem procederet, nam nec Mater Christi dicenda esset, cùm nec animam genuerit.

XI. *Cur Angelus addidit* PARIES? ℟. Quia non solam conceptionem, sed etiam partum prænuntiat, idq; ob varias causas. imò ad perfectionem fœtûs concipiendi significandam, nam non omnes fœminæ, quæ concipiunt, pariunt, abortum enim multæ faciunt, multæ etiam in partu pereunt, nec partum edunt. 2dò ad indicandum modum, quo conceptus in lucem proditurus erat, refert enim Damasc. l. 4. de fide c. 15. errorem quorundam dicentium Christum de ventre Matris per ejus latus exisse, contra quos Angeli verbum facit, *paries*, inquit, sicut & fœminæ parere dicuntur. 3tiò ad indicandum partum singularem futurum, sicut & conceptionem, concipies sine viro, & paries sine dolore, quod tibi erit singulare. 4tò ad ostendendam permanentem virginitatem in conceptione, & in partu, quasi dictum esset, concipies integra, & virgo, & talis permanens paries. Fuerunt hæretici, qui etsi virginitatem in Conceptione affirmarent, in partu tamen negârunt, ùt refert Amb. ep. 81. ad Syricium, contra quos ipse Amb ab Isaia utrumq; conjunctum asserit: *ecce Virgo concipiet & pariet*, idem in verbis Angeli dicendum est.

Maria dicitur paritura.

XII. *Cur Joannis conceptio, antequam fiat, Zachariæ revelatur, conceptio verò Christi Joseph manifestatur jam facta?* ℟. Zacharias futurus erat pater prolis concipiendæ, ideo Angelus ei locutus est, at non Joseph, sed sola B. V. genitura erat filium DEI, eaq; de causa ipsi primùm conceptio, partus, & nomen annuntiantur, antequam fiant, Joseph verò conceptio jam facta revelatur, & partus, & nomen prædicuntur, quia verus pater non erat, occasione autem quadam ne prolem ex adulterio esse existimaret, quod factum erat, per Angelum significatum erat, Matt. 1. Quod in ea natum est, de Spiritu S. est, pariet autem Filium, & vocabis nomen ejus Jesum. Erat enim sponsus, & habitus pater Christi, ideo nomen imponendum ei etiam prænuntiatur.

Spiritus S. non potest dici Pater Christi.

XIII. *An Spiritus Sanctus dicendus sit Pater Christi secundùm carnem, cùm viri opus supplerit?* ℟. Nequaquam. Non enim Pater dicitur, qui solùm virturem seu vim effectivam confert agendo, organizando, & formando, sed qui de sua substantia confert aliquid, ex quo fœtûs conceptus consistit, & constituitur. Hæc causa est, cur Philosophi censent, solem non esse patrem murium & ranarum, & multorum animalium, quæ virtute ejus ex terra, aut elementis producuntur: non enim sol particulam aliquam suæ substantiæ confert, sed solam exhibet efficientiam. Cùm igitur Spiritus S. uti sol immensi splendoris & virtutis effecerit, & operatus fuerit conceptionem istam, non autem aliquid

de

de sua substantia ministravērit, ex qua caro illa sit conflata, non potest dici Pater Christi secundùm carnem. Adde, non satis esse aliquid de substantia præbere, sed ut productum sit simile in specie producenti: nec enim pulices aut vermes generati ex corporum nostrorum substantia dicuntur filii nostri, nec nos patres eorum aut matres, nec enim ejusdem nobiscum speciei sunt. Quamvis igitur Spiritus S. suppleverit, quod viri est, quantum ad efficientiam, Pater Christi non est dicendus, quia non est ejusdem speciei cum Christo secundùm carnem.

XIV. *An Joannis subsultatio in utero fuerit motus animalis, naturalis vel supernaturalis, an verò rationalis?* Calvinus vult fuisse naturalem, nempe ex gaudio matris exsilient infante. Sed v. 44. innuit Mater, subsiliisse infantem ex proprio gaudio hausto ex præsentia Christi, & salutatione Mariæ. S Aug Eucherius, & Jansenius dicunt fuisse supernaturalem motum, sed animalem, & sine usu rationis. Aſt quomodo exsiliet quis præ, & ex gaudio sine usu rationis. ℟ deo ergo & dico, cum aliis omnibus Patribus, quos citat Toletus fuisse motum rationalem cum vero usu rationis. Eodem enim verbo dicitur hic infans gaudio exultâsse, quo v. 47. beata virgo dicit: exultavit spiritus meus: quæ exultatio Virginis citra dubium fuit rationalis, ergo. Et hic est sensus Ecclesiæ dum canit: *Hinc parens nati meritis uterq; abdita pandit.* Merita autem sunt actus rationis, utpote liberi. *S. Joannis subsultatio in utero.*

XV. *Quæ causa infanti tam extraordinarij gaudij?* ℟ Præsentia Christi Domini & Regis sui, quem accelerato rationis usu agnovit, dilexit, adoravit. Cum usu verò rationis accepit etiam gratiam sanctificantem (cum omnibus virtutibus infusis) qua purgatus est à peccato originali: accepit & donum prophetiæ, & munus præcursoris Messiæ &c. juxta Angeli promissum v. 15.

XVI. *An Joannes deinceps semper manserit compos rationis?* ℟ Verisimilius mansisse. Et hoc insinuat S. Lucas v. ult. *Puer crescebat & confortabatur spiritu.* Et ita expresè docent Orig. Amb. Theophil. & Euthymius, qui addunt Joannem, intellexisse illud parentis sui, *Tu puer propheta altissimi vocaberis*, & probant Suarez & Toletus. Si enim ad Christi & Mariæ præsentiam accepit usum rationis, cùm illa eadem præsentia durarit usq; ad ejus nativitatem, oportuit etiam rationis usum tamdiu durâsse. Jam verò extra uterum privatus non videtur dono, quod habuit in utero. Idem de B. V. à fortiori docet Suarez ex SS. Patribus 3. p. q. 27. disp. 4. sect. 7. *Joannes infans compos rationis*

XVII. *An B. Virgo manserit usq; ad partum & Nativitatem Joannis, illiq; interfuerit?* ℟. Negant Theophyl. Euthym. Jansenius. Probant 1mo. quia Virgo venit mense sexto, & mansit quasi mensibus tribus; ergo discessit ante nonum mensem finitum, ac proinde ante partum Elisabethæ. 2dò quia post discessum Virginis narrat Lucas partum Elisabethæ, atq; in eo nullam facit Virginis mentionem. 3tiò quia castissimam Virginem partui interesse non decebat. 4tò quia conveniebat, ut turbam in partu affluxuram effugeret. Contrarium, tamen æquè probabile est; imò probabilius, idq; plures sentiunt; scil. Orig. Amb. Beda Maldon. Toletus, à Lap. Pbr 1mò, quia incivile fuisset usq; ad partum manere, & immediatè ante partum discedere. 2dò quia in partu maximè virginis præsentia, ope, & consolatione egebat Elisabetha. 3tiò, quia Virgo ad hoc mansit per tres menses, ut Joannem orbis miraculum, & Christi sui præcursorem cerneret, amplecteretur & benediceret, ac vicissim ut Joannes jam natus matrem Domini, & in ea Christum Dominum cerneret, salutaret & veneraretur. Ad 1mū ℟. τὸ quasi significare hìc non diminutionem, sed augmentum q d. mansit circiter per tres menses & paulò amplius. Adde potuisse nasci Joannem in fine trium mensium; multæ enim proles nascuntur nono mense necdum expleto. Ad 2dum Lucas prius voluit pertexere totam historiam Visitationis B. Virginis, dein Nativitatem Joannis ex ordine recensere, ne unam rem cum alia confunderet. Ad 3tium B. Virgo ipsâ horâ partûs se subduxit in cubiculum, orans pro felici partu. partûs autem curam permisit obstetricibus, ad quas illa pertinebat: hoc enim vel decorum eam servâsse par est credere. Ad 4tum; turba affluentium parva fuit, etsi magna fuisset, majorem feciſſet Virgo fructum, pluribus annuntiando Præcursorem Christi jam esse natum, aliisq; suis piis sermonibus. *Maria mansit usq; ad partum S. Joannis.*

CAPUT II.

Jussu Cæsaris Augusti describitur universus orbis Romanis subjectus. Hac occasione Maria cum Joſepho ascendit in Bethlehem, ibiq; parit Salvatorem, & partum ejus annuntiat Angelus Pastoribus istic vicinis. Puero circumciso nomen inditur Jesus. Quadragesimo die secundùm legem purgatur Deipara, & Jesus in templo sistitur Domino: ulnis Simeonis excipitur & Annæ prophetissæ. Jam 12. annorum subducit se ad

triduum, ac multum quæsitus reperitur in templo in medio Doctorum.

Descriptio prima orbis.

Quæstio I. *Quomodo dicitur descriptio prima?* ℟. Universalis & celeberrima, nam particulares jam aliæ factæ fuerant. Inde evidens erat, Messiam venisse, cùm tota Judæa agnosceret principatum Augusti, qui cùm idipsum ex oraculo audivisset (scil. puerum Hebræum natum idolis silentium indixisse) & eidem Virgo puerulum gestans in Capitolio apparuisset, aram eidem ibidem erexit, cum epigraphe: *Ara primogeniti DEI*, ubi Constantinus templum deinde collocavit, appellatum *ara cœli*. Hinc & Augustus recusavit Dominus appellari, se alteri majori subjectum existimans, teste Orosio & aliis.

II. *Ubi peperit B. V. filium suum primogenitum?* ℟. in stabulo, quod non erat domus rusticana, sed spelunca ad orientalem partem urbis Bethlehem teste Hieron. ep. 18. ad Marcellam, ex qua, ait Beda, scaturire fontem, à tempore nati Christi usq; ad sua tempora: eamdem verò speluncam à Christianis marmore obductam, & super eam grandem Ecclesiam fuisse constructam. Habuit spelunca præsepe ligneum, notum & commune pastoribus.

Miranda in partu Virginis.

III. *Quæ miranda in partu Virginis?* ℟. Peperit sine dolore, excepta enim est à lege illa Evæ impositа Gen. 3. *in dolore paries filios tuos.* Peperit clauso sacro utero, virginitate illæsa. Decebat enim (ut ait S. Ignat. ep. ad Heronem) creatorem non consueto, sed peregrino & admirando uti partu, utpote omnium opificem. Quemadmodum januis clausis Dominus ad Discipulos ingressus est, ita ex matris utero, januis clausis est egressus. S. Hildephonsus serm. de purific. ait: Sicut saxeum sepulchri ostium & pervium & penetrabile fuit, nec potuit cohibere vivum, quem priùs claudebat sub sigillo mortuum: ita & claustrum matricis, & genitale Virginis, cùm esset clausum, & signatum sigillo pudoris, cùm impleti essent dies pariendi, non potuit obstare partui, integritas corporis. Nec tamen egut reserari: DEo totum erat pervium in Virgine, quidquid erat clausum &c.

Angelus apparet pastoribus.

IV. *Cur Angelus primò Pastoribus, non scribis, non civibus, vel opificibus apparuerit?* ℟. Euthymius 4. dat causas. 1ma est, quòd omnia hîc in Christi præsepio spirent paupertatem & humilitatem, quodq; pastores simplices, pauperes & humiles magis placeant DEo, quàm superbi divites, & increduli Scribæ ac Pharisæi juxta illud Christi Matt. 11. 25. *Confiteor tibi Pater, Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelâsti ea parvulis.* 2da, quia hi pastores veterem Patriarcharum vitam sectabantur, scil. innocentissimam artium agriculturam, vel potiùs pastoritiam. Nam Abel, Abraham, Isaac, Jacob, Joseph, Moses fuerunt pastores ovium, quibus proinde velut innocentibus & sanctis sæpe Deus per Angelos apparuit. Ita S. Amb. serm. 9. Nec mirum, inquit, si Christi gratiam antè scire meruit innocentia, quàm potestas, & priùs cognoscere veritatem simplex rusticitas, quàm superba dominatio. 3tia, quia Christus futurus erat pastor populi juxta illud: *Ego sum pastor bonus* Joan. 10. Hinc Christus olim pingebatur, ut pastor cinctus ovibus, uti videre est Romæ in Ecclesia SS Cosmæ & Damiani. 4ta, ut significaretur pastoribus rationalium ovium, putà hominum & fidelium, primum divina mysteria à DEo revelari, ut ipsi deinde eadem oves suas, id est, plebem sibi commissam doceant.

Timor pastorum.

V. *Cur pastores timuerunt timore magno?* ℟. tum propter visionis & splendoris novitatem, ait Euthymius, tum ob Angeli cœlestis majestatem, quæ homines ita percellit, ut pene exanimentur: unde olim opinio erat, moriturum eum, qui vidisset Angelum, juxta illud Manue, Patris Samsonis: *morte moriemur, quia vidimus Deum.* Judic. 13. 22. Hinc disce signi Angeli boni esse, primò terrere, deinde consolari, unde subdit: *nolite timere &c.*

Ad Circumcisionem Christus non obligabatur.

VI. *An Christus obligabatur ad circumcisionem?* ℟. Nequaquam: tum quia ipse erat Deus auctorq; legis, qui lege circumcisionis à se lata non obligabatur; tum quia non communi hominum generatione, qui de peccati traduce propagati in iniquitatibus concipiuntur, ait Beda, sed ex Spiritu S. erat conceptus & natus; ideoq; carens peccato originali, ob quod abolendum institituta erat circumcisio, imò Sanctus Sanctorum, ut docet Aug. tr. 30. in Joan. Circumcisio enim erat signum peccati, ejusq; quasi stigma & cauterium: nullum autem peccatum, nulla libido erat in Christo. Quare Christus in Circumcisione magis & profundiùs se humiliavit, quàm in Nativitate, in hac enim accepit formam hominis, in illa verò formam peccatoris.

Circumcisio Christi.

VII. *Cur Christus voluit circumcidi?* ℟. S. Thom. 3. p. q. 37. art. 1. septem assignat causas, imò inquit, ut ostenderet veritatem carnis humanæ contra Manichæum, qui dixit eum habuisse corpus phantasticum; & contra Apollinarium, qui dixit corpus Christi esse divinitati consubstantiale; & contra Valentinum, qui dixit Christum de cœlo corpus attulisse. 2dò, ut approbaret circumcisionem, quam olim Deus instituerat. 3tiò, ut comprobaret se esse de genere Abrahæ, qui circumcisionis mandatum acceperat insignum fidei, quam de ipso habuerat. 4tò ut udæis excusationem tolleret, ne eum reciperent, si esset incircumcisus. 5tò, ut obediendi virtutem nobis suo commendaret exemplo. Unde & octava

die

die circumcisus est, sicut in lege erat præceptum. 6tò, ut, quia in similitudinem carnis peccati advenerat, remedium, quo caro peccati consveverat mundari, non respueret. 7mò ut legis onus in se sustinens, alios à legis onere liberaret juxta illud Gal. 4. *Misit DEus filium suum factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret.*

VIII. *Quæ erant leges purificationis?* R. erant tres. 1ma Lev. 12. v. 2. & seq. ut mulier si peperisset masculum, maneat immunda per 40. dies: inde legaliter, id est, ritu victimarum à lege præscripto, purificetur in templo. 2da ut Mater pro purificatione non prolis, ùt vult S. Aug. sed sua duntaxat, offerat Deo in holocaustum Agnum ac pullum turturis vel columbæ in victimam pro peccato, si dives sit: sin sit pauper, offerat par turturum duntaxat, aut duos pullos columbarum. Lev. 12. v. 6 & 7. 3tia, ut si proles sit masculina & primogenita, sistatur & offeratur Deo tanquam ipsi debita & sancta, id est, consecrata ob liberationem primogenitorum Hebræorum factam à Deo, quando cæsa sunt primogenita Pharaonis & Ægyptiorum ab Angelo tempore Mosis. Exodi 13. ita tamen; ut proles oblata Deo, à parentibus redimi posset quinq; siclis, qui faciunt duos aureos Romanos. *Purificationis leges.*

IX. *Quæ erat immundities puerperæ in veteri lege?* R. erat duplex tum naturalis, tum legalis & moralis, præsertim quia pariebat fœtum, quem concipiebat in peccato originali. Naturalis, quia puerperæ patiuntur fluxum sangvinis, & menstruorum, item secundinarum aliarumq; sordium per multos dies. Causa est, quòd infans in utero matris involvatur membranâ, quæ secundæ à Plinio, vulgò secundinæ vocantur. Membrana enim hæc triplicem habet usum, 1. tegit, conservat, & tuetur semen virile in utero matris, ne diffluat, sed coaguletur in corpus infantis, quod deinde eadem membrana, continet & fovet. 2dò, membrana hæc plena est venulis plenis sangvine, quo nutrit infantem sibi per umbilicum cohærentem, qui nexus naturaliter sponte sua solvitur in partu, quo primùm infans emittitur, deinde membrana, quæ fuerat involucrum & tegmen infantis, sive secundæ ipsæ per partes eadem via ejiciuntur. 3tiò. Membrana hæc recipit excrementa, quæ puer ex cibo, quo alitur in utero matris, naturaliter emittit. Hæc est naturalis impuritas puerperæ, ex qua sequitur legalis. lex vetus enim ob hasce sordes jubebat eam quasi impuram arceri templo, esseq; quasi irregularem per 40. dies, donec 40. die per ritum à lege præscriptum lustraretur & purificaretur, itaq; pura templum ingrederetur. *Puerperæ immundities.*

X. *Fuit ne hæc impuritas in Virgine pariente Christum, ut ab ea juxta legem purificari debuerit 40. die?* R. Affirmat S. Hieron. ep. 22. ad Eustochium, ubi loquens de Christo: *novem mensibus* ait, *in utero ut nascatur exspectat, fastidia sustinet, cruentus egreditur,* uti cæteri infantes ex fluxu materni sangvinis cruenti egrediuntur, ideoq; abluuntur. Idem asserit Abul. in Lev. c. 12. q. 2. Verùm cæteri omnes constanter id negant: partus enim Virginis fuit purissimus: quia uti concepit Virgo sine viro ex cooperatione Spiritûs Sancti, sic & peperit Virgo, clauso scil. utero, ita ut Christus nascens eum non aperuerit, sed penetrârit: quare nullus in hoc partu esse potuit fluxus sangvinis, aut secundinarum. Adde in ea nullus fuit sangvis superfluus, sed tantùm is qui necessarius erat ad Christi conceptionem & nutritionem. Quare sangvis quo Christus alitus fuit in utero, post partum non effluxit, sed ad ubera transiens, ibidem in lac conversus, aluit & lactavit Christum jam natum. *Partus Virginis fuit purissimus.*

XI. *Passane est B. Virgo menstrua?* R. numquam, Quia menstrua sunt pœna peccati & comites concupiscentiæ. Unde in statu innocentiæ nulla fuissent menstrua, B. V. autem immunis fuit ab omni peccato & concupiscentia: ergo à menstruis: menstrua enim sunt sangvis fœtidus & noxius, adeoq; venenatus, ùt docet Plinius, Virginis autem sangvis erat purissimus. *B. V. non est passa menstrua.*

XII. *Fuit ne Christus inclusus suis secundinis, seu membrana, uti includuntur cæteri infantes?* R. Multi id negant, tum quia membrana hæc primitus fit ad conservandum semen virile; Christus autem conceptus fuit sine semine ex Spiritu Sancto, tum quia Christus in primæ conceptionis suæ instanti perfectè fuit formatus, organizatus & animatus, cùm cæteri infantes sensim formentur, organizentur & animentur, ideoq; membrana sua contineri & foveri debeant: tum quia decentius erat, ut ipse uterus Virginis locum membranæ suppleret, ipsumq; Christum proximè tangeret, foveret, & per venas quas habet, sangvine suo aleret: tum deniq; quia Christus in utero nulla emisit cibi excrementa, sed tantùm id sumpsit, quod corpus alerat & augeret, quare non eguit membranâ, quæ excrementa hæc exciperet. Alii tamen censent Christum in utero suam quoq; habuisse membranam seu secundinas, quia hoc naturale est in omnibus infantibus in utero, ut eâ contineantur, muniantur, & foveantur: sed ita, ut illam statim post partum Virginis, Deus ex utero ejus clauso per penetrationem dimensionum, aut alium modum eduxerit, & in aliam rem converterit, ita Suarez. Quare in Virgine nulla fuit impuritas, ob quam deberet purificari, ideoq; lege purificationis non obligabatur, præsertim quia lex ait: *mulier si susceperit semine.* B. V. autem nullum susscepit semen, sed ex Spiritu S. concepit.

Maria implevit legem purificationis.

XIII. *Cur voluit B. Virgo legem purificationis implere?* ℟. Fecit id humilitatis ſtudio & ut cæteris puerperis ſe conformaret, ac ne eas ſcandalizaret, & videretur eſſe ſingularis, atq; ut virginitatem ſuam conceptumq; ſuum ex Spiritu S. celaret, ſicut & Chriſtus eisdem de cauſis voluit circumcidi. Unde S. Bern. Serm. 3. de purific. Nihil, ait, in hoc conceptu, nihil in partu impurum fuit, nihil illicitum, nihil purgandum, nimirum cùm proles iſta fons puritatis ſit, & purgationem venerit facere delictorum. Quid in me legalis purificet obſervatio, quæ puriſſima facta ſum ipſo partu immaculato? verè ô beata Virgo, verè non habes cauſam, nec tibi opus eſt purificatione; ſed nunquid filio tuo opus erat circumciſione? eſto inter mulieres tanquam una earum: nam & filius tuus ſic eſt in numero puerorum. Hæc ille.

Maſculinũ adaperiens vulvam &c

XIV. *Cui convenit illud: Omne maſculinum adaperiens vulvam, ſanctum Domino vocabitur* v. 23.? ℟. Aliqui SS. Patres, inter quos Euthymius dicunt hanc legem ſoli Chriſto convenire. Verba Euthymii ſunt: primogenita jam apertam vulvam aperiunt: aperitur enim in viri congreſſu, cùm ſemen infunditur; ſolus autem Chriſtus nondum apertam ſupernaturaliter aperuit, & clauſam naturaliter ſervavit, quia etiam hic ſolus propriè ſanctus eſt Domino, & ſecundùm divinitatem, quia filius ejus eſt, & ſecundùm humanitatem, utpote unitus filio ejus. Itaq; licèt de omnibus primogenitis præſens verbum ſtatutum eſt, ſolum tamen Chriſtum directè reſpicit. Hæc ille. Volunt hi Patres ſolùm Chriſtum aperuiſſe matricem matris; non quòd velint B. Virginem propriè matricem in partu aperuiſſe, ac per conſequens virginem non manſiſſe, uti eos interpretatur impurus Calvinus; ſed quòd Chriſtus ſolus uterum clauſum penetrârit, ac penetrando quan aperuerit, i. e. ita egreſſus ſit, perinde ac ſi eum aperuiſſet, cùm aliæ matres tam in conceptione, quàm in partu propriè uterum aperiant. Alia autem ſententia cenſet Chriſtum hoc præcepto non eſſe comprehenſum, imò ob eadem duo verba poſita excluſum: nam non aperuit vulvam, qui integritate matris ſervata egreſſus eſt ab utero, & qui non ſanctus, id eſt, Deo dicatus & ſacratus Domino vocabitur, ſed Sanctus Sanctorum Dominus. Joannes dictus eſt futurus magnus coram Domino: at Chriſtus ſimpliciter magnus: hic, inquit, Angelus, erit Magnus, quia ipſe eſt Dominus, & quod, inquit naſcetur Sanctum, vocabitur filius Dei; non autem dicitur, erit ſanctum Domino. Cùm igitur nec proprietas verbi aperiendi aptari Chriſto poſſit, nec ſanctus Domino dicatur is, qui Dominus eſt, non videtur comprehendi poſſe ſub hoc præcepto, aperiens vulvam ſanctum Domino vocabitur; imò verba ipſa excludunt Chriſtum ipſum, qui ſicut circumcidi voluit ſponte, legem obſervans, ita & offerri. Vide plura apud Toletum.

Chriſtus in ruinam poſitus.

XV. *In qualem ruinam dicitur Chriſtus multis poſitus?* ℟. Spiritualem, quia multi ex Judæis fidem amiſerunt, quam antè habebant, dum non crediderunt venienti Chriſto. Rectè dicuntur ruiſſe in Chriſto; erant enim priùs fideles, & credebant in venturum; at cùm ipſe venit, fides futuri convertenda erat de præterito, ſeu præſenti, nempe credere eum, quem futurum ſperabant, veniſſe: qui ergo hoc non crediderunt, fidem omnem amiſerunt: nam credere venturum, qui jam venerat, fides eſſe non poterat, quia falſa; credere autem veniſſe noluerunt, ideo fide privati ſunt, dicunturq; cecidiſſe ab ea fide, in qua prius ſtabant. Gentes verò, quæ Evangelio non crediderunt, non dicuntur cecidiſſe à fide, quia eam non habebant, utpote idolis ſervientes, & verum Deum ignorantes. Ideo S. Paulus 1. Cor. 1. Chriſtum dixit ſcandalum, id eſt, ruinam, non Gentibus ſed Judæis, hi enim ſoli ſtabant antè per fidem veri Dei & venturi Chriſti.

Chriſtus poſitus in ſignum.

XVI. *Quid ſignificat Simeon illis verbis, Chriſtum poſitum in ſignum, cui contradicetur?* ℟. Significat novam militiam Spiritualem, quam invecturus erat in mundum, & perſecutiones, quas paſſurus erat propter eam. Signum appellat vexillum, quod in exercitu erigitur, ſub quo milites congregantur ad bellandum contra hoſtes, hoc Chriſtus extulit, quando ſua prædicatione & doctrina Judæos ad Evangelium convocavit, & quando Apoſtolos in mundum miſit annuntiare adventum ſuum. Sicut igitur vexillis ſolent adverſari hoſtes, qui contraria ſequuntur vexilla; ita Chriſtus in hoc mundo, quando militiam ſuam inſtituit, habuit multos ex Judæis, qui ei contradixerunt, ipſumq; inſecuti ſunt. Contradixerunt Judæi doctrinæ ejus, legis transgreſſorem & populi ſeductorem eum eſſe dicentes: contradixerunt miraculis, Principi dæmoniorum ea tribuentes: contradixerunt moribus, voracem & vini potatorem vocantes: contradixerunt converſationi, amicum publicanorum & peccatorum accuſantes, contradixerunt perſonæ, eum eſſe Samaritanum conviciantes, & à Deo eſſe negantes; at nihil effecerunt, nam hic poſitus & firmus permanſit in vexillum contradictionis, & ſagittæ parvulorum factæ ſunt plagæ eorum.

B. V. non intellexit verbum Chriſti.

XVII. *Quomodo B. Virgo non intellexiſſe dicitur verbum Chriſti* v. 49. *In his, quæ Patris mei ſunt oportet me eſſe,* cùm tamen Angeli nuntiantis verba majora, & profundiora myſteria ſignificantia percepit & comprehendit? ℟. Nec hæc nec illa aſſequi potuiſſet, niſi Deus illius mentem illuminâſſet; non enim naturale lumen ſufficit, niſi divino adjutum ad fidei myſteria apprehendenda. Sicut igitur in annunciatione lumine divino illu-

illustrata, quæ dicta erant ab Angelo intellexit, non intellectura, si lumen non recepisset; ita non intellexit verbum hoc, quia non ei datum fuit tunc temporis. Non fuit autem tunc datum, ut sic notum esset nobis discrimen inter filium & ipsam; ille enim plenus sapientiâ & gratiâ à principio nullum in se augmentum recepit; nec enim scivit aliquid progressu temporis, quod antea nesciebat, nec justior factus est, quàm fuit priùs: at B. V. licèt magnam gratiam & fidei copiam acceperit in conceptione sua, & quando filium concepit, tamen fide & gratia & sanctitate in dies augebatur, non enim erat illius natura unita Divinitati, à qua plenitudo perfecta emanaret, sicut in Christo factum est.

XVIII. *An verè Christus uti ætate & statura, sic & sapientiâ & gratiâ profecerit?* ℟. à primo instanti conceptionis suæ erat plenus sapientiâ & gratiâ. Hoc enim debebatur illi humanitati ob unionem hypostaticam cum Verbo. Unde S. Nazianz. orat. 20. in laudem S. Basilii: Sapientiâ, inquit, apud Deum & homines proficiebat, non ut augmentum aliquod acciperet, cùm ab initio gratiâ sapientiaq; absolutus esset, sed quòd hæc hominibus ignaris paulatim apparerent. Nam ut ait Theophyl. *Emicatio sapientiæ ejus, profectus ipse est.* Sicut sol licèt eadem luce semper polleat, tamen crescere in ea dicitur, cùm eam sensim magis explicat à manè usq; ad meridiem. Unde Beda: Proficiebat Christus, inquit, non per accessum temporis accipiendo, quod non habebat, sed pandendo donum gratiæ, quod habebat. *Christus crevit sapientiâ.*

CAPUT III.

Quo tempore cœperit Joannes prædicare in deserto, qua ejus doctrina, quod testimonium de Jesu, cur captus ab Herode. Jesus ab illo baptizatur, & voce Filius DEI proclamatur, & ejus genealogia contexitur.

QUæstio I. *Cur Evangelista non servavit eamdem rationem in prædicatione Joannis, quam in ortu ejus,* hic enim meminit Herodis: *fuit in diebus regis Judææ Sacerdos quidam;* hic autem Imperatoris Romani: *Anno autem quintodecimo imperij Tiberij Cæsaris?* ℟. quia rerum status fuit mutatus, in ortu enim Joannis & Salvatoris Judæa proprium habebat Regem; licèt enim Herodes ille alienigena esset, tamen Rex erat Judææ, & ipsa regni nomen conservabat, at prædicationis tempore ablatum erat Regni nomen à Judæa, & in Provinciam translata, ac Syriæ annumerata, idcircò tempus non à propriis regibus, sed ab eo, qui toti provinciæ imperabat, describitur. Ex hac autem temporis notatione, annus, quo Christus & Joannes prædicare cœperunt, manifestatur, natus enim est Christus anno 42. imperii Augusti. Hic, ut Josephus testatur 57. annis imperavit, cui successit Tiberius, ejusq; 15. anno prædicatio incepit, tam ergo Joannes, quàm Christus 30. ætatis annum agebant, quando prædicare cœperunt Joannes enim sex mensibus Christo tempore major erat. Est autem hoc loco maximè observandum, Evangelistam hoc loco divino consilio diligentissimè & imperium & imperii annum notâsse, ut sic comprobaret Messiæ tempus & regnum advenisse fidemq; suæ historiæ de Christo faceret. Inter alias prophetias de Christo futuro erat illa Gen. 49. *Non auferetur sceptrum de Juda, nec dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est.* Hoc autem tempus advenisse, eà quæ nunc Evangelista narrat, manifestè probant, adeo enim erat ablatum regnum à Judæis, ut non solùm Regem de Judæa non haberent, sed nec Judæa ipsa regni dignitatem obtineret, redacta in Provinciam sub imperio Tiberii Cæsaris. Plura vide apud Toletum.

II. *Cur Baptismus Joannis dictus est pœnitentiæ?* ℟. Ob duplicem causam. imò quidem quia solis pœnitentibus dabatur; non enim infantes eo baptismo baptizabantur; at baptismus Christi non solis pœnitentibus adultis confertur, sed etiam parvulis, quorum non est pœnitentia. 2dò, quia baptismus Joannis non habuit virtutem conferendi gratiam, nec sanandi animam, eamq; mundandi, ideo nomen accepit ab eo, quod cum baptismo prædicabat: at baptismus Christi virtutem habet mundandi animam, & gratiam conferendi, propterea ab eo, quod est præcipuum & generalius, nomen sortitus est, ut dicatur baptismus gratiæ, eaq; de causa Joannes in qua sola, Christus verò etiam in Spiritu Sancto baptizâsse dicitur. Atq; hæc est ratio, cur infantibus etiam prodest Christi baptismus, non autem Joannis. *Baptismus pœnitentiæ*

III. *Quid est Joannem prædicâsse baptismum pœnitentiæ* IN REMISSIONEM PECCATORUM? ℟. Joannes incepit baptizare & prædicare pœnitentiam, priusquam Christus manifestaretur, prosecutusq; est suum baptismum & prædicationem etiam Christo manifestato, donec in carcerem missus ab Herode fuit capite plexus, utroq; quidem tempore prædicabat pœnitentiam sed non eodem modo; priusquam enim Christus appareret, prædicabat pœnitentiam, non quidem solam, sed cum fide ejus, qui post eum venturus erat, sicq; illi, quos verè peccatorum pœnitebat, credentes in eum, qui post Joannem ventu-

venturus prædicabatur, nempe Christum, habebant remissionem peccatorum, etiam nondum Christo apparente, ut rectè dicit Chrysost. hom. 10. in Matt. Postquam autem apparuit Christus, quem ipse sæpe signavit, & de eo testimonium perhibuit, & tunc prædicabat pœnitentiam, & fidem præsentis Christi, ut scil. crederent in eum tamquam verum Messiam & Salvatorem, & qui sic pœnitentes credebant, justificabantur remissione obtenta peccatorum. ita Toletus.

Reliqua de baptismo Joannis & Christi, vide Matt. c. 3.

CAPUT IV.

Post jejunium 40. dierum ac repulsas Satanæ tentationes regressus in Galilæam Jesus in Nazaretana synagoga explicat editum de se oraculum Isaiæ: addens nullum prophetam acceptum esse in propria patria. Quare volunt eum de monte præcipitare, sed ipse se subducit & abit Capharnaum, ubi dæmoacum curat, socrum Simonis à febribus & plures alios à variis langvoribus & dæmoniis liberat.

Diabolus agnovit Christum Dominum.

QUæstio I. *Unde diabolus suspicatus est Christum esse Deum?* R. Cyprian. Serm. de jejun. dicit permotum esse virtutis illius integritate, omni peccato carente, qualem neminem quantumcunq; virum sanctum ille deprehenderat. Deinde in præsenti respondet inductam esse in eam suspicionem, quia noverat ex Scripturis venturum DEI filium, dubius tamen erat, quia non putabat per carnis infirmitatem venturum. Hilar. can. 3. in Matth. docet jejunio 40. dierum motum esse, ut DEI filium suspicaretur. Chrysost. hom. 5. in diversos Matth. locos, & hom. 13. in Matth. affirmat diabolum in eam venisse opinionem propter Patris vocem in baptismo auditam: *hic est filius meus dilectus:* simul etiam propter testimonium Joannis: *Ecce Agnus DEI, ecce qui tollit peccata mundi.* De tentatione Diaboli Vide Matt. c. 4.

Christus unctus.

II. *Quando & qua ratione unctus est Christus* v. 18? R. Hæc unctio Christi secreto facta est in Incarnatione, imò per gratiam unionis hypostaticæ, quæ summè eum efficiebat sanctum, & divinum; imò Deum. 2dò per gratiarum plenitudinem ex unione hac manantem. Alii enim Sancti dicuntur ungi gratiâ & donis Spiritus Sancti, sed Christus unctus fuit ipso Spiritu Sancto quasi fonte & plenitudine omnium gratiarum, ut Christus homo fieret fons uberrimus suam gratiam effundens in omnes Apostolos, Martyres, Confessores, Virgines. Ita Basil. l. de Spiritu S. c. 26. Publicè verò unctus fuit Christus in Baptismo, cùm per Spiritum S. declaratus est orbis Doctor & Redemptor.

Jesus per medium ibat.

III. *Quomodo Jesus transiens per medium ibat* v. 30? R. Maldonatus censet Christum hìc sese fecisse invisibilem. S. Amb. & Beda putant Christum mutâsse voluntatem Nazarenorum, ut vellent eum dimittere. Meliùs alii censent Christum eorum phantasiam vel oculos divertisse, vel eos stupefecisse, ac continuisse manus & pedes eorum, ut quasi stupidi Christum videntes eum apprehendere non possent, vel non auderent. Quare Christus hìc ostendit suam divinitatem, seq; esse Deum. Unde S. Amb: *Ecce,* ait, *per medium illorum, mutata subitò vel stupefacta furentium mente, descendit.* Causam subdit: *Etenim quando vult capitur, quando vult elabitur, quando vult occiditur: quia nondum venerat hom ejus.* Debebat enim adhuc prædicare, & tandem ex Patris decreto crucifigi Jerosolymæ, non verò præcipitari in Nazareth. Tradit Brocardus in descriptione terræ sanctæ, Christum elapsum è manibus Judæorum, subitò in latere montis oppositi apparuisse, ideoq; locum illum vocari saltum. De reliquis hoc capite contentis alibi est actum.

CAPUT V.

Docet è navicula Petri: jubet retia laxari, & copiam piscium submittit: Petrum ejusq; socios invitat ad homines inposterum capiendos: leprosum mundat: in deserto orat: paralytico peccata remittit & valetudinem restituit: publicanum Levi ad se sequendum vocat, & domi ejus convivatur, murmurantibus ob id Pharisæis causam exponit cur cum peccatoribus conversetur, & cur discipuli sui necdum se affligant indebitis jejuniis.

Irruere.

QUæstio I. *Quid irruere v. 1. significat?* R. deo S. Amb. serm. 62. hoc verbum sic explicat: Quantorum mirabilium operator sit Dominus intelligere possumus ex hac lectione, qua describitur, tanta per eum beneficia in populum fuisse collata, ut provocatæ hominum turbæ ad audiendum illum magis irruerent, quàm rogarent,

rent, & medicinam salutis non sperarent per humilitatis gratiam, sed per importunitatis injuriam, ita ut irruentes turbas non desertum separaret, non synagoga repelleret, non reverentia divinitatis arceret. Hæc enim consvetudo infirmantium, ut dum sperant suis ægritudinibus medicinam, ab importuna petitione non loco prohibeantur, non tempore, non pudore, sed quantò plùs medetur ille, qui sanat, tantò ampliùs ille? importunus est, qui laborat. Hæc Amb.

II. *Leprosus est ne sanus factus verbo, vel Christi, an utroq; simul?* R. Solo verbo efficacem voluntatem exprimente usum esse Christum ad sanandum & mundandum leprosum, cujus ratio est, quia leprosus petiit, si vis, Christus autem annuisse videtur, cùm dixit: *volo, mundare.* Voluntate quidem sola sanâsset, sed leprosus id non agnovisset, nisi signo exteriori ei fuisset manifestata; idcirco verbum ut instrum entum assumpsit sanandi, tactum autem adhibuit, se leprosum non abhorrere significans.

De Contentis hoc capite agitur Matt. c. 4. v. 18. c. 8. v. 2. c. 9. v. 2. v. 14.

CAPUT VI.

Discipulos spicas Sabbato vellentes excusat: manum aridam alio Sabbato curat: 12. Apostolos designat: explicat, qui verè sint beati, qui infelices: varia proponit præcepta & consilia evangelica: varias parabolas de festuca & trabe in oculo, de bona & mala arbore, de domo supra petram, & supra arenam fundata.

De his habetur Matt. c. 12. v. 1. item v. 10. c. 10. v. 1. c. 5. v. 1. item v. 44. & c. 7. v. 3. & c. 10. v. 24.

QUæstio I. *Quod est Sabbatum secundo primum?* R. est Sabbatum, quod primum erat à secundo die azymorum, seu altero die post Pascha, quo manipulus primitiarum spicarum offerri debebat. Ab hoc enim die Lev 23. v. 15. debebant numerari 7. hebdomadæ plenæ usq; ad festum Pentecostes, & consequenter 7. Sabbata, hoc ordine, & his nominibus, Sabbatum secundo primum, secundo secundum, secundo tertium, secundo quartum, secundo quintum, secundo sextum, secundo septimum. Sicut nos computamus Dominicam post Pascha primam, 2dam, 3tiam, 4tam, 5tam, 6tam, 7mam. Sic Scaliger l. 6. Emendat. tempor c. 6. & alii apud eum citati. Secundùm Corn. à Lap. Sabbatum secundo primum est Sabbatum incidens in festum Pentecostes, vel infra ejus octavam: primo primum verò, quod incidebat in diem Paschatis, vel infra ejus octavam, quod proinde vocatur magnum Sabbatum Joan 19. 31. Sicut enim maximum festorum erat pascha, cui secundum Pentecostes; ita Sabbata in alterutrum incidentia erant prima; sed primo primum Paschale, secundo primum Pentecostale. *Sabbatum secundo primum.*

II. *Quæ erat potestas Apostolorum?* R. Major erat potestas illorum, quàm nunc est Episcoporum certis Diœcesibus constrictorum: Apostoli enim, ut immediatè atq; illimitatè missi ab ipso Christo, quasi universales legati ipsius, habebant summam potestatem in totam Ecclesiam quocumq; terrarum loco, seu instituendam seu regendam, unde ubicunq; locorum poterant prædicare evangelium, libros Canonicos scribere, fundare Ecclesias: colligere, pascere, regere fideles: ubiq; constituere, & ordinare Sacerdotes, Pastores, Episcopos, reliquosq; Ordinis Hierarchici ministros: ubiq; præscribere ceremonias Sacrificii, & ritus Sacramentorum, & leges Ecclesiasticas. Et in his omnes pares erant S. Petro. Suberant tamen Petro, quasi capiti & pastori suo, cujus erat dirigere illos, imò & corrigere, si qua in re contigisset errare, provincias illis distribuere, & lites, si quæ inciderent, dirimere ac decidere. Hæc enim subordinatio necessaria erat ad unitatem, concordiam, pacem & bonum regimen Ecclesiæ, inquit S. Cyprianus. Unde & Petrus solus habuit potestatem ordinariam, in qua succedunt ei Pontifices Romani. Alii Apostoli, ut tales, tantùm habebant delegatam potestatem, in qua proinde nemo successit: Episcopi tamen dicuntur eis succedere, imò ob participationem ordinis & jurisdictionis saltem Episcopalis. 2dò ob analogiam similis eminentiæ supra simplices Sacerdotes. *Potestas Apostolorum.*

III. *Quomodo virtus de Christo exibat & sanabat omnes?* R. Dicitur virtus exisse à Christo, non quòd ipso non volente quispiam sanaretur; aut quòd aliqua substantia à Corpore Christi defluereat, sed per quamdam metaphoram ad modum herbæ salutiferæ, quæ quæ applicata corporibus ægris morbos depellit, sine ulla distinctione tangentium: sic Christus omnes se tangentes virtute sua sanabat, tanta erat tangentium multitudo. *Virtus de Christo exibat.*

IV. *Estne præceptum, an consilium illa Christi sententia de maxilla prebenda altera percutienti in unam?* R. Ut de illata injuria nemo vindictam sumat, præceptum est: ut verò præbeamus nos paratos suscipere novas injurias, nec nos defendamus, quando saluti spirituali percutientis & injuriam inferentis id necessarium est, etiam est præceptum; quando verò non est necessarium sed utile, consilium est, debet tamen quilibet paratus esse *Maxilla altera præbenda percutienti.*

esse injuriam potiùs novam sustinere, quàm se de susceptâ vindicare, hoc enim præceptum est.

Ablata non repetenda.

V. *Quis est sensus illius sententiæ Christi: Et qui aufert, quæ tua sunt, ne repetas?* ℟. Potest triplicem habere sensum. unus est, ne repetas vi auferendo, si vi abstulit ille à te, & hoc verum est: non debemus enim vim inferre auctoritate privata iis, qui abstulerunt nostra, ut ea recuperemus, nisi casu quodam, quando spes nulla est ea recuperandi, nisi manibus auferentis abstrahamus, id tum absq; damno & nocumento alio illato facere possumus. Et cùm his, qui abstulit, non indiget, non licitè fit. Alter sensus est, ne repetas in judicio, seu coram judice, qui auferentem compellat reddere ablata: at cùm hæc sententia sit conjuncta præcedenti: *Omni autem petenti te tribue*, in qua nihil de judicio dictum est, sed ut petenti tribuamus, videtur non ad judicium, sed ad eandem materiam indigentium pertinere, maximè cùm judicium non sit prohibitum, quando non ex odio & vindictâ, aut avaritia, sed ex zelo justitiæ, & desiderio honesto habendi sua fit. Tertius sensus est, ne repetas, non solum vi aut in judicio, sed nec verbo, nec alio quovis modo, & hoc etiam non est prohibitum: nam licet ea, quæ mutuavimus, aut commodavimus, aut quæ ablata à nobis sunt amicabiliter repetere, sicut & Tobiam, quòd mutuaverat, repetisse legimus. Hæc igitur sententia omnes tres hos sensus complectitur, sed non respectu cujuscunq; personæ, sed respectu indigentium, & eorum qui reddere non possunt, connexa enim est illi superiori, nempe omni petenti da, cui additur, & auferenti tua ne repetas, nempe si indiget, nec potest ea reddere, quo casu, nec vi, nec judicio, nec alio quovis modo repetas; si enim in ea necessitate ille petisset, tribuere deberes, profectò si abstulit, nec repetere licebit. Hoc explicuit Christus illâ parabolâ Matt. 18. ubi paterfamilias damnavit servum illum, qui conservum ei centum, nec habentem unde solveret, tenebat & suffocabat, donec solveret debitum. Hoc etiam est, quod Deus per Prophetam Isa. 58 reprehendit: *Omnes*, inquit, *debitores vestros repetitis*. Notanda est generalis illa (omnes) licet enim repetere debitores, qui nostra retinent, sed non omnes, nimirum eos, qui indigent, nec habent, unde restituant.

CAPUT VII.

Curat servum Centurionis in urbe Capharnaum: suscitat filium viduæ in Naim; Discipulis Joannis Bapt. rogantibus an ipse esset Christus, editis plurimis miraculis, Christo proprius, probat se illum esse: Joannem prolixè apud populum commendat: Scribas verò & Pharisæos tam Christum, quàm Joannem contemnentes, acriter reprehendit: à Magdalena pedes inter epulandum inunctus, peccata illi omnia dimittit.

Centurio gentilis.

QUæstio I. *An Centurio hic fuerit Gentilis, an verò Judæus?* ℟. Gentilem fuisse; erant enim Judæi tunc temporis sub Romanorum imperio & custodia. Judicant id verba Evangelistæ; dicitur enim de illo: Diligit gentem nostram, & ipse Synagogam ædificavit nobis. Et: *non inveni tantam fidem in Israël*, quæ ostendunt, non fuisse natione Israelitam, aut Judæum.

Zachæus suscipit Christum.

II. *Quare Zacharias gaudens recepit, Centurio verò Christi ingressum recusavit?* ℟. Christum ministerio Zachæi uti voluisse, nempe ad eum divertere ad manducandum, ideo Zachæus gaudens excepit, ne hospitem recusare videretur: at verò Centurioni obtulit adventum suum, non ut sibi ministraret, sed ejus gratiâ, ut puerum sanaret: ideo centurio prohibuit, ne minus fidelis reputaretur, quasi non crederet aliter sanare Christum posse, nisi corporali præsentia. Commendatur igitur charitas in Zachæo Christum excipiente, qui Christi humanitati cibum ministravit: & fides in Centurione contradicente, quia divinitatis Christi potentiam confessus est.

Dignitas suscipientis Eucharistiam.

III. *Quomodo nos accedentes ad Sacramentum Eucharistiæ utimur verbis Centurionis:* DOMINE NON SUM DIGNUS, UT INTRES SUB TECTUM MEUM, cùm Paulus dicat 1. Cor. 11. Qui manducaverit Panem hunc, & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini? ℟. Dignitatem esse duplicem, una est dignitas rei, altera est dignitas præparationis, dignitate rei nemo potest dignè suscipere Christum, cùm inferior sit quicumq; homo etiam sanctissimus ipso Christo; nos enim creatura, ipse Creator est. Dignitate verò præparationis potest homo dignè eum suscipere, si ea faciat, quæ fieri ipsemet, qui suscipi voluit, mandavit, quod si quis ea non exhibet, indignè suscipit, & hoc est, quod docet Paulus. Non ergo qui non suscipit dignè dignitate rei, indignè suscipit; sed is, qui præparatione, ac dispositione debita caret.

Joannes est plus, quàm Propheta.

IV. *Qua ratione Joannes Propheta & plusquam Propheta dictus est?* ℟. Propheta fuit, quia Christum absentem, priusquam manifestaretur, prænuntiavit; plusquam Propheta

pheta verò, quia præsentem vidit, quod nullus Propheta consecutus est. Nec solùm vidit, sed præsentem nondum à populo agnitum indicavit, & testimonio suo manifestavit, ob hoc quidem plusquam Propheta dictus est: nam ut sit plusquam Propheta, aliquid debet habere, quod sit supra prophetiam, hoc autem est præsentem nondum manifestum aliis ostendere, & notificare. Egit igitur & Prophetam & Apostolum Christum manifestando.

V. *Qua ratione dicitur homo Deum justificare* v. 29.? R. justum, rectum, benignum, providum confiteri & profiteri, sicut hîc quòd eis Joannem Baptistam miserit, ac per illius prædicationem & baptismum, illorum saluti tam benignè providerit, ut eos ad pœnitentiam, veniam & gratiam perduceret. Hanc eandem significationem secutus est Paulus in allegando testimonio David ex ps. 50, *ut justificeris in sermonibus tuis.* Nam Rom. 3. est, inquit, Deus verax sicut scriptum est, *ut justificeris in sermonibus tuis*, id est, fidelis agnoscaris, ac verax, qui imples, quod promisisti, etiamsi David propter peccatum indignum se exhibuerit, cui tu, quod ei promisisti, exhiberes. *Homo Deum justificat.*

VI. *Estne majus DEI beneficium peccata dimittere, an præservare, ne committantur?* R. Theologi Scholastici, inter quos S. Thom. 2. 2. q. 106. a. 2. distinctione quadam utuntur, beneficium enim seu donum dupliciter potest considerari, aut in se & absolutè, aut respectu ejus, cui confertur. Si priori modo consideramus, majus donum est præservari, ne peccemus, sicut majus est in se beneficium sanitas, quæ est cum præservatione ab infirmitate, quam quæ est post infirmitatem: at verò posteriori modo majus beneficium est remissio, quia minor est dignitas in recipiente. Et quantò is cui confertur, minus est dignus beneficio, tantò ipsum majus est, non absolutè, sed relatione ad recipientem; unum enim uni collatum majus esse potest, quàm si illud alteri conferatur; imò minus beneficium in se, potest esse majus altero, si conferatur respectu ejus, cui fit: nam quo indignior est recipiens, eò beneficium magis gratis, & liberaliter datur à conferente, cùm ergo remissio commissi detur indigno, nempe peccatori, ideo majus hoc est, quàm præservatio à committendo, quæ confertur minus indigno, quamvis absolutè hoc sit majus donum, ac beneficium. *Præservatio à peccatis.*

CAPUT VIII.

Piæ mulieres ſervuunt Chriſto de facultatibus ſuis. Ipſe populo parabolam de ſeminante proponit & Diſcipulis ſeorſim exponit, ut & de lucerna ſuper candelabrum collocanda. Qui fratres & Mater Chriſti. Tempeſtatem in mari ſedat: obſeſſum à legione Dæmonum liberat, quos in porcos ire permittit: Jairi filiam à mortuis ſuſcitat, muliere prius à fluxu ſanguinis, contactu fimbriæ ſanatâ.

De his actum Matt. 13. 3. Matt. 2. 46. Matt. 8. 23. Matt. 9. 18. & Marci 5. 25.

QUæstio I. *Quæ 7. dæmonia à Maria Magdalene ejecta?* R. Beda, Theophyl. S. Greg. hom. 33. per 7. Dæmonia intelligunt 7. peccata capitalia, sed hoc mysticè. Nam ad literam hîc veri Dæmones intelliguntur, hi enim sunt spiritus, & hi propriè dicuntur exire & ut Marcus ait, ejici. Ita S. Ant. 1. de Salomone c. 5. & alii. Videtur ergo Magdalena ob sua peccata à 7. Dæmonibus fuisse possessâ, ac à Christo inter alios Dæmoniacos ab iis liberata, de peccatis suis pœnituisse, ac veniâ ab eo impetrata indivulsè ei adhæsisse, non jam à Dæmone, sed à Deo possessâ, factaq; templum Spiritûs Sancti. *Dæmoniæ ejectæ à Magdalena.* *Septem Dæmonia quænam?*

II. *Quare grex porcorum apud Judæos, quibus porcis vesci nefas?* R. Gadara ubi hæc egit Christus, erat quædam Judæorum, vel potiùs Galilæorum civitas, sed tamen à Cæsare data fuerat ad habitandum Syris & Gentilibus, qui porcos alere poterant. Adde Judæos non quidem comedere, sed alere potuisse porcos ad alios usus, v. g. ut eos Gentilibus venderent, ut iis Romanos milites pascerent, ut larido ad ungendos currus uterentur.

III. *Cur permisit Christus Dæmones intrare in porcos?* R. imò ut ostenderet se Dæmonibus dominari, eosq; sine sua licentia nihil posse, ne quidem in porcos, multò minus in homines. Unde eos contemnendos esse velut invalidos dicebat S. Antonius. 2dò, ut patefieret, quanta esset dæmonum copia, vis & malitia, & consequenter quanta esset Christi eos expellentis vis & gloria. Ita S. Chrysost. Theophyl. & Euthymius. 3tiò, ut Sadducæorum, qui negabant Dæmones esse Act. 23, 8 errorem hoc facto convinceret, & confutaret. Ita Hilarius in Matt. 8. Addit Rupertus, Gadarenos fuisse Judæos, ac contra legem aluisse porcos, ac idcircò à Christo hîc eorum suffocatione & perditione fuisse punitos. *Dæmones ejecti, in porcos intrant.*

CAPUT IX.

Mittit Apostolos evangelizatum, data illis potestate dæmones expellendi, & morbos curandi, & instructione quomodo se gerere debeant. Opinio Herodis & vulgi de Christo. Quinq; panibus & duobus piscibus saturantur quinq; millia virorum. Petrus confitetur ipsum esse Messiam. Prædicit suis passionem suam, & coram tribus illorum transfiguratur. Dæmonium è Lunatico expellit: contentionem Discipulorum de primatu compescit, ut & zelum filiorum Zebedæi urgentium, ut igne cœlesti absumerentur Samaritani: quendam volentem se sequi paupertate sua deterret; alterum sequi ultro jubet, nec permittit, ut vel defunctum patrem priùs sepeliat.

Pecunia prohibetur Apostolis.

QUæstio I. *Quomodo Christus hic v. 3. prohibet Apostolis pecuniam, quam aliàs concessit ad emenda necessaria & pro se & Apostolis?* R. Has prohibitiones fuisse temporales missionis istius tempore tantùm perduraturas. Voluit enim Christus Discipulos nondum perfectos instruere, qua ratione Divinæ suæ providentiæ deberent fidere, omnemq; solicitudinem temporalem deponere, ut prædicationi incumberent, & occasionem omnem avaritiæ amputare, ideo hæc præcepta dedit, quæ postea, quando misit eos in universum mundum evangelizare non erant necessaria illis, utpote qui gratiam Spiritûs Sancti abundantissimam acceperant, qua ita perfecti, evaserunt ut hujusmodi exterioribus prohibitionibus non indigerent; ante hujusmodi verò gratiam acceptam docendi erant talibus præceptis, fiduciam omnem in Christo collocare, ejusq; potentiam experientiâ cognoscere, quod ipse Dominus Luc. 22. significavit, dicens: Quando vos misi sine sacculo & pera, nunquid aliquid defuit vobis? Præterea etiam, quia longè alia ratio erat habenda in orbis totius peregrinatione, quàm in unius provinciæ non admodum latæ itinere conficiendo, quia cum Christo non convivebant bini & bini, sed omnes simul, & copiosiori viatico indigebant, & tempore longiori.

Pulveris excussio præcepta.

II. *Quid significat pulveris excussio à Christo v. 5. præcepta?* R. S. Chrysost. hom. 33. in Matt. & S. Hieron. duas causas producunt. Una est, ut pulveris excussio sit testimonium laboris Apostolorum, quòd ipsi ingressi sint civitatem, & eorum prædicatio ad eos pervenerit. Altera est, ut sit testimonium se ab iis, qui evangelium spreverunt, nihil recepisse, nec ad victum quidem necessaria. S. Hilar. can. 10. in Matth. ut per hanc pulveris excussionem significarent Apostoli se totum peccatum rejicere in tales homines, qui eos non receperunt; inquit enim, ipsam terram quodammodo infici à malitia inhabitantium in ea. inde Apostoli non solùm homines tales, sed etiam terræ pulverem habitationis eorum abjicere à se, quasi omnia impia sint, seq; immunes esse omni ex parte à peccato eorum, tali facto significabant, & totam maledictionem & iram DEi in illos solos converti debere indicabant.

Abnegatio sui ipsius.

III. *Quid est abnegare seipsum v 23.?* R. S. Basil. in Regulis fusiùs disputatis interrogat. 6. ait: Nihil est aliud sui ipsius abnegatio, nisi summa rerum omnium vitæ superioris oblivio, atq; à sui ipsius voluptatibus recessio. Cujus descriptio duas habet partes: prior est, summa omnium rerum vitæ superioris oblivio. Vitam superiorem appellat, quando sine gratia DEi, peccatis indulgebamus, rerum temporalium affectu, ac dulcedine tracti, quarum rerum obliviscì debent, qui se abnegant, non quidem quòd memoriâ excidant omnino, sed quòd ab illa memoria deleantur, & abjiciantur, qua priùs eas tenebamus: simul enim atq; propositæ erant voluntati, illas amplectebamur. Posterior est veræ abnegationis substantia, ut ab omni voluntate, affectu, desiderio, quæ ad illicita nos impellunt, recedamus, eis resistentes, contradicentes, mentis consensum avertentes.

Regnum DEI.

IV. *De quo intelligenda est sententia illa v 27.* SUNT ALIQUI HIC STANTES, QUI GUSTABUNT MORTEM, DONEC VIDEANT REGNUM DEI? R. De splendore & gloria transfigurationis, in qua Christi apparuit tribus discipulis, post sex dies ab eo, quando hæc prædixit. Ita S. Hilar. can 17. in Matth: & alii. Dicitur autem in transfiguratione regnum Christi, & ipsum Christum in regno suo venisse, quia apparuit verè in ea gloria, splendore majestate, quam in cœlis habet, & in qua veniet, judicare omnes. Favet huic communi expositioni historia transfigurationis, quæ paulò post secuta est, & quam Evangelistæ consequenter descripserunt.

CAPUT X.

Præter 12. Apostolos designat Christus 72. Discipulos, & mittit prædicatum, monitis ad id idoneis & miraculorum dono instructos. Ingratis

gratis urbibus impietatem exprobrat. De fide humilibus impertita Patrem cœlestem laudat. Per parabolam hominis à latronibus vulnerati explicat quis noster sit proximus. Excipitur hospitio à Martha, cui de sorore, quòd pedibus Christi adhæreret, conquerenti respondet, ipsam partem optimam elegisse.

QUæstio I. *Cur Messis metaphora Christus usus est, & quæ sit hæc Messis?* R. S. Aug. serm. 41. de Sanctis ait, hanc messem non esse in Gentibus, sed in populo Judæorum: cujus rationem sapienter reddit: nam messis non dicitur, nisi ubi seminatum est; at in gentibus non præcesserat semen, id est, verbum de Christo, cùm lex & prophetiæ Judæis datæ fuerint: horum enim legislatio, testamentum, obsequium & promissa, ut testatur Paulus Rom. 9. idcirco in adventu Christi messis erat Judæorum, quibus per Prophetas seminatum erat, unde Joan. 4. dicit Christus: alius est, qui seminat, alius est, qui metit, ego misi vos metere, quod vos non laborâstis. Gentilibus autem seminandum erat per Apostolos missos à Christo. Atq; hæc est causa, cur Christus tali metaphora sit usus, quando dixit: Messis quidem multa: loquebatur enim de Judæis. *Messis Judæorum.*

II. *Cur Christus mittens Apostolos post resurrectionem dixit:* MITTO VOS SICUT OVES, *hic autem mittens Discipulos dicit v. 3.* MITTO VOS SICUT AGNOS, *Apostolos ovibus, Discipulos Agnis conferens?* R. id factum proprer significationem, nam oves adultum sunt animal & perfectum, agni verò imperfectum, & nondum adultum; sic Apostoli, quando missi sunt post resurrectionem, erant homines perfectissimi jam in eos misso Spiritu Sancto, ejusq; plenitudine accepta; at nunc Discipuli etiamsi sancti, ac justi essent, plenitudinem ac robur Spiritûs Sancti nondum acceperant, idcirco per agnos non per oves significantur. Adde quòd Apostoli innumeros populos, ac fideles parituri erant Christo, idcirco oves dicuntur, animal fœcunditati aptum: at discipuli nunc parum fructus allaturi erant, ideo agni dicuntur, qui nondum apti sunt, utrumq; autem animal tam ovis quàm agnus est inerme, quia prædicatio Christi non temporalibus armis, viribus, opibus, scientiis inducenda erat, sed efficaciâ verbi DEi. *Apostoli ovibus, Discipuli agnis comparantur.*

III. *Quomodo omnia tradita Christo à Patre* v. 22.? R. Celebris est ista sententia, super quam Athanasius longam habuit orationem contra Arianos, quos refert hoc loco abusos, ad probandum Filium minorem Patre, cùm illi tradita fuerint omnia, argumentabantur enim: si Pater tradidit illi omnia, ergo priùs ea non habuit Filius, igitur minor est Patre. Duæ autem sunt hujus sententiæ interpretationes. Una est eorum, qui interpretantur de Christo ratione Divinitatis cui Pater tradidit omnia: nam communicando ei propriam essentiam, communicavit potentiam, dominium & omnia, quæ habet. Verbum autem traditionis, non est humano modo intelligendum, quasi Filius non habuerit, aut Pater se omnibus privaverit, sed indicat Filii à Patre processionem, secundùm quam Deus est de Deo, Dominus à Domino, habens eandem naturam cum Patre, sed Pater à se, Filius à Patre absq; ulla prioritate, aut posterioritate durationis. Hæc interpretatio est Athanasii Serm. 4. contra Arianos & alios. Altera expositio est ejusdem hîc. ubi affirmat eam intelligendam de Christo ratione dispensationis per carnem gerendæ, censetq; tunc tradita omnia ad reparandum, & instaurandum, quando homo factus est. Quamvis enim ut Deus est, omnia sint ei tradita semper, tamen ut homo est, accepit, quando carnem sumpsit, quæ priùs ut homo non habebat. *Christo omnia tradita à Patre.*

IV. *An verò v. 22.* NEMO SCIT, QUIS SIT FILIUS NISI PATER, *bene intulerint Macedoniani Spiritum Sanctum minorem esse Patre, nec ejusdem substantiæ cum eo, cùm dictum sit: nemo novit Filium, nisi Pater, ergo Spiritus Sanctus non novit, cùm non sit Pater?* R. perperam. Bene S. Amb. ait, his exclusivis locutionibus, non removeri personas, sed creaturas, quod loco Pauli manifesto probat 1. Cor. 2. Nemo, inquit, novit, quæ sunt Dei, nisi Spiritus Dei. Ecce spiritus nosse dicitur, quæ sunt Dei, non igitur excludebatur Spiritus ab hac cognitione. Quodsi personæ excluderentur, nec Pater cognosceret, quia dictum est, nemo cognoscit, nisi Spiritus Dei? Id ergo significatur, personarum harum notitiam ipsarum earundem esse, nec ullum quempiam id nôsse, quasi à se, nisi derivata, & communicata cognitione à Patre & Filio. Nec excluditur à notitia eadem Spiritus S. sed cùm non sit nunc facta mentio tertiæ personæ, non exprimitur ejus notitia, sed non excluditur, sed tantùm id, quod extra Deum est, quod notitiam Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti habere non valet, nisi ab ipso Deo sit emanata & revelata. Ratio enim nulla naturalis, nec ulla creatura ex se arcanum hoc & sacramentum assequitur.

V. *De quibus oculis loquitur Evangelista:* BEATI OCULI, QUI VIDENT QUÆ VOS VIDETIS? R. De oculis corporeis, vocat enim Discipulos beatos, quòd viderint, & audierint, Christum ipsum prædicantem & mira facientem. De talibus oculis & auribus Christum loqui verba sequentia omnino demonstrant: nam Prophetæ & Justi multi, qui

Christum secundùm carnem antecesserunt, dicuntur desiderâsse videre & audire, quæ audiebant & videbant Discipuli, hoc autem desiderium non fuit de visu & aure spirituali, nam fide & visu spirituali Christum viderunt.

VI. *Quomodo* Joan. 20. BEATI, QUI NON VIDERUNT, ET CREDIDERUNT, *cùm hìc dicatur:* BEATI OCULI, QUI VIDENT? ℟. Non esse similem rationem in his sententiis: nam Thomas ipsum visum sumpsit pro argumento credendi, quia enim vidit Christum viventem, ideo credidit resurrexisse, & in hoc præponuntur, qui cùm non viderint, crediderunt, quia non sunt innixi ad credendum visui; at verò in nostra sententia non fit sermo de argumento credendi, sed simpliciter & absolutè consideratur aspectus, & præsentia Christi: hoc autem fuit insigne beneficium & privilegium, nec ob eam præsentiam Discipulorum fides minor fuit: nam etiamsi Christum viderunt, ipsum tamen Messiam, & Dei filium esse, non viderunt, sed crediderunt.

CAPUT XI.

Docet Discipulos suos orare, & perseveranter orare: ejicit dæmonium mutum, negatq; se in Beelzebub ejicere dæmonia: beata quæ suxit ubera; sed nihilo minùs beatos, qui obediunt verbo DEI. De signo Jonæ, de Regina Austri, de Ninivitis de oculo simplici, de superstitiosis Pharisæorum lotionibus, de eorundem hypocrisi, propheticidio & impietate.

Dæmon potest ab altero dæmone expelli.

QUæstio I. *An quisquam possit in principe dæmoniorum ejicere dæmonia?* ℟. posse. Ratio est, quia sicut inter homines unus alio potentior est, majoribus viribus præditus potest ab aliquo loco alterum expellere, sic etiam Dæmones id inter se efficere valent. Duobus igitur modis potest unus alterum expellere, aut vi, quia potentior est; aut pacto aliquo, quia ut homines peccare faciant, ac perdant, conveniunt inter se, ut ad imperium unius alter recedat; de priori modo hìc blasphemi Judæi locuti sunt, idcirco principi dæmoniorum id adscripserunt, qui potentior est aliis.

II. *Quomodo v. 16. alii tentâsse dicuntur?* ℟. Euthymius putat hos dici tentâsse, quia credebant Christum talia signa facere non posse, quasi ut ex impotentia ejus eum confunderent & subsannarent, & hoc probabile est. Possumus etiam dicere, tentâsse dictos esse, quia experiri volebant virtutem ejus, nondum certi, an id facere posset, sive facerent ob fidem, sive ob curiositatem, arguendi tamen & reprehendendi erant, inquit S. Hieron. Matt. 12, quia sic petunt nova signa, quasi quæ facta erant, signa non fuissent.

III. *An Christus verbis illis:* QUINIMO BEATI, QUI AUDIUNT VERBUM DEI *negaverit Matrem beatam ex ea parte, quia ipsum genuit & lactavit?* ℟. Hæc verba non esse negativa, sed comparativa, non negare beatitudinem, sed præferre in hunc sensum; beata quidem mater mea est, sed si hoc tantùm consideratur, quòd mater est, major est beatitudo, & beatiores sunt, quia audiunt verbum DEI, & custodiunt illud. Ratio à priori est, quia esse matrem DEI est præcisè gratia gratis data & externa duntaxat, non gratum faciens; sed audire & custodire verbum DEI, est gratia interna gratum faciens. Rursum esse matrem DEI præcisè non facit matrem beatam, ut fruatur DEI visione & gloriâ æternâ: at custodire verbum DEI perseveranter usq; ad finem vitæ, perducit hominem ad DEI visionem & æternam gloriam. Insuper quia esse matrem DEI singulare est privilegium unius Virginis: at audire & custodire verbum DEI, est commune omnibus fidelibus & sanctis. Vult enim Christus solari mulierem, quæ dixerat, *beatus venter, qui te portavit.* q. d. Tu beatam dicis matrem meam, quòd me talem filium genuerit, atq; tacitè similem beatitudinem optas, dolesq; fortè, quòd talis filius tibi non obtigerit: at ego solidiorem & meliorem beatitudinem tibi offero, quæ omnibus eam volentibus competit, nimirum assèro te beatam ac beatiorem fore, si verbum DEI audias & custodias, nam & mater mea beatior fuit, quòd me mente, quàm quòd ventre conceperit, adeoq; nisi me mente concepisset, misera fuisset, ac gratiæ & gloriæ expers, imò nisi me mente concepisset, indigna fuisset, quæ me ventre conciperet, decebat enim matrem DEI futuram, esse purissimam & sanctissimam. Audi S. Augustinum: *Materna propinquitas nihil Mariæ profuisset, nisi feliciùs Christum corde quàm carne gestâsset. Beatior ergo Maria percipiendo fidem Christi, quàm concipiendo carnem Christi.*

CAPUT XII.

Cavendum ab hypocrisi: non timendos tyrannos: fugiendas curas superfluas, neq; ad nos spectantes multoq; magis avaritiam, & anxiam rerum necessariarum solicitudinem: lumbos præcingendos: lucernas in promptu semper habendas, vigilandum continuò: dona DEI prudenter ac fideliter dispen-

dispensanda: ignem divinum ubiq; accendendum: signa adventûs Christi diligenter observanda, cum adversario tempestivè transigendum.

De fermento Pharisæorum Vide Matt. 16. v. 6. de confitendo Christo. Matt. 10. v. 32. de blasphemia in Spiritum S. Matt. 12. v. 31. de nimia solicitudine Matt. 6. v. 25.

QUæstio I. *Cur Christus dixit* v. 14. *Quis me constituit judicem?* R. Non negat se vel Ecclesiam habere potestatem judiciariam (ùt stultè somniant Anabaptistæ) nam erat ipse Rex Regum, Dominus & Judex omnium constitutus à Patre. Sed solùm negant obligari se, vel à quopiam cogi posse, ut id faciat. Noluit autem hoc vel simili casu forensibus negotiis occupari. 2mo ne carnalem Judæorum de politico Messiæ regno opinionem foveret. 2dò ut politicum imperium à ministerio Ecclesiastico distinctum esse doceret. 3tiò, ne suis ansam daret, Evangelii prætextu ad propria lucra abutendi. 4tò ut reipsa ostenderet, doctrinam & munus suum non terrenam, sed cœlestem hæreditatem spectare & hominibus admetiri. Ita S. Amb. Euthymius, Beda.

II. *Quem ignem intelligit* v. 49. *Ignem veni mittere in terram?* R. Tertull. & Maldonatus putat intelligi odia & persecutiones, & probant ex v. 51. & 52. sed quomodo vult Christus, ut odia & persecutiones accendantur? Melius ergo Cyrillus & Jansenius esse Doctrinam evangelicam. Sed optimè Orig. Amb. Hieron. Aug. & alii, esse Spiritum S. & dona Spiritûs Sancti, maximeq; ardentem zelum & inflammatam charitatem, inquit, Theophyl. & Euthym. Nempe hunc cœlestem ignem optat Christus in omnium cordibus accendi, ut infernalem odiorum & tormentorum ignem ab hostibus accendendum, ut sequitur, fortiter tolerent, & superent, cum S. Ignatio M. etiam leones in se provocantes. *Ignem venit Christus mittere in terram.*

III. *Cur nubes ab occasu imbrem nuntient?* R. Causa hujus rei physica est, quòd Judæa ab occasu habeat mare mediterraneum, ex quo vi solis multi vapores in altum elevantur, qui in nubes densati, per solis calorem in aquam resolvuntur & pluviam pariunt, præsertim cùm sol pariter tendit in occasum; tunc enim debilior, quàm ut vapores hosce dissipet, ne in nubem concrescant & in pluviam resolvantur: quibus verò mare æquè ad occasum, & meridiem, & septemtrionem est, æquè ex his partibus ascendunt nubes nimborum nuntiæ: Anglis ascendunt undiq;, ut qui mari undiq; cinguntur. Ait Valesius S. Philosoph. c. 86. *Nubes ab occasu imbrem nuntiant.*

CAPUT XIII.

De Galilæis à Pilato occisis, & aliis in Siloë lapsu turris oppressis, de ficu infructuosa, quibus docet, citò omnibus pœnitendum, alioqui pari modo excidendos. Archisynagogum indignatum quòd contractam mulierem sabbato curâsset, egregiè perstringit. Regnum DEI comparat grano synapis & fermento. Svadet intrare per angustam portam. Herodem ut vulpem nihil curat. Excidium Jerosolymæ prædicit.

QUæstio I. *Qui illi Galilæi, quorum sanguinem miscuit Pilatus cum sacrificiis eorum* v. 1.? R. Secta Galilæorum erat, duce Galilæo, negantium; fas esse dare tributum Cæsari infideli. Quos circa eos Pilatus per stratagema in montem Garizim, quasi ad sacrificandum invitatos copioso milite ibi prius posito, trucidavit. Vide Joseph l. 18. Antiq. c. 7. Ejusdem sectæ insimulabatur & Christus à Pharisæis, unde Galilæus audiebat. *Galilæi.*

II. *Quomodo dicit* v. 3. *Omnes similiter peribitis?* R. Similiter, id est, simili morte, clade & vindicta DEI. Nam Judæi obsessi & oppressi sunt à Tito in festo Paschæ, quando sacrificabant. Tunc ergo capta à Tito urbe, multi cæsi sunt in templo, ubi sacrificabant & sacrificare solebant. ita S. Thom. Hugo, Lyran. & alii.

III. Quomodo *decem & octo turris oppressit in Siloë?* R. erat fons seu piscina Silòé juxta Jerusalem, juxta hunc fontem erat turris, ab eo pariter dicta Silòé, quæ tempore Christi vi ventorum, aut fulminis, aut terræ motus similive casu corruit, & 18. homines in ea vel juxta eam consistentes ruinâ suâ oppressit: quod licet casu fortuitò factum sit, si causas secundas perspectes; tamen si causam primam, scil. Deum attendas, certâ providentiâ DEI volentis homines punire, & cœteros terrere id factum est: DEO enim nihil est fortuitum, sed omnia certò prævisa & provisa sunt, ut nihil in regno providentiæ liceat fortunæ aut temeritati. ait Bòëtius.

IV. *Quos ficus exprimit?* R. Ficus est, quisquis in vinea Domini consitus est, hoc est in Ecclesia, ut ferat fructus dignos pœnitentiæ, at arbor illa optimo in solo sterilis & infructuosa nec fructus ferebat, nec ligno utilis erat, foliorum tantùm luxuria spectabatur, & vites premebat. Ingenium Judæorum ad vivum ficus illa exprimit. Ex opti- *Ficus Judæos exprimit.*

ma stirpe oriundi, electam terram habitantes Prophetarum curâ, miraculorum multitudine edocti, jam nullis annis nullum fructum ferebant, & tamen cùm adversi aliquid aliis accidere viderent, justas scelerum pœnas illos dare judicabant. Parabola igitur illa, non modo illos peccatores esse declarat, sed etiam cur nondum pœnas luant ex DEI benignitate, non ex eorum merito provenire demonstrat, omnino tamen fore, ut tarditatem gravitate compenset.

CAPUT XIV.

Curat hydropicum Sabbato, docens id omnino licere. Carpit ambitiosam primi loci occupationem. Parabola de invitatis ad cœnam: docet omnia postponenda procurationi salutis animæ. Parabolis turris, belli & salis, provide ac prudenter procedendum in delectu statûs etiam perfectionis, & studii salutis alienæ.

QUæstio I. *Cur intravit Christus ad Pharisæum?* R. Invitatum fuisse à Pharisæo vel amoris vel gloriæ causâ putant aliqui; Euthymius non malo animo, sed ambitioso invitatum, ait: Vera causa fuit, ut inter epulas aliquid exquirent, quod carperent. Hoc Evangelista indicat, cùm ait, *& ipsi observabant eum.* Si enim humanitatis causâ prandium parâssent, observatores, invidos, sycophantas non advocâssent. Non enim amicus est, qui invitatum inimicis circumdat. Nec gloriæ cupido induxit. Nam persequi Christum, non amare apud Pharisæos glorioſum erat.

Cœna magna quæ?

II. *Quæ est cœna magna v. 16.?* R. Cœna hæc est beatitudo & gloria cœlestis, hac enim fruemur in regno DEI & resurrectione justorum: hæc vocatur cœna, quia dabitur vespere, id est, in fine mundi post labores hujus sæculi, postquam nulla alia dabitur refectio, quia ipsa erit æterna. Cœna magna, ait S. Greg. hom. 36. est satietas dulcedinis æternæ. Nam ut ait Glossa: post prandium cœna restat, post cœnam nullum convivium restat: de prandio multi ejiciuntur, de cœna nullus: *Magna* tum quia nihil majus vel melius cogitari potest. Ipse enim Deus erit nostrum ferculum, noster cibus & epulum. Unde Euthymius, *significatur*, ait, *ineffabilis DEI fruitio*, qui non solùm nos, sed omnes omnino recreabit, satiabit, inebriabit, beabit, glorificabit, ut nihil amplius optare vel desiderare possint, juxta illud: oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum 1. Cor. 2. 9.

Sepes.

III. *Quid per sepes hìc intelligitur* v. 29. *Exi in vias & sepes?* R. exi extra urbem, extra Jerusalem & Judæam, ac voca gentes ad Christum. Unde ait *in vias*, vel ùt habet Matthæus, in exitus viarum, hoc est in vias, quæ ducunt ad quaslibet gentes, & fines terræ. Sepes vocat villas & pagos, qui non muris sed sepibus rusticanis cinguntur. Notant ergo rusticanos, inquit Corn à Lap barbaros, Indos rure, in sylvis & sepibus habitantes more belluarum vocandos esse ad salutem, ut Apostoli & viri Apostolici eant, illisq; prædicent Evangelium, quod factum est, & indies magis magisq; fit per zelosos & religiosos. Unde servus non addit, *factum est*, uti de Judæis additur v. 22. Quia in gentibus necdum plenè factum est, sed indies plenius fit & perficitur, nec nisi in fine mundi planè perficietur.

IV. *Cur additur compelle intrare?* R. Quia gentes multæ erant idololatræ, barbaræ & belluinæ, hinc majori & validiori vi prædicationis vocandæ & quasi compellendæ fuêre ad salutem, nimirum per miracula, per spiritum ardentem, per plagas etiam & vindictas à DEO subinde immissas, *in ostensione spiritûs & virtutis*, ait Paulus 1. Cor. 2. 4. & 1. Thessal. 1. 5. *Evangelium nostrum*, ait, *non fuit ad vos in sermone tantùm, sed & in virtute & Spiritu Sancto, & in plenitudine multa.*

V. Quid indicat parabola *turris, belli & salis?* R. indicat imò, quod nam sit officium proborum Discipulorum Christi, nempe ædificare tum in se, tum in aliis turrim perfectionis: bellum implacabile Satanæ, mundo, carni indicere: & instar salis omnia condire, purgare, à corruptione præservare. Idò non temerè non leviter, deligendum vitæ statum etiam perfectionis, & maximè curam salutis alienæ; sed cautè & providè prætentandum robur tum corporis, tum animi, an par futurus sit ferendis non modò laboribus, sed & periculis ibi occurrentibus: ne si justo debilior sit, hosti vel cum damno succumbat, vel cum ignominia cedere cogatur.

CAPUT XV.

Parabolis de centesima ove perdita, de drachma reperta, de prodigo filio ad frugem reducto declarat, quàm grata, quàm lata DEO & Angelis accidat conversio peccatoris.

Quæst. I.

QUæstio I. *Quomodo Angelis gaudium erit super uno peccatore?* R. Gaudium Angelorum, quod ex Divino intuitu percipiunt, idem semper, constans ac immotum manet, gaudia verò alia ex rebus, quæ accidunt, nova adveniunt Siquidem de Angelo humano modo loquamur, non est difficile intelligere, quomodo de inopina peccatorum pœnitentia gaudeant, Rei enim desideratæ novitas ingens, novumq; ciet gaudium, quod ob sui novitatem magis sentitur, uti experimur, cùm novi victoriarum & conversionum nuncii afferuntur. Tunc enim exultamus & exilimus novo mentis jubilo. Majus est hoc actualiter & sensibiliter, ait Emmanuel Sa. Nam alioqui magis gaudere hominem de 99 ovibus, quàm de una, ac Deum de 99. justis, quàm de uno pœnitente, dubitare non licet. Addit S. Greg. magis gaudere Deum & Angelos, eò quòd pœnitentes soleant esse ferventiores innocentibus. *Plerumq;*, inquit, *gratior est DEO fervens post culpam vita, quàm securitate torpens innocentia.* *Angelorum gaudium accidentale.*

II. *Quid denotat parabola filij prodigi?* R. Parabola hæc tres personas continet, scil. Patrem & duos filios, senior boni frugis erat, junior autem prodigus. Pater est Deus, qui omnes creavit, aut Christus homo, qui omnes suo sangvine redemit, & regeneravit, in diesq; regenerat in baptismo. Duo filii à Sanctis Greg. Hieron. Aug. & aliis passim intelliguntur Judæi & Gentiles. Senior, qui semper cum Patre mansit, notat Judæos, qui semper Deo, ejusq; cultui adhæserunt. Junior notat Gentiles, qui à Deo, quem tempore Adæ & Noæ coluerant, desciverunt ad idola & vitia carnis, nec ineptè: nam Judæis propriè convenit murmur, de Gentilibus ad fidem & gratiam per Christum receptis v. 15 Aptiùs tamen ad scopum Christi, duo filii significant justos & peccatores, sive illi Judæi sint sive Gentiles: nam peccatores cum quibus Christus in Judæa versabatur cum murmure Pharisæorum erant Judæi non Gentiles, ut patet. Senior filius notat justos, hoc est tam eos, qui revera erant justi, quàm eos, qui se justos æstimabant, quales erant Scribæ & Pharisæi. Junior filius prodigus notat peccatores manifestos & publicos, putà publicanos & meretrices, cum quibus Christus comedebat, ut eos lucrifaceret. Ita passim interpretes. *Filij prodigi parabola.*

CAPUT XVI.

Christus Discipulos hortatur ad studium beneficentiæ & bonorum operum per duas parabolas; Prima est villici iniqui. Secunda divitis epulonis.

QUæstio I. *Cur dicitur Mammona iniquitatis?* R. Mammona iniquitatis vocantur divitiæ per nefas partæ; vel quòd iniqui eas divitias esse arbitrantur, non justi; vel quòd iniquitas est abundare alios, alios egere, vel deniq; quòd homines faciat iniquos. *Dives omnis iniquus est, vel iniqui hæres est.* Opes autem sunt irritamenta malorum. *Mammonæ iniquitatis.*

II. *Quomodo pauperes recipiant in æterna tabernacula?* R. Preces pauperum conferunt vitam æternam, non eo modo quo Deus, sed alio, nempe intercedendo. Nam vitam æternam per preces alicui, non est eo modo conferre, quo Deus solus confert. Preces enim Deum esse & conferre vitam docent. Quisquis enim Deum precatur, infra Deum se collocat, ut periculum non sit, ne honori Dei detrahatur, quod precibus tribuitur. Itaq; etiam ipsi recipiunt, quia misericordia illis tamquam Dei famulis præstita, remunerationem habet. Quamvis Christus hìc de pauperibus loquitur ut beatis, nec merita eorum nos examinare, sed miseriæ succurrere docet. S. Aug. *Pauperes recipiunt in cœlum.*

III. An ex verbis illis, *facite vobis amicos &c.* bona opera probentur? R. clariùs nihil pro operum necessitate dici potest, quàm hoc loco habet Irenæus l. 4. c. 49. Cum bene enim facientibus, ait, habitat Deus, quemadmodum Dominus ait: *facite vobis amicos de mammona iniquitatis*, ut hi, quando fugati fueritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Quæcumq; enim cùm essemus Ethnici, de injustitia acquisivimus, hæc cùm credidemus, in Dominicas utilitates convertentes, justificamur.] *Opera bona necessaria.*

IV. *Cur altum hominibus est abominatio apud DEum?* R. Causa redditur, cur justi illi non sint coram DEO, qui hominibus justi videntur, homines specie justitiæ deludantur, & affinia virtutibus vitia pro veris virtutibus habent. Deus è contrario & vitia odit, si sola sint, etsi insuper hypocrisi fucata sint, magis aborminatur, quia corda novit. Nihil enim acerbiùs est simulatione justitiæ, cùm iniquè vivitur. Excelsum hominibus erat, vita Pharisæorum, doctrinaq;: legem eos accuratè observare existimabant, ipsa sanctimonia se singulari venditabant; hæc omnia, quia interna animorum hypocrisi, avaritia, ambitione vitiata erat, Deus abominatur.

V. *Quomodo* v. 24. *anima epulonis separata à corpore dicitur habere lingvam, æquè ac anima Lazari digitum, atq; sitit ardetq;, ac sitim digito Lazari per aquam relevari postulat?* R. Christum loqui parabolicè de epulone quasi corpus & membra haberet, cùm tamen solâ animâ mersus sit in infernum: voluit enim Christus integra supplicia & præmia

mia hominum, quæ post diem judicii habituri sunt, ob oculos ponere, præsertim quia animæ supplicia non ita agnoscimus, nisi per supplicia corporis. Adde, voluit Christus congruam significare pœnam epulonis, scil. eum, qui lingvâ delicatâ peccârat, lingvâ pariter puniri. Deniq; ignis gehennæ virtute Divina sicut adurit Dœmones, sic & animas hominum, ut fusè docet S. Greg. 4. Dialog. c. 28. & seqq.

VI. *Quomodo potest hic dives damnatus optare salutem fratrum?* R. Epulonem non tam fratribus, quàm sibi voluisse consulere: malum enim fratrum æstimabat suum. Nam damnatio fratrum ejus damnationem & tormenta auxisset, utpote qui eis epulationis fuerat occasio & causa. Ita S. Greg. Lyran. & alii.

Epulo quomodo vidit Lazarum.

VII. *An dives Lazarum videat?* R. Vidit eum oculis intelligentiæ, seu visionis intellectualis, quali Angeli corpora & spiritus intuentur. Qua ex re discimus beatorum gloriam à damnatis, & damnatorum pœnas à beatis videri; quamvis enim Abraham & filii ejus nondum gloriâ donati essent, rationi tamen consentaneum est, non celari cœlites, Dei visione donatos, quod patebat eis, qui ad eam aspirabant.

Epulo petit pœnæ levationem.

VIII. *Quomodo epulo petiit pœnæ qualemcunq; levationem, cùm certò sciret, nec liberari se posse, nec dolorum acerbitatem minui?* R. dent aliqui Christi propositum fuisse ostendere divitem eguisse pauperis auxilio, nihil tamen consecutum, negari guttam ei, qui negavit micam. Ast difficilis est ratio, sivè verè petivit, sivè parabolicè res narratur. Si verè ad refrigerium guttulam rogavit? spes ergo nonnulla fuit consequendi, homo enim improbus nunquam rogaret inimicum, quod sciret non posse concedi. Si parabola est, non multò est minor difficultas. Non enim quod fieri non solet, nec potest, in parabola recensetur. Parabola enim ex illis sumitur, quæ fieri possunt, Parabolicè illa dici existimo. Nec enim tantùm parabola illarum esterum, quæ fieri solent, sed etiam quæ ad aliarum, quæ fiunt, similitudinem finguntur, ut cùm ligna eunt super se ungere regem. Hic igitur affectus animæ damnatæ exprimitur, quæ optaret vel unâ guttulâ lingvam refrigerari, utinam, dicit, intra se, vel digiti extremum intingat in aquam, & refrigeret lingvam meam. utinam saltem ne fratres huc veniant: his cogitationibus respondet Abraham, fili recordare. Posset fortasse & illud dici, damnatos posse aliquid à DEO petere, & aliquando impetrare, nam Dœmones cùm rogant, ut sinantur ire in porcos, idipsum obtinent. Non ergo mirum est & hunc aliquid sperâsse. Aliquam in pœna mutationem; necdum enim cognoverat, id fieri Deum nolle.

CAPUT XVII.

Væ scandalizanti pusillos: peccanti in nos ignoscendum: quanta fidei efficacia: nos esse servos inutiles. Mundatis decem leprosis, non nisi unus, & hic Samaritanus; gratias redit acturus. Adventus Christi ad judicium qualis futurus.

De his habet Matt. c. 18. v. 7. & 21. & Matt. c. 17. 19. Matt. 24. v. 25. & seq.

Servi inutiles.

QUæstio I. *An hæretici ex verbis illis* v. 10. *Cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis: dicite servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.* Christi servos nihil mereri, imò nihil boni facere, cùm nihil utilitatis afferant? R. perperam. Christus solùm monet, ut quisq; fidelis seipsum vocet servum inutilem, ad vitandam vanam gloriam, & ad majus humilitatis incrementum, æquè ac meritum. Ipse autem Christus dicit Matt. 25. 23. *Euge serve bone & fidelis &c.*

Leprosi ad Sacerdotes mittuntur.

II. *Cur leprosos ad sacerdotes misit Christus?* R. imò ad honorem & observantiam ordinis sacerdotalis. 2dò, quia lex jubebat leprosos, si sanarentur, ostendere se Sacerdotibus, ut per eos restituerentur urbi & templo, & convictui hominum Lev. 24. 3tiò, ut probaret leprosorum fidem & obedientiam; sciebant enim ipsi se esse leprosos, nec à Sacerdotibus posse curari, sed tantùm declarari lepram. Vadunt tamen ad eos jussit Christi, certò sibi persvadentes, se hac ratione à Christo curandos esse, antequam ad Sacerdotes pervenirent. Nisi enim hoc sibi persvasissent, utiq; ad Sacerdotes non iviissent; ibant enim ut ab eis declararentur à lepra esse mundati. 4tò, ut Christus Sacerdotes faceret testes miraculi sanationis à se facti, ut ipsi ex eo illum esse Christum agnoscerent.

Regnum DEI.

III. *Quod vocatur regnum DEI* v. 20.? R. Non idem vocatur regnum DEI à Pharisæis & à Christo. Regnum DEI illi imaginabantur regnum Messiæ felix, potens, augustum, quo regum exterorum servitio liberati, universo tandem orbi dominarentur. Regnum DEI opponunt quatuor Monarchiis Dan. 7. Regnum æternum, regnum quod non finietur. Christus regnum DEI vocat Evangelii prædicationem à se inceptam & continuatam. Ecce, inquit, regnum DEI intra vos est. Aliud autem regnum non erat, non externum, non aliud privatum.

IV. *Quo sensu dicitur: Non venit regnum DEI cum observatione* v. 20.? R. Cum

prævio

prævio apparatu, nec cum pompa externa militum, equorum, currûum, ut ex illa ipsum observare & certò præscire possitis, sicut regem certò adesse scitis, dum videtis prævium ejus comitatum, cum quali vos regnum Messiæ venturum putatis, & jam quasi proximum observatis. Non poterit observari, ait Glossa, quia non est corporale, ut putatis, sed spirituale, quod jam incepit.

V. Quomodo *regnum DEI intra vos est* v. 21.? ℟. Ego rex & Messias vester in medio vestri versor: & id per quod intra vos regnare decrevi, nempe fides, gratia & alia supernaturalia ac cœlestia bona, quæ vobis communicaturus veni, non extra vos visibilia, sed intra vos invisibilia latent in anima vestra. An ergo Ecclesia Christi, ut fingunt hæretici est invisibilis? Nequaquam, nam licet anima lateat, & quæ in anima sunt, putà fides, gratia &c. non latet tamen corpus & functiones, quæ exteriùs per corpus exercentur, putà professio externa fidei sub Christo, & vicario Christi, qua facile toti orbi innotescit.

VI. *Quo sensu dicitur* v. 22. *Venient dies, quando desidere is* (desiderabitis) *videre unum diem filii hominis?* ℟. Quo scil. vobiscum converser ut nunc, & quo me videre, consulere, & à me solatium haurire possitis in tribulationibus, quæ vobis supervenient, inquit Theophyl. & Euthymius. Dicit hoc Christus, tum ut prænuntiet persecutiones, & difficultates eis obventuras, ut contra eas se obarment, ne ex inopinato earum incursu percellantur, & animo cadant, vel à fide excidant: tum ut doceat ad regnum gloriæ non nisi per tribulationes iri, tum deniq; ut moneat studiosè eos audire, & notare omnia sua dicta & facta, dum præsentiâ ipsius fruuntur; utpote quam brevi non sint habituri, & frustra desideraturi.

CAPUT XVIII.

Parabola judicis iniqui & viduæ ipsi importunæ docet perseverandum in oratione: parabola verò Pharisæi & publicani, quomodo sit orandum: parvulorum esse regnum DEI: omnia relinquenda, siquis perfectus esse velit, & quanta illi præmia. Mortem suam Christus Discipulis prædicit, & cæco lumen restituit.

QUæstio I. Quomodo *semper* orandum? ℟. Semper non significat temporis continuationem, (ut Euchitæ volebant) quia sic impossibile est semper orare: sed constantiam & perseverantiam in orando, donec exaudiamur. Ratio est, quia tot incurrunt quotidie difficultates & ærumnæ, ut tota vita hominis videatur esse tentatio & militia; quare cùm homo sit infirmus & impotens ad eas superandas, debet auxilium & robur per orationem assiduam poscere à Deo ne succumbat. Unde tota quasi vita Christianis debet esse oratio. *Orandum semper.*

II. *Quo tendit parabola Judicis?* ℟. Judici non comparat Deum, sed argumentum ducit à dissimili, seu à minore. Judex impius, crudelis, impudens viduam tuetur, victo per importunas preces rigore, annon Deus vindicabit amicos & electos suos? Judex adeo improbus, qui nec erat *timens DEum*, seu *non timens à DEO*, ùt habet Syrus, & à filiis hominis. ille inquam ferus & atrox à vidua vincitur, nonne magis ipsa bonitas suos audiet?

III. *An Pharisæus oraverit?* ℟. Videtur non orare, sed seipsum laudare, & sanè vera oratio non est, sed jactatio. Aug. negat in ejus verbis inveniri, quid rogaverit Deum. Orationem tamen veram imitatur, nam gratias agere se DEO simulat. Gratiarum actio oratio est. Sed hic ne vera quidem gratiarum actio est. Excusabilis videtur, quod bonorum suorum authorem Deum agnoscat, multis tamen modis delinquit. Neq; enim peccatorum suorum meminit, nec veniam petit. Greg. l. 23. Moral. c. 7. quatuor species Pharisaicæ superbiæ recenset. *Quatuor quippe sunt species*, quibus omnis tumor arrogantium demonstratur, cùm bonum aut à semetipsis habere se æstimant, aut si sibi datum desuper credunt, pro suis se hoc accepisse meritis putant, aut certè cùm jactant se habere, quod non habent, aut despectis cæteris, singulariter videri appetunt habere, quod habent. Unde & Pharisæus idcirco de templo absq; justificatione descendit, quia bonorum operum meritum sibi quasi singulariter tribuens, oranti *publicano se prætulit.*

CAPUT XIX.

Publicanorum Principem Zachæum convertit: parabolam de minis proponit: Jerosolymam triumphabundus ingreditur, flens illius excidium prædicit, & vendentes expellit è templo.

Zachæus dimidium bonorum dat pauperibus.

QUæstio I. *Cur Zachæus dimidium bonorum suorum dat pauperibus?* R. Non est ostentationis oratio, sed sincera conversionis professio, in auribus enim DEI sic loquitur, dare & reddere se dicit, quia propositum habebat reddendi, & jamjamq; omnia sic disponebat. Fecit hoc ut peccata eleemosynis redimeret, ut misericordiam impetraret ipse misericors. *Sicut lavacro aquæ salutaris*, inquit Cyprian. de opere & eleemosynis, *gehennæ ignis exstingvitur, ita eleemosynis & operibus justis delictorum flamma sopitur.* Non quòd peccatorem eleemosynæ justificent, sed quòd ante justitiam sint dispositiones, post justitiam infusam eam augeant, & pœnas temporales minuant aut tollant. Vide Dan. 4. Zachæus ergo dimidia parte data pauperibus, & fraudatis quadruplum, ostendit præcipuam bonorum suorum partem legitimo se titulo possidere, etsi enim quædam cum aliorum detrimento quæsivit, non tamen nisi pauca fuêre respectu aliorum: quamvis conditionatè loquens, non videatur fraudis ullius sibi conscius.

Zachæus filius Abrahæ.

II. *Quomodo Zachæus dicitur filius Abrahæ?* R. Quia imitatus est fidem, justitiam & sanctitatem Abrahæ: bona enim sua partiendo, ait Beda, pauperibus reliquit, ut ille terram & domum paternam. Bene Chrysost. hom. de Zachæo. Zachæus totum quod habuit, obtulit, qui patrimonii partem reddendis fraudibus reservavit: sed Abraham Domino filium, Zachæus substantiam obtulit. Ille hæredem, hic hæreditatem donavit; ille immolandum solum quod habuit pignus exhibuit, hic patrimonii substantiam immolavit. Unde rectè Abrahæ filius nuncupatur, dum ordinem gloriæ paternæ exequitur.] Rursum Zachæus fuit filius Abrahæ, quia Judæus & ex Abraham prognatus, quasi Christus Pharisæis murmurantibus, quod ad Zachæum publicanum divertisset, respondeat dicatq;: Non est, quòd idcirco murmuretis, quia Zachæus est Israëlita, & in Abraham Patriarcha & patre suo jus proximum habet ad Messiam & salutem. Quare à me Messia, quia publicanus, negligi non debuit, sed quia pœnitens, suscipi & benedici.

III. *Cur Evangelium de Zachæo legit Ecclesia in templorum dedicatione?* R. imò, quia Christus in eo ait: *hodie salus domui huic facta est*, quod rectè competit Ecclesiis, cùm dedicantur: Dedicatio enim est quasi salus Ecclesiæ; per illam enim Ecclesia dedicatur ad multorum, qui in ea per prædicationem, orationem, contritionem, confessionem, & absolutionem justificandi sunt, salutem. Rursum ait Christus. *hodie in domo tua oportet me manere.* Simili enim modo Christus manet in Ecclesia dedicata per venerabile Eucharistiæ sacrificium & sacramentum. Per dedicationem enim Ecclesia fit domus Dei & habitaculum Christi. 3tiò, quia materialis Ecclesia typus est spiritualis Ecclesiæ, scilicet animæ fidelis, in qua magis habitare desiderat Christus, perinde atq; hìc ipse magis in anima, quàm in domo Zachæi commorari optabat juxta illud: *membra vestra templum sunt Spiritûs Sancti, qui est in vobis.* 1. Cor. 6. 19. & mox: *glorificate & portate DEum in corpore vestro.*

CAPUT XX.

Quæstionem Scribarum unde ipsi tanta potestas, quæstione de baptismo Joannis refellit: parabolâ perfidorum vinitorum minatur & prædicit excidium Judæis: resolvit tributum Cæsari dandum: confirmat resurrectionem mortuorum, & Messiam non solùm filium, sed & Dominum esse Davidis: deniq; cavendam esse Scribarum ambitionem, & alia vitia.

Beati æquales Angelis.

QUæstio I. *Quomodo Beati æquales sunt Angelis* v. 36.? R. Non naturâ, sed puritate, incorruptione, immortalitate, ac proinde neq; cibo, neq; nuptiis opus habent, quæ soli corruptioni arcendæ, & interitui præcavendo institutæ sunt, ad speciem (ut Philosophi loquuntur) conservandam & perpetuandam. *Hìc dicuntur uxores*, inquit S. Chrysost. in c. 22. Matt *ut nascendo suppleatur, quod moriendo minuitur; illic autem mors non erit, & consequenter nec nuptiæ*, nec uxores nec generatio.

II. Cur beati vocantur *filii resurrectionis & DEI?* R. Per resurrectionem virtute & opera solius DEI, sine ulla carnali copula renascentur, edenturq; in vitam immortalem: ac proinde non vocabuntur ibi filii hominum, sed *filii DEI*, etiam secundùm carnem sic redivivum. Sicut Adam Luc 3. v. ult vocatur filius Dei, & omnes justi, Joan. 1. v. 13. ex Deo nati dicuntur inquit Theophyl Deinde vocantur filii resurrectionis, id est, digni resurrectione; nam vox filius, cùm additur genitivo præmii aut pœnæ, apud Hebræos significat reum, dignum vel destinatum ad talem pœnam vel præmium: sic dicuntur filii mortis & gehennæ, id est, rei mortis & gehennæ. Filii regni & resurrectionis, id est, digni regno cœlesti & resurrectione beatorum.

CAPUT

CAPUT XXI.

De vidua offerente duo minuta, de ruina templi, urbis, & universi.

QUæstio I. *Cur patientia dicitur possessio animæ* v. 19.? ℟. Quia patiens dominatur animo, eumq; in pace moderatur, flectit & regit, quocunq; ei libet. Deinde quia nemo potest custodire spem futuræ vitæ, ait Aug. Nisi qui patientiam habuerit in laboribus hujus vitæ. Impatiens animam non possidet, sed possidetur à vitio iræ & vindictæ, & consequenter à Satana Porrò non alii nisi vehementer amantes, veram possunt obtinere patientiam, uti obtinuêre ferventes Martyres S Ignatius, S. Laurentius, S. Sebastianus & alii; Audi S. Greg. l. 5 Moral. c. 13. Quid est animas possidere, nisi perfectè in omnibus vivere, cunctisq; mentis motibus ex virtutis arce dominari? Qui igitur patientiam tenet, animam possidet, quia inde contra adversa omnia fortis efficitur; unde sibi & seipsum vincendo dominatur. Et quò se laudabiliter frangit, infractum se fortiter exerit; quia cùm in suis se voluptatibus superat, se se ad contraria invictum parat. *Patientia est possessio animæ.*

II. *Quid est, cadent in ore gladij* v. 24 ? ℟. in acie gladii, id est lethali morsu gladii necabuntur sine numero Judæi. Josephus l. 7. belli c. 17. scribit, solo obsidionis tempore, nempe spatio quinq; mensium mortuos in urbe Judæorum undecies centena millia, captos nonaginta septem millia, reliquos per orbem dispersos.

III. Quo sensu dicitur v. 24. *Jerusalem calcabitur à Gentilibus, donec impleantur tempora nationum?* ℟. A populo Gentili Judæis tantopere exoso calcabitur, partim metaphoricè, subjugando illam & profanando: partim realiter & physicè possidendo & inhabitando; *donec impleantur*, id est, consummentur & finiantur *tempora nationum*, seu Gentium, seu tempora quibus Deus decrevit, Gentes varias vicissim dominari Judææ & terræ sanctæ: seu (ut Beda) tempora, quæ Gentium ad fidem convertendarum saluti, & Judæorum per illas ultioni præconstituit Deus, id est, usq; ad finem mundi: nam teste Daniele, *usq; ad consummationem & finem perseverabit desolatio.* Nunquam enim permittet Deus Jerosolymam restitui pristino splendori, nisi postquam *plenitudo Gentium* Rom 11. 25. *intraverit* in Ecclesiam Christi, nempe sub finem mundi, quando ab Antichristo instaurari incipiet, qui suam istic sedem & thronum figet totius jam orbis monarcha.

CAPUT XXII.

Describit Judæ proditionem, mox ultimam Christi cœnam, in eaq; Eucharistiæ institutionem, ac contentionem Apostolorum de primatu à Christo repressam, ac negatione Petri à Christo prædictam. Postea inchoat passionem Christi, narrat enim ejus orationem, & sudorem sanguineum in horto, Petri defensionem, & mox negationem, Christi alapas, illusiones, ac deniq; condemnationem ejusdem.

QUæstio I. *An Sacramentarii non impingant calumniam Papistis, dum dicunt eos velle superiores & potentiores esse Christo, utpote cujus corpus & sanguinem creent, seu de novo producant in Eucharistia?* ℟. Impingunt. Neq; enim Sacerdotes sunt, qui de novo producunt corpus Christi, sed Christus ipse ad prolationem verborum ore Sacerdotum producit illud Divina sua virtute. Sicut ad prolationem verborum B. Virginis: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum,* Deus ipsum illud idem corpus Christi Divina sua virtute in utero ejusdem primùm efformavit.

II. *An non defecerit fides Petri?* ℟. Orâsse pro perseverantia Petri in fide se Christus affirmat, exauditum res ipsa clamat, & præsens promissio v. 32. Cribratus est, turbatus, negavit, pejeravit, non est amissâ tamen fides, sed fidei confessio. Cùm autem fides Petri non in eo modò, ut Ecclesiam doceat, sed in omnibus Successoribus necessaria, non pro solo Petro, sed omnibus, quatenus Ecclesiæ præsides sunt, Petri successoribus oravit. Firmata igitur de fide, non de carne Petri Ecclesia, non enim cum Petro morientе est emortua fides. Nam ad successores transiit promissio gratiæ, ad quos onus officii devolutum est. Hinc etiam clarum est; Pontificem agentem de articulis fidei, convocato concilio, & debitâ diligentiâ adhibitâ errare non posse. Fides enim ejus non deficiet. Filius enim Dei repulsam passus non est.

CAPUT XXIII.

Prosequitur Christi passionem, narratq; Judæorum contra eum accusationem, Herodis illusionem, Pilati flagellationem, condemnationem, crucifixionem, Josephi sepulturam.

QUæstio I. *An Christus flere vetuerit* v. 28.? R. Dubium non est, quin gratæ fuerint Christo lacrymæ, quæ sincerè amantium, & de injusta cæde dolentium erant. Signa erant fidei & amoris, quibus & Christi innocentiam, & Principum suorum crudelitatem detestabantur. Non igitur fletum mulierum prohibebat tanquam malum, sed majorem causam lugendi illis aperit, nempe ut se ipsas & filios suos defleant, qui jam ipsis extra periculum esse videbantur. Plus mali ex morte innocentis ad auctores, quàm ad occisum redundat.

Fides latronis.

II *Quas virtutes latro bonus in cruce exercuit?* R. Fidem habuit, credidit enim cùm Christum cruci affixum videret, esse tamen eum Redemptorem mundi, regem alterius vitæ, Messiam. Fidem suam professus est. Nempe Deum timendum, jure se pati crucem, Christum innocentem esse, regem esse, se ab eo posse salvari. Itaq; ex cruce advocatum

Spes.

Christi egit, cùm eum omnes deseruerunt. Nihil, inquit, mali egit. Speravit etiam à Christo salutem, ideo enim orat, ut sui meminerit, cùm venerit in regnum suum: spes enim orationis fundamentum est. Hæc præstitit, cùm tempus maximè alienum videretur, cùm nutarent Apostoli, Petrus negâsset. Magna itaq; consolatione fideles astantes & lugentes affecit, cùm latronem confitentem, Pharisæos damnantem, & Christum illi paradisi gaudia promittentem audirent. Charitatem etiam demonstravit, dum Christi in-

Charitas.

nocentis dolore movetur, dum socium sincera dilectione reprehendit, & ad timorem Dei adhortatur, quasi admiratus, eum cùm jam præ foribus æternæ pœnæ essent, præsentes urgerent, non timere Deum. Mortis enim propinquæ formidine etiam obduratorum conscientiæ solent percelli, sed hic quoq; contra omnia pervicax blasphemabat.

Latronis conversio.

III. *Quâ ratione fuit conversus?* R. Exteriùs per exempla virtutum, quæ in Christo cernebat, eximiæ scil. charitatis, qua illum pro inimicis orantem audierat, patientiæ, fortitudinis, modestiæ, religionis ac virtutum omnium. Ita Theophyl. hìc. Interiùs verò per raram & miraculosam Dei motionem & illustrationem, qua cognovit Christum esse innocentem, & altioris regni regem, & supremum Dominum, in cujus potestate esset hominem etiam mortuum beare: quare ipsum esse Messiam Dei filium & Salvatorem mundi. Ita S. Leo de Passione serm. 2. Quæ, inquit istam fidem exhortatio persvasit, quæ doctrina imbuit, quis prædicator accendit? Non viderat priùs acta miracula, cessaverat tunc langventium curatio, cœcorum illuminatio, vivificatio mortuorum; ea ipsa, quæ mox erant gerenda, non aderant: & tamen Dominum confitetur & Regem, quem videt supplicii sui esse consortem. Inde ergo oriebatur hoc donum, unde accepit fides ipsa responsum.

Latro futurus in paradiso.

IV. *In quo paradiso dicitur futurus* v. 43 ? R. Non terrestri Adami, non etiam cœlesti, vel in cœlo empyreo, sed generaliter in loco voluptatis, putà in consortio tot myriadum Sanctorum Patrum, & in clara visione Dei, quæ intuitu mortis Christi, statim atq; exspiravit, concessa est omnibus in limbo; quare tunc Christus rerum sortes mutavit: fecit enim ut limbus esset paradisus, ut inferi essent superi, ut infernus esset cœlum; ubi enim est Christus, ibi est paradisus, ubi visio Dei & beatitudo, ibi est cœlum.

Latro martyr.

V. *An latro hic fuerit Martyr?* R. S. Cyprianus & Aug. vocant Martyrem & baptismo sangvinis ablutum. Martyrem, inquam, ob liberam Christi confessionem, & mortis pro ea (saltem ex præparatione animi) constantem tolerantiam. Nonnulli hanc rationem Martyrii ejus probabilem asserunt; scil. Judæos audientes ejus confessionem Christi, qua ipsorum facta, & condemnationem Christi damnabat, ira & furore percitos in illum sæviisse, ac immaniter crura confregisse, ùt habent Evangelistæ, itaq; mortem ipsi acerbiorem reddidisse, eamq; accelerâsse, ac proinde Martyrem effecisse.

CAPUT XXIV.

Christus resurgens apparet piis fœminis, duobus discipulis euntibus in Emmaus. 12. Apostolis in cœnaculo Jerusalem. Deinde ascendit in cœlum.

Christus non agnitus à duobus Discipulis.

QUæstio I. *Cur duo Discipuli non agnoscebant Christum* v. 16.? R. Christus vel non sinebat corpus suum glorioſum species, quales oportebat, sed tantùm quales ipse volebat (v. g. viatoris incogniti & perigrini) emittere: vel medium ipsum àerem immutabat (ut fit per specula) vel certè ipsum organum visûs aut phantasiam ipsorum cohibuit, quò minùs agnosceretur. Unde v. 31. dicuntur *oculi eorum aperti.* Idem dico de auditu: nam potuit facillimè vocis sonus immutari, inquit S. Thomas.

II *An Christus fingendo se longiùs ire sit mentitus?* R. Minimè, quia reverà longiùs iviſſet, casu quo eum non detinuissent: & jam ad longiùs procedendum se componebat, idq; ut ipsi hac occasione excitarentur ad hospitalitatem exercendam, & sic digni fierent, quibus se patefaceret. Et quia hoc eos facturos præsciebat, hinc solùm hypotheticè,

non

non verò absolutè volebat longiùs ire, sed fingebat, id est, simulabat tantùm. Nec est mendacium, nisi cùm verbo vel facto quispiam id negat, quod mente concipit: Christus autem simulando peregrinitatem, & factorum ignorantiam, non aliquid contra mentem significare voluit, sed alia quædam indicare, quæ menti non repugnarent.

III. *An Christus v. 30. consecrvit & Discipulis porrexit Eucharistiam?* R. Affirmant S. Aug. Chrysost. Theophyl. & Beda. imò, quia eodem modo loquitur hîc Lucas, quo tam ipse, quàm reliqui Evangelistæ loquuntur, cùm agunt de Eucharistia. 2dò, quia non vulgaris, sed peculiaris fuit hæc benedictio & fractio panis; neq; initio mensæ, sed in medio vel fine adhibita, nam procul dubio cœnavit cum illis, ne phantasma crederetur. 3tiò, quia ex hoc ipso pane sumpto statim agnoverunt Christum. Porrò ex hac miraculosa oculorum apertione per sumptionem panis Eucharistici, colligere licet vim spiritualiter animam illuminandi. Deinde ad hunc aliosq; ejus fructus consequendos sufficere usum unius speciei: nam pane sacro porrecto, statim & innotuit ipsis, & disparuit, abscedens ab eis corpore, dum teneretur fide, inquit S. Aug. serm. 140. de temp. *Christus consecravit Eucharistiam.*

IV. *Quomodo corpus glorioſum, ſubtile & penetrabile palpari poſſit?* R. Beatis relinquitur liber usus dotis subtilitatis: unde si velint, non penetrantur, sed resistunt: vel, si non resistant, saltem per primas qualitates, & per alias tactiles (neq; enim desinunt esse ejusdem naturæ, cujus antè fuerunt, licet jam corrumpi non possint) sensum tactûs immutant, & sic sentiri & palpari possunt: sin nolunt, non possunt.

V. *An palpatio, locutio, eſus, potus, converſatio cum Apoſtolis fuerint infallibile ſignum reſurrectionis Chriſti?* R. Se solis non fuerunt infallibile signum: nam & Angeli in assumptis aëreis corporibus palpati fuerunt à Lot Gen. 19. Abrahamo Gen. 18. & aliis. Fuerunt tamen infallibile signum, quatenus juncta erant claris verbis & miraculis Christi, quibus resurrectionem suam ex professo stabiliebat, & quibus nulla fraudis suspicio poterat subesse. Ita ferè S. Thomas.

VI. *Quomodo Chriſtus manducavit* v. 43.? R. Non apparenter tantùm, ùt olim Angeli quidam, sed realiter & vera actione vitali absumebat apposita, non tamen convertebat illa in substantiam suam, ùt vult Durandus & Waldensis; sed post masticationem vel trajectionem in ventriculum convertebat omnia in aërem, & sic evanescere faciebat. ut probat Suarez 2. p. tom. 1. disp. 47. sect. 5.

EVANGELIVM SECVNDVM JOANNEM.

JOANNES Filius Zebedei & Salomes, frater Jacobi majoris, coactus ab Episcopis Asiæ, præmissò totius Ecclesiæ jejunio, contra Cerinthum & Ebionem, negantes Christi Deitatem, scripsit anno Christi 99. post Ascensionem 66. post excidium Jerusalem 27. Nervæ Imp. primo, postquam rediisset ex Pathmo, in qua Apocalypsim scripsit.

CAPUT I.

Verbum seu filius Dei, cùm esset Deus, ante sæcula ab omni æternitate genitus ex Patre Deo homo factus est in tempore: cui testimonium perhibet Joannes Baptista Judæos ad ipsum excipiendum invitans, utpote promissum olim, & jam missum ipsis Messiam, salvatorem & redemptorem. Andreas ex Joannis discipulo fit assecla Christi, & fratrem suum Simonem ad eundem deducit, ùt & Philippus Nathanaelem.

QUæstio I. *Quid v. 1. ſignificat Principium?* R. Denotat initium durationis, qualiscunq; & quantacumq; ea duratio fuerit: ut sit sensus: Quodcunq; ponatur sive cogitetur principium durationis sive in tempore, sive in ævo, sive in æternitate, sive secundùm veritatem, sive secundùm imaginationem, vel animi nostri cogitationem, in illo ipso principio, qualecunq; statuatur, vel fingatur, reperietur, quòd jam erat Verbum, ex quo necessariò manifesteq; concluditur, Verbum esse æternum. *Principium.*

II. *Ubi erat Verbum, antequam quidquam fieret?* R. det S. Joannes, *erat apud Deum* Patrem videlicet suum. q. d. non est quærendus naturæ incorporeæ locus; nec æternæ, tempus; neq; infinitæ terminus: nusquam alibi Verbum esse poterat, nisi apud Deum, à *Verbum erat apud Deum.*

quo productum est. Deinde Verbum Divinum sic est dictum ad similitudinem humani Verbi; hoc autem si est mentale, est accidens quoddam inhærens in mente, tanquam in subjecto: si est vocale, est sonus quidam extra dicentem fluens per aëra. Ne quid igitur tale de Verbo Divino existimaretur, continuò Joannes adjunxit: *Et Verbum erat apud Deum.* id autem est: neq; Verbum erat in Deo tanquam in subjecto, neq; tanquam quid separatum, & extraneum Deo, ad hæc significatur isto loquendi modo Verbum esse naturam per se subsistentem, & personam Divinam: si enim non esset, non diceretur de eo, quod *erat apud Deum.* Calor non dicitur esse apud ignem, sed esse in igne; neq; ullum accidens dicitur esse subjectum, sed in subjecto.

Per Verbũ omnia facta sunt.

III. *Quid dicendum ex verbis* v. 3. OMNIA PER IPSUM FACTA SUNT? ℟. ipsum Verbum non esse factum, contra Arianos, quia sic factum esset per se ipsum, quod implicat, cùm nihil sit prius se ipso. Nec sequitur Spiritum S esse factum per Verbum, ut Macedoniani inferebant, cum ly *Omnia* supponat pro omnibus, *quæ facta sunt:* alioquin etiam sequeretur, Patrem esse factum per Verbum. Propterea additur *factum est nihil, quod factum est;* ita ut postea sequatur nova sententia: *in ipso vita erat.* Sic enim interpungunt communiter Græci, Syri, & Arabes, & ita correcta sunt Biblia Romana.

Verbum erat apud Deum.

IV. *Quomodo Verbum erat apud Deum?* ℟. Omni modo spiritibus proprio, quo genitus apud generantem est, sive apud Patrem, à quo nascitur, seu originem ducit. Nam primò est in eodem loco, vel potiùs per idem spatium diffusum 2dò, in eadem dignitate, perfectione, imò & natura, seu essentia eadem. 3tiò, in summa conjunctione, consensu, complexu, amore.

Verbum lux hominum.

V. *Cur Verbum Dei dictum est* LUX HOMINUM? ℟. Lux manifestat res, facitq; ut eas videre & discernere possimus similiter Verbum Dei primò donat homini lumen fidei, per quod manifestantur Divina mysteria, quæ lumen rationis naturalis excedunt. Deinde Christus largitur homini gratiam, quæ est donum supernaturale, & Divinum, mira pulchritudo decorans & ornans animam hominis, faciensq; eam Deo gratam & amabilem. Quamobrem sacra scriptura gratiam propter decorem & pulchritudinem, quam præstat animæ nostræ sæpe appellat nomine lucis Ad hæc Christus homini tribuit charitatem, & alias virtutes infusas, per quas homo facit bona opera Deoq; accepta, & præmiis æternis digna. Ideo cùm virtutes, tum maximè charitas lux in Divinis literis nominari solet.

Tenebræ.

VI. *Quid per tenebras intelligitur* v. 5.? ℟ Homines peccatores, præcipuè perfidi Judæi, quibus Verbum Caro factum præcipuè luxit, ipsi verò ejus lucem repudiârunt & abjecerunt. Aliis verbis id explicat Joannes: *in propria venit & sui eum non receperunt.* Quin etiam c. 12 ad Judæos pertinere affirmat verba illa Isa: 6. *Excæca cor populi hujus &c.*

Christus luxit Judæis.

Quinq; porrò modis luxit Christus Judæis: per cœlestis doctrinæ salutiferam prædicationem: per clarissima virtutum exempla & sanctitatis vitæ: per effectionem supernaturalium operum & miraculorum: per impletionem veterum prophetiarum, quæ de ipso Christo in veteri testamento erant: per testificationem Joannis Baptistæ, aliorumq; Judæorum insigni justitia ac pietate præstantium; quibus adjungi potest ipsorum etiam Dæmonum testimonium de Christo Domino

Lux non illuminavit tenebras.

VII. *Si lux lucet in tenebris, quomodo tenebræ non sunt illuminatæ?* ℟. Si corpus aliquod opacum sit in media luce, extrinsecus quidem secundùm externam superficiem illustratur, intrinsecus tamen lucem non admittit, quia lucis, nisi corpus diaphanum, capax non est. Si quis item cœcus sit, vel clausos habeat oculos, quamvis multa sit luce circumfusus, lucem tamen nullatenus cernit. Similiter homo peccator, licet Divina luce perfusus sit, attamen propter interiorem quandam animi opacitatem & cordis cœcitatem ex diuturno peccati usu contractam atq; inolitam, Divinæ veritatis & gratiæ lucem haud quaquam comprehendit De Judæis ait S Joan. c 12 *Cùm tanta Christus signa fecisset coram eis, non credebant in eum.* Similiter Moyses Deut. 29. *Vos vidistis universa, quæ fecit Dominus coram vobis in terra Ægypti; signa & portenta ingentia: & non dedit vobis Dominus cor intelligens, & oculos videntes, & aures, quæ possint audire, usq; ad præsentem diem.*

Lux illuminat omnem hominem.

VIII. *Quomodo intelligendum est illud:* ILLUMINAT OMNEM HOMINEM VENIENTEM IN HUNC MUNDUM, cùm multi homines non habeant in se lumen, sive illuminationem Dei? ℟. Illuminat omnem hominem, quantum in ipso Deo est. Si homo lumen Divinum non accipit, non luminis defectu, sed culpâ homnis id accidit: quia lumen fidei & gratiæ à Christo oblatum nolunt recipere. Sicut sol illuminat omnes, qui in domo sunt, quantum est ex parte sua; sed si quis feneſtram claudat, impediet, ne sol illam illuminet, hæc ipsius erit culpa non solis; alludit enim ad solem, qui totum mundum illuminat. Unde ad illud impiorum Sap 5. *Justitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis,* respondetur, Divinum lumen lucere omnibus, quia omnibus propositum & oblatum est, & sufficiens est illuminare hominem: verùm quod attinet ad effica-

efficaciam illuminandi, & ad principalem effectum Divinæ illuminationis, qui est liberatio à peccatis, & reductio hominis ad Deum, & deniq; consecutio vitæ æternæ; hac, inquam, ratione, non omnis homo illuminatur à Deo; sed id contingit, ut dixi, non defectu illuminionis Divinæ, sed hominis culpâ.

IX. *Quæ sunt hæreses circa verba S. Joannis:* VERBUM CARO FACTUM EST? R. imò, Arrius putavit Verbum nihil assumpsisse de natura humana, nisi nudam carnem, carentem anima. Sed non advertit Joannem posuisse nomen carnis pro toto homine, secundùm phrasim in Sacra Scriptura frequentatam. Quòd autem post Verbi incarnationem fuerit in Christo anima distincta à Verbo, & à carne patet, hoc enim ostendunt illa Domini verba: *Tristis est anima mea usq; ad mortem.* Et illa: *Potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam.* Apollinaris dixit, Verbum assumpsisse carnem cum anima vegetativa & sensitiva, sed sine anima rationali, cujus vicem supplevit ipsum Verbum Dei. Sed si animam rationalem non habuisset Christus, verè non fuisset homo, nec fuisset obediens Deo Patri, nec meruisset vel redemptionem generis humani, vel exaltationem sui nominis: neq; crevisset in gratia & sapientia, ùt de eo scripsit Lucas: hæc enim omnia, quæ de Christo dicuntur in Evangelio, sine anima rationali consistere haud quaquam possunt. Præterea Verbum non potuit carni præstare vim animæ rationalis, quæ est pars & forma hominis: Deus enim supplere non potest immediatè vicem causæ materialis & formalis; id enim continet imperfectionem, Divinæ perfectioni contrariam. Nestorius negavit, Verbum esse factum carnem, sive hominem substantialiter, sed tantùm accidentaliter. Dixit enim duas esse in Christo personas, & personam Verbi & personam illius hominis, unitas inter se arctissimo charitatis vinculo, & summa conformitate voluntatis humanæ cum Divina voluntate. Hic error damnatus est in Concilio Ephesino. Et contra eum facit illud S. Joannis 1. ep. c. 4. *Omnis spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est.* Dixit, *qui solvit Jesum* in eos, qui dividunt in Christo personam Divinam & humanam; & unionem naturæ Divinæ cum humana substantialem atq; personalem tollunt. Eutyches confundebat naturas, dicens, per incarnationem Verbi fuisse invicem mixtas & conversas in unam quandam tertiam substantiam. Damnatus est hic error in Concilio Chalcedonensi. Sanè, talis commixtio & conversio repugnat immutabilitati Deitatis Verbi: & post incarnationem evidenter & distinctè apparuerunt in Christo propriæ operationes divinitatis & humanitatis. Plures hæreses in hac materia vide apud Pererium hic.

Hæreses circa verba: Verbum Caro factum est.

X. *Quid significat gratiam pro gratia* v. 16.? R. Propter gratiam, quæ fuit Christo naturaliter debita, nos quoq; gratiam accepimus gratuitò, ut simus filii Dei adoptivi, sicut ille est naturalis. Voluit Deus Christum constituere quasi fontem communem gratiæ, ex quo omnis gratia ad fideles defluereret; ut Christo debeamus omnem gratiam & salutem acceptam ferre, illiq; juges & immensas gratias agere. Propter Christum enim sibi gratissimum & dilectissimum, quasi mediatorem, Deus nos sibi reconciliavit, suaq; gratiâ & amicitiâ donavit, juxta illud: *Hic est filius meus, in quo mihi bene complacui,* ut nemo nisi per ipsum mihi placere possit. ita Vatab. & alii. Hinc patet nos à Christo accipere gratiam eandem, quam ipse in se habet: eandem, inquam specie, non tamen numero (licet id quidam opinati sint) hoc enim est indecens & impossibile juxta legem ordinariam.

Gratia pro gratia.

XI. *Quid est, Deum nemo vidit unquam* v. 18.? R. Essentiam Dei, ùt in se est, & subsistit in tribus personis, nemo vidit unquam mortalium, nemo Prophetarum, ne Moses quidem. Solus Christus unigenitus Dei Filius, qui ab æterno & continuò est in sinu & gremio Patris, ut omnia mysteria ibi vidit, ita etiam potuit nobis enarrare. q. d. Nullus præcedentium Prophetarum penetravit secreta Divini concilii, unde nihil mirum, si veritatem summorum mysteriorum nobis revelare nemo potuerit. Uni enim Filio Dei id concessum.

Deum nemo vidit unquam.

CAPUT II.

In nuptiis Canæ Galilææ Jesus aquam convertit in vinum: Jerosolymæ mercatores expellit è templo: templum corporis sui solvendum à Judæis prædicit, sed tertio die à se rursus excitandum. Multi visis ejus miraculis credunt in eum, quibus tamen ipse se non credit.

QUæstio I. *An Matrem Christus reprehendat illis verbis:* QUID MIHI ET TIBI EST MULIER? R. Si in ea culpa fuit, reprehensam esse, mirum non est: si nihil delicti admisit, species reprehensionis esse poterit, nulla autem reprehensio. Neq; enim Divinæ justitiæ est, non culpanda reprehendere. Nullum in ejus petitione peccatum, nisi suspicione mera inveniri potest, ùt Cyrillus docet. Petere enim vinum pro convivis malum non fuit, siquidem nec dare malum fuit. Malo autem animo Virgi-

Reprehensio nulla, ubi nulla est culpa.

nem

nem petiisse nemo potest, nisi suspicio sus, & siniſter alienæ mentis interpres judicare. Cur enim non caritatis potiùs affectu dicam Virginem rogâsse, quàm vanitatis? Deinde nihil tale in ea Christus reprehendit, cur nos suspicemur? S. Epiphan. contra hæresim 51. Cyrill. & Cajet. verba ista: *Quid mihi & tibi est mulier*, sic interpretantur: quid mea & tua interest, si vinum deficit? hæc enim cura non ad invitatos pertinet, sed sponsum & Architriclinum, à quibus ego rogari & sollicitari debeo. Nondum venit hora, exspectandum est, dum omnibus constet, quid desit, ut cognoscant, unde suppletum sit, manifestanda est mea gloria. Hoc signo Discipulorum fides confirmabitur, & satis convivis consuletur. Non igitur inter Matrem & Christum ulla est lis, Mater maturè occurrendum necessitati existimat, antequam convivis innotescat defectus, idq; benefica & amica caritate, filius hoc non culpat, sed exspectandum esse docet, donec omnibus constet, aquam in vinum mutatam esse. Hoc ita intellexisse matrem ipsa demonstrat, cùm jubet ministros facere, quidquid dixerit: illorum enim operâ & testimonio usurum sciebat. Monet autem ut impigrè pareant, causas nullas exquirendo, cur aquam ferre jubeantur, cùm vinum desit.

II. *Quæ fuit gloria illa, quam dicitur Christus per miraculum illud manifestâsse* v. 11.? ℟. Potest intelligi gloria Divinitatis, intra corporalem, & adspectabilem hominibus humanitatem ejus latentis. Vel gloria potentiæ, quam homo ille super omnes creaturas à Deo acceperat. Vel quia sic apparuit vera fuisse, quæ de ipso Joannes Baptista, & alii testificati fuerant, ipsum esse Filium Dei, & Messiam, & Salvatorem mundi, & judicem omnium, quæ res ad maximam ejus gloriam pertinebant.

Fides Discipulorum crevit.

III. *Quomodo Discipuli Christi dicuntur credidisse in Christum post illud miraculum, cùm antea jam credidissent?* ℟. Hoc tripliciter potest intelligi: Fides enim tribus modis crescit, & perficitur: imò extensivè ut plura credantur: & fortasse Discipuli illi propter illud miraculum plura de Christo crediderunt, non modò credendo eum esse Messiam, sed etiam verum Dei Filium incomparabili potentia præditum. Deinde crescit fides intensivè, quia virtus ipsa fidei augetur, quo firmiùs credatur: nam & Discipuli dixerunt Domino: *Domine adauge nobis fidem.* Et Dominus dixit Petro: *modicæ fidei quare dubitâsti.* Dixit etiam Chananææ: *ô mulier magna est fides tua.* Ad hæc fides perficitur adjunctione aliarum virtutum, quæ ipsam fidem vivificant, & ornant & perficiunt, ut est virtus humilitatis & charitatis & devotionis. Atq; his quoq; duobus ultimis modis existimare licet, fidem illorum Discipulorum fuisse tunc eo miraculo multùm auctam atq; confirmatam.

Templum corporis Christi.

IV. *De quo templo loquitur Christus* v. 19.? ℟. De templo corporis sui, q. d. corpus meum ab anima dissolvetis per mortem; tunc signum, quod nunc petitis dabo, scilicet à morte resurgendo tertia pòst die, ex quo sat intelligetis me esse Dominum templi vestri, & totius universi: ac proinde auctoritatem habere faciendi hæc & alia quæ voluerim. Meritò autem vocat corpus & animam suam templum Dei, cùm plenitudo Divinitatis seu plena Divinitas inhabitaret in iis corporaliter, utpote corpori & animæ substantialiter & hypostaticè unita. Sicut enim anima nostra, quia substantialiter unitur corpori, potest dici corporaliter habitare in corpore nostro, ùt ait S. Aug. ita longè potiori jure Divina Verbi hypostasis, quia substantialiter unita tam corpori quàm animæ Christi, potest dici corporaliter habitare in ejus corpore.

Templum Herodis.

V. *De quo templo loquuntur Judæi* v. 20. QUADRAGINTA ET SEX ANNIS ÆDIFICATUM EST TEMPLUM HOC? ℟. Non de templo à Salomone ædificato spatio annorum 7. 3. Reg. 6. quod jam pridem fuit combustum & funditus eversum à Chaldæis. Nec de templo reædificato à Zorobabele & sociis. Hoc enim ædificatum fuit anno primo Monarchiæ Cyri usq; ad annum 6. Darii Histaspis, 1. Esdræ 3. 6. ubi tamen intercedunt anni solùm 15. sed loquuntur de templo reædificato ab Herode Ascalonita, qui infantes occidit in Bethlehem, ac ut regnum Judææ sibi suisq; posteris asseuraret, & à Judæis haberetur verus Messias, templum eis novum erexit. Et de hoc hìc loqui Judæos valde est verisimile, ex pronomine *hoc*, quod præsens demonstrat templum, cùm duo priora jam pridem essent quasi diruta, ut demonstrari non possent. Cœpit autem Herodes hanc suam tertii templi fabricam anno regni sui 18. tunc enim suam de ædificando templo voluntatem indicavit, teste Josepho l. 15. Antiq. c. 14. Quare cùm Christus natus sit sub annum regni Herodis 35. sequitur à cœpto hoc tertio Herodis templo usq; ad nativitatem Christi fluxisse 46. annos quibus adde annos 30. vitæ Christi, habebis 46. quos quærimus: anno enim 30, quo Christus baptizatus est, hæc Christi cum Judæis disputatio contigit, initio prædicationis suæ. Ita Baronius anno Christi 31. Nec obstat, quòd Josephus scribat, Herodem absolvisse templum 8. annis: hoc enim de ipsa domo, id est, Sancto, & Sancto Sanctorum intelligit. Quia tamen non tam novum templum exstruxit Herodes, quàm exstructum à Zorobabele auxit, & ornavit, ideo fortasse alii meliùs in unam summam colligunt annos 15. Zorobabelis, & reliquos tum Machabæorum, & Oniæ Pontificis, tum Herodis, ut ex omnibus faciant 46.

CAPUT

CAPUT III.

Christus Nicodemum de regeneratione per baptismum instruit: crucifigendum se prædicit, & morte sua redempturum mundum. Joannes Baptista Discipulis suis de Christo murmurantibus inculcat, debere ipsum crescere, se autem minui: nec posse vel ipsos, vel quemquam hominum salvari, nisi per fidem in ipsum.

Quæstio I. *An miracula ostendant veram doctrinam?* R. Vera miracula sunt quasi sigillum quoddam Dei, quo sigillo doctrina, quæ prædicatur obsignata, evidenter ostenditur esse vera, Deoq; accepta: alioqui Deus, cujus solius virtute verum miraculum fieri potest, falsitati testimonium perhiberet, fidemq; faceret quod vel cogitare impium est. Nec obstat, malos homines, interdum miracula facere, ut Dominus dixit Matt. 7. Nam ea miracula non faciunt illi ea ratione, ut mali sunt, nec faciunt ea in nomine veri Dei, ad ejus doctrinæ, quam prædicant, confirmationem. Ex veris porrò miraculis evidenter ostenditur, veracem esse doctorem & prædicatorem doctrinæ, ad cujus confirmationem fit miraculum. Unde vidua illa Sareptana viso miraculo resuscitati à mortuis filii sui ab Elia, dixit ei: *Nunc in isto cognovi, quoniam vir Dei es tu, & Verbum Domini in ore tuo verum est.* Et Hebræi visis tot & tantis in Ægypto factis per Mosem prodigiis, crediderunt Domino, & Moysi servo ejus Exo. 14. *Miracula signum veræ doctrinæ.*

II. *Quando sit lata lex obligans homines ad baptismum accipiendum?* R. Non tunc quando Christus locutus est cum Nicodemo: quia lex, nisi antè publicata non obligat: Christus autem dixit hæc noctu, & privatim cum Nicodemo sermocinans. Nec ipse nisi post resurrectionem suam misit Apostolos legem baptismi promulgare. Enim verò satis onerosum fuisset, obligare Judæos necessitate Baptismi, qui erant obstricti lege circumcisionis, quæ lex viguit usq; ad passionem & mortem Christi. Nec illa verba: *nisi quis renatus fuerit*, declarant necessitatem Baptismi tunc accipiendi. Similiter enim c. 6. de Sacramento Eucharistiæ dixit Christus: *nisi manducaveritis carnem filij hominis, non habitis vitam in vobis.* Constat autem Eucharistiæ Sacramentum fuisse in ultima cœna à Christo institutum. Ergo Dominus illis verbis significavit necessitatem baptismi, suo tempore, id est, post Evangelii promulgationem futuram *Obligatio Baptismi.*

III. *Quis intelligitur spiritus* v. 8.? R. planè & simpliciter spiritus est ventus; huic enim comparat Spiritum Sanctum, ut patet ex eo, quod subjicit: *Sic est omnis, qui natus est ex spiritu.* q. d. sicut ventus, quocumq; eum trahit voluntas, id est, appetitus suus naturalis ad flandum, ibi flat & spirat, & tamen eum, ejusq; determinatum locum non perspicis, nec prævides, sed tantùm ejus effectum & vocem, id est, sonitum & stridorem percipis: ita multò magis nec tu, ô Nicodeme, nec quis alius, quantumvis subtilis & perspicax, regenerationem hanc spiritualem ejusq; finem & terminum vel sensu vel lumine naturali perspicere valet, sed tantùm eam cognoscit ex revelatione & afflatu Spiritûs Sancti, etiamsi symbola ejus externa aquæ & ablutionis in baptismo videas & oculis conspicias. Ita S. Chrysost. Si venti, inquit, quem sentis, viam nescis, quomodo Divini Spiritûs operatines scrutaberis. *Spiritus est ventus.*

IV *Quomodo Christus dicitur solus ascendisse in cœlum* v. 13.? R. Quia solus ascendit sua virtute, suo merito, suoq; jure: cæteri autem non nisi ejus merito ac virtute. Deinde illud verbum: *ascendit*, non est præsentis temporis, sed præteriti significaturq; quòd ante id temporis, quo Christus hæc locutus est, nullus hominum (non enim de Angelis Beatis, sed de hominibus tantùm hoc loco locutus est Dominus) ascenderat in cœlum, & viderat Deum. Christus autem ascenderat in cœlum ratione animæ suæ, quæ secundùm partem superiorem, ab initio suæ creationis, beatifica Dei visione fruebatur. Dicitur autem Christus descendisse de cœlo, non ratione humanitatis assumptæ, quasi eam de cœlo detulerit, vel habens corpus ex materia cœlesti formatum; vel habens animam, quæ multo tempore ante incarnationem ipsius fuerit in cœlo: istos enim duos hæreticorum errores jam pridem explosit & damnavit Catholica Ecclesia: sed Christus dicitur descendisse de cœlo, quia cùm antea, ut Deus fuisset in cœlo, postea humana carne & natura indutus apparuit in terris, secundùm illud vaticinium Baruch 3. *in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.* *Christus solus ascendit in cœlum.*

V. *Quid Christus significavit illis verbis*, FILIUS HOMINIS, QUI EST IN COELO? R. Quòd ipse, cùm hoc loquebatur, erat in cœlo & videbat Deum. Hoc autem verè dicitur de Christo prout Filius Dei erat: nam propter unitatem personæ, in qua unita erat natura humana cum natura Divina, verè Filius Dei dicitur Filius hominis: & hoc valde commendat unionem personalem duarum naturarum, adversus Nestorium hæreticum. Dicitur etiam verè Christus fuisse in cœlo, ea ratione, ut homo erat; nam id significat *Filius hominis est in cœlo.*

illud, *Filius hominis*, ſecundùm phraſim Hebraicam: nimirum anima Chriſti tunc erat in cœlo, beatiſſimo Dei conſpectu fruens; quam Dei viſionem atq; fruitionem, ab inſtanti ſuæ conceptionis habuit.

DEus dilexit mundum.

VI. *Quomodo Deus tantopere dilexit mundum* v. 16. cùm S Joan. 1 ep. c. 2. dicat: *Nolite diligere mundum, neq; ea, quæ in mundo ſunt. Si quis diligit mundum, non eſt charitas Patris in eo.* Et Jacob c. 4. *Si quis voluerit amicus hujus mundi fieri, inimicus Dei conſtituitur?* R. Vocabulum *mundi*, ùt ſignificat hominem, tripliciter in ſacris literis uſurpatur. 1mo pro vitioſis, & mundanarum rerum amatoribus, & maximè de reprobis: de quo mundo loquens Joan. c. 4. epiſtolæ ſuæ: *Ipſi*, inquit, *de mundo ſunt, & de mundo loquuntur, & mundus eos audit.* Et Chriſtus dixit, ſe non rogare Patrem pro mundo; & nec ſe nec Apoſtolos ſuos eſſe de mundo. Et hunc mundum quà talis eſt, non diligit Deus, quin etiam odit, & ad eum deſtruendum miſit in terram filium ſuum: quod & ipſe præſtitit, ſicut dicit: *confidite ego vici mundum.* Deinde accipitur vox mundi nonnumquam pro hominibus prædeſtinatis, in hoc mundo peregrinantibus: atq; hujus mundi præcipuè Salvator dicitur Chriſtus· de quo mundo loquens Paulus 2. Cor. 5. ait: *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi.* Ad hæc ponitur vocabulum mundi pro quibuscumq; hominibus in terra degentibus ſive bonis ſive malis, ſive reprobis ſive prædeſtinatis, prout tamen ex natura ſua, & ex ſufficientia Divinæ gratiæ capaces ſunt æternæ ſalutis. De hoc mundo intelligitur illud hìc infra: *Non enim miſit Deus filium ſuum in mundum, ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum.* De hoc autem mundo præcipuè intelligitur, quod hìc dixit Dominus: *Sic Deus dilexit mundum:* Pro ſalute enim omnium Filius Dei & homo factus eſt, & mortuus eſt: ſcilicet quod attinet ad ſufficientiam virtutis mortis ſuæ: nam quod attinet ad efficaciam, & conſecutum fructum pro electis tantùm mortuus eſt: ideoq; Chriſtus dixit Patri ſuo: *Non pro mundo rogo, ſed pro his, quos dediſti mihi, quia tui ſunt.* Joan. 17.

Mundus tripliciter ſumitur.

Fides per charitatẽ operatur.

VII. *Quomodo Chriſtus Dominus illis verbis*, UT OMNIS QUI CREDIT IN IPSUM, NON PEREAT, SED HABEAT VITAM ÆTERNAM, *ſoli fidei aſſignavit virtutem depellendi æternam mortem & obtinendi vitam æternam*, cùm tamen nec ſola fides ſufficiat juſtificando & ſervando homine; Et in hoc negotio juſtificationis potiores atq; principaliores ſint partes charitatis quàm fidei? R. Chriſtus hic loquitur de fide formata & viva ac perfecta, quæ per charitatem operatur, quam Paulus Gal. 5. plurimum dixit valere apud Deum: *Neq; circumciſio aliquid valet neq; præputium, ſed fides, quæ per charitatem operatur:* Item 1. Cor 13. *Si habuero*, inquit, *omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum.* Fides porrò quæ per charitatem operatur, aliis omnibus comitata eſt virtutibus. Deinde poteſt illud etiam reſponderi, Dominum loqui de fide ſimpliciter & præcisè, ei verò aſſignare tanta bona, non quòd eorum illa ſit vel ſola vel princeps cauſa; ſed quòd ea ſit primum principium & fundamentum, & radix omnium bono ſpiritualium, & Divinorum, ſicut interpretatus eſt S. Aug. ſerm 38. de temp & ex ipſo Auguſtino Patres Concilii Trid cap. 8. Decreti de juſtificatione. Deniq; dicit S. Aug. l. de Prædeſt c 7. *Omnia tribuuntur fidei, quia hæc prima nobis datur, qua impetrentur cætera.*

Joannes amicus Chriſti.

VIII. *Quomodo Joannes Bapt. vocat ſe v. 29. amicum Chriſti, cùm antea indignum ſe eſſe dixerit, ut ſolveret corrigiam calceamenti ejus?* R. Tunc loquebatur Joannes turbæ Judæorum, cui Chriſtus eo tempore obſcurus atq; ignotus erat, ideoq; Chriſti dignitatem & præſtantiam indicare & prædicare oportebat. Nunc autem loquebatur Diſcipulis ſuis, indignationem & odium Joannis adversùs Chriſtum quodammodo excitare tentantibus; quibus conveniens erat declarare ſummum amorem & obſervantiam Joannis erga Chriſtum: ut intelligerent illi Joannem celebritate nominis & famæ Chriſti nullatenus dolere aut triſtari, ſed majorem in modum lætari & gaudere debere.

Deus Chriſto non dat ſpiritum ad menſuram.

IX. *Quo ſenſu dicitur* v. 34. NON DAT DEUS SPIRITUM AD MENSURAM? R. Sententia hæc propriè ad Chriſtum pertinet, & in ea ſubintelligitur pronomen *huic* vel ipſi, ſcilicet Chriſto, hoc modo (non enim dat Chriſto Deus ſpiritum ad menſuram.) ſignificatur itaq; iſtis verbis, Chriſtum infinitis partibus majorem ac præſtantiorem eſſe aliis omnibus Sanctis: His namq; ſpiritus gratiæ in parte & cum menſura datus eſt, Chriſto autem ſine termino & menſura. Quod autem Sancti gratiam Dei habeant cum certa quadam menſura & modo apertè docet nos S. Paulus Rom. 12. illis verbis: *Unicuiq; ſicut Deus diviſit menſuram fidei.* Et Epheſ. 4. *Unicuiq;* inquit, *noſtrûm data eſt gratia ſecundùm menſuram donationis Chriſti.* At Chriſto non ad menſuram dedit Deus ſpiritum, quod perinde eſt, quaſi dictum eſſet, datam ei eſſe gratiam infinitam.

CAPUT IV.

Chriſtus è Judæa, ubi baptizârat, in Galilæam regrediens, ex itinere Samaritanam mulierem docet, quæ ſit aqua viva, & quæ vera adoratio,

tio, eidemq; aperit se Messiam esse. Discipulis cibum apponentibus dicit se cibum alium habere ipsis ignotum, nempe obedientiam Patri suo cœlesti exhibendam: multos Samaritanos convertit: & reguli filium sanitati restituit.

Quæstio I. *Quomodo hic dicitur* v. 2. QUAMQUAM JESUS NON BAPTIZARET, SED DISCIPULI EJUS, cùm c. 3. v. 22. dicatur, ET BAPTIZABAT? R. Jesus ipse suis manibus non baptizabat, scilicet vulgò & passim. Expediebat enim, ut publicè innotesceret ipsum esse auctorem baptismi, non nudum ministrum. Et volebat ipse ut omnibus constaret sufficere, si in nomine Christi baptismus conferretur, etsi non in propria persona. Sic tamen aliquando Christum propriis manibus baptizâsse affirmat S. Greg. Nazianz. Aug. ep. 108. & alii v. g. Joannem Bapt. Petrum & alios Apostolos, vel dicitur baptizâsse, quia per suos Discipulos illud ministerium præstabat, sicut ea, quæ Rex vel magister disponit per suos inferiores dicitur facere per seipsum, sic 3. Reg. 6. 9. dicitur: Ædificavit Rex Salomon domum, & consummavit eam: Et Heli Sacerdos reprehensus est, tamquam ipse faceret, quod filios suos sciebat facere & non prohibebat. 1. Reg. 2. 28. *Christus baptizat.*

II. *Quæ erat causa mutui dissidii & odii inter Judæos & Samaritanos?* R. 1. Quia Samaritani possidebant regionem, quæ pertinebat ad hæreditatem Judæorum, quam scil. Tribus Ephraim, & dimidia Tribus Manasse tenuerant. 2. Quia Samaritani verum Deum Judæorũ, & falsos Gentium Deos pariter colebant, miscebantq; Judaicas cæremonias cum superstitionibus Gentilium. 3. Quia Judæos post reversionem eorum ex captivitate Babylonica, templum Domini ædificare aggressos, omni modo ab ædificatione deterrere & removere conati sunt. 1. Esdræ 4. 4. Quia Samaritani inconstanti admodum & simulata fide ac benevolentia erant erga Judæos: nam secundis Judæorum rebus, jactabant se Judæorum esse gentiles, sicut Alexandro magno fautori & benefactori Judæorum, Samaritæ Judæorum se cognatos esse professi sunt. At verò adversis Judæorum rebus, ut in persecutione Antiochi Epiphanis, non modò se ùt alienos, sed etiam ut inimicos & infestos Judæis gerebant, negantes se oriundos ex Judæis esse, sed partim ex Assyriis partim ex Sidoniis ortos dicebant, sicut Josephus l. 11. & 12. Antiq. scribit. Plures causas vide apud Pererium hìc. *Odium inter Judæos & Samaritanos.*

III. *Cur gratia DEI vocabulo & similitudine aquæ denotatur?* R. Quia gratia DEI habet spirituales effectus perquam similes corporalibus effectibus aquæ. Mundat enim animam, eluens sordes peccatorum: restingvit ardorem concupiscentiæ: tollit sitim & cupiditatem rerum terrenarum: fœcundat animum, reddens eum fertilem bonorum operum. & quemadmodum aqua, cùm unius sit naturæ, varios tamen in rebus variis effectus, & interdum contrarios gignit, ut in lilio colorem candidum, in Narcisso nigrum, in rosa rubrum, in viola purpureum; & in ficu producit dulcedinem, in absynthio amaritudinem: ita DEI gratia quibusdam præcipuè tribuit spiritum humilitatis & timoris, aliis spiritum fiduciæ & magnanimitatis; in quibusdam suscitat spiritum mœroris & tristitiæ; in aliis lætitiæ atq; hilaritatis: nonnullos fugere facit consortia hominum, & solitudines petere; alios ad tractandos juvandosq; homines incitat. Nonnullos erigit ad contemplationem, & in ea detinet; alios incendit studio colendi vitam activam, externaq; virtutum officia exercendi. *Gratia Dei comparatur aquæ.*

IV. *Quomodo intelligendum est, qui biberit aquam Christi, non sitire in æternum?* aut quomodo gratia Christi tollat sitim in æternum, cùm constet, multos, qui gratiam DEI acceperunt, postea eam amittere, & denuò ad pristinam sitim peccati redire? R. Gratia DEI, quantum in ipsa est, habet vim non modò semel auferendi homini peccatum, sed etiam perpetuò eum ab omni peccato servandi: ex infirmitate tamen ac fragilitate naturæ nostræ, & ex volubilitate nostri liberi arbitrii accidit, ut ex peccato ad gratiam, & ex gratia ad peccatum subinde mutemur. Sicut cùm medici ajunt, hoc vel illud medicamentum habere vim sanandi hunc vel illum morbum, vel tuendæ ac conservandæ bonæ valetudinis, intelligi debet, habere medicamentum eam vim ex naturali sua facultate ac potestate, si eo medicamento ægrotus in loco, & in tempore, & quomodo oportet, utatur. Simili etiam ratione intelligendum est illud Joan. c. 6. *Patres vestri manducaverunt manna & mortui sunt*, quia illud Manna habebat virtutem arcendi famem & mortem, non in perpetuum, sed ad breve aliquod tempus. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Panis Christi videlicet per se sufficiens dare immortalitatem homini, nisi homo ejus impediat effectum. Ad eundem igitur modum intelligere oportet, quod hìc dicitur à Domino: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.* *Gratia Christi tollit sitim in æternum.*

V. *Quid est adorare Deum, ut Patrem*, v. 23. ADORABUNT PATREM IN SPIRITU ET VERITATE? R. Propriùm est adorationis Evangelicæ, ut Deus adoretur tanquam Pater. Nam in lege veteri ferè adorabatur, ut Deus ultionum Dominus, & ut terribilis *Adorare Deum ùt Patrem.*

ſuper omnes Deos, ſpiritu videlicet timoris ſervilis. At in lege evangelica miſit Deus in corda noſtra ſpiritum Filii ſui clamantem *Abba Pater*. Itaq; adorare Patrem, eſt colere Deum, ut pater eſt, filiali nimirum timore, fiducia, amore, ac religione. vel ſignificatur impoſterum Evangelicos adoratores adoraturos Deum, non tantùm more Judæorum, uti Deus eſt unus ſecundùm Deitatis ſubſtantiam, verùm etiam ut trinus eſt ſecundùm Divinarum perſonarum diſtinctionem, quæ in hoc loco ſignificatur illis tribus vocabulis, Patrem, in Spiritu & veritate, nam Veritas nomen eſt Filio appropriatum, ut ſit ſenſus: adorabunt Patrem per Filium, & Spiritum Sanctum: ſicut enim ad Patrem nemo venit, niſi per Filium, nec ipſum cognoſcit; ita nec Filium verè quisquam cognoſcit, niſi per Spiritum S. illuſtratus & edoctus. Paulus enim 1. Cor. 12. dicit: Neminem poſſe dicere Dominum Jeſum, niſi in Spiritu Sancto.

Adorare in ſpiritu & veritate.

VI. *Quid eſt adorare in ſpiritu & veritate?* R. Non ſolo corpore, ſeu nudis corporeis ſacrificiis, ritibus & cæremoniis, ut hactenus Judæi; ſed in Spiritu, id eſt, ſpirituali ſacrificio & cultu, putà partim interno, fidei, ſpei, charitatis &c. partim externo, ſacrificii Euchariſtici. Ita S. Amb. l. 3. de Spiritu S. c. 12. & alii. Illud *in veritate* cultum ſuperſtitioſum, & commentitium falſorum Deorum, qui vigebat apud gentes idolorum cultrices *Adoratio in ſpiritu*, ſeu ſpiritualis, non excludit omnes actus corporeos, ùt volunt noſtri hæretici v. g. cæremonias, & ritus Eccleſiaſticos: (quia ſine his impoſſibile eſt cultum publicum decenter exhibere Deo, & ſunt ut plurimum ornamenta, excitamenta, adjumenta, effectus vel declarationes actuum ſpiritualium, v. g. genuflexio, oratio vocalis, cantus & omnes cæremoniæ, quibus Sacramenta adminiſtrantur: & deberent alioquin omnes virtutum actus externi pari jure exhiberi in ordine ad cultum DEI v. g. publicæ laudes, & preces, adminiſtratio Sacramentorum &c.) ſed includit ſolùm actus merè corporeos, quales erant cæremoniæ & ſacrificia Judaica, quæ non niſi umbræ & figuræ rerum ſpiritualium erant, & naturâ ſuâ non procedebant ex interiore ſpiritu, fide, charitate &c. & rarò iis ſociabantur.

Piſcina probatica.

VII. *Unde Samaritana dicere potuit,* MESSIAS VENIT v. 25.? R. Videbant Judæi vaticinium illud Gen. 49. *Non auferetur ſceptrum de Juda, nec dux de fœmore ejus, donec veniat, qui mittendus eſt, & ipſe erit exſpectatio Gentium.* Primus enim alienigenarum regnum Judaicum tunc obtinuerat Herodes, quo regnante natus eſt Chriſtus. Et hæc opinio de proximo tunc Meſſiæ adventu percrebuerat etiam apud Samaritanos, quam illi hauſerant, vel ex vulgatis Judæorum ſermonibus, vel ex libris Moyſi, in quibus erat illud vaticinium Jacob, quos libros de Divinis libris ſolos ipſi recipiebant. Verbum illud *venit*, præſentis temporis eſt, ſignificans, in proximo eſſe, jamq; inſtare Meſſiæ adventum.

VIII. *Cur Dominus tam apertè indicavit Samaritanæ,* EGO SUM, QUI LOQUOR TECUM, *& illi cœco nato,* Joan. 9. ET VIDISTI EUM, ET QUI LOQUITUR TECUM, IPSE EST, ſe eſſe Filium Dei & Meſſiam; At verò Judæis vehementer Dominum urgentibus, atq; inſtantibus, ut palàm eis diceret, an ipſe eſſet Chriſtus, dicebant enim Joan. 10. *Quousq; animam noſtram tollis? ſi tu es Chriſtus, dic nobis palàm,* noluit hoc tam apertè manifeſtare? R. Samaritana & cœcus, ſimplici, ſincero & religioſo animo id crediturі erant: illi verò malitioſè ac perfidioſè idipſum interrogabant; qualicunq; Domini reſponſo abuſuri ad eum calumniandum, & quocunq; modo poſſent perdendum.

IX. *Quid ſignificat* v. 34. MEUS CIBUS meæ deliciæ ſunt, UT FACIAM VOLUNTATEM & opus Patris mei? R. Ut procurem ſalutem hominum docendo illos, & à peccatis abſtrahendo, à poteſtate Dæmonum liberando, Deo & Angelis reconciliando, & ad vitam æternam deducendo. Ita Toletus & alii. *Nonne dicitis, quòd adhuc 4. menſes ſunt, & meſſis venit:* q. d Nonne vos curam gerere ſoletis meſſis triticeæ multo tempore antequam veniat? quanto igitur potiori jure geram ego, & vos gerere oportet curam meſſis ſpiritualis animarum, quæ nunc præ manibus eſt, imò ſemper parata eſt? Ita Cyrill. & alii.

CAPUT V.

Langventem 38vo anno ad piſcinam ſanat in ſabbatho. Phariſæos factum calumniantes, auctoritate Patris ſui cœleſtis convincit: & Divinam virtutem ſuam multis argumentis, & etiam Moyſis & Joannis teſtimonio confirmat.

QUæſtio I. *Quæ erat piſcina probatica?* R. Probatica, id eſt, ovina ſeu pecuaria: Probaton enim ovem ſignificat. Nempe aquâ ſtagni illius oves & aliæ pecudes in templo vicino immolandæ abluebantur, inquit S. Hieron. & Theophyl. Vel ſaltem erat hoc ſtagnum juxta portam Gregis 2. Esd. 3. per quam greges in urbem & inde in templum inducebantur, ut Toletus & Maldonatus exponunt. Hebraicè dici-

dicitur Bethsaida, seu locus effusionis, eò quòd in istud stagnum multis undiq; subterraneis ductibus è templo se aquæ defunderent, quibus victimæ lotæ fuerant, teste Aristea l. de 70. Interp. Et erant circum stagnum quinq; porticus propter pauperum ægrorumq; commoditatem, qui sanitatis recuperandæ causa illuc se recipiebant.

II. *An illa virtus sanandi ægrotos indita fuerit piscinæ ab Angelo?* ℟ Angeli nullum effectum naturalem præstare possunt immediatè; sed per causas naturales invicem applicatas: nulla est autem causa naturalis, quæ illi aquæ virtutem sanandi quemlibet morbum tribuere potuerit. Tota igitur illa virtus sanandi à Deo erat, sed per Angelum, ut Dei administrum: & sicut in scholis dicitur, causam instrumentalem Divinæ virtutis; & hoc sensisse videtur S. Thom. cùm dixit. Angelum virtutem illam dedisse piscinæ: ad eum scilicet modum, quo dicere solemus in sacramento confessionis sacerdotem remittere peccata, & conferre gratiam sacramentalem. *Piscina unde habuit vim sanandi.*

III. *Cur illa virtus sanandi non indita aquæ nisi motæ & turbatæ?* ℟. Ut ex illa notabili aquæ motione, tanquam ex manifesto quodam indicio notesceret Judæis, quando Angelus descenderet in piscinam, & vim sanandi aquæ tribueret, simulq; manifestum esset ægrotis, quando in piscinam descendere eos oporteret. Deinde ut evidentiùs appareret, virtutem illam sanandi neq; casu & fortuitò illi aquæ contingere, neq; ex illius aquæ, aut loci occulta quapiam naturali proprietate vel facultate provenire, sed extrinsecus omnino & Divinitus accedere. *Aqua mota sanabat morbos.*

IV. *Quo sensu dicitur* v. 17. *Pater meus usq; modò operatur?* ℟. Hucusq;, semper, & continuò etiam omnibus Sabbathis. q. d. Vos docetis, ideo quiescendum Sabbatho ab omni opere, quia Deus tunc ab omni opere quievit. Atqui Deus tantùm quievit tunc *ab opere quod patrârat.* Gen. 2. v. 2. nullas ampliùs novas rerum species producendo: sed non quievit simpliciter ab omni opere, quia continuò deinceps operatus est, & etiamnum operatur, mundum conservando, fovendo, gubernando, propagando, sanando, juvando &c. Et sic *ego* similiter *operor*, sanando infirmos animo & corpore. Unde sicut Pater meus sic operando non violat Sabbathum, nec ego violare dicendus sum, qui non alia operor, quàm quæ Pater, & illo naturâ, potentiâ, dignitate nihilo inferior sum, sed par omnino & æqualis. *Pater meus usq; modò operatur.*

V. *Quid significat, Patrem dedisse Filio vitam habere in semetipso?* ℟. Significatur primò Distinctio personarum Patris & Filii: deinde origo Filii à Patre: tum unitas, atq; identitas naturæ utriusq; personæ: si enim diversam Patri naturam haberet Filius, non utiq; haberet vitam in semetipso: sed in Patre: sicut omnes res creatæ vitam habent in Deo. Et Paulus dixit Act. 17. *In ipso vivimus, movemur & sumus.* Aliud porrò est in Divinis personis habere vitam à semetipso, & aliud est, habere vitam in semetipso: illud namq; proprium est Dei Patris: quippe qui omnino est improductus, neq; ab alio procedens, & est principium aliarum personarum divinarum: hoc autem, habere, inquam, in semetipso vitam, ex æquo tribus personis Divinis convenit. *Vitam habere in semetipso.*

VI. *Quid denotat habere vitam in semetipso?* ℟. Denotat imò habere vitam in sua potestate, ut quando vult & quotiescunq; vult, & quibuscunq; vult, possit vitam impertiri. Deinde esse primum & perennem, atq; indeficientem fontem, atq; principium omnis vitæ: omnibus rebus, quæ sunt extra Deum, communicabilis. Sic fons dicitur habere vitam in semetipso, non autem flumen. Ad hæc esse vitam per essentiam, & substantialiter; ob idq; infinitè & invariabiliter, non autem per participationem & accidentaliter, & definitè & mutabiliter. Postremò non habere vitam aliunde, tanquam ab externo principio, & diversæ naturæ: Nam, licèt Filius & Spiritus Sanctus vitam habeant à Patre; Pater tamen est principium internum & consubstantiale tam filio, quàm Spiritui Sancto.

VII. *Quando Pater dedit Filio habere vitam in semetipso?* ℟. secundùm Cyrillum dedit per incarnationem. Sicut enim tunc dedit illi homini esse Deum: ita dedit ei habere vitam in semetipso; nimirum ratione Verbi Divini, quod illi tunc personaliter unitum est: quamobrem ea donatio fuit illi homini gratuita, & per Dei gratiam ei facta. Ast secundùm Aug. & Chrysostomum, Pater dedit Filio habere vitam in semetipso per æternam generationem, per quam scilicet simul cum natura Divina Filius & hoc, quod est, habere vitam in semetpso, accepit à Patre: illa tamen donatio non fuit gratuita, sed naturalis.

VIII. *Cur Joannes dictus fuit à Christo lucerna ardens & lucens?* ℟. Sunt quædam lucernæ nec ardentes, nec lucentes: sed extinctæ, quin etiam fœtentes: ùt sunt indocti & mali prælati: aliæ sunt tantùm lucentes, sed non ardentes: ut qui doctrinâ præstant: sed probitate atq; integritate vitæ carent. Aliæ sunt lucernæ ardentes & non lucentes: ut qui sunt ipsi quidem boni, sed indocti: ob idq; sibi tantùm, non autem aliis utiles. Sunt demum lucernæ ardentes pariter & lucentes, ut qui integritatem vitæ cum veritate & præstantia doctrinæ conjunxerunt. Talis fuit Joannes, de quo S. Bern. in hæc verba: *Joannes lucerna ardens & lucens.*

ille erat lucerna ardens & lucens, inquit: Tantùm ardere parum est: tantùm lucere vanum est: lucere & ardere perfectum est. Ardebat Joannes tripliciter: erga se ipsum, austeritate conversationis: erga Christum fervore devotionis: erga proximum, constantiâ liberæ increpationis: Lucebat etiam tripliciter, Exemplo, digito, & verbo. Exemplo seipsum ostendens ad imitandum: digito Christum demonstrans Agnum Dei ad perficiendam peccatorum remissionem: Verbo, vitia hominum manifestans ad correptionem & emendationem. Hæc Bern.

CAPUT VI.

Quinq; panibus & duobus piscibus cibat quinq; millia virorum: fugit volentes illum regem creare: supra mare ambulat. De pane cœlesti & Eucharistico multis disserit: quibus offensi, etiam pleriq; ejus Discipuli deserunt magistrum suum: sed Apostoli constanter ipsi adhærent.

Manducatio Christi.

QUæstio I. *Quis est modus manducandi Christum?* R. Triplicem esse Christi manducationem. Una est tantùm spiritualis: cùm citra sacramenti perceptionem, per interiores actus fidei & charitatis Christo unimur, ejusq; gratiam nobis donatam exercitatione virtutum magis in dies nutrimus, & augemus. Altera manducatio est tantùm sacramentalis, cùm indignè, ac sine ullo fructu percipitur sacramentum Eucharistiæ. Tertia manducatio est simul sacramentalis & spiritualis: cùm percipitur sacramentum Eucharistiæ cum fide ac dilectione, & devotione.

II. *De qua manducatione sui corporis loquitur Christus in hoc sermone?* R. cum S. Chrysost. Aug. Cyrill. Euthymio, S. Thoma, Lyrano & aliis eum loqui de utraq; manducatione, hoc est, partim de spirituali, partim de Sacramentali. Nam in priori parte sermonis, ab illa sententia, *Operamini cibum, qui non perit*, usq; ad illam sententiam: *Panis, quem ego dabo, caro mea est*; Christus loquitur de manducatione spirituali: idq; planè indicant illæ sententiæ, quas sermoni suo interserit: *qui venit ad me non esuriet: & qui credit in me, non esuriet unquam &c.* In posteriori autem hujus sermonis, ab illis verbis, *panis, quem ego dabo*, usq; ad finem sermonis, manifestè loquitur Christus de reali & sacramentali sui corporis manducatione, ut postea ostendetur. Priùs autem Christus egit de spirituali, quàm de sacramentali sui corporis manducatione: quia prior illa est, & debet hanc præcedere: sacramentum quippe Eucharistiæ non datur fructuosè, nisi in Christum credenti, & ipsum amanti.

Cibus qui perit.

III. *Quis est cibus, qui perit* v. 27 ? R. Duplicem esse cibum, qui perit; alterum corporalem, alterum verò spiritualem. Cibus corporalis tripliciter perit, imò secundùm partem excrementitiam, quæ foras à natura ejicitur, de qua intelligendum est illud Matt 15. *Quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur.* Deinde perit etiam cibus corporalis secundùm partem alimentitiam & utilem, ea quippe corrupta, in substantiam viventis, quod per eam alitur, convertitur. Ad hæc, perit quoq; cibus corporalis quantum ad munus, & usum ejus, ac finem, qui est arcere famem & nutrire corpus, hoc enim cibus semel sumptus ad breve duntaxat tempus præstat, parvo scil. intervallo, redeunte postea fame, noviq; cibi indigentia. Spiritualis verò cibus, qui perit, est humana laus & gloria, ac sapientia, & demum quidquid ad mentem & spiritum hominum pertinens, non conducit ad vitam æternam. Omnia etenim quæ ejusmodi sunt, licèt à mortalibus flagrantissimè expetantur, eisq;, quasi delicatissimis cibis, illi jucundissimè pascantur, atq; delectentur, temporalia tamen sunt, breviq; peritura.

Cibus permanens in vitam æternam.

IV. *Quis est cibus, qui permanet in vitam æternam* v. 27. ? R. est Divina justitia & gratia, quæ homini datur à Deo, vel est ipsemet Christus, qui se in sacramento dat nobis in cibum, & alimentum animæ nostræ ad vitam æternam. Hic verò cibus, quantum in ipso est, indefectibilis est, & permanens, atq; perducens hominem usq; ad vitam æternam, licèt sæpe deficiat, hominis culpâ, propter libertatem humanæ voluntatis, ex bono in malum mutabilis. Hunc porrò cibum dat Christus non tantùm, ut Deus, sed ut Filius hominis, sicut ipse dixit hoc loco, id est, ut verus homo est, Christus enim nec carnem & sanguinem suum in sacramento nobis dare potuisset: nisi verus homo fuisset.

V. Quomodo sibi cohærent, *operamini cibum*, & *Filius hominis dabit vobis*, cùm illud significet, illum cibum nostrâ operâ & labore comparari, hoc autem indicat, gratuitò eum nobis donari à Christo? R. Bene ista cohærent sibi. Ad comparandum namq; cibum istum necesse est, nos per actiones nostras præparari & idoneos fieri, ut ita nobis præparatis Christus eum cibum fructuosè largiatur, sed istud ipsum, idoneè nos præparare ad perceptionem ejus cibi, Divini muneris est. Non enim tantùm salutaris perceptio ejus cibi, sed etiam idonea præparatio animi nostri ad eum cibum accipiendum, donum Dei est.

VI. An verbis illis *operamini non cibum, qui perit*, prohibetur Christianis ne operentur

rentur & laborent, ut comparent sibi cibum corporalem? R. Non defuerunt hæretici, qui hac Christi sententia in suæ ignaviæ patrocinium abusi sunt. Sed his adversatur illud Ps. 127. *Labores manuum tuarum, quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit.* Paulus certè non verbis tantùm, sed exemplo etiam suo cohortatus est Christianos ad laborandum manibus suis, ut cibum sibi parent. ùt videre est 2. Thessal. 3. à verbis illis: *ipsi scitis &c.* Similia habentur Ephes. 4. & Act. 20. Christus igitur illis verbis non significavit, pro parando cibo corporali, nullo esse nobis modo laborandum: sed nos docere voluit, ante omnia & super omnia laborandum nobis atq; contendendum esse, ut spiritualem animi nostri, Divinumq; cibum percipere valeamus. Et hoc juxta alterum Christi dictum: *Quærite primum regnum DEI, & justitiam ejus: & hæc omnia adjicientur vobis.*

VII. *Quomodo dicit Christus se à Patre signatum* v. 27.? R. secundùm Cyrillum, quia dedit ei ab æterno eamdem naturam, propter quam est Dei Patris imago: ut Christi signatio non aliud fuerit, nisi æterna ejus generatio; sicut enim per signationem sigilli exprimitur in cera ejus imago: sic per paternam generationem expressa est in eo figura substantiæ Patris. Secundùm S. Chrysost. signavit eum Deus, quando suæ vocis testimonio, & in baptismo & in transfiguratione, & in virtute tot miraculorum, declaravit eum esse Filium suum, & Doctorem atq; Salvatorem mundi, & posse omnibus dare vitam æternam. Deinde signavit eum propter gratiam unionis hypostaticæ, per quam fuit homo mirabiliter signatus; id est, & homo simulq; Deus: & quæcunq; Deus habet per naturam, tribuuntur illi homini per gratiam, & per admirandum illud sic nacul urionis hypostaticæ. Et sic rationem dat, cur possit ipse dare cibum vitæ æternæ, & simul esse cibus vitæ æternæ. *Christi signatio.*

VIII. *Cur Christus v. 29. Solam fidem nominat opus Dei, cùm tamen alia opera Dei sint multò majora fide, ùt est charitas & justitia, sive gratia gratum faciens?* R. Quia fides in homine justificando est primum Dei opus, & magister rudem puerum docens literas, primò docet prima rudimenta: ab hoc autem fidei opere incipere eos oportet, qui cibum illum Christi spiritualem & Divinum quærunt, & comparare sibi student. Huic accedit, quia fides quasi fundamentum est aliorum Dei operum, & donorum, & ad ea incitans & inducens hominem: Si quis enim ductum fidei sequatur, haud dubiè procedet ad alia opera Dei efficienda: & à Deo petenda, atq; impetranda. *Fides opus DEI.*

IX. *Quomodo intelligendum est illud* v. 44. *Nemo potest* per veram fidem, *venire ad me, nisi Pater traxerit eum?* R. Per internam gratiam suam, qua & obscurum intellectum illuminet, & tardam voluntatem alliciat, & svaviter trahat, non necessitando, sed invitando. Fides enim ut est de rebus supernaturalibus, ita solis viribus humanis acquiri non potest: sed opus est cœlesti illuminatione & excitatione.

X. *Quid si Pater aliquem non trahat, & consequenter eum non det Christo?* R. Deus, quantum ex se est, seu in actu primo, omnes trahit, *illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum.* Joan. 1. v. 9. Quòd autem non omnes in actu secundo seu defacto trahantur, id vel ipsorum culpæ vel perversæ vitæ, vel negligentiæ aut imperfectioni aliorum, qui Deo in hac tractatione cooperari deberent (quæ omnia Deus ab æterno prævidit) imputandum est. Per Deum autem nunquam stat Eccli 15. 11. quo minus omnes trahantur & Christo donentur.

XI. *Quomodo intelligendum est, Judæos in deserto manducantes manna, esse mortuos, qui autem manducant panem Christi, eos non mori?* R. Patres vestri manducaverunt manna, ut viverent; neq; tamen per ejus cibi esum perpetuam vitam consequi potuerunt; neq; corporalem, quia mortui sunt; neq; spiritualem, quia plurimi eorum peccaverunt. Panis autem Christi præstat vitam simpliciter, & arcet mortem, tam corporalem, quàm spiritualem. De spirituali non est dubium: habet enim vim, quantum in ipso est, servandi perpetuò vitam spiritualem. Idem quoq; de corporali vita dici debet. Licèt enim manducans panem Christi, moriatur corporaliter, ad breve tamen tempus moritur: ita ut illa mors somnus appelletur in Scriptura. Iterum enim victurus est & nunquam ultra moriturus: quod ei præstabitur per gloriosam corporis resurrectionem. Unde hoc loco dixit Dominus; *& ego resuscitabo eum in novissimo die.* Deinde manducans panem Christi, ex ipso habet jam semen, pignus & jus vitæ æternæ, suo tempore possidendæ per corporalem resurrectionem.

XII. *De qua manducatione corporis sui agit Christus* à v. 55.? R. De reali, in Eucharistia. Patet imò ex verbis *manducare & bibere*, quibus utraq; species clarissimè distingvitur, cùm in spirituali manducatione per fidem idem sit bibere, quod manducare. 2dò ex vocula *dabo:* nam fidem in Christum, ut spiritualem animæ cibum jam pridem illis dederat, & nominatim hoc cap. v. 29. & seq. 3tiò ex nominibus *carnis & sanguinis* hæc enim non debuissent inculcari pro objectis fidei (quia Judæi hæc ultro admittebant in ipso & videbant oculis suis) sed Divinitas inculcanda erat, si de sola fide hic ageretur. 4tò, Quia Judæi v. 53. intellexerunt Christum loqui de reali manducatione veræ carnis suæ: hoc enim durum imò impossibile esse arbitrabantur, & tamen in eo intellectu non reprehendun-

henduntur à Christo, imò magis confirmantur: sed tantùm de modo realiter manducandi, quem non capiebant, instruuntur v. 63. & 64. Ità permisit apostatare potiùs tot à se Discipulos, quam negaret realem manducationem veræ carnis suæ necessàriam esse, cùm, si de sola spirituali per fidem manducatione intellexisset, uno verbulo apostasiam omnem & scandalum avertere potuisset, imò debuisset, dicendo se solam fidem urgere, quæ facilis esset in re, quam oculis suis coràm spectarent. Deniq; de reali manducatione veræ carnis Christi hunc locum exponunt Concilia Ephesinum, Trident. & passim SS. Patres Græci & Latini à Bellarm. citati.

XIII. *De qua vita sit sermo* v. 54. *Non habebitis vitam in vobis?* R. Tum de spirituali vita, seu gratia justificante, in hoc sæculo (sicut enim corpus sine cibo corporeo, ita anima sine cibo hoc spirituali non potest diu vivere: cùm ex Christi institutione cibus hic omnibus adultis sit necessàrius, saltem necessitate præcepti, quando illud urget:) tum de cœlesti vita in futuro sæculo, à qua excludetur; qui sua culpa neglexerit uti hoc Sacramento, neq; de hoc neglectu pœnituerit.

XIV. *Quo sensu dicitur* v. 57. *Qui manducat meam carnem, in me manet, & ego in illo?* R. Mecum arctissimè unitur, & ego cum illo. Nam etsi species absumantur paulatim, & ita desinat substantia corporis Christi nobis inesse, per gratiam tamen suam, quam spiritualem infundit animæ communicantis, manet Christus in anima, vivificans, pascens, nutriens, recreans & oblectans illam.

XV. *Quo sensu dixit Christus* v. 62. *Hoc vos scandalizat?* R. Quòd ego ipse præsens vobis & adhuc passibilis, & post tam evidens miraculum multiplicatorum recèns quinq; panum, & post tot alia miracula, quibus probo me omnia posse; dico me eâdem potentiâ vobis carnem & sangvinem meum posse dare in cibum & potum; quomodo id vobis persvaderi sinetis, cùm sublatus in cœlum, immortalis & procul absens, per solos Discipulos & ministros meos inculpabo? Nempe tunc occlamabitis, non posse carnem, quæ in cœlis est, & impassibilis revera manducari in terris. Et tamen necessàrium vobis est id credere, si salvari velitis ita ferè Toletus Post hæc modum exponit, quo si vellent, facilè intelligerent, posse se commodissimè realiter manducari. Unde

XVI. *Quomodo intelligenda sunt verba* v. 64. *Spiritus est, qui vivificat: caro non prodest quidquam?* R. Divinitas carni meæ unita, vitam omnem, de qua hactenus egi, & potentiam vivificandi tribuit: sola enim *caro* mea nihil ad hoc prodesset. Unde *verba, quæ* de manducanda carne mea *locutus sum*, non sunt intelligenda de nuda carne mea, ut à spiritu meo seu Divinitate sejungeretur, (ut vos imaginamini) sed de carne mea, prout simul *spiritus* est, seu Divinitati hypostaticè conjungitur (sic enim & non aliter vita est & vivificat) & consequenter intelligi non debent mea verba de comestione instituenda modo merè carnali (quasi præcisurus sim particulas quasdam de visibili hoc corpore meo, vobisq; dilaniandas daturus, ait S. Aug.) prout vos apprehenditis: (nam talis comestio, ut impia, & indecens, ita & prorsus inutilis esset) sed intelligi debent de comestione instituenda modo spirituali, seu spiritui accommodato, nempe quo totum, vivum & illæsum corpus meum sub speciebus panis & vini invisibiliter, sed tamen realiter & substantialiter præsens sumetur, per modum Sacramenti, quo res invisibilis, signis visibilibus tecta recipitur. Nihil ergo hìc contra realem præsentiam corporis Christi in Eucharistia.

CAPUT VII.

Cognatos suos ad festa Scenopegia profectos, clàm subsequitur Jerosolymam, ubi varii de illo rumores. Frustra jubetur comprehendi, ministris, qui, ut comprehenderent, missi fuerant, ipsum collaudantibus, & Nicodemo propugnante.

Scenopegia.

QUæstio I. *Quid est scenopegia?* R. Tabernaculi fixio seu constructio. Nam hoc festo (quod 15. mensis Tisri circa initium Septembris nostri, toto octiduo celebrabatur) extra domos suas in tabernaculis ex arborum ramis in eum finem constructis habitare debebant Judæi, in memoriam præteriti temporis, quo educti de Ægypto per desertum in tentoriis egerant totis 40. annis. Levit. 23.

II. *Quid significat illud* v. 34. *Ubi ego sum, vos non potestis venire?* R. Significat statum immortalitatis & gloriæ Christi futurum post resurrectionem ejus à mortuis, in quo statu nec infideles Judæi ullo modo eum lædere poterant, nec ad eum propter peccatum infidelitatis pervenire: & fideles, quoad mortalem hanc vitam agebant, ad eum statum assumi non poterant. Dixit autem in præsenti tempore, *ubi ego sum.* vel more Scripturæ ponens tempus præsens pro futuro, vel quòd jam ibi esset secundùm Divinitatem, ubi paulò pòst futurus erat secundùm humanitatem, vel quia etiam ut homo in terris existens, in cœlesti & æterna gloria erat & fuerat ab initio suæ conceptionis secundùm superiorem partem animæ suæ.

III.

III. *Quid intelligitur per dispersionem gentium* v. 35. *Nunquid in dispersionem Gentium iturus est?* R. Intelliguntur ipsi Gentiles, qui vocantur dispersi; tum quòd essent, quantum ad eorum habitationem, per omnes ferè dispersi regiones mundi; tum quòd non una omnes lege, unaq; religione invicem adunati essent: sed diversissimis, ac sæpe contrariis distracti essent institutis ac superstitionibus: cum quibus Judæi quo ad possent, commercia inire, atq; conversari refugiebant. Hoc planè comprobat illud, quod sequitur: *& docturus gentes.* Vocabulum enim Gentium in Sacra Scriptura, usurpatur tanquam significans omnes alios homines præter Judæos. *Dispersio gentium.*

IV. *In qua scriptum veteris testamenti est illa sententia Domini: Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ* v. 38.? R. Nullam hoc loco citari à Christo certam alicujus Sacræ Scripturæ sententiam: sed tantùm significata esse ea Divinæ Scripturæ loca, in quibus prædixit Deus per Prophetas ingentem spiritûs & gratiæ suæ abundantiam communicandam cum iis, qui crediturі erant in Messiam: quæ quidem Spiritûs & gratiæ abundantiam declarari solet in Scriptura variis similitudinibus & vocabulis aquarum; ut fontis, putei torrentis fluminis & maris. Sic Isa. 41. *Egeni & pauperes,* inquit Deus, *quærunt aquas & non sunt: lingva eorum siti aruit. Ego Dominus exaudiam eos, & non derelinquam eos: aperiam in supinis collibus flumina, & in medio camporum fontes: ponam desertum in stagna aquarum, & terram inviam in rivos aquarum.* Et c. 44. *Effundam aquas super sitientem, & fluenta super aridam: effundam spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam: & germinabunt inter herbas, quasi salices juxta præterfluentes aquas.* *Gratiæ abundantia.*

V. *Quæ fuit glorificatio Christi, antequam spiritus non erat datus hominibus* v. 39.? R. S. Aug. Beda, & alii Glorificationem Christi interpretantur ejus resurrectionem. Per hanc glorificatus est in corpore. Tunc dixit ipse: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Tunc jussit Discipulos prædicare Evangelium in omni mundo, per quod apud omnes gentes nomen ejus clarificatum est. Verum quidem hoc est, antequam perfecta glorificatio Christo Domino non contigit ante ascensionem ejus in cœlum. Tunc enim verè ac manifestè glorificatus est, cùm quasi triumphans & cum nobili pompa ascendit in cœlum, captivam ducens captivitatem, & dona dans hominibus. Tunc ascendenti super omnes cœlos, & ad thronum Dei Patris, venienti dixit Deus Pater: *sede à dextris meis.* *Glorificatio Christi.*

VI. *Quomodo intelligendum est illud, Spiritum S. non esse datum hominibus ante glorificationem Christi, cùm negari non possit, ante Dei adventum in mundum, Spiritum Sanctum in veteri testamento datum fuisse quàm plurimis; ut Patriarchis & Prophetis, aliisq; viris & mulieribus justis & sanctis?* R. Non loquitur hìc S. Joannes de qualicunq; datione Spiritûs Sancti, sed loquitur tantùm de datione quadam insigni & eximia ac singulari Spiritûs Sancti datione, qualis antea non erat facta, sed facta est post Domini Ascensionem in cœlum: Dominus enim Jesus post glorificationem suam, quæ potissimum facta est per Ascensionem ejus in cœlum, tribus modis dedit hominibus Spiritum Sanctum, quibus modis antè non dederat. Dedit, inquam, & universaliter, & abundanter, & sensibiliter. Dedit universaliter, quia non uni & alteri homini: sed & multis simul, & separatim propemodum innumerabilibus. Dedit non Judæis tantùm, sed etiam gentibus ex omni natione hominum, quæ sub cœlo est, & ubiq; terrarum. Dedit abundanter, quia secundùm omnem affluentiam, & exuberantiam gratiarum Spiritûs Sancti: gratias dico Spiritûs Sancti, tum quæ dicuntur gratum facientes, tum quæ vocantur gratis datæ. Dedit sensibiliter, quia dedit per externa quædam signa conspicua & sensibus hominum manifesta, quibus evidenter declarabatur Spiritûs Sancti adventus & descensus super fideles: cujusmodi signa erant: loqui variis lingvis & prophetare. Hoc itaq; loco dicens S. Joannes non fuisse Spiritum S. datum hominibus ante glorificationem Jesu, locutus est de datione Spiritûs Sancti tribus hisce modis insigni; & qualis post Domini Ascensionem in cœlum facta est. *Spiritûs Sancti datio.*

CAPUT VIII.

Mulieri in adulterio deprehensæ condonat peccata: lumen se dicit mundi: Pharisæos prædicit in peccatis suis morituros, & ex patre diabolo esse: se verò antiquiorem Abrahamo: & ex Deo natum, ac Dei filium esse: unde volunt eum lapidare, sed ipse se subducit.

QUæstio I. *Quid Christus digito scripsit in terra?* R. Verisimiliter sententiam aliquam, quæ peccata eorum argueret, v. g. vos adulteram ad mortem expetitis, & ipsi majora scelera patratis. Quod ipsum verbis mox exprimit v. seq. q. d. puniatur peccatrix, sed ab iis, qui peccati sunt expertes. *Christus digito scripsit in terra.*

II. *Quo sensu dixit Christus de se* v. 25. PRINCIPIUM, QUI ET LOQUOR VOBIS? R. Sensus est, q. d. Ego sum à principio, id est, ab æterno (ideoq; ante Abraham, ùt ait *Christus principiū.*

ipse v. 58.) Deus verus de Deo vero, ideoq; sum principium temporis, & ævi, & rerum omnium, *qui* tamen & *loquor vobis*, id est, qui etiam hoc ipsum vobis annuntio, ideo enim carnem assumpsi, & factus sum homo, ut hoc evangelizem, & eos, qui hoc credunt, salvem. Vel: Ego cùm sim Verbum, quod à principio, id est, ab æterno dixit & locutus est Pater, jam homo factus etiam id ipsum loquor & annuntio vobis. Filius enim est Verbum, quo loquitur Pater; ipse quoq; Filius est Verbum, quod loquitur nobis. (Vox ergo Principium magis competit Verbo, quàm Spiritui Sancto, tum quia Filius cum Patre est principium Spiritûs Sancti, ipse verò Spiritus S. nullius alterius personæ Divinæ est principiũ, sed tantùm creaturarum; tum quia Filius est principium procedens à principio, putà à Patre. Unde principium significat ejus originem, qua genitus est à Patre, id ita esse liquet ex eo, quod v. 27. subdit Joannes: *& non cognoverunt, quia Patrem suum dicebat Deum.*

Judæi nati ex fornicatione.

III. *An verum dixerint Judæi* v. 41. NOS EX FORNICATIONE NON SUMUS NATI? ℟. falsum dixerunt sive locuti sint de fornicatione carnali, sive de spirituali. Nam si locuti sunt de fornicatione spirituali, quæ est idololatria, de qua eos fuisse locutos indicant illa proximè sequentia eorum verba; *unum Patrem habemus Deum*, falsum dixerunt: licet enim isti Judæi tunc non essent idololatræ, nati tamen fuerant ex majoribus idololatris: nempe Tribu Juda, de qua Tribu erant isti Judæi (nam hæc sola Tribus, mixta cum Tribu Benjamin, reversa fuerat ex captivitate Babylonica, & regionem illam Judææ tenebat) Ea quippe sæpius in superioribus sæculis, ob crimen Idololatriæ infamis, atq; abominabilis fuerat, ùt videre licet apud Jeremiam & Ezechielem, qui multifariam hanc ei Tribui exprobrant impietatem. Sanè in libro tertio & 4to Regum legimus, complures Reges Juda pessimos fuisse idololatras, & publicè, posthabito veri Dei cultu, varia coluisse idola; ad quam idololatriam, exemplo Regum, etiam omnis fermè populus Juda trahebatur. Ergo isti Judæi nati fuerant ex fornicatione spirituali, cùm à majoribus idololatris essent progeniti. Sin autem isti de fornicatione carnali locuti sunt, multò etiam appertius fuit eorum mendacium. Nam Tribus Juda, de qua Tribu erant isti, prosemînata fuerat ex Judæ filio, cui nomen fuit Phares; is verò non ex fornicatione, sed quod turpius & probrosius est, ex incesto sui Patris Judæ cum nuru ejus Thamar concubitu generatus est. Gen. 38.

Judæi servi.

IV. *An Judæi verum dixerint:* NEMINI SERVIVIMUS UMQUAM v. 33.? ℟. Impudenter mentiti sunt. Cùm tamen sæpissimè & miserrimè plurimis gentibus barbaris & impiis serviverint. Imò eo ipso tempore cùm hæc dixerunt, serviebant Romanis: tunc enim nomine Tiberii Cæsaris Romanorum Imperatoris, omnis Judææ procurator & gubernator erat Pontius Pilatus, ut indicat Lucas c. 3. Et hujus servitutis clarissimum fuit indicium publicum numisma, quo tunc Judæi utebantur, habens imaginem & superscriptionem Cæsaris; & ipsi Judæi confessi sunt se Romanorum servos esse, cùm dixerunt Pilato; *Non habemus Regem, nisi Cæsarem.*

Abraham vidit diem Christi.

V. *Quando & quomodo Abraham vidit diem Christi* v. 56.? ℟. Christum esse locutum de visione Abrahæ, non corporali, sed spirituali, nec de tempore, quo Abraham vivebat in terris, sed quo jam diu antea fuerat mortuus & manebat in limbo, & quo tempore Christus venit in terras factus homo. Hunc adventum Christi in terras ad salvandum genus humanum cognovit Abraham vel ab Angelis, qui corporalem Domini ortum sicut annunciârunt hominibus in terra: ita ut piè credi potest, nuntiaverunt etiam patribus in limbo manentibus: vel cognovit à Sancto illo sene Simeone, qui Christum infantem suis oculis viderat, & in ulnas suas acceperat, & paulò post vitâ defunctus est: Vel cognovit à Joanne Baptista, qui biennio antè Herodis gladio interfectus fuerat, & lætissimo de Christi adventu, & prædicatione ac miraculis nuntio Sanctos illos Patres in limbo manentes ingenti gaudio affecit.

CAPUT IX.

Cæco nato oculos sabbatho restituit, & simul æternæ lucis cognitione donat.

QUæstio I. *Quo sensu Christus dixit* v. 3. NEQUE HIC PECCAVIT, NEQUE PARENTES EJUS? ℟. Non negat peccâsse: sed peccata eorum, putà originale ipsius cœci, vel actualia parentum, dicit non fuisse causam cœcitatis ipsius nempe proximam. Etsi enim omnium in genere malorum remota causa & origo sit peccatum, sæpe tamen non est sola propinqua causa, cur Deus hìc vel nunc malum aliquod infligat. *Sed ut manifestentur opera DEI* & divina providentia, misericordiaq; palàm fiat. Sic electi non rarò, licèt præ aliis non graviter deliquerint, peculiariter tamen, & quidem gravissimis afflictionibus exercentur, ut eorundem liberatione & Dei gloria & ipsorum constantia agnoscatur & celebretur, ùt Job, Tobias, Susanna & tot alii. Et talis est etiam hic cœcus: unde statui hac occasione uti, & illum curare, inquit Christus.

II.

II. *Quis est sensus verborum* v. 3. *Sed ut manifestentur opera DEI in illo?* ℟. Duplex potest esse sensus: alter quidem hujusmodi; ut manifestum fiat me Deum esse, cujus sunt opera, quæcumq; in mundo continentur. Ejusdem namq; potestatis est, visum in homine fingere, qui antea in eo non erat; atq; visum jam perditum, & extinctum restituere ac reformare. Alter verò sensus hic esse potest; ut manifestum omnibus fiat, opera, quæ ego facio ex voluntate ac potestate Dei fieri, eaq; certissimam hominibus fidem faciant, esse vera, quæ ego de me, & Patre meo prædico.

III. *Cur Christus cæcum illuminaturus voluit uti illis 4. cæremoniis, quæ in verbis v. 6. exprimuntur?* ℟. Quatuor possunt afferri rationes. mò ut illius cœci fidem, obedientiam atq; humilitatem exerceret. Deinde, ut declararet, Divinam sibi esse potentiam, cui deserviret omnis creatura ad quoscumq; ipse vellet usus, etiam ad eas res, quibus perficiendis videtur inhabilis, sicut est lutum abstergendæ cœcitati, & mundando visui: tum ut ostenderet, se creatorem esse hominis, nam ut eum à principio formavit ex limo terræ; ita tunc per limum & lutum in homine visum formabat. Ad hæc per istas cæremonias præsignare voluit Christus figuram quamdam & imaginem baptismi Evangelici; nempe ut lotio illius cœci in natatoria Siloe, per quam illuminatus est, figura fuit lotionis baptismalis: sic quæ Christus ei lotioni præmisit, ea imaginem quamdam prætulerunt eorum, quæ in catechumenis ante baptismum Ecclesia observare solet. Itaq; satis inscitè atq; scurriliter faciunt hæretici illudentes Ecclesiasticis cæremoniis, appellando Judaicas cæremonias & præstigias. Constat enim non solùm in veteri Testamento Deum multas tradidisse servandas à Judæis cæremonias, sed etiam in novo Testamento Christum in his quæ agebat, variis usum esse cæremoniis, ut in hujus cœci illuminatione & resuscitatione Lazari. *Cæremoniæ.*

IV. *Quæ fuit Natatoria Siloe?* ℟. fuit magnum quoddam receptaculum aquarum ex fonte Siloe profluentium, & in eo loco collectarum, in usum lavandi & natandi. De fonte Siloe hæc scribit S. Hieron. explanans illa verba Isaiæ c. 8: *Pro eo quòd abjecit populus iste aquas Siloe, quæ vadunt cum silentio &c.* Siloe fons est ad radices montis Sion, qui non jugibus aquis: sed incertis horis diebusq; ebullit, & per terram concava & antra saxi durissimi decurrit: de quo dubitare non possumus, nos præsertim, qui in hac habitamus provincia. Alii præterea locorum & rerum memorabilium terræ sanctæ Scriptores tradunt, aquas Siloe esse claras & dulces, & uberrimas, & magno in pretio ac honore etiam apud Saracenos & Turcas. Saraceni enim lavant se in his aquis, ut hircinum fœtorem, quo naturaliter fœtent eorum corpora, detergant; nec frustra id faciunt: ea namq; lotione fœtor ille satis demitigatur atq; minuitur. Turcæ verò magni faciunt aquas Siloe, quod eas sanandis oculorum morbis prodesse sæpius experti fuerint. *Natatoria Siloe.*

V. *An DEus exaudiat peccatores* v. 31? ℟. Videtur cœcus falsum dixisse v. 31. *Scimus quia peccatores DEus non exaudit,* idq; manifestis redargui exemplis, Davidis, Manassis, Magdalenæ & latronis. S. Aug. tract. 44. in Joannem, hoc ipsum dictum tractans, ait ipsum esse falsum, ita scribens: *Si peccatores DEus non exaudiret, frustra ille publicanus oculos in terram demittens, & pectus suum percutiens dixisset; DEus propitius esto mihi peccatori, non tamen frustra dixit; nam ista confessione meruit justificationem.* Attamen istud ipsum dictum cœci illuminati, etiam in sacris literis sæpiùs confirmatum legimus, ut Ps. 65. ait David: *iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* Et Salomon Prov. 1. inducit Deum hæc de peccatoribus loquentem; *tunc invocabunt me, & non exaudiam.* Et c. 28. *Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis:* Nihilominus vera potest esse sententia, scilicet peccator non permanens in voluntate peccandi, sed ex peccato cupiens emergere, nec petens, quæ ad peccatum spectant, sed ad salutem animæ suæ, aut etiam corporis, nihil prohibet, quin exaudiatur à Deo. Deinde, peccatoris oratio non est impetratoria ex merito; neq; ex dignitate personæ petentis: sed ex infinita misericordia & benignitate Dei exaudientis. *Deus peccatores non audit.*

VI. *Quomodo Christus dicit* v. 39. *Se in judicium mundi venisse, cùm ipsemet antea dixerit Nicodemo* Joan. 3. *se in mundum venisse, non ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum?* ℟. Duplex esse judicium, quorum unum est judicium discussionis & retributionis, in quo discussis & dijudicatis omnium hominum meritis, digna uniuscujusq; hominum factis tribuuntur vel supplicia vel præmia. Ad exercendum hujusmodi judicium non venit Christus in priori suo Adventu, sed venturus est in posteriori, & in fine sæculi. Alterum judicium vocatur judicium discretionis, quo per Christum, & per ejus legem electi discernuntur à reprobis: Sic enim Dei judicio, & sententia decretum & constitutum est, ut qui per fidem & dilectionem Christo usq; in finem adhæserint, salvi sint & beati: quicumq; verò ejus doctrinam repudiaverint, sempiternis addicantur supplicijs.

VI. *Quomodo, qui cæci sunt, per Christum vident, & qui vident, per ipsum fiunt cæci* v. 39. *cùm sicut cæcos illuminari à Christo, conveniens est misericordiæ ejus; ita eos, qui vident*

dent excœcari per Christum, videatur admodum alienum & abhorrens à Christi bonitate? R. in verbis illis, *ut qui vident, cœci fiant*, illa conjunctio *Ut*, non denotat causam: sed consequentiam rei. Non enim Christus causa fuit excœcationis hominum, sed ex eo, quòd multi doctrinam ejus aspernati & aversati, miraculaq; maligne calumniati sunt, consecutum est, ut illi desererentur & abjicerentur à Deo, atq; ea ratione vehementius in dies obstirmarentur in malo, magisq; obcœcarentur.

CAPUT X.

Pastorem verum (qualem se esse probat) à falso discernit: unum se cum Patre & Filium Dei esse affirmat, & operibus suis confirmat; unde volunt ipsum blasphemum lapidare: sed hanc non esse blasphemiam clarissimè convincit.

QUæstio I. *Quid Christus hac parabola significare voluit?* R. Vult ostendere se verè Messiam esse & pastorem fidelium, quem ipsi, excommunicando cœcum, Pseudo-Messiam declaraverant. Juxta quam parabolam ovile est Ecclesia: herus est Deus Pater: ostium est Christus, sive fides in Christum, Scripturarum Propheticarum seris conclusum: Ostiarius Spiritus Sanctus, quo dirigente Scriptura intelligitur: Oves sunt fideles: Pastores Prælati, qui intrant per Christum; qui aliunde, sunt fures, quales incipiebant esse Pharisæi ac Scribæ, dum Christo se opponebant.

II. *Quid nomine ostii intelligitur?* R. Recta via est ratio, legitimusq; modus assumendi officium pastoris: est autem ipsemet Christus, ea scil. ratione, ut ab ipso vocatus quis sit ad illud munus pastorale, & propter ipsum Christum id suscipiat & gerat. Sunt enim, qui munus pastorale per vim rapiunt, ut Alcimum summum Pontificatum Judaicum 1. Machab. 7. Sunt etiam qui per largitiones, vel per dolos & fraudes id sibi acquirunt. Nomine autem ostii significari hoc loco ipsum Christum, satis indicant ejus verba: *Ego sum Ostium.*

III. *Quomodo Christus est Ostium, cùm sit verè Pastor?* R. Quæ diversa sunt in hominibus, ea reperiuntur conjuncta in Christo, & quæ diversa sunt inter se, ea secundum variam considerationem, simul Christo conveniunt. Nec mirum hoc: in uno quippe Christo, quæ infinitè distant inter se, substantialiter unita fuerunt; hominis dico & Dei naturam in Persona Verbi. Est itaq; Christus pastor respectu ovium; est ostium respectu pastorum, & ostium pastorum quidem, quia nullus ad pascendas oves, nisi per Christum legitimè ingreditur: respectu verò ovium, quia per Christum oves, ingrediuntur, ut custodiantur, & egrediuntur, ut pascantur.

IV. *Quomodo Gentiles, qui tunc erant infideles & idololatræ, vocantur oves Christi* v. 16.? R. Vocantur oves triplici ratione. Primò: jure creationis. Christus enim, qua Deus erat, omnium hominum & fidelium & infidelium, sicut creator erat, ita gubernator & conservator, ac altor, ob idq; etiam Pastor: nomen enim pastoris significabat altorem, rectorem, custodem, atq; conservatorem ovium. Deinde jure hæreditario ipsius Christi, cui Deus in hæreditatem dederat dominationem & possessionem omnium Gentium Ps. 2. Ad hæc ratione æternæ electionis ad gloriam cœlestem, & prædestinationis ad Christi fidem & gratiam: illi enim infideles ab æterno prædestinati fuerant, ut suo tempore crederent in Christum, & per ejus fidem.

V. *Quid est pastorem animarum vocare oves nominatim?* R. est omnium & singulorum distinctè ac propriè cognoscere ingenia, propensiones, vitia, virtutes, quid cuiq; prosit, aut noceat, quibus rebus egeat. Debet enim bonus pastor animarum habere se ad eos, quos pascit, similiter medicus ad ægrotos, qui sunt in publico Nosodochio: is enim non omnibus illis in commune unum aliquod medicamenti genus præscribit, sed suum cuiq; pro qualitate & varietate morbi & temperamenti corporis uniuscujusq; ægroti, idq; prius exploratum & cognitum habere debet. In Sacra Scriptura dicitur Deus noviss̃e Moysem de nomine, id autem est distinctè & propriè cognoviss̃e, & familiariter atq; amicè cum eo conversatum esse & apud se honoratum & pretiosum illum habuisse. Ergo vocare nominatim oves, quatuor denotat in pastore. Primò distinctam notitiam ovium, deinde studium & amorem erga oves, tum perpetuam circa illas curam & sollicitudinem, ac demum quandam velut conversationem & familiaritatem cum ipsis ovibus.

Christus pastor ante oves vadit.

VI. *Quomodo Christus pastor ante oves vadit?* R. Gratiâ suâ quemlibet justum hominem & prævenit & comitatur & sequitur, signanter tamen hoc loco dicitur antecedere. Ipse enim Christus prior dilexit & elegit oves suas, ipse prior vocavit & traxit eas ad se, ipse præivit exemplo vitæ, veritate Doctrinæ, despicientia rerum terrenarum, contemptu mortis, victoria diaboli, placatione & propitiatione Dei, apertione aditûs in cœlum, præparando omne genus medicinæ ad spiritualem curationem ovium, & abunde præparando

parando ſpiritualia paſcua ad refectionem, & confirmationem, & accretionem earum.

VII. *Quomodo paſtor bonus ponit animam ſuam pro ovibus ſuis?* ℟. Duobus modis id fieri poteſt: primò, ut apertè pro ovium ſuarum cuſtodia & defenſione acriter fortiterq; propugnans mortem oppetat; à latronibus vel à feris interfectus: vel non apertè & citò, ſed latenter, & lentè paſtor ponit animam ſuam pro ovibus, cùm propter magnos & aſſiduos labores, quos in paſcendis & cuſtodiendis ovibus perfert, vita ejus minuitur, morsq; acceleratur, aut in graves & lethales morbos incidit, & citiùs moritur. Chriſtus Dominus noſter, priori modo, qui excellentior eſt, animam ſuam poſuit pro ovibus ſuis: nec iſto tantùm modo, ſed aliis etiam pluribus modis. Ipſe namq; animam ſuam dedit in pretium redimendis ovibus, in medicamentum ſanandis, in documentum paſcendis & nutriendis, in lavacrum abluendis, in ſacrificium expiandis, in præmium cœleſti felicitate glorificandis.

Paſtor bonus ponit animam pro ovibus ſuis.

VIII. *Quid fuit in Chriſto, quod poſuit animam & iterum ſumpſit eam, cùm dicat* v. 17. *pono animam meam & iterum ſumam eam?* ℟. Non natura Divina, nec Verbi Divini perſona, hæc enim ne puncto quidem temporis depoſuerunt, ſive dimiſerunt vel animam vel corpus ipſis unita inſeparabiliter. Neq; anima depoſuit ſeipſam, nec iterum ſumpſit ſe, ùt per ſe manifeſtum eſt; nec item corpus, quod in animam poteſtatem non habet ponendi eam & iterum ſumendi S. Aug. dicit iſtud Chriſti dictum intelligi debere de Chriſti carne non præcisè, ut caro erat Verbo Dei unita; Verbum enim Dei ſubſiſtens in illa carne dimiſit animam non à ſe, ſed à carne ſua, ſeparando animam videlicet à corpore per mortem: & iterum ſumpſit eam per reſurrectionem, animam iterum cum corpore conjungendo.

IX. *Quomodo intelligendum eſt illud Chriſti:* OMNES, QUOTQUOT VENERUNT, FURES SUNT ET LATRONES! *Nunquid Moſes & Prophetæ ſanctiſſimi viri & fideliſſimi Paſtores populi DEI, fures fuerunt? an fur Joannes Baptiſta fuit?* ℟. In verbis Chriſti intelligi debet illud, quod ipſe paulò antè dixerat: *qui non intrat per oſtium, ſed aſcendit aliunde, fur eſt.* Quot igitur venerunt non intrantes per oſtium, fures fuerunt. Sancti autem omnes ante Chriſti adventum, intraverunt per oſtium, quia per Chriſti venturi fidem juſtificati & ſalvati ſunt, & ad docendum, & regendum populum Dei ab ipſo Deo miſſi ſunt. Deinde illo verbo *venerunt* ſignificantur ii, qui non à Deo vocati & miſſi ſunt, ſed ſua ſponte ſuaq; cupiditate adducti ſunt ad ſumendum munus paſtorale: in quos congruè dici poteſt illud, quod per Jeremiam dixit Deus c. 13. *Non mittebam Prophetas & ipſi currebant.*

X. *Quibus rebus Mercenarius ſimilis eſt & diſſimilis bono paſtori?* ℟. Similis eſt, nam & per oſtium intrat ad oves ab ipſo admiſſus Oſtiario: & bona paſcua quærit, & præbet ovibus, bonamq; ac diligentem earum curam gerit, quoad videlicet nihil ſuæ utilitati, aut cupiditati contrarium accidit. Differt autem à paſtore, quòd ſui amore, non autem ovium vel proprii earum Domini paſtorale munus ſuſcipit, & exercet: ex quo fit, ut tantisper oves paſcat, regat & cuſtodiat, dum emolumentum ſperat. Si autem contrarium quid eveniat, ut aliunde plus utilitatis ſperet, aut ſi ex cura ovium magnum ſibi quodpiam timeat damnum, oves deſerit, & hoſtibus earum objectas fugiens ipſe derelinquit. Et hoc facit, inquit Dominus, quia mercenarius eſt, & non ſunt propriæ ejus oves. Fugiunt ſanè nonnunquam etiam boni Paſtores, cùm hoſtili perſecutione premuntur; ſed tunc tantùm fugiunt, cùm perſecutio non propter gregem commota eſt ſed propriè perſonam ipſius Paſtoris petit; & cùm propter Paſtoris abſentiam ad aliquod tempus perſecutio parum damni apportatura eſt gregi: & vitæ Paſtoris conſervatio plurimum deinde gregi prodeſſe poteſt: & ad hujusmodi fugam Diſcipulos ſuos, & documento & exemplo hortatus eſt.

Paſtorem inter & mercenarium diſcrimen.

CAPUT XI.

Lazarum quatriduo mortuum ac ſepultum reſuſcitat, præfatus antè, ſe vitam eſſe & reſurrectionem. Multis hoc miraculo converſis, Phariſæi & Pontifices communi concilio decernunt mortem Chriſto inferre, ſuggerente Caipha expedire unum mori pro multis conſervandis.

QUæſtio I. *Quomodo Chriſtus de morbo Lazari dixit: Infirmitas hæc non eſt ad mortem, v. 4. cùm tamen mors ſubſecuta ſit?* ℟. Non eſt ad mortem, imò, quia hæc mors Lazari non tam erit mors quàm ſomnus; nam illicò ex ea evigilabit & reſurget. Unde v. 11. ait: Lazarus amicus noſter dormit, ſed vado, ut à ſomno excitem eum. Idò, q. d. Infirmitatis Lazari finis & ſcopus non eſt mors, ſed gloria Dei: Deus enim non immiſit morbum hunc Lazaro hoc fine, ut vitam ei per mortem adimat,

Infirmitas non ad mortem.

sed potiùs ut vitam ei majorem restituat, itaq; gloriam adaugeat. Ita S. Aug. Non est ad mortem, inquit, quia & ipsa mors non erat ad mortem, sed potiùs ad miraculum, quo facto crederent homines in Christum, & vitarent veram mortem. 3tiò, *non est ad mortem*, scil. talem, qualis solet esse communis hominum mors; nimirum ut homo in ea permaneat, nec ampliùs ad hanc vitam, & hoc sæculum redeat: licèt enim mors separaret animam Lazari à corpore, tamen non imponebat finem huic sæculo, ut ad illud non rediret, quod tamen facit mors.

Christus resurrectio & vita.

II. *Quomodo Christus est resurrectio & vita?* R. Non formalis sed causalis. q. d. Ego sum, qui resuscito, ego qui vitam præbeo (sic 1. Cor. 1. dicitur, *qui factus est nobis justitia & satisfactio, & redemptio*, hoc est, justificator, sanctificator, redemptor) per me mortui resurgunt, & viventes vivunt; itaq; possum ego jam statim ante resurrectionem communem, fratrem tuum à morte redivivum suscitare, unde S. Aug. *Dicit*, inquit, *resurget frater meus in novissimo die: verum dicis, sed per quem tunc resurget, potest & modò, quia ego sum resurrectio & vita.* Hoc est, ego sum causa resurrectionis & vitæ, ita ut omnes per me resurgant, ac nemo nisi per me resurgere valeat. Causa sum inquam, quadruplex, scil. meritoria, efficiens, exemplaris, & finalis. Ego enim merui mea morte omnium resurrectionem, eandemq; physicè efficiam in die judicii, ac ejusdem exemplar dedi in mea resurrectione, quæ est finis resurrectionis omnium. Resurgent enim fideles omnes hoc fine, ut mihi resurgenti in gloria confirmentur, meq; glorificent in æternum.

III. *Quomodo intelligenda sunt illa verba Christi: Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet?* R. Non tantùm frater tuus me suscitante resurget, sed & quilibet fidelis, qui credit in me fide viva, & per charitatem formata, *etiamsi mortuus fuerit vivet*; tum quia anima ejus semper vivet per vitam charitatis & gratiæ & gloriæ in cœlo; tum quia corpus ejus à morte per me suscitabitur ad vitam beatam & æternam in die judicii, quod propriè hic spectat Christus. Quare licèt illud moriatur, tamen erit hoc ad tempus modicum duntaxat, ita ut mors illa non tam mors, quàm somnus & dormitio esse videatur, nam ex ea evigilabit & resurget in die judicii.

Fremitus Christi.

IV. *Quis fuit fremitus Christi* v. 33.? R. fuisse fremitum compatientis & condolentis, ut verum hominem se esse, & more humano visis aliorum miseriis & lacrymis ex animo compati se & condolere demonstraret. Non quòd ad eas passiones naturæ impetu cogeretur, uti nos cogimur: sed ultrò & sponte illas excitabat quando, ubi & qualiter volebat: unde signanter hic dicitur non turbatus fuisse, sed seipsum turbâsse, seu ad compassionem & lacrymas sponte excitâsse. Ita Damasc. & alii.

Vincula mortui non solvuntur.

V. *Cur Christus mortuum suscitans, non simul vincula ejus dissolvis?* R. Ut Judæi viderent eundem Lazarum suscitari, qui paulò antè ut mortuus, ab ipsis fuerat fasciis & sudario obvolutus; non verò esse phantasma, vel virum quempiam in sepulchro absconditum, ad fucum faciendum, ita S. Aug. & alii. Ad hæc ut duplex esset miraculum; primum enim fuit mortui suscitatio: secundùm, quòd mortuus suscitatus quidem, sed adhuc pedibus colligatus, & faciem obvolutus, directè tamen ambularet, & extra sepulchrum rectè ad Christum pergeret. Ita Chrysost. & Theophyl.

Caiphas prophetavit.

VI. *Quomodo Caiphas dicitur prophetâsse* v. 51.? R. Non formaliter (nam aliud omnino intendebat;) sed materialiter, Spiritu Sancto lingvam ejus movente, non cor, ut ait Chrysost. hom 64. Caiphas enim intelligebat, utile esse Christo mortem inferre) quod malum erat) ut temporaliter liber maneret solus populus Judaicus: Spiritus Sanctus verò intendebat, utile esse, Christum mortem subire (quod bonum erat) ut spiritualiter liberaretur totus orbis: *Vide*, inquit Chrysost. *quanta virtus sit Spiritus Sancti. A mente mala voluit verba proferre prophetica. Vide etiam, quanta sit pontificalis virtus potestatis.* Cùm enim esset Pontifex anni, id est, temporis illius, cui propter summam illam dignitatem fides ab omnibus habebatur, voluit Spiritus S. in hujus prophetiæ prolatione, illo potiùs, etsi nequissimo instrumento uti, quàm aliis ad fidem faciendam minùs idoneis.

CAPUT XII.

Christo in Bethania cœnanti pedes pretioso ungvento ungit Maria Magd. quæ ideo accusatur à Juda, sed à Christo defenditur. Principes enim Lazarum interficere cogitant. Interim Christus eum triumpho Jerosolymam invehitur: à Gentilibus expetitur: voce cœlesti clarificatur: instar grani frumenti moriturum se prædicit, & morte sua principem tenebrarum foras ejiciendum, Patrem cœlestem honorandum, Judæos magis excœcandos.

Quæst. I.

QUæstio I. *Cur Christus Judam furem elegit?* R. Quia Judas aptior erat ad res temporales procurandas, quàm cæteri Apostoli: furtum verò permisit, quia inde nata est occasio proditionis & passionis suæ, quam ipse ambiebat. S. Aug. ait, quia Ecclesia loculos habitura erat, fures admisit, ut ejus Ecclesia potentes fures dum patitur, toleraret; ut doceret tolerandos esse malos, ne corpus Christi dividamus; tolera malum bonus, ut venias ad præmium bonorum. Addit Chrysost. Commisit Dominus furi loculos, ut omnem ei abscinderet proditionis occasionem, ne videretur ob pecuniæ defectum eum prodere. *Judas fur eligitur.*

II Qui erant *Gentiles, qui ascendenunt, ut adorarent in die festo* v. 20? R. Fuerunt partim proselyti, hoc est, qui Judæorum religionem jam amplexi erant, vel potius amplecti cogitabant, ut opinantur Chrysost. Theophyl. & alii; partim verè Gentiles, qui unum esse Deum censebant, quem cùm à Judæis viderent adorari tanta majestate in templo Jerosolymitano, à tanta hominum multitudine in paschate, ipsi idem cum eadem facere destinarant, præsertim allecti famâ sanctitatis & miraculorum Jesu, quem videre & audire cupiebant, uti ait hic Joannes. ita Cyrillus & alii. Simili modo Eunuchus Candacis Reginæ venit adorare in Jerusalem Act. 8. sic etiam Gentilium Reges templum Jerusalem venerabantur, & ei dona mittebant, ùt Cyrus 1. Esdræ 1. Darius Hystaspis ibid. c. 6. Seleucus, & alii Reges Asiæ, 2. Machab. 3. *Gentiles.*

III. *Cur Christus comparatur grano frumenti?* R. Quia granum est parvum mole, & in speciem vile & aspernabile, & occultatur in terra, & sæpè à prætereuntibus conculcatur, sed ipsum virtute atq; efficacia magnum quid est atq; pretiosum, siquidem ex eo, quidquid postea pulchri & commodi est in frumento, totum provenit. Consimili ratione Christus secundùm faciem, externamq; conversationem obscurus & humilis atq; contemptus habebatur: ex ipso tamen extitit omnis pulchritudo Ecclesiæ omniaq; bona & decora, ornamentaq; Electorum. Nimirum hoc differt inter granum & paleam, quod granum est quid parvum, & secundùm externam speciem vile ac despectabile; palea verò est grandior & speciosior. Sed revera granum est quid solidum & frugiferum, cibumq; optimum præbens homini: palea verò est inanis & sterilis, cibusq; jumentorum & esca ignis. Simili quodam discrimine doctrina Christi differt à mundana & humana doctrina, illa enim grano, hæc autem paleæ similis est. *Christus granum frumenti.*

IV. *Cur numero singulari dictum est granum, & non pluraliter grana?* R. Ut insinuaretur incomparabilis unius grani, qui Christus est, fœcunditas; fuit enim hoc unum granum usq; adeo fœcundum, ut omnia impleverit horrea Ecclesiæ tam militantis quàm triumphantis. Divinum hoc granum, non centesimum vel millesimum fructum tantùm tulit, sed inæstimabilem & immensam vim fructus per suam passionem & mortem mundo attulit. Ad hæc: in universo hominum genere, unum duntaxat inventum est granum, quod ferre posset fructum redemptionis humani generis. Cætera enim omnia grana peccatis erant corrosa, putrefacta, & planè corrupta: solùm hoc unum granum integrum & mundum, & fructiferum, & sine omni vitio inventum est. Nam de aliis omnibus dixit Paulus Rom. 3. *Omnes peccaverunt, & egent gloriâ DEI.* De se autem verissimè Dominus Judæis dixit Joan. 3. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Nam qui venerat tanquam Agnus DEI tollere peccata mundi, eum ab omni peccato liberum & purum esse oportebat.

CAPUT XIII.

A cœna surgens Christus, humilitatem charitatemq; commendaturus suis Apostolis, pedes eorum lavat; proditorem Judam porrectâ illi buccellâ Joanni indicat: Petro trinam sui negationem prædicit.

QUæstio I. *Quem transitum significat vox Pascha?* R. Triplex in Scriptura legitur transitus ad Hebræos pertinens. Unus cùm ex Ægypto transierunt in terram promissionis; & hunc transitum vocabulo Paschæ significari putavit Nazianz. in Orat. de S. Paschate. Alter transitus fuit per mare rubrum, quem transitum designari nomine Paschæ scripsit Aug. tract. 55. in Joan. Fuit etiam transitus Angeli percutientis primogenita Ægyptiorum, qui domos Hebræorum, quas cernebat tinctas sangvine Agni immolati transibat innoxiè nihil eas lædens, domos verò Ægyptiorum percutiebat, occidens primogenita, quæ in eis erant; & hunc transitum Angeli vocabulo Paschæ denotari ait Hieron. in Matth. c. 26. Et hanc esse veram sententiam, patet ex Exodi 12. ubi Moyses ait: *Cùm introieritis in terram, quam Dominus daturus est vobis, ùt pollicitus est observabitis cæremonias istas. Et cùm dixerint vobis filii vestri: Quæ est ista religio? dicetis eis: victima transitus Domini est, quando transivit per domos filiorum Israël in Ægypto, percutiens Ægyptios & domos nostras liberans.* *Pascha transitus.*

II.

Lotio pedum.

II. *Ante quam cœnam Christus Discipulis suis lavit pedes?* R. Christus triplicem cœnam cœnavit cum Apostolis. Prima fuit cæremonialis, qua comedit Agnum Paschalem. 2da fuit communis, sive usualis, quia enim in amplis familiis multarum & edacium personarum, agnus non sufficiebat ad explendam omnium famem, hinc post ejus esum succedebat cœna communis, qua alias carnes & cibos more aliorum dierum comedebant. Tertia fuit cœna Eucharistiæ. Itaq; Christus post duas priores cœnas, ante hanc tertiam lavit Apostolorum pedes, volens hac lotione ostendere, quanta puritate & humilitate accedendum sit ad Eucharistiam.

Morti traditur Christus à Patre

III. *Si Judas peccavit tradendo Christum morti, quomodo Rom. 8. dicitur Deus Pater tradidisse Christum morti: Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum?* R. Vitam Christi fuisse in arbitrio & potestate Dei Patris, qui erat effector & Dominus ejus; quocirca justè potuisset morti eam tradere, præsertim autem pro tanto bono, quantum erat redemptio generis humani: non erat Christi vita in potestate Judæ nec Judæorum, & ideo maximum fuit eorum crimen, qui mortem Christo intulerunt. Dicitur autem Deus Pater tradidisse Christum morti, quòd eam ipsi à Christo comparatam, cùm facillimè posset arcere, & ab eo avertere, volulit tamen, ut non solùm eam non declinaret, sed etiam libenter & ultro subiret.

IV. *Si quæ fecerunt Judæi adversùs Christum, fuerunt scelestissima & execranda, quomodo Act. 2. & 4. ea dicuntur fuisse DEI manu & consilio definita & decreta, ut fierent?* R. Mortem, quam Judæi Christo intulerunt, dupliciter posse considerari, vel ut erat malum culpæ respectu Judæorum, qui eam intulerunt, vel ut erat malum pœnæ, respectu Christi, qui eam passus est. Deus itaq; mortem Christi; ut erat malum culpæ, non voluit, imò detestatus est, & propter eam gravissimè punivit Judæos: ut autem erat malum pœnæ voluit Deus eam suscipi à Christo, & decrevit per ejus mortis perpessionem redimere ac salvum facere genus humanum. Definitæ sunt etiam à DEO passiones Christi, quantum ad locum, in quo factæ sunt, quantum ad tempus, quando factæ sunt, quantum ad modum, & mensuram, ac ordinem, quo factæ sunt.

V. *An Christus illis verbis* v. 27. *Quod facis, fac citiùs, præcepit Judæ, ut proditionis executionem accelerare?* R. Illud *fac citiùs*, non sunt verba præcipientis Judæ, ut scelus proditionis perficeret; sed permittentis id fieri, cùm prohibere tamen posset; & significantis, se non modò non impediturum, ne quod volebat Judas efficeret; sed etiam, quod contra ipsum fecisset, se alacriter subiturum; vel sunt verba propheticè prænunciantis, quod facturus erat Judas.

CAPUT XIV.

Apostolos ob instantem sibi mortem conturbatos consolatur variis argumentis: divinitatem suam & fructum mortis suæ prolixiùs exponit: consolatorem Spiritum Sanctum promittit; ejusq; officium describit: pacem deniq; suam omnibus pollicetur.

Domus cœlestis.

QUæstio I. *Cur cœlestis Beatorum societas vocatur domus* v 22.? R. Ad significandam mutuam omnium Beatorum inter se notitiam, & ipsius DEI, mutuamq; inter se familiaritatem & concordiam, qualis scil. inter domesticos esse solet. Et quia triplex usus corporalis domus excellenter sit in illa domo cœlesti; præstat enim nobis domus corporalis, ut commodè vitam agamus, ut tutò & securè vivamus, ut bona nostra custodiamus, ne ab aliis nobis auferantur, vel ne incustodita dissipentur & pereant nobis.

Mansio cœlestis.

II. *Cur cœlestis illa felicitas vocatur mansio?* R. Quia ultimus terminus, ad quem tendit humanus appetitus est illa felicitas, extra quam nulla in re alia plenè conquiescere potest, sicut in solo centro, quod est ultimus terminus motus lapidis, naturaliter manet, & conquiescit lapis: *Creâsti nos Domine ad te,* inquit Aug. *& inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Deinde possessio illius felicitatis dicitur mansio, ut significetur differentia præsentis vitæ, atq; illius cœlestis & æternæ: hæc enim præsens vita nostra non manet, sed perpetuò labitur & fluit, est enim tanquam ventus transiens, umbra fugiens, fumus deficiens, aqua dilabens, flos egrediens, moxq; inarescens, vapor & nubes brevi apparens, citoq; evanescens, tanquam labentis horologium arenæ, & candela ardens, quæ sua paulatim luce consumitur, *transit mundus & concupiscentia ejus.* At cœlestis illa felicitas verè dicitur mansio, quia est sempiterna: æternitas autem est quasi unum nunc semper stans & manens, & felicitas illa describitur: *status omnium bonorum aggregatione perfectus.* Ibi sunt omnia bona, ibi sunt pura bona, ibi sunt permanentia & æterna bona.

III. *Cur*

III. *Cur manſiones dicuntur eſſe multæ in cœlo?* R. Quia non eſt unius menſuræ, neq; æqualis gloriæ felicitas omnium Beatorum, ſed ſicut fuerunt diſparia in terris merita, ita erunt in cœlis inæqualia præmia. Nam æqualem eſſe omnium juſtorum & gratiam & gloriam, hæreſis fuit Joviniani à S. Hieronymo confutata lib. 2. contra ipſum; quæ manifeſtè refellitur non ſolùm his Domini verbis, *in domo Patris mei manſiones multæ ſunt;* ſed etiam illâ parabolâ Evangelicâ eorum, qui accepta talenta multiplicârunt, alii plus, alii minus, & à Domino remuneraci ſunt, alii minori, alii majori præmio: hoc etiam confirmat parabola ſeminis in terram jacti, & proferentis fructum, aliud centeſimum, aliud ſexageſimum, aliud triceſimum: & S. Paulus 1. Cor. 15. docet diverſam fore Sanctorum gloriam, ſicut diverſa eſt claritas ſolis & lunæ & ſtellarum. *Manſiones multæ in cœlo.*

IV. *An una ſit gloria omnium Beatorum in cœlis?* R. unam eſſe deſignatam per unum illum denarium, quem paterfamilias pro mercede reddidit laborantibus in vinea ſua. Eſt inquam una variis modis, primò objectivè, quia beatitudinis omnium objectum eſt unum, ipſe Deus Deinde ſubjectivè, quia omnes potentiæ animæ, & poſt reſurrectionem, etiam ipſum corpus, in omnibus Beatis glorificantur. Tum ratione durationis, quia omnium Beatorum, ſimiliter æterna eſt gloria. Ad hæc ratione ſecuritatis & certitudinis, de nunquam amittenda illa gloria. Omnes enim Beati ſimiliter pleni & contenti & ſatiati ſunt ea gloria, quam habent, cujus rei exemplum eſſe poteſt in vaſis, aliis majoribus, aliis autem minoribus ex eodem fonte aquam habentibus, & omnibus ſimiliter plenis usq; ad ſummum. *Gloria una Beatorum.*

V. *An cœleſtis illa beatitudo in Beatis eſt multiplex & diſpar?* R. affirmativè, idq; propter diverſitatem meritorum, & propter majus vel minus lumen gloriæ, & magis, minusq; perfectam eſſentiæ DEI viſionem; alii enim clarius, quàm alii Deum vident, & plura in eo vident, & ardentiùs eum amant, & ſuavius eò fruuntur. Differunt autem Beati non ſolùm ſecundùm gloriam eſſentialem, ſed etiam ſecundùm gloriam accidentalem; eſt enim in quibusdam Beatis peculiaris quædam gloria accidentalis, quæ non eſt in aliis, ſicut eſt peculiaris quædam gloria & Martyrum, & Virginum, & Doctorum. *Beatitudo cœleſtis multiplex.*

VI. *Quomodo manſiones illæ in domo Patris paratæ ſunt Sanctis?* R. Paratæ ſunt à DEO ab æterno per eorum prædeſtinationem ad vitam æternam, & uniuscujusq; eorum ad talem ac tantum gloriæ gradum Paratæ ſunt etiam à Chriſto Domino per meritum ſuæ paſſionis, qua meruit nobis gratiam vocationis & juſtificationis ac perſeverantiæ usq; ad finem. Parantur quoq; à nobis, quia nos Divinæ gratiæ cooperando facimus bona opera, quibus in cœleſtes illas manſiones recipi meremur. *Manſiones Sanctis paratæ.*

VII. *De qua viſione dixit Chriſtus* v. 9. *Qui videt me, videt & Patrem?* R. Non de viſione corporali, Deus enim Pater eſt incorporeus, nec de viſione intellectuali, quæ mentis intelligentia, naturaliq; ratione comparari poteſt, cognitio enim Chriſti, ut eſt verus DEI Filius, ducens in cognitionem DEI Patris eſt omnino ſupernaturalis: ſed hoc Chriſti dictum intelligendum, eſt de viſione ſeu cognitione ſpirituali, quæ per DEI revelationem, & illuminationem Spiritûs Sancti, id autem eſt, per lumen fidei, contingit homini, multoq; magis id verum eſt, de viſione beatifica, de qua tamen hoc loco non eſt locutus Dominus. Pluribus tamen modis interpretari licet, viſo Chriſto etiam videri Deum Patrem. Primo, propter unitatem naturæ Divinæ, quæ prorſus eadem eſt in Filio & in Patre, ſicut ipſe dicit: *Ego & Pater unum ſumus.* 2dò ratione verbi intellectualis, quod eſt expreſſa imago rei intellectæ, Chriſtus autem æternum & naturale Verbum eſt DEI Patris, ob idq; viva imago ejus perfectè repræſentans ipſum. 3tiò, ratione filiationis, cùm enim Chriſtus ſit verus & naturalis Filius DEI, eſt conſubſtantialis Patri, quoniam autem omnia, quæ ſunt in Patre idem reipſa ſunt cum ejus ſubſtantia, Chriſtus habens in ſe ſubſtantiam Patris, ſimul etiam habet omnia, quæ ſunt in Patre hinc autem neceſſariò efficitur, ut viſo Chriſto etiam Pater videatur. *Chriſto viſo videtur Pater.*

VIII. *Quomodo intelligendum eſt, eos, qui credituri erant in Chriſtum facturos eſſe majora opera & miracula, quàm fecerat Chriſtus?* R. Dicuntur majora facturi miracula miraculis Chriſti, ſecundùm exiſtimationem hominum: multi enim quædam, licèt revera ſint minora, quia tamen rara, inſolita & inaudita ſunt, magis admirantur & prædicant; quocirca Judæi ſigna de cœlo petebant, quia hæc rariora eſſent & mirabiliora hominibus viderentur. Et hominum opinione majus videbatur ægros ſanari ad umbram Petri, quàm Chriſti verbo & tactu. Deinde poſſunt intelligi fore majora non quidem qualitate, ac præſtantiâ miraculorum, ſed numero & multitudine: tres enim duntaxat mortuos ad vitam revocavit Dominus; à quibusdam verò Sanctis plures fuiſſe ad vitam ſuſcitatos in probatis hiſtoriis traditum eſt. Ad hæc, poſſunt intelligi majora fore miracula, ipſo effectu & fructu, & inæſtimabili utilitate, quæ miracula aliorum conſecutura erat. Chriſtus enim ſuis miraculis, paucos traxit ad fidem ſuam: Apoſtoli verò innumerabiles gentes miraculis ſuis ad fidem Chriſti converterunt: ſcitum profectò eſt illud Auguſtini, totius mundi ad Chriſtum converſionem per Apoſtolos & alios factam, omnium miraculorum maximum eſſe miraculum. *Miracula majora miraculis Chriſti.*

Spiritus S. missus in nomine Christi.

IX. *Quomodo Spiritus Sanctus missus in nomine Filii?* R. Dicit Christus, *in nomine meo*, id est, per me, inquit Cyrillus, quia Spiritus S. à Patre & Filio procedit: quare Pater cum Filio, vel per Filium, uti spirat, sic & mittit Spiritum S. 2dò *in nomine meo*, id est, propter me & merita mea. 3tiò *in nomine meo*, id est, pro me, mei loco, ut meum opus, quod ego cœpi, prosequatur, ut mea negotia tractet, ut scil. meam fidem, doctrinam, Ecclesiam per prædicationem Apostolorum dilèminet per omnes Gentes. Ita Maldonatus, Toletus & alii.

Pater major Christo

X. *Quomodo Christus dicit* v. 28. *Pater major me est?* R. His verbis probabant Ariani Filium non esse Deum, sed primam Dei creaturam. Verùm S. Athan. S. Basil. Nazianz aliiq; Patres eis optimè respondent, Christum hìc loqui de se, non quà Deus, sed quà homo erat: sic enim erat Patre, imò Angelis quoq; minor. Id ita esse liquet ex eo, quòd Christus hìc det causam, cur ad Patrem vadat, quia inquit, *Pater major me est.* Atqui Christus vadit ad Patrem, quà homo est conscendens in cœlum. Nam quà Deus semper est in cœlo cum Patre. Unde S. Aug. *Ergo*, inquit, *& ibat per id, quod uno loco erat, & manebat per id, quod ubiq; erat*, id est, ibat per humanitatem, manebat per Deitatem.

XI. *Cur Pater non est Filio major in DEO, sicut est in generatione humana?* R. In humanis Pater major est filio primò, quia filio est prior & senior. 2dò, quia illo staturâ & quantitate est major: grandis enim generat infantem parvulum. 3tiò, quia producit naturam aliam & exilem, à sua numericè differentem, quam filio communicat, quare illo ejusq; naturâ, utpote cujus est author, est major. 4tò, quia liberè generat filium, poterat enim non generare. At in Divinis prorsus alia est ratio, nam Pater Filio nec ætate nec staturâ est major, sed coævus par & æqualis; nec aliam à sua Deitate ingenerat, sed eandem, quam habet, Filio communicat: nec liberè generat, sed ex naturali naturæ Divinæ fœcunditate hunc Filium sibi æqualem producit, nec alium producere potest. Hæc enim Deitatis fœcunditas tam poscit esse in Filio, quàm in Patre, adeoq; poscit esse in tribus personis, iisq; totam sese æqualiter communicat & infundit.

CAPUT XV.

Vitis & palmitum similitudine ostendit quomodo fructum ferre Discipuli possint: perseverentiam in fide & justitia, & dilectionem mutuam commendat, ad patientiam in adversis exemplo suo hortatur.

Parabola vitis & palmitum.

QUæstio I. *Quis est scopus hujus parabolæ?* R. Ut demonstret frustra alia omnia tentari, non posse ullam esse vitæ æternæ, fructuumq; spem, nisi in Christo. Arescere & perire, quidquid viti illi non inhæret. Quicquid infructuosum est, quantumcunq; lætis pampinis luxuriet, amputandum, non esse in rem ullam utile, nisi in ignem. Hoc igitur unicè agendum, ut radici & trunco fixi hæreamus. Urget enim hìc Christus, ut Ecclesiam & illi doceant: omnes fideles Christo inseri, Christo complantari, Christi membra esse.

II. *An Ariani ex eo, quòd Pater sit agricola & Filius vitis bene intulerint, Filium non esse ejusdem cum Patre substantiæ, cùm Agricola & Vitis non habeant eandem substantiam?* R. perperam. S. Athan. ait ex figuris non esse de essentia Patris & Filii constituendum, hìc tantummodo hoc agi, ut Christus se vitem ostendat, bonos fructus ferentem, & omnes fideles suos esse palmites. Deinde certum est illud dictum de vite & agricola non referri ad Deitatem Verbi, sed ad ejus humanitatem. Cœterùm Arianorum ratio futilis est. Cùm enim Pater & Filius diversis similitudinibus conferuntur, non desinunt esse ejusdem naturæ. Cùm Patrem ipsum diversis hieroglyphicis Spiritus S. depingat. Si enim Arium audimus dicentem: Pater est agricola, Filius est vitis, agricola & vitis non sunt ejusdem substantiæ, ergo nec Pater & Filius. Pari modo duos filios aut plures faciemus, Filius est agnus, filius est leo de tribu Juda. Leo & agnus non sunt ejusdem substantiæ. Sic Christus c. 10. ostium est & Pastor, nec tamen idem est ostium & pastor. Itaq; hominis imperiti est & cavillatoris ex metaphoris & parabolis proprietatem sermonis evertere.

Viti se Christus comparat.

III. *Cur Christus se viti comparat?* R. Propter fructuum copiam, propter eorundem præstantiam ac svavitatem, propter generosissimum vinum, quod inde exprimitur; propter ramorum & palmitum amplitudinem. Deinde, cùm Christus paulò antè Apostolos suos monuisset, ut in dilectione ejus persisterent, etiamsi viderent eum prodi à Juda, capi, crucifigi & occidi; hinc jam idem hìc inculcat per parabolam vitis. q. d. Sicut palmes semper inhæret viti, nec ullo frigore, vento, fulmine, ab ea se divelli patitur, ut fructum ferat: sic & vos ô Apostoli in mea dilectione persistite, nec ob meam passionem & mortem à mea fide & amore desciscite, sic enim fructum insignem & copiosum proferetis.

IV.

IV. *Cur Christus dicitur Vitis vera?* R. Quia verè habet naturam, indolem, proprietates & dotes vitis. Sicut enim vera vitis veros palmites & veras uvas producit: sic Christus veros fideles, verasq; virtutes progignit per suam gratiam, quam eis velut succum viniferum instillat. Sic igitur ipse dicitur vera vitis non corporalis sed spiritualis. Vera ergo vitis opponitur viti falsæ & fallaci, quæ speciem habet vitis, sed non naturam, quæq; non uvas sed labruscas; nec vinum sed omphacium profert: quales sunt vites Sodomæ, quæ exteriùs pcoferunt uvas in speciem pulchras; sed ubi eas attigeris, in favillam resolvuntur, & in fumum abeunt & evanescunt, teste Josepho l. 2. de bello c. 5. Tales vites quoq; fuêre Judæi à DEO ad idola & vitia desciscentes, de quibus Deut. 32. 31. dicitur: De vinea Sodomorum vinea eorum, & de Suburbanis Gomorrhæ: una eorum uva fellis & botri amarissimi, fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.

V. *Quomodo Christiani dicuntur palmites hujus vitis?* R. Quia Christo quasi palmites viti junguntur & inhærent tum spiritualiter per fidem, spem, & charitatem; tum corporaliter, ut vitis sit Christi humanitas, cujus nos sumus palmites propter identitatem naturæ humanæ, præsertim in Eucharistia, in qua Christo non tantùm ùt palmites viti, sed etiam ùt cera liquefacta alteri ceræ liquatæ jungimur & permiscemur. *Palmites sunt Christiani.*

VI. *Propter quem sermonem mundi dicuntur Apostoli* v. 3.? R. Quem habuit in ultima cœna. Purgavit enim corda eorum à multis imperfectionibus, tum illustrando & docendo, tum increpando & admonendo, tum instruendo, tum demum affligendo: nam dolore & timore eos affecit, quibus eorum fides aucta est, & dilectio ferventior, & spes robustior est effecta. Hoc enim Christi Sermone Apostoli purgati sunt ab ignorantia quadam: Nam Petrus nesciebat, quò Jesus vaderet; Thomas ignorabat viam; Judas alter Patrem videre quærebat: has ignorantias resecuit Dominus. Purgati sunt etiam à vana quadam confidentia: Nam Petro eorum primo dictum est: ter me negabis. Purgati sunt à carnali quodam affectu; quia nimirum intenti & addicti erant præsentiæ sensibili Christi, semper eâ frui cupientes. Jam autem audiunt, Dominum abire ad Patrem, eosq; remansuros: purgantur à pusillanimitate, qua recedente Christo jam ferè de sua salute desperabant: multæ aliæ erant imperfectiones, quas Dominus à suis Discipulis resecuit hac nocte cœnæ. *Apostoli mundi propter sermonem.*

VII. *Quid discendum ex verbis illis* v. 26. *Quem* (Paracletum) *ego mittam vobis à Patre?* R. Græcos recentiores ex hoc loco contendere Spiritum S. à solo Patre procedere & spirari non à Filio, ideoq; publicum schisma ab Ecclesia Latina fecisse Anno 1054. cùm Michaël Patriarcha Constant. Pontificem Rom. & Latinos hac de causa excommunicare est ausus: atq; hac de causa anno 1452. in ipso festo Spiritûs S. putà in feriis Pentecostes capta fuit Constantinopolis à Turcis, Imperator occisus, & Imperium Græcorum extinctum est. Hic ergo Græcorum est error. Cùm Christus dicit Paraclitum à Patre procedere, subintelligi vult etiam à se Filio procedere, ex eo quod immediatè ante dixit, se missurum ipsis illum: nemo enim in Divinis mittitur, nisi ab illo à quo procedit, ùt docent Scholastici. Dicitur autem tunc mitti Persona Divina, cùm ex voluntate ejus à quo procedit, incipit alicubi esse novo modo, quo ante ibidem non fuerat: sic Filius per incarnationem, Spiritus S. per infusionem gratiæ & donorum missus dicitur. Porrò etsi Spiritus S. tam à Filio, quàm à Patre mittatur, aliqua tamen solet in modo mittendi notari diversitas: Pater enim quia à nemine procedit, sed ab ipso præcedunt, dicitur *mittere à seipso*; Filius verò quia procedit à Patre, & ab eo vim omnem spirandi & mittendi accipit, imò eadem numero, spiratione, & missione cum Patre spirat & mittit Spiritum S. ideo dicitur hìc *mittere à Patre*, ferè sicut dicitur Gen. 19. v. 24. pluisse *Dominus à Domino*. *Schisma Græcorum.*

CAPUT XVI.

Persecutiones prænuntiat Discipulis suis: sed Paraclitum promittit, qui ut ipsos solabitur; ita redarguet adversarios: mulieri in partu dolenti, sed post partum gaudenti comparat suos morte sua afflictos; sed resurrectione mox iterum recreandos, & dispersionem eorum ac fugam ea ipsa nocte, prædicit.

QUæstio I. *Quid mali est in eo, quòd synagoga impiorum ejiciantur fideles, cùm ultro & sua se sponte separare debeant?* R. S. Aug. mysterium in eo agnoscit, quòd illi qui nollent esse in Christo, eos ejicerent, qui non poterant esse sine Christo. Habuisse autem eos zelum, sed non secundùm scientiam. Pœnæ enim magnitudo non consistebat in eo, quòd improborum societate sejungerentur, sed quòd tanquam impii, omnium odio digni, omnium alloquio indigni, ab illis, qui se populùm DEI jactabant, arcerentur.

II. *Quæ sunt illa nova, quæ v. 5. primò Apostolis Christus dicit, nec antè dixit? utiq; persecutiones eis prædixit Matt. 10. 17. & Luc. 12. v. 12.?* R. Etsi quædam de persecutioni-

bus jam antè Apostolis prædixerat Christus; non tamen omnia, quæ hìc particulatim prædicit, nec cum tanto pondere, & atrocitatis significatione, nam non prædixit eos à Judæis fore excommunicandos, uti hìc ait: *absq; synagogis facient vos*, nec mortem & martyrium omnes passûros. Licet enim Luc. 21. dicatur *& morte afficient ex vobis*, tamen hoc de paucis accipi poterat, non de omnibus.

III. *Quomodo Spiritus S. non dicitur locuturus à semetipso* v. 13.? R. Non loquetur sine meo & Patris arbitrio, quia non ex se est, sed ex Patre & me est; & quod subsistit & loquitur à Patre, & à me illi est, ait Didymus l. de Spiritu S. Rursum Christus docere voluit originem veritatis æquè ac Spiritus Sancti esse tam Patrem quàm se: unde Spiritum Sanctum eandem veritatem docturum, quàm ipse docuerat: quia *quæ audiet*, id est, quæ ab æterno audivit, audit, & audiet semper, sive quæ cum essentia Divina haurit tam à Patre, quàm à Filio, hæc loquetur. S. Aug. tr. 99. *Non moveat*, inquit, quòd verbum futuri temporis positum sit; est enim illa sempiterna audientia, quia sempiterna scientia. In sempiterno autem, sine initio & fine cujuslibet temporis verbum ponitur, nec mendaciter dicimus, fuit, & est, & erit; fuit, quia nunquam defuit; erit, quia quia nunquam deerit, est, *quia semper est.*

IV. *Cur Christus non dixit de Spiritu Sancto, me accipiet, sed de meo* v. 14.? R. Quia Spiritus S. non accipit totum, quod est in Filio; non enim accipit Filiationem, sed essentiam, ex qua & filiatione constituitur Filius, secundùm nostrum modum concipiendi. Et sic explicat Christus v. seq. dicens: *omnia quæcunq; habet, mea sunt. Propterea dixi;* quia de meo accipiet.

CAPUT XVII.

Orat Christus Patrem, ut mutua fiat illustratio gloriæ suæ & ipsius: orat & pro Apostolis suis, & pro toto credentium grege.

Christus orat.

QUæstio I. *Cur Christus orat?* R. Non quòd ipse auxilio egeret, qui Deus esset, sed ut verum etiam se esse hominem demonstraret; ideo, quoad naturam humanam à DEO totum dependere, sine DEO nihil posse, in DEO omne præsidium collocare, atq; ita exemplo præit, ne nobis fidamus, ne nostris viribus aliquid moliamur. Ita ergo se exhibuit precatorem ut præstaret nobis Doctorem re ipsa, non monitis erudiret, ne homine indigna videretur oratio, quam redemptor adhibuit.

Hora passionis.

II. *Quam horam intelligit Christus* v. 1.? R. A SSma Trinitate ab æterno constitutam, ut jam pati incipiat, non fatalem ex causis naturalibus ortam, sed quam sibi Filius DEI ab æterno constituit, non est hora, in quam impegit, sed quam elegit; sponte enim & omnium præscius in illam horam venit, ut qui non modò omnia momenta passionis, sed gressus etiam & hostium machinationes in numerato tenebat.

Clarificatio Christi.

III. *Quid per clarificationem intelligit?* R. vult, ut clarè & gloriosè manifestetur toti orbi, se esse Filium DEI: vultq; ipse vicissim Patrem clarificare, id est, ejus divinitatem, gloriam, omnemq; perfectionem omnibus manifestare, nempe per mortem, resurrectionem, ascensionem suam, & Spiritus Sancti missionem &c. Per hæc enim toti mundo innotuit mysterium SS. Trinitatis, & bonitas, potentia, sapientia, justitia DEI infinita.

Potestas omnis carnis.

IV. *Quæ est potestas omnis carnis* v. 2.? R. Potestas in omnem vel super omnem carnem. Carnis autem nomine homines significat. Plenissimum autem jus & absolutum dominium Christo dedit pro beneplacito suo statuendi de omnibus 1. Cor. 15. 27. Eph. 1. 22. Colos. 1. 18. Data autem potest homini: nam quà Deus ab æterno eam cum Patre æqualem habuit, quamvis à Patre eam accepit, sed generatione æterna, sicut etiam essentiam.

V. *Quomodo intelligenda verba Christi* v. 9. *Non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi?* R. Christus orat hìc tantùm pro suis Apostolis & Discipulis (quia eis hac oratione benedicens valedicit) ut conserventur à DEO Patre, in fide gratia & concordia, in qua jam erant. Id patet ex v. 11. & 20. ubi post orationem factam pro Apostolis, orat pro cæteris fidelibus per eorum prædicationem credituris. Ergo pro eis hìc non oravit. Porrò *pro mundo*, id est, mundi amatoribus & incredulis, quin & Crucifixoribus suis oravit Christus alibi, præsertim in cruce, ut sese converterent, pœnitentiam agerent, itaq; veniam, gratiam, & salutem consequerentur, dicens: *Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt.* Luc. 23. cujus orationis vi, multi ex eis paulò pòst, prædicante S. Petro, conversi sunt, ut patet Act. 2. Hìc tamen pro eis non oravit (nec enim omnia omnibus, neq; semper & ubiq; postulanda sunt) sed tantùm pro Apostolis, quia eis hìc valedicit, & orando benedicit.

CAPUT

CAPUT XVIII.

Christus à Juda proditur Judæis, quos omnes verbo uno resupinos prosternit; dein sponte capiendum se præbet: ad Annam, ad Caiphan ducitur, ubi alapâ cæsus cædentem injustitiæ redarguit: ter à Petro negatur: Pilato traditur; Regem se & Messiam profitetur. Barabbæ postponitur.

QUæstio I. *Quæ miracula facta dum ad capiendum Dominum veniunt?* R. Primum est, quòd oculos eorum percussit cœcitate, ne ullus sæpe visum agnosceret. Deinde vocem quoq; sæpe auditam ignorabant. 3tiò uno verbo cùm diceret: *Ego sum*, velut turbine omnes prostravit, ut supini caderent, magno sonitu cohors integra cum Judæis, eorumq; ministris, ingenti etiam indignatione cùm ad terram cum armis alliderentur, multiq; ut conferti stabant, in se mutuò impingerent. Deniq; cùm etiam Apostolos inermes, Petrum præsertim, qui gladium in servum Pontificis strinxerat, facile capere potuissent, omnino abstinuerint, arcano Dominicæ vocis imperio ligati.

II. *Cur Christus dixit: Sinite hos abire?* R. Quia ad ipsum spectabat, ut solus sua morte homines redimeret, quasi Mediator, Redemptor & Salvator mundi. Deinde quia Apostolos destinârat sibi superstites, ut post mortem, resurrectionem, doctrinam & legem toto orbe promulgarent. Deniq; ut ostenderet suum erga eos amorem & curam, quo quasi bonus pastor ovium salutem curat, suam negligit, imò animam suam ponit pro ovibus, ut sua morte illis vitam daret.

III. *Cur Christum adduxerunt primum ad Annam?* R. imò honoris causâ, quia ætate dignitate, affinitate, consilio, & auctoritate non minori pollebat inter Judæos, quàm ipse Pontifex Caiphas, cujus socer erat, & ipse etiam pontifex antè fuerat, & plurium Pontificum parens teste Josepho. 2dò animi causâ, ut oculos senis tàm gratâ prædâ recèns capta pascerent, tanquam de trophæo constituto gloriantes, inquit Euthymius, & quasi triumphum ducentes, Chrysost. 3tiò ut hac eadem opera Annam ad Synedrion advocarent. *Christus ducitur ad Annam.*

IV. *Quis fuit ille alius Discipulis notus Pontifici?* R. S. Chrysost. Theophyl. putant fuisse Joannem Evangelistam. Sed qua ratione ausus vel permissus fuisset ille ingredi palatium Pontificis? qua viâ notus illi, vel familiaris & charus? nonne toto triennio publicè adhæserat Christo? & an tales grati pontifici, jurato hosti Christi? Nonne omnes Christo adhærentes, synagogâ, id est, communione, Judæorum expelli jussi fuerant? Probabilius ergo alii putant fuisse è nobilioribus & primatibus quempiam, quorum multi credebant in Christum, sed occultè, ut constat de Nicodemo, Josepho ab Arimathæa & pluribus aliis. *Discipulus notus Pontifici.*

V. *Quid intelligitur per illud: Ut manducarent Pascha* v. 28.? R. Sic vocabant non solùm agnum paschalem) quem ex communione sententia, præcedente vespera manducârant) nec azymos panes (quia ab his immundi non arcebantur, imò nulli licebat alio pane uti:) sed hostias omnes paschales, ovium, vitulorum, boum &c. quas celeberrimo paschæ festo, totaq; octava pene innumeras offerebant, à quibus si immundi fuissent, abstinere debuissent. Patent hæc ex Deut. 16. v. 2. *Immolabisq; phase* seu pascha *Domino DEO tuo de ovibus & de bobus &c.*

CAPUT XIX.

Jesum flagellatum, spinis coronatum, & variis modis illusum, cùm liberare nequiret Pilatus Judæorum improbitate victus crucifigendum tradit &c.

QUæstio I. *Quomodo intelligenda sunt verba illa* v. 11. *Non haberes adversùm me ullam, nisi datum tibi esset desuper?* R. Tu non habes in me ullam potestatem, & quia ego innocens sum, & quia possem me eripere si vellem; sed Pater meus vult, ut me tibi tradam, atq; subjiciam, ut perficiatur opus humanæ redemptionis, atq; ad hoc permisit, ut tu Judæorum accusationi & voluntati acquiescas, & in me exerceas tuam potestatem, quàm minimè exerceres, nisi isti me accusâssent; propterea qui te urgent, ut potestatem istam permissam exerceas, magis peccant quàm tu.

II. De quo dictum est: *Os non comminuetis ex eo?* R. dictum est de omni Agno Paschali Exodi 12. v. 46. sed præcipuè Spiritus Sancti intentione de nostro Agno DEI, per omnes Paschales Agnos præfigurato. Et prognosticon erat eorum, quæ corpori Christi mystico, puta Ecclesiæ, obventura erant, nempe lædendam, confodiendam, acerrimè torquendam, sed ne minimum quidem os necessarii roboris comminuendum. Nota. Quando

Quando S. Aug & alii Patres subinde dicunt, Ecclesiam è Latere Christi, quasi secundi Adæ dormientis efformatam fuisse, indeq; omnia Sacramenta emanâsse; id mysticè intelligendum, quia *aqua* baptismum (qui basis, fundamentum, & janua est Ecclesiæ, & omnium aliorum Sacramentorum:) sangvis Eucharistiam, vel si mavis, nostram redemptionem designabat.

III. *An illa lateris apertio & profusio aquæ & sangvinis fuit Christo meritoria?* R. Ipsam in se non fuisse meritoriam (utpote post mortem, quæ ut viam, ita & meritum omne terminat:) sed solùm in causa, scilicet in prævia voluntate Christi, cùm adhuc viveret, illam prævidentis, permittentis & acceptantis. Et sic expone, quod quidam dicunt, etiam per illam Christum nostram salutem operatum fuisse.

IV. *Cur in monumento novo Christus voluit sepeliri?* R. sic DEO providente, ne, si in antiquo positus fuisset, ansa daretur resurrectionem ipsius calumniandi, quasi non ipse, sed alius quispiam ex eo sepulchro surrexisset, inquit S. Chrysost. & Theophyl. Et Eamdem ob causam, nempe ne quis de plena morte, vel de vero cadavere Christi dubium ullum movere posset, voluit Deus, illud palàm & plena luce, & loco celebri, à viris primariis, consciis, imò videntibus Judæis, consentiente præside, & magno honore mandari sepulturæ.

CAPUT XX.

Christus è sepulchro resurgens apparet primò Magdalenæ specie hortulani, 2dò decem Apostolis, iisq; insufflans dat Spiritum Sanctum & potestatem remittendi peccata. Deniq; iisdem iterum apparet & Thomæ, eiq; vulnera sua palpanda offert.

QUæstio I. *Cur Christus dixit Magdalenæ* v. 17. *Noli me tangere: nondum enim ascendi ad Patrem meum?* R. Sciebat Magdalena Christum ascensurum in cœlum, nec postea se fruituram ejus conspectu, ideo occasionem datam, tangendi Christum, sibi elabi noluit, sed Christus illi ait: *noli me tangere.* q. d. adhuc habebis tempus me tangendi & alloquendi: adhuc enim sum in terra, necdum ascendi in cœlum. Quare noli hìc morari, sed gaudio, quo frueris, fac ut eodem fruantur Apostoli mei. Neq; enim fas est te in summo hoc resurrectionis meæ gaudio solam versari, & Apostolos meos mœstitia tabescere. Unde postea Christus permisit se ab ea & sociabus tangi, dicens: *avete: illæ autem accesserunt & tenuerunt pedes ejus.* Matt. 28. 9. quia jam erant in via, ut nuntiarent Apostolis Christum resurrexisse.

II. *Quomodo accipienda sunt verba Christi* v. 21. *Sicut misit me Pater & ego mitto vos?* R. det Bellarm: Non ita accipienda esse, quasi eodem modo debuerint Apostoli omnia facere, quo à Christo ipso fiebant; alioquin enim non debuissent Act. 2. Apostoli baptizare in remissionem peccatorum, quia Christus sine baptismo peccata remisit Magdalenæ & paralytico; nec debuissent Act. 8 per impositionem manuum Spiritum S. dare, quia Christus non manum imponendo, sed insufflando Spiritum S dedit. Igitur misit Christus Apostolos, sicut ipse missus fuerat à Patre: quia potestatem eis dedit ligandi & solvendi, sicut ipse à Patre acceperat: quæ est Chrysostomi expositio. Sed tamen accepit ipse, ut Filius, & proinde talem ac tantam, ut posset etiam sine sacramentis justificare: dedit autem eam Apostolis, ut ministris ac servis, ac per hoc longè minorem, & Sacramentis, aliisq; à se institutis alligatam.

III. *Quomodo Christi potestas major, quàm Apostolorum?* R. In Christo erat potestas excellentiæ, erat Divinitas, qui sine baptismo, sine ullo Sacramento pro beneplacito omnia faciebat: at verò Apostolorum potestas etli plena erat, legibus tamen adstricta erat, non opus erat, ut Christo omnia scienti peccata confiteretur, cui cognitæ erant intimæ cogitationes; at Apostoli judicare de reis absolvendis, aut vinciendis non poterant, nisi causa utcunq; cognita. Aperire igitur judici delicta oportet eos, qui veniam sperare volunt. Par est in Christo tamen & Apostolis absolvendi potestas; tam enim à peccatis liberatur, quem Apostoli, quàm quem Christus absolvit. In hoc tamen dispar, quòd Christus ab omni pœna & culpa, sacerdotes à culpa & pœna æterna absolvunt.

Insufflatio Christi.

IV. *Cur Christus insufflavit & dixit: Accipite Spiritum S.* v. 22.? R. Ut significaret naturam Spiritûs Sancti, illumq; à se æquè ac à Patre spirari ac procedere. Sicut enim homo insufflando in aliquem, ex ore suo halitum sive spiritum suum corporeum alteri immittit; sic Pater & Filius spirando producunt Spiritum S eiq; suum spiritum & divinitatem communicant. Ita S. Aug. tr. 121. & alii. Porrò insufflatio hæc Christi non fuit ipse Spiritus S. q. d. accipite hanc insufflationem, quæ est Spiritus S. Sed fuit ejus signum, q. d. Accipite in hac insufflatione, sive per hanc insufflationem, ut per signum & causam instrumentalem donum Spiritus Sancti.

V. *Quo-*

V. *Quomodo hîc datur Spiritus S. Apoſtolis, utiq; eum jam acceperant in Baptiſmo, & ſacrm Synaxi, erantq; juſti & ſancti; ejus verò plenitudinem accepturi erant in Penteco-ſte, ut gentes converterent: tunc enim Spiritus S. viſibiliter in eos per lingvas igneas de-ſcendens, eos omnibus donis ac præſertim efficaciâ prædicandi cumulavit?* R. Hîc Chriſtus Apoſtolis Spiritum S. quem jam habebant, dat ad alium uſum & effectum, quem necdum habebant, ſcil. ad remittendum peccata: Accipite Spiritum Sanctum, hoc eſt, accipite poteſtatem remittendi per Spiritum S. peccata. Hinc patet Spiritum S. non tantùm dari per gratiam gratum facientem, ſed etiam per gratiam gratis datam, qualis eſt poteſtas remittendi peccati, quæ datur Sacerdotibus etiam in peccato mortali exiſtentibus, dum ordinantur. Nam Spiritus S. eſt primarius Auctor, qui in Sacramento operatur, & per illud peccata remittit, etiamſi ejus miniſter eſt impius.

VI. *Quomodo potuit Thomas credere, quod vidit, cùm fides ſecundùm Apoſtolum Heb.* 11. v. 1. ſit *Argumentum rerum non apparentium*, & ſecundùm Auguſtinum, *quod eſt fides? credere, quod non vides?* R. Quod naturali ſcientia novi, vel viſu & alio ſenſu percipio, illud idem poteſt mihi ex Divina atteſtatione ſeu reveatione innoteſcere, ac proinde poſſum tunc illud ſimul credere, quia credere nihil aliud eſt, quàm aſſentiri alicui veritati, quam & quia Deus revelavit, etſi etiam aliâ viâ mihi innotuerit. Sic B. V. ſimul ſenſit & credidit ſe Virginem eſſe, Chriſtum peperiſſe &c. Et tam ipſa, quàm Thomas, & reliqui Apoſtoli ſimul viderunt Chriſtum paſſum, mortuum, redivivum &c. unde ad Apoſtolum & Auguſtinum reſpondeo, ipſos non de omnibus, ſed ſolùm de præcipuis ac difficilioribus objectis fidei, v. g. de SS. Trinitate, incarnatione, gloria cœleſti & ſimilibus, affirmare, quòd ſub ſenſum non cadant: de reliquis verò objectis fidei, etſi quorundam aliunde habeatur evidens notitia, tamen obſcura nobis eſſe, quatenus per fidem in illa tendimus, nempe quo ad exceſſum certitudinis, quam Divina revelatio ſuperaddit ſcientiæ vel ſenſationi naturali. Ita Doctores Scholaſtici.

CAPUT XXI.

Piſcantibus in mari Galilææ Apoſtolis iterum apparet Jeſus, quem miraculo captorum piſcium agnoſcunt. Petro ovium ſuarum curam committit, & mortis ſeu martyrii ſui genus illi prænuntiat.

QUæſtio I. *Unde Joannes primò agnovit Jeſum?* R. Joannem, dum Petrus occuparetur in attractione retis tot piſcibus pleni, accuratius Jeſum inſpexiſſe, ac Jeſum priſtinam ſuam ſpeciem primò objeciſſe S. Joanni, quia eum maximè diligebat, & quia ipſe puriſſimus erat. Unde rectè S. Hieron. ep. ad Pammachium contra errores Joannis Jeroſol. Prior, inquit, Virginitas (Joannis) virginale corpus (Chriſti) agnoſcit, *Beati mundi corde, quoniam ipſi Deum videbunt.*

II. *Unde piſcis, prunæ & panis* v. 10.? R. Theophyl. Toletus & Maldon. aſſerunt quòd Chriſtus piſcem, uti & prunas, ignem & panem ſubitò ex aëre vicino, aut alia materia, produxerit, ſicut produxit panes, cùm eos multiplicavit Joan. 6. Fecit id Chriſtus, ut oſtenderet capturam tantam piſcium ſuum eſſe opus, ſeſeq; omnes illos piſces in dexteram navigii collegiſſe, ut ibi à Petro & ſociis caperentur. Deinde, ut ſe iis non indigere, ſed Apoſtolorum cauſa hoc quæsiſſe & feciſſe demonſtraret.

III. *Cur Chriſtus Petrum ter interrogat de amore, & ter repetit; Paſce oves meas?* R. Prima cauſa eſt, ut Petrus triplicem Chriſti negationem triplici & conſtanti amoris ejusdem profeſſione expiet, commutet & adaugeat. Ita S. Aug. tr. 123. quem audi: Redditur trinæ negationi trina confeſſio, ne minùs amori lingva ſerviat, quàm timori, & plus eis elicuiſſe videatur mors imminens, quàm vita præſens. Sit amoris officium paſcere vo Dominicum gregem, ſi fuit timoris indicium negare paſtorem. 2da eſt, ut Chriſtus oſtenderet, quanti oves ſuas faceret, quàmq; in die judicii paſtores & Epiſcopos examinaturus ſit, de earum cura, ac præſertim de amore. 3tiò ut indicet paſtores triplici modo quaſi pabulo oves paſcere debere, ſcil. veritatis verbo, vitæ exemplo, & temporali ſubſidio. De quo vide S. Greg. hom. 14. in Evang. Et S. Bern. ſerm. 2. de Reſurrect. ait ter à Chriſto repeti *paſce*, ut paſtor oves paſcat mente, lingva, & manu. *Paſce*, inquit, *mente, paſce ore, paſce opere. Paſce animi oratione, verbi exhortatione, exempli exhibitione.*

IV. *Quid innuit Chriſtus verbis illis* v. 22. *Sic eum volo manere?* R. Volo Joannem ſine violenta morte in hoc mundo agere, donec ego naturali morte ſvaviter illum è vivis accerſam. Ita Aug. Rupert. Maldonatus. Quòd ſi Joannes à SS. Patribus ſubinde Martyr vocetur, id non intelligendum de martyrio ſangvinis, quaſi morte à tyrannis mulctatus ſit, ſed quia Romæ in ferventis olei dolium miſſus, ea tormenta paſſus eſt, quæ mortem naturaliter intuliſſent, niſi miraculo præpedita fuiſſet, inquit Tertull. Hieron. & alii paſſim. Cæterùm Joannem naturali morte Epheſi defunctum ac ſepultum fuiſſe, certum eſt ex iis, quæ idem Tertull. Hieron. & Hiſtorici paſſim narrant. Defunctus eſt autem anno à morte Chriſti 68. ab exciſa Jeroſolyma 28, ætatis ſuæ 99, Trajani Imp. primo, menſis Decembris die 27. Corpus ejus, ut & B. Virginis Deiparæ, poſt ſepulturam nuſquam inventum, ſed cœlo invectum ait Niceph. nec rejiciunt Ambr. Hieron. S. Thomas, & plures alij.

ACTA

ACTA APOSTOLORUM.

Liber hic scriptus à S. Luca, continet historiam Ecclesiæ ab anno Christi 34. ad 60. ejusdem. A capite 1. ad 10. recensèt ea, quæ gesta sunt in Judæa & Samaria: A 10. ad finem, propagationem Ecclesiæ, per Syriam, Lycaoniam, Pamphyliam, Græciam, aliasq; gentes. Porrò S. Lucas non solùm Medicus fuit Antiochenus, lingvæ Græcæ peritissimus, teste S. Hieron. ep. 145. ad Damasum, sed etiam pictor excellens, qui DEIparam cum Christo parvulo, elegantissimè pinxit, cujusmodi pictura etiamnum Romæ venerationi fidelium exponitur.

CAPUT I.

Christus quadragesimo die à resurrectione gloriosus in cœlum ascendit: in locum apostatæ Judæ surrogatur Mathias.

Resurrectio Christi.

QUæstio I. *Qua virtute Christus resurrexit?* R. Virtute Divinitatis quasi causæ primæ & principalis, quæ post mortem toto triduo mansit hypostaticè unita tam corpori quàm animæ Christi; ac virtute animæ, quasi instrumenti, aut potiùs causæ secundæ. Licèt enim nostra resurrectio futura sit, non ab anima nostra, sed ministerio Angelorum, tamen secus fuit in Christo. Decuit enim animam Christi per se resurgere, ne videretur egere ad hoc ope Angelorum. Anima ergo Christi sufficiens erat principium, sicut ad disponendum corpus, ita etiam ad colligendas partes, quæ dispersæ erant, imò extra sepulchrum, uti erant sangvis, capilli, aliiq; humores in passione sparsim effusi. Hæc enim omnia Christi anima duxit in sepulchrum, faciendo ut penetrarent lapidem illud obtegentem, ac rursum insererentur corpori, quod deinde ipsa ad informationem disposuit, & organizavit ad sui unionem, ac dispositio quasi socio suarum passionum, & instrumento meritorum rursum sese inseruit, illud animavit, vivificavit, beavit, & glorificavit. Porrò hæc virtus connaturalis est animæ ratione unionis hypostaticæ: quia ex unione ad Verbum habet illa anima potestatem permanentem, & per modum habitus ad efficienda hujusmodi miracula. Unde anima Christi hic se habet, non ut merum instrumentum, sed instar causæ secundæ, quæ in se vim agendi habet. Ita Suarez 3. p. tom. 1. disp. 45. sect. 2.

Regnum DEI.

II. *De quo regno DEI locutus est per dies 40.* v. 3.? R. Tam cœlesti, quàm terrestri, putà de Ecclesia in terris militante, quæ est via, pars, & inchoatio Ecclesiæ triumphantis. En, quàm liberaliter, 40 horarum, quibus mortuus fuerat, absentiam compensavit Discipulis suis corporali 40 dierum præsentia, inquit Glossa. Tanto autem tempore voluit cum suis morari, primò ob resurrectionis fidem certiorem. 2dò ob veræ humanitatis probationem evidentiorem. 3tiò, ob Apostolorum informationem pleniorem. Tunc enim docuit illos Christus, quomodo Ecclesiam formarent, regerent, perficerent: docuit ordines omnes, gradus & status varios tam Ecclesiasticos, quàm Laicos: docuit materias, formas, ritusq; singulorum Sacramentorum & Ordinum, aliasq; traditiones, quas ab Apostolis acceptas Ecclesia, tamquam certissimum nobilissimumq; thesaurum omni studio hucusq; conservavit.

Ascensio Christi.

III. *Quomodo & quando assumptus est Christus?* R. Non alienâ, sed propriâ virtute, nempe per dotem agilitatis, quam Divinitas Christi humanæ ipsius naturæ jam redivivæ indiderat. Ascendit autem paulò post peractum prandium. Nam finito prandio, quod factum est Jerosolymæ in cœnaculo Sionis, eduxit Apostolos in montem Oliveti, in quo itinere, & in congregandis aliis Discipulis, aliquid temporis insumptum est mox, in monte Oliveti valedicens & benedicens eis ascendit. Causam dat S. Prosper. *Vigor*, ait, *fidei Christianæ tribus temporibus initiatur, vespere, manè, & meridie. Vespere enim Dominus in cruce, manè in resurrectione, meridie in ascensione. Unum ad patientiam occisi, aliud ad vitam resuscitati, tertium pertinet ad gloriam majestatis in Patris dextera considentis.*

Baptizari Spiritu Sancto.

IV. Quid est, *baptizabimini Spiritu Sancto?* R. Replebimini extraordinariis & eximiis donis Spiritûs Sancti, qualia hactenus nulla accepistis, inquit S. Chrysost. Beda, Lyranus, & alii. Porrò infusionem Spiritûs S. vocat baptismum, nempe mysticum, quia instar baptismi, sed longè excellentiùs, purgabat, sanctificabat, ornabat, roborabat. Sicut aqua in baptismo corpus tangens cor abluit, ùt ait S. Aug. omneq; peccatum ab eo extergit, ita Spiritus Sanctus in Pentecoste cor mentemq; Apostolorum ab omni peccato, vitio, & cupiditate terrena abluit & expurgavit.

Christius vestitus ascendit.

V. *An Christus nudus ascenderit?* R. Abul. paradoxo 5. c. 34. Censet Christum post resur-

resurrectionem, utpote glorioſum, nullas induiſſe veſtes, ſed nudum ſemper, & ſolo ſplendore gloriæ ſuæ veſtitum Diſcipulis apparuiſſe, & conſequenter nudum è terra in cœlum aſcendiſſe, ſola nube & luce circumdatum. Ratio ejus eſt, quia alioquin non potuiſſet vulnus lateris Thomæ oſtendere, & tangendum exhibere: veſtes enim manum Thomæ excluſiſſent. Sed reſpondendum eſt, Chriſtum poſt reſurrectionem tales veſtes habuiſſe, ut illæ quinq; vulnera non tegerent; aut ſi tegerent; facile retegi poſſent in locis vulnerum, ut ea oſtenderet Diſcipulis, ex iisq; probaret, ſe idem corpus habere, quod vulnera exceperat. Chriſtus enim Magdalenæ apparuit ut hortulanus, duobus Diſcipulis euntibus in Emaus ut Peregrinus. Habebat ergo habitum, veſtesq;, quæ intuentibus hortulani & peregrini eſſe videbantur: ergo pariter veſtitus aſcendit in cœlum, quousq; viſus eſt ab Apoſtolis: cùm verò nubes eum ſuſcepit, veſtimenta dimiſit. Cor, pus enim glorioſum ſua dote claritatis veſtitur inſtar DEI, qui amictus eſt lumine ſicut veſtimento Pſ. 102. Quare Beati in cœlo non veſte, ſed gloria veſtiuntur.

Veſtigia pedum Chriſti impreſſa.

VI. *Quibus miraculis Chriſtus aſcenſum ſuum illuſtravit?* R. Impreſſit monti petroſo Oliveti inſtar ceræ veſtigia pedum ſuorum, & impreſſa reliquit, quæ nulla ratione tot ſæculis deleri potuerunt, ibiq; etiamnum inter medios licet Turcas viſuntur, cùm tamen peregrini devotionis causâ ea eradant, ut terræ à Chriſti pedibus quaſi ſacratæ particulas, quaſi reliquias ſecum auferant. Eodem loco poſtea templum rotundum & magnificum in honorem Aſcenſionis eſt erectum à S. Helena, matre Conſtantini Imp. quod in ſe includebat ſacra veſtigia, cujus tectum ea parte, qua corpus Chriſti aſcendit, nunquam contegi & concamerari potuit, ſed tranſitus ejus è terra ad cœlum usq; manet apertus.

Apoſtolatus vocatum ſors.

VII. *Cur Apoſtolatus vocatur ſors* v. 17.? R. Quia Apoſtolis hæc dignitas obvenit non ex natura, non ex proſapia (uti poſteris Aaronis primogenitis obvenit pontificatus ex jure primogenituræ) non ex jure, non ex merito; ſed ex mera DEI dignatione & gratia, qui ſine ullis eorum meritis, hoſce 12. ex tot millionibus hominum ſelegit, vocavit & cooptavit in ſuos legatos & Apoſtolos ex ſuo beneplacito, ita ut ex parte fuerit deſtinata voluntas, & decretum eligendi hos, non alios; ex parte verò Apoſtolorum fuerit caſus & ſors feliciſſima; perinde acſi Deus ſuper eos jeciſſet aleam, ejusq; jactus felix inciditſſet in ipſos, quia ipſi ad Apoſtolatum nullum habebant jus, meritum, gradum & ordinem. Simili modo Saul ex Agaſone, & David ex opilione factus eſt Rex. Sic quivis fidelis ſorte, id eſt, gratiâ, non merito, vocatus eſt ex infidelitate & peccato ad fidem & cultum DEI.

Judas poſſedit agrũ.

VIII. *Quomodo Judas dicitur poſſedisſe agrum* v. 18? R. Propriè non poſſedit agrum Judas figuli, quia retulit pretium, & abiens ſe ſuſpendit; ſed eo Sacerdotes emerunt agrum in ſepulturam peregrinorum: dicitur tamen eum poſſedisſe figuratè, quia ſcil. poſſedit pretium, quo poſtea emptus fuit ager. Quia ergo ager hic comparatus fuit pecuniâ Judæ, hinc Judas dicitur eum poſſediſſe per catachreſin. Jure enim, quod meo ære emptum eſt, hoc meum cenſetur.

CAPUT II.

Spiritus Sanctus cum vento valido & linguis igneis deſcendit die Pentecoſtes in Diſcipulos Chriſti. Petrus prima concione convertit tria millia Judæorum: qui in oratione, ſynaxi, & mutuæ charitatis obſequio ſtrenuè continuant.

Pentecoſtes.

QUæſtio I. *Quid per diem Pentecoſtes intelligit Lucas?* R. Intelligit feſtum Judæorum, quod annuè celebrabant in memoriam acceptæ illo die legis Divinæ per Moyſen in monte Sinai Exodi 19. & ſimul in gratiarum actionem pro novis anni præſentis fructibus, quarum primitias, putà duos panes, debebant eodem die DEO in templo offerre. Erant hæc typus Chriſtianæ Pentecoſtes, qua promulgata eſt lex nova Chriſti per Petrum & reliquos. Apoſtolos, & qua primitiæ fidei (nempe tria millia Judæorum) oblatæ & dicatæ ſunt DEO.

Sonus vehemens.

II. *Quid ſignificabat vehemens ſonus* v. 2.? R. Vehementiam, efficaciam, & impetum, quo Spiritus S. invadebat, excitabat, impellabat corda Diſcipulorum ad prædicandum totoq; orbe divulgandum evangelium, inquit S. Thomas. Addit Chryſoſt. ſine hoc ſpiritûs impulſu nihil valere omnem ſapientiam, eloquentiam, cæteraq; talenta; ſicut ſine vento nihil poteſt navis, quantumcunq; neceſſariis omnibus inſtructa.

Linguæ diſpertitæ.

III. *Quid ſignificabant linguæ diſpertitæ per ſingulos?* R. Significabant Spiritum S. incumbentem Apoſtolis, eisq; indentem omnium lingvarum tot gentium, ad quas ituri erant, cognitionem. Addit S. Cyprian. ſerm. de Spiritu S. hac multiplicitate lingvarum ſignificari multiplicitatem donorum, quam cuiq; communicabat Spiritus S. juxta illud 1. Cor. 12. 4. *Diviſiones gratiarum ſunt, idem autem Spiritus.* Voluit Spiritus S. hoc viſibili

bili signo se quasi visibilem exhibere, & visibiliter Apostolos illabi. Causam dat Nazianz. orat. 44. [Nam, inquit cùm Filius corpore sensibili & conspicuo nobiscum consvetudinem habuisset, par erat, ut Spiritus quoq; corporaliter appareret: sicut etiam apparuit primum in forma lingvarum ignearum]. Sicut ergo Christus incarnatus est, ut ore proprio doceret nos viam virtutis & salutis, atq; eructaret in sinu Patris abscondita à constitutione mundi, ita post Christum quasi incarnatus est Spiritus S. in lingvis igneis, ut iis imbueret Apostolos & fideles, ait à Lap.

Spiritus S. in specie lingvæ.

IV. *Cur specie Lingvæ Apostolis insedit Spiritus Sanctus?* R. Quia Apostolos hic constituebat prædicatores evangelii, prædicationis autem instrumentum est lingva. Per lingvas ergo accipiebant donum lingvarum. Deinde sicut lingva discernit sapores, & distingvit dulce ab amaro, sapidum ab insipido, ita Spiritus S. mentem illuminans facit eam distingvere res cœlestes & æternas à terrenis & caducis, ut illas eligamus, has contemnamus. Ideo ait Apost. 1. Cor. 4. *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritûs,* quia scil. non habet gustum sincerum, nec lingvam hanc Spiritûs Sancti.

Lingvæ igneæ.

V. *Fuerunt ne veræ lingvæ?* R. Non erant lingvæ carneæ, sed *tanquam ignis* seu speciem ignis referentes: videbantur enim ardere, lucere, agitari & in altum assurgere instar veri ignis. Videtur ergo vapor fuisse densior luce rubente coruscus instar ignis, in lingvis sectilis speciem efformatus. Hoc schemate designabatur, Discipulos cœlesti Spiritûs Sancti igne prorsus purgari, purificari, illuminari, accendi, & ad cœlestia elevari, ut S. Thomas pulchrè demonstrat . p. q. 43. art. 7 ad 6.

Spiritus S. sedit super capita singulorum.

VI. *Cur sedit super capita singulorum?* R. Ut ostenderet eos cœlesti sapientia, charitate & facundiâ præditos, mentis item & appetituum tranquillitate, animi constantiâ, morum gravitate præcellentes, thronos quasi Cherubicos Spiritûs Sancti, præcones Verbi Divini, magistros & Doctores universi: in quibus vel quorum successoribus ad finem usq; mundi residens permaneret Spiritus Sanctus, inquit Chrysost. & alii.

Apostoli quando facti sunt Episcopi.

VII. *An Spiritus Sanctus Apostolos in Pentecoste creârit Episcopos, sicut in ultima cœna à Christo dicente: Hoc facite in meam commemorationem, creati sunt presbyteri?* R. Affirmant aliqui apud Corn. à Lap ex eo, quòd in Pentecoste acceperint potestatem dandi Spiritum Sanctum per impositionem manuum, putà per Sacramentum Confirmationis & Ordinis. Verùm ad hoc dici potest, Apostolos potestatem hanc tunc accepisse in actu secundo, cùm eam priùs accepissent in actu primo: nam non congruebat eos hac potestate uti in actu secundo, antequam ipsi Spiritûs Sancti plenitudinem in Pentecoste recepissent. Tunc ipsi in gratia confirmati, cœperunt confirmare & ordinare alios. Quare verius est eos creatos esse Episcopos ab ipso Christo post resurrectionem, cùm eis dixit Joan. 20. 21. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Hisce enim verbis eos creavit suos Vicarios orbisq; Doctores, ac consequenter suum officium & auctoritatem, putà omnem potestatem Ecclesiasticam eis communicavit, ac proinde eos creavit Episcopos, ut asserunt Cyrill, Chrysost. Theophyl. & alii.

Apostoli repleti sunt Spiritu Sancto.

VIII. *Quomodo repleti sunt omnes Spiritu Sancto?* R. Quia antea habebant Spiritum, jam ejus plenitudinem acceperunt. ait S Leo serm. 3. de Pentecoste. Porrò non omnes parem acceperunt gratiam. sed alius majorem, alius minorem, quisq; scil. pro suo, tum officio & gradu, tum dispositione, sicut vasa minora & majora replentur vino; sed majus plus recipit capitq; quàm minus, ob majorem capacitatem. Capacitas autem major ad recipiendum dona majora Spiritûs Sancti, est major dispositio & præparatio, major humilitas, majus eorum desiderium, spes, oratio &c.

IX. *Quomodo Apostoli cœperunt loqui variis lingvis?* R. Non unâ solâ singuli, quæ ab omnibus intelligeretur, ut sensisse videtur Cyprian. serm. de Spiritu S, sed multis & variis, ut hic dicitur, quas Marcus novas vocat, Græcus *alias* seu *diversas* à sua patria lingva. Et S Paulus 1. Cor. 14. *Gratias,* ait, *ago Deo meo, quòd omnium vestrum lingvâ loquor.* ita passim Auctores. Nolo tamen Apostolis denegare etiam hoc privilegium, ut subinde unicâ lingvâ loquentes, à variarum lingvarum Auditoribus intelligerentur. Si enim hoc S. Vincentio Ferrerio, Antonio Ulyssiponensi & Bernardino concessum, & quibusdam aliis cur Apostolis denegemus. Sed ajo, etiam alterum variarum lingvarum donum iis obvenisse. Nam si utrumq; concedimus S. Francisco Xaverio, quo jure negabimus utrumq; Apostolis?

CAPUT III.

Sanctus Petrus claudo gressum restituit: inde docet populum se hoc miraculum non suâ, sed Christi virtute effecisse, ut in eum credant.

Mendici ad fores templi.

Quæstio I. *Cur mendici sunt ad fores templi?* R. Ut ingressuros templum docerent modum affectuosè orandi: Admoneant etiam humanæ fragilitatis & miseriæ: cogitationes mentemq; injiciant exercendæ eleemosynæ, & per eleemosynam aptiùs

ptiùs sese ad orationem disponendi: deniq; precibus suis compensent acceptam stipem, & ita juvent suos mœcenates apud Deum. Mendici enim sunt janitores, cubicularii Dei, divitum patroni, inquit S. Chrysost. hom. 28 ad pop. Antioch.

II. *Cur porta dicta Speciosa?* R. Quòd specie & pulchritudine cœteris præcelleret. Baronius ad annum Christi 34. vult eam esse, quam Josephus l. 15 antiq. c. 14. *Corinthiam* appellat, ex ære Corinthio, apud veteres laudatissimo, verisimiliter etiam formâ Corinthia ab architectis constructam. Adrichomius depingit illam ad Orientem, & Sur vel Seir dictam affirmat.

III. *Quid significat Petrus illis verbis: Quod autem habeo, hoc tibi do?* R. Potestatem faciendi miracula, quam habeo tibi applico, per eamq; tibi sanitatem dono. Potestatem enim hanc habebat Petrus permanentem, non per habitum (nullus enim habitus dari potest, qui physicè quævis miracula patret) sed instar habitus. Dei enim assistentiam habebat per modum habitus, ut per ejus omnipotentiam sibi paratam, quoties vellet, toties miraculum ederet Deum ergo, Deiq; potentiam Petrus quasi habebat in manu, & per eam erat quasi omnipotens.

IV. *Quæ erat porticus Salomonis?* R. Erat illa quæ ex Chaldaico templi incendio, saltem bona sui parte superstes manserat, ut vult Oecumenius, eratq; extima templi in fine atrii Gentium, ut ex Josepho docet Villalpandus.

V. *Quomodo dicuntur Judæi per ignorantiam feciſſe v. 17. Nonne de iis Matth. 21. v. 38. Hic est hæres, venite occidamus eum:* & illis rogantibus Luc. 22. *Dic nobis si tu es Christus, filius DEI!* nonne clarè respondit, *Ego sum?* R. fuisse crassam & affectatam ignorantiam, qua licet audirent veritatem, nec possent contradicere, nolebant tamen sibi persvadere. Quod etsi non excuset à gravissimo scelere, minuit tamen aliqua ex parte gravitatem sceleris. Multò enim gravius peccâssent, si persvasi rem ita habere, nihilominus in patrando scelere perrexissent.

CAPUT IV.

Petrus & Joannes dum prædicant Evangelium, capiuntur, incarcerantur consilio sistuntur, ubi Christi causam intrepidè agunt: redditi suis laudant Deum, Spiritus Sancti gratiam ac robur accipiunt. Fideles summa animorum unione inter se devincti, vendunt promiscuè possessiones suas, inter quos etiam Barnabas numeratur.

QUæstio I. *Quis lapis reprobatus factus est in caput anguli?* R. Uti David Ps. 117. 22. rejectus à Saule ejusq; asseclis, deinde creatus Rex, factus est quasi lapis angularis synagogæ, nectens sibi Judam & Israelem, hoc est tam duas, quàm 10 Tribus; ita Christus rejectus à Pontificibus & Scribis, qui erant quasi architecti synagogæ, post resurrectionem factus est lapis angularis, utpote qui totum Ecclesiæ ædificium contineat & nectat, Judæos scil. & gentes, imò Angelos & homines. Utitur Psaltes & ex eo Petrus metaphora lapidis, dum Christum vocat lapidem, quia loquitur de fabrica Ecclesiæ; fabrica autem ex lapidibus constat. Ecclesia est domus Dei non materialis, sed spiritualis.

II. *Quomodo illud intelligendum* v. 12. *Non enim aliud nomen est datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri?* R. Nomen hic sumitur pro re nominata, vel pro persona, cujus est nomen, putà pro Christo, quem nomine suo invocamus, sperantes & impetrantes ab eo salutem Est Hebraica Metonymia. Sic dicitur Prov. 18: *Turris fortissima nomen Domini.* Id est, Dominus nomine suo invocatus. Sic passim Scriptura jubet nomen Domini invocare, id est, ipsum Deum omnium Dominum. Hinc passim docent Theologi post promulgatum Evangelium necessariam esse fidem explicitam Christi, necessitate non tantùm præcepti, sed & medii ad acquirendam justitiam & salutem æternam.

III. *Quo sensu dicitur: Convenerunt facere, quæ manus tua & consilium tuum decreverunt fieri?* R. Nempe pati & mori Christum ad humani generis redemptionem & salutem. Præviſis enim per præscientiam conditionatam perversis Judæorum voluntatibus & actibus, quòd scil. Christum, si ipsis vitia ipsorum carpens objiceretur, occisuri essent, decrevit Deus primò, id permittere, 2dò decrevit & jussit Christo, mortem à Judæis inferendam excipere. 3tiò decrevit, illa ejus morte, & non aliâ viâ mundum redimere & salvare. Unde Judæorum actio displicuit extremè Deo, sed Christi passio, & inde resultatura mundi redemptio grata fuit, & ab æterno decreta ac prædefinita à Deo, ita Theologi. Ex quibus patet, quomodo scelerati, etsi nihil tale cogitantes Dei consilium exequantur, nec tamen à culpa eximantur.

IV. *Quid indicabat terræ motus* v. 31.? R. Deum illis esse præsentem, & omnibus illorum hostibus quantumcunq; terribilibus terribiliorem fore: imò ipsosmet hostes audito Evangelio metu illius & reverentia concutiendos, eiq; subjugandos esse, inquit Beda

& Lyranus. Indicabat quoq; novum Spiritûs Sancti adventum, ut sequitur, in animos ipsorum, quo iteratò accenderentur, & magis inflammarentur, inquit Chrysost. Ad acres enim tentationes & persecutiones fortiter superandas, & ad opera heroica constanter prosequenda, opus est sæpe novo crebroq; impulsu & robore Spiritûs Sancti, quod assiduis & ardentibus precibus à Deo deposcendum laudatissimo, horum primorum Christianorum exemplo.

Cor unum & anima una.

V. Quomodo *multitudinis credentium erat cor unum & anima una* v. 32.? R. Non, physicè, quia quisq; habebat cor suum & suam animam, sed moraliter. q. d. ita animis & sensibus erant concordes, ac si unum idemq; habuissent cor & unam animam: quia per charitatem perfectam, pariter perfectam habebant inter se amicitiam: hæc autem in æqualitate & concordia animorum consistit, quasi in omnibus esset una & eadem anima; Sicut amicus est alter ipse, inquit Pythagoras. Deinde quia omnes Christum induerant, in eoq; summè tam cum ipso, quàm inter se erant uniti, quæ enim sunt unum cum eodem tertio, sunt & unum inter se. Ita enim amabant Christum, Christiq; Discipulos, ut parati essent pro eo mori, quem antè poposcerant crucifigi, ait S. Leo Serm. 11. de passione.

CAPUT V.

Ananias & Saphira, ob fraudatum agri pretium morte subitanea plectuntur à Petro, cujus & alia crebra miracula recensentur, uti & aliorum Apostolorum: qui incarcerati à Judæis, liberantur ab Angelo: sed rursus pertracti in concilium, & suasu Gamalielis morti subtracti, flagellis cæduntur: quibus gaudent, exultant, & alacriùs atq; audaciùs Christum prædicant.

Christianis omnia communia

QUæstio I. *Quo animo Ananias & Saphira uxor ejus defraudavit de pretio agri?* R. Non satis constat an avaritia & cupiditate retinendi sua, an hypocrysi, ut possent cum aliis Sanctis connumerari, an incredulitate, quod timerent egestate se enecandos, si omnia abdicâssent, non satis jactantes cogitatum suum in Dominum quasi ipse, propter cujus gloriam id vitæ genus assumitur, non sit ipsos enutriturus.

II. *An olim Christiani habuerint omnia communia voti necessitate?* R. affirmativè arguitur enim Ananias à Petro, quòd fraudaverit de pretio agri: non autem fraudasset, nisi jam voto abrenuntiâsset: suus enim adhuc mansisset ager nondum distractus, & ubi esset venditus pretium ejus mansisset in ejus potestate, nulliq; feciisset fraudem, dando aut integrum pretium, aut mediam aut tertiam partem; ergo fraudem non potuit absq; voto & promisso facere. Ad hæc reprehenditur, quòd mentitus sit non hominibus, sed Spiritui Sancto ipsi Deo: hoc autem falsum, nisi Deo promisisset, abrenuntiando in manibus Petri, & hoc erat manifestè votum. Præterea si voti violatio non interveniisset, quæ causa fuisset, ut illi morte repentina perirent. Nam quòd quis non integrè eroget omnes facultates suas in pauperes, aut in opera pia, per se peccatum non est: quòd autem partem illarum distribuat, dignum est opus atq; laudabile etsi præstantius sit & laudabile cuncta in pauperes pro voluntate sequendi Dominum dispensare.

III. *Quid discendum ex hac historia?* R. S. Chrysost. hom. 12 in Acta tomo 3. hinc quinq; documenta desumit. Primum, quod Petrus cognovit, quid isti in corde celatum haberent aliis: 2dum quòd præcepto suo illos occidit: tertium utilitatem, quam hæc mors attulit: quia punitus est & alii lucri facti sunt: quartum, quo timore Apostolorum fratres observabant, quia cùm vix solus esset mortuus, ac post trium horarum spatium uxor intrâsset, tamen hoc tempore tanta res non fuerat illi nuntiata ab aliquo: hoc erat metus magistri, honor discipulorum & obedientia. Quintum quòd Apostoli in suos erant austeri, in alios verò potestate sua utebantur, sed benignitate; nisi se opponerent illis, ac resisterent.

IV. *An Ananias & Saphira morte non tantùm temporaria, sed etiam æterna puniti fuerint?* R. S. Irenæus, Basilius & Aug. aliquando putârunt hos duos æternùm damnatos fuisse. Sed malim cum Origine, Isidoro Pelusiota & Cassiano dicere post acrem Petri increpationem resipuisse ac pœnituisse. Et in hanc sententiam etiam S. Aug. postea concessit l. 2. cont. Parmenion. Solet enim hîc Deus homines Satanæ dare in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat; propterea dum judicamur, id est, affligimur & flagellamur à Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur. Non enim punit Deus bis in idipsum, & pleriq; ex his, qui aquis diluvii, & mari rubro, & igne atq; sulphure super Pentapolim perierunt, pœnitentiæ dolore tacti corporea morte, non tamen æterna sunt puniti, ùt videtur tradere S. Hieron. in Prophetam Nahum. Ad hæc præceptum ipsum Petri ad juvenes factum, ut eorum corpora tumularent, indicat non omnino illos pro damnatis habitos, ut eos, quos Ecclesia non excludit Ecclesiasticâ sepulturâ. Facilè præterea fuit in

mo-

momento illo ad pœnitentiam compungi & salutem obtinere, cùm magna sit & efficax Dei misericordia. Nescit enim tarda molimina Spiritûs Sancti gratia, quæ etsi una manu percutiat, altera sanat. Hæc pietati magis consona videntur, quanquam si peccatum eorum respiciamus & Dei justitiam, aliter dicendum esset.

V. *Cur Petrus tam enormiter lapsus, cùm tam citò veniam consecutus esset abnegationis, delictum tamen hoc, quod tamen levius erat, tam rigida morte mulctavit? non enim videtur imitatus misericordiam Domini, quam erga se peccantem expertus fuerat?* R. Petrus post peccatum admissum corde compunctus est, & lacrymis veniam obtinuit; Ananias verò & Saphira non videntur agnoscere voluisse peccatum, de quo interrogati & reprehensi à Petro fuerant: ideo minus veniâ Dei digni inventi sunt, & in ea morte illis infligenda, merum Dei instrumentum fuit, & malas herbas ac spinas statim censuit eradicandas, ne si crescerent, triticum vastarent. Hoc enim occultum delictum peculiari Dei exemplo puniendum erat, ne quisquam sibi plauderet, si peccatum intus in corde retentum, interdum aut nunquam, aut tardiùs à Deo puniatur.

VI. *Quid Princeps Sacerdotum intelligit per verba illa* v. 28. *vultis inducere super nos sanguinem hominis istius?* R. Vultis nos reos facere homicidii imò Christicidii, ejusq; quasi injustè occisi pœnas à nobis deposcere tum apud plebem, tum apud Romanos rerum Dominos, & potentes scelerum vindices. Sed an oblitus es Caiphas ejus, quod imprecati estis dicentes Matt. 27. *Sanguis ejus super nos & super filios nostros.*

VIII. *Quorum verborum se testes esse dicunt Apostoli* v. 32.? R. Idem est, quod harum rerum, nempe Resurrectionis, Ascensionis, & cœlestis exaltationis Christi, itemq; pœnitentiæ, remissionis peccatorum, justificationis & salvationis æternæ, à Deo in Christum credentibus promissæ, inquit Lyranus. Testis est eorundem omnium etiam Spiritûs S. tot miracula per, vel circa nos patrans ad eas veritates cœlestibus sigillis suis comprobandas. ita S. Cyrillus. His illecebris conatur Petrus pellicere Principes etsi Christicidas, ad veniam scelerum suorum, quæ ultrò omnibus pœnitere volentibus offertur, amplexandam: nec metuant jam ampliùs pœnas hoc nomine infligendas, sed fructibus ex ejus morte subnatis pascantur & delicientur.

CAPUT VI.

Crescente in dies credentium numero, ad sedandum murmur Græcorum, creantur septem Diaconi: inter quos eminens Stephanus, à Judæis, quos convicerat, capitur, & reus agitur violatæ legis Mosaicæ.

QUæstio I. *Quæ fuit causa murmuris Græcorum adversùs Hebræos?* R. Fuit multitudo & turba: inter paucos stetit una anima & unum cor, inter multos multæ subintrârunt animæ & multa corda, diversa scil. judicia, desideria, voluntates, cupiditates, quæ unionem hanc ex parte discinderunt. Altera causa erat diversitas nationum. Græci enim certant cum Hebræis. Solet enim quisq; suam gentem præ extera amare, quin & exteram parvi pendere, imò subinde aversari & odisse. *Murmur Græcorum contra Hebræos.*

II. *Quis despectus, quoad ministerium viduarum* v. 1.? R. Videntur Hebrææ Judæorum in Judæa natorum viduæ sibi ut inquilinis arrogâsse honoratiora quæq; & lautiora ministeria, viliora verò Græcis demandâsse, inquit S. Chrysost. Videntur etiam in distributione ciborum & vestium magis faviisse Hebræis quàm Græcis, ùt censet Oecumenius. Et notat Thomas Bozius de signis Eccl. l. 19. c. 3 Græcos, uti primò hic murmurant, ita primos quoq; schisma feciisse & secessisse ab Ecclesia. Porrò sopiendæ murmurationi, decernunt Apostoli, ut loco viduarum non sat accuratè suo officio fungentium, deligantur septem Diaconi, qui præfectos agant mensæ, non profanæ tantùm, sed etiam sacræ & Eucharisticæ, quæ quotidie olim præmittebatur Jerosolymis & aliis quibusdam locis cœnæ communi seu convivio publico in signum charitatis ex thesauro Ecclesiæ præberi consveto, quod Agapen vocabant. Ministrabant ergo necessaria epulis ejusmodi instruendis, sed ante omnia deserviebant Apostolis Eucharistiam conficientibus, & exin populo eam distribuebant: baptizabant quoq; & prædicabant etiam, & alia munia sacra obibant, quæ sigillatim recensent S. Clemens Romanus & Concilium magnum Nicænum c. 14. *Viduarum ministerium.*

III. *Quid denotat facies Angeli in B. Stephano?* R. Majestatem quasi Angelicam in vultu relucentem. Erat autem Stephanus vultu à natura speciosissimo inquit Aug. serm. 6. de Sanctis: sed hìc supra naturam addit illi Deus novam pulchritudinem, quæ index esset internæ venustatis, & splendoris animi: unde idem Aug. serm. 99. de diversis, dicit vultum ejus radiâsse instar solis, ut olim etiam accidit Moysi, & tempore novi testamenti S. Antonio, S. Francisco, S. Ignatio de Lojola & pluribus aliis. S. Chrysost vult splendorem hunc Stephano advenisse ex conspectu gloriæ Christi. Idq; ut Judæis constaret ipsum, ejusq; doctrinam esse lucem mundi. *Angeli facies in B. Stephano.*

CAPUT VII.

Stephanus in Concilio perorans retexit obiter gesta Abrahæ, Isaac, Jacob, Moysis aliorumq; Prophetarum, quæ prænuntiaverunt venturum Christum: quibus sicut restiterunt prisci Judæi, ita nunc posteros horum resistere Christo ejusq; Discipulis, esseq; proditores & Christicidas. Unde furentes Judæi rapiunt Stephanum, & lapidibus obruunt, Saulo vestes lapidantium observante.

QUæstio I. *Quomodo Stephanus dicit Abraham fuisse in Mesopotamia v. 2. Cùm Gen. 12. juncto, cùm Gen. 11. 31. dicatur Abraham vocatus & eductus de Ur Chaldæorum?* R. S. Stephanum Mesopotamiam hoc loco latè accipere, pro omni regione. quæ est trans Euphratem: opponit enim eam terræ Chanaan Judæis promissæ, quæ se extendebat usq; ad Euphratem, hic enim ejus limes statuitur à Deo Deut. 11. 24. Quare sub Mesopotamia comprehendit hîc Chaldæam. Id ita esse patet ex v. 4. ubi ait: *tunc exiit de terra Chaldæorum.*

II. *Quo sensu dicitur v. 5. Deus non dedisse Abrahæ Hæreditatem in Chanaam, nec passum pedis, cùm Gen. 23. 9. dicatur Abraham in Chanaan emisse & possedisse speluncam duplicem ad sepultum Saræ & suorum?* R. Illam non dedit ei Deus, sed pretio suo eam sibi comparavit Abraham, ita S. Aug. q. 56. in Gen. Deinde non possedit illam quasi hæreditatem, scil. ut vivus illam quasi prædium coleret vel incoleret, sed ut sepulturam, in qua mortuus quiesceret. Sepulchrum enim non est hæreditas, nec domus vel ager vivorum, sed potiùs crypta subterranea mortuorum, ita Glossa.

III. *Quomodo incolatus seminis Abrahæ in terra aliena numerantur 400. anni, cùm Exodi 12. 41. & Galat. 3. 17. numerentur anni 430.?* R. à vocatione Abrahæ, quæ facta est anno vitæ ejus 75. fuisse annos 430. Hìc verò eos computari à nativitate Isaac, qui natus est Abrahamo post 25. annos, putà anno vitæ ejus centesimo. Inde enim usq; ad exitum Hebræorum ex servitute Ægyptiaca, fluxerunt anni 405. præcisè, qui hîc vocantur quadringenti, numero & computu rotundo, omissis quinq; qui hunc numerum excedunt. Scriptura enim sæpe ponit numeros integros & rotundos, præsertim centenarios, etiamsi pauculi iis desint vel supersint.

IV. Quomodo dicitur *Jacob, & Patres nostri translati sunt in Sichem,* cùm Abraham, Isaac & Jacob sepulti sint in Hebron, ut patet Gen. 25. 9. & c. 49. 13.? R. Abraham Isaac & Jacob sepultos esse in Hebron, at verò Patriarchas, qui fuerunt filii Jacob sepultos esse in Sichem. ita S. Hieron. in epitaphio S. Paulæ. Aut certè hi quoq; ex Ægypto primùm translati & sepulti sunt in Sichem, inde in Hebron, uti disertè docet Josephus l. 2. Antiq. c. 4. ubi asserit omnes, excepto Joseph sepultos esse in Hebron. Idipsum significat, cùm subdit, *& positi sunt in sepulchro, quod emit Abraham,* utiq; Stephanus, ut patet Gen. 23. non in Sichem.

V. *Quomodo dicitur v. 16. Et positi sunt in sepulchro, quod emit Abraham pretio argenti à filiis Hemor, filii Sichem,* cùm Abraham emerit sepulchrum ab Ephron filio Seor Gen. 23. 16. non à filiis Hemor, filii Sichem. Ab illis enim partem agri in Sichem emit Jacob, non Abraham Gen. 33. 19. R. Ephronis Patrem fuisse binomium, vocatus enim est Seor, vocatus est & Hemor. Hebræi enim multi fuerunt binomii, ut patet, si nomina, quæ initio l. 1. Paralip. recensentur, conferas cum iis, quæ ponuntur in Genesi. Porrò Hemor fuit filius Sichem, non illius à cujus filiis emit agrum Jacob, sed eo longè antiquioris. Hemor autem multos habuit filios, inter quos major & primogenitus videtur fuisse Ephron, nomine cæterorum fratrum sepulchrum vendidit Abrahæ. Non est ergo hîc mentio de qui emptione agri facta à Jacob Gen. 33. 19. sed de emptione speluncæ, facta ab Abraham Gen. 24. Probatur id primò, quia *Abraham* disertè habent omnes codices, non Jacob. 2dò quia S. Stephanus loquitur de emptione sepulchri; hoc autem pro Sara uxore defuncta emit Abraham, non Jacob. Jacob enim emit agrum ad altare, non ad sepulchrum. 3tiò. quia S. Stephanus ait hoc sepulchrum emptum esse pretio argenti, scil. 400. siclis argenti, de quibus dicit Ephron venditor sepulchri ad Abraham emptorem, illud est pretium inter me & te Gen. 24. 15. Jacob autem emit agrum non pretio argenti, sed centum agnis, ut dicitur Gen. 33. Deniq; Hemor ille Jacobi, dicitur fuisse Pater Sichem: hic verò Abrahæ, dicitur filius Sichem. Quare diversus ab eo fuit, esto idem habuerit nomen.

VI. *Quam gloriam DEI vidit Stephanus v. 55.?* R. non in essentia sua (sic enim Deum nemo vidit unquam, sed nec videre potest) sed in imagine vel specie Deum glorioſum repræsentante instar regis vel judicis summa majestate effulgentis. Vidit & *Filium hominis,* id est, Jesum, *stantem à Dextris DEI,* loco Patri proximo, qui debetur illi, ut homo est unitus Verbo Divino.

CAP. VIII.

CAPUT VIII.

A morte & sepultura Stephani excitatur gravis in Ecclesiam Jerosolymitanam persecutio: unde fideles dispergunturin varias regiones, & inter alias in Samariam invehunt fidem Christi, quam Simon magus amplectitur: sed hic volens pecuniâ emere potestatem dandi Spiritum Sanctum, acriter à S. Petro increpatur. Eunuchus Candacis Reginæ à Philippo baptizatur.

Philippus Diaconus.

QUæstio I. *Quis fuit iste Philippus prædicans in Samaria Christum* v. 5.? R. Non erat Apostolus, quia 12 remanserunt Jerosolymis, sed unus ex septem cum Stephano Diaconus ordinatus, & hic indignum erat, ut tantùm vacaret mensis: alium nunc panem depromit. Vide quemadmodum Apostoli ac Diaconi suo incumbant muneri evangelizandi.

Samaritæ.

II. *Samaritæ in quo cum Judæis conveniebant, in quo differebant?* R. etsi religionem Judæorum & cultum profiterentur, erant tamen semi judæi, & ex lege præter Pentateuchum alios libros non recipiebant. ita ut hic extiterit divinæ sapientiæ observandæ ordo, ut primò quidem Evangelium communicaretur Judæis, qui ex integro legem profitebantur, deinde his qui partim erant Judæi, partim Gentiles, & prorsus ignotam habebant Religionem Judaicam.

Simon Magus.

III. *Quis fuit Simon Magus?* R. ab initio jactabat *se aliquem magnum esse*, non modò Prophetam, Angelum, semi Deum, sed ipsummet Deum, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum: in persona Patris se legem in monte Sinai: in persona Filii se apparuisse in Jesu: in persona Spiritûs Sancti se lingvis igneis delapsum in Discipulos; imò quidam dicit illum apud Judæos se vocâsse Messiam, apud Gentiles Jovem, ut ab utrisq; haberetur Deus. En primum novi testamenti Hæresiarcham; en Antagonistam Simonis Petri, & ipsum dictum Simonem, à Lucifero (simia ut solet, Christi) immissum in ovile Christi.

IV. *Quo animo Simon Magus ad baptismum accessit?* R. Multi Patres, præsertim Euseb. Cæsariensis l. Ecclesiasticæ historiæ & Cyrillus Jerosol. in procemio Catecheseon suarum putant fictè accessisse & credidisse (accesserat, inquit, aliquando Simon Magus ad hoc lavacrum: baptizatus est, sed non illuminatus, & corpus quidem lavit aquâ, cor autem non illustravit spiritu. Sic Cyrill. Nam cùm esset laudis avidissimus, ut tradit Beda in Acta tom. 5. credere se quousq; baptisma susciperet, simulavit, ut ab aliis in pretio haberetur, quò artes edendi signa ab ipso discerent. Alii dicunt, quòd crediderit verè ad tempus, sed coactus à signis, quæ non poterat facere vel negare. Nec mireris Simonem Magum baptizatum, si non miraris Judam Apostolum fuisse.

Simon Magus baptizatur.

V. *Quo sensu dicitur* v. 16. *Nondum in quemquam* Samaritanorum baptizatorum *venerat Spiritus S.?* R. Uberior Spiritûs Sancti gratia, quam per Sacramentum Confirmationis impertit Deus, & ferè signo aliquo visibili lingvarum vel ignis prodebatur tunc temporis. Ex quo patet Philippum hunc non fuisse Episcopum, nec potestatem habuisse Apostolicam: nam sic Spiritum S. per Confirmationis Sacramentum Samaritis contulisset, nec debuisset ad id exspectari adventus Apostolorum Petri & Joannis.

Confirmatio.

VI. *Cur Simonem Magum perinde atq; Ananiam & Saphiram non punivit Petrus?* R. S. Chrysost. quia etiam olim is, qui in Sabbato ligna collegerat, occisus est, ut alii erudirentur: neq; postea alius idem passus est. Sic & nunc Petrus facit, & punitis illis, hunc non punit. Sic ille. Dici quoq; potest, quòd ipse confessus est culpam, non Ananias, & propterea meruit dilationem; satis enim erat pœnitentia ad Petri correptionem, & quia nemo ad fidem cogi debet, & volens tantùm suscipiendus est.

VII. Quorsum id: *non est tibi pars in sermone isto?* R. Sermo vocat rem, sive negotium, q. d. Non es dignus fieri particeps hujus potestatis dandi Spiritum S. quia non habes cor rectum, sed incurvum, & in avaritiæ cupiditatem inflexum, nec reddens Deo, quod suum est, hoc est, doni sui confessionem, & pretium, quod omni pretio caret, quod emens non facit, qui etiam vendere tentat. Non est ergo tibi pars in sermone isto, quia Simoniacus ab omni commercio & negotio Ecclesiastico exclusus est, & ab omni usu sacræ potestatis suspensus.

CAPUT IX.

Saulus convertitur ad Christum: à S. Petro, Æneas Paralyticus curatur, & Dorcas à morte revocatur.

Christus ut aquila defendit fideles.

QUæstio I. *Quomodo Christus fideles à Saule persequente vexanteq; est tutatus?* R. Non aliter se Christus gessisse videtur, quàm aquila, quæ pernici suo volatu sublimia quæq; & alta loca petere solet, non ita tamen, ut suorum pullorum, quos

in

in nido reliquit, curam & tutelam deserat. Nam & è longinquo speculatur, si fortè rapax avis aliqua insidietur suis pullis, & illis infestam se præbeat: quod si fortè contingat, tunc illa indignata, & ungvibus & rostro, & pondere armata concitato impetu in eam avem ex alto involat, eamq; vi suâ in terram vulneratam ac semi mortuam prosternit, suosq; pullos hac ratione tuetur. Ite sanè Dominus Jesus, qui grandis est illa aquila ab Ezechiele c. 1. conspecta, quæ ascensus sui volatu editissimi cœli empyrei loca penetraverat, ascenderatq; super cœlum cœli ad Orientem, ita ut à dextris DEI sederet, ex alto spectavit Ecclesiæ suæ nascentis pullos, & filios à Saulo tanquam à sæviſſima & rapaci ave infestari, & ad vincula & ad mortem rapi, non est passus diu latere providentiam suam, sed instar aquilæ pro suis pullis cum aliis avibus decertantis magno conatu descendit, & immodica fulguris luce, acri & querula voce Saulum perterrefecit, & in terram prostravit, tandemq; ad deditionem coegit.

Durum contra stimulum calcitrare.

II. Quid est, *durum est tibi contra stimulum calcitrare?* ℟. est adagium sumptum à bobus cervicosis, qui cùm ab aratoribus vel aurigis stimulo punguntur, recalcitrant, sed eo acrius punguntur: significans, simili modo eum, qui potentiori obluctatur, uti Paulus Christo, frustra id facere, & cum damno proprio: provocat enim potentioris iram, ut ictus & plagas graviores & crebriores illi infligat. Christus vult dicerere: pupugi te tot miraculis, tot monitis, tot argumentis Stephani, Barnabæ, Apostolorum meorum: pupugi tot inspirationibus, & excitationibus internis, tot remorsibus conscientiæ, sed semper in vanum. Quòd si ne jam quidem dejectus acriori verbere, mihi cesseris, duriores parabo stimulos. Neq; enim decet mancipium vel jumentum perpetuò rebelle esse Domino suo.

Violentia non est facta Saulo.

III. *An hic violentia & coactio facta Paulo?* ℟. ita somniat Lutherus & Calvinus cum suis sequacibus. Aſt magnis quidem stimulis pungitur, insolita luce tam interna, quàm externa percellitur, sed vim animo illatam nullam sensit: ultro cedit, libere succumbit, sponte se dedit, volens & libens transit in castra Christi. Et generatim loquendo, verissimum est, quod docet Aug. & Concil. Tridentinum, Deum internis externisq; svasionibus mentem pulsare, ut se convertat, sed pulsationi vel vocationi isti consentire, vel dissentire, propriæ hominis voluntatis esse.

Manûs impositio.

IV. *Quid denotabat impositio manus Ananiæ super Saulum* v. 17.? ℟. Non erat collatio Sacramenti Confirmationis (Saulus nondum erat baptizatus, & Ananias nondum erat Episcopus, sed ex 72. Discipulis unus, postea creatus Episcopus Damasci) sed erat ceremonia, quam curationi morborum perficiendæ adhibere solebant Discipuli Christi, juxta illud Marci ult. *Super ægros manus imponent, & bene habebunt.*

Squama in oculis Saulis.

V. *Quid squamæ in oculis Pauli?* ℟. Lux illa copiosior à corpore Christi glorioso in oculos Pauli vibrata, humores è cerebro in oculos deduxerat, ibiq; eos coagulârat, ut in pelliculas instar squamarum duras concrescerent, itaq; oculos obtegerent ac cœcarent. Sic olim contigerat Tobiæ, qui felle piscis, pelliculam exedente, curatus fuit. Et periti chirurgi nôrunt acu pelliculam detrahere. Sed Paulo sine adminiculo medicinæ, ad solam manuum Ananiæ impositionem, & Nominis Jesu invocationem deciderunt sponte sua ambæ pelliculæ.

CAPUT X.

Cornelius Centurio Romanus jussu Angeli Petrum ex Joppe revocat Cæsaream, ut ab eo in fide Christi instruatur & baptizetur; Petro antè per visionem lintei & quadrupedium cœlitus instructo, ut gentibus omnibus ostium pandat Evangelii & Ecclesiæ.

Cornelii virtutes.

QUæstio I. *Quæ fuerunt virtutes Cornelii Centurionis nondum Christiani?* ℟. primò erat *religiosus ac timens Deum.* 2dò curabat ut & *omnis domus,* id est, tota familia *sua* talis esset. 3tiò *faciebat eleemosynas multas plebi.* 4tò *deprecabatur Deum semper,* id est, assiduè orationi vacabat, nempe quantum illi per negotia liceret. Porrò ex his constat, Cornelium antequam Petrum accersereț, justum fuisse & in statu gratiæ, quod & v. 22. & 35. disertè affirmatur, & est pene communis Doctorum sententia. Colebat ergo Deum Cornelius, sicut olim Job ejusq; amici. Et jam Petrus ad eum mittitur, ut instruat de Adventu Messiæ, baptizet & in Ecclesiam admittat. Factâ enim jam promulgatione novæ legis, opus erat fide explicita in Christum, itemq; baptismo, non ad acquirendam, sed ad fovendam stabiliendamq; Cornelio justitiam. Et hoc sibi vult S. Greg. hom. 9. in Ezech. cùm ait, *Cornelium per fidem,* scil. implicitam in Christum, *venisse ad bona opera: & per bona opera meruisse fidem* scil. explicitam: meruisse inquam, non viribus vel operibus solius naturæ, ut fingebat Pelagius, sed adjutum gratiâ DEI tum excitante, tum cooperante, ut rectè docet S. Prosper & alii.

Cornelius vocatus ad fidem.

II. *Cur ad Christi fidem & baptismum vocatus est Cornelius, si sine illis salvus fieri poterat?*

tent? ℟. Quorsum Deus vocavit justos ac sanctos viros ex circumcisione? Nam ùt illi salutem adipisci poterant, si Christus illis jam venisse prædicatus non fuisset, sed in fide, quam de futuro Messia habebant, & obedientia legis ex fide ad vitam pervenissent; ita etiam & Cornelius & Eunuchus, & justi quotquot essent Gentiles, ex fide illa unius Dei & religioso cultu ac bonis operibus ad salutem æternam utiq; pervenissent, si nullum illis peculiare de Adventu Christi lumen affulsisset. Ex quo tamen utrisq; evangelizatus est Christus, necessariò ad legem Christi amplectendam cogebantur, non ut à peccato, quo ponimus illos carere, justificarentur, sed ut in Dei cognitione & gratia augerentur magis, & Spiritu Dei locupletarentur. Ita Christus dixit Joan. 10. *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantiùs habeant.* Venit enim, ut peccatores, qui mortui erant per delicta, vitam haberent; & ut, qui justi erant, & spiritualem vitam habebant, abundantiùs haberent. Et iterum Dominus: *Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili.* Ut ergo oves habebat actu ex Judæis, ita etiam actu ex Gentibus quosdam noverat ad se spectare, qui in via salutis positi erant; & ideo fide & gratia omnino destituti non erant, ùt alii permulti. Sicut duplex est accessus ad Sacramentum pœnitentiæ: nam alii injusti accedunt, & primam gratiam ac remissionem peccatorum virtute Sacramenti percipiunt; alii verò jam justi & justificati per fidem & perfectam contritionem veniunt, & isti gratiæ & donorum Spiritûs Sancti accipiunt incrementum: ita etiam contingit ad baptismum homines hac duplici via & ratione pervenire, & una alteri minimè repugnat aut adversatur.

III. *An si Cornelius ante baptismum fuisset mortuus, salutem fuisset consecutus?* ℟. Contrarium sentire videtur esse durum, quomodo justus in justitia perseverans, & in ea mortuus remuneratione cœlesti frustrabitur, cùm Dominus dicat, *ibunt justi in vitam æternam,* & habentibus, opera misericordiæ dicatur: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Eadem etiam est ratio justorum, qui in lege, & qui extra illam erant. Quòdsi illi in fide sua implicita de futuro Messia salvabantur; ita Gentiles in fide unius DEI, quam tantùm habere poterant citra peculiarem revelationem, salutem consecutos quis negare valeat? cùm enim Dominus duo haberet ovilia olim, habebat & in quolibet illorum oves, & à pastore suo in salutem suam regebantur: alioquin ovile proprium non esset, ubi nulla ovis servari posset. Illud quoq; durum est, quòd hujusmodi viris justis inter gentiles, si qui fuissent, misisset Deus aut Angelos, aut homines prædicatores, qui Christum explicitè annuntiarent, & salutis eorum essent conciliatores, sicut misit Philippum ad Eunuchum, & Petrum ad Cornelium. Sed profectò ex uno vel altero exemplo non rectè colligitur universalis regula, cùm non ignoremus Deum multas homines salvandi rationes habere. Præterea, si nunc utilis est ad salutem fides Christi implicita, ut in puris, amentibus & simplicibus, qui rationis usu destituuntur: quidni magis ejusmodi fides conducibilis fuisset illis, qui Lucem Evangelicam, sibi minimè auditam vel cognitam non perceperunt?

IV. *Quid ad literam significat hîc v. 11. vas, seu linteum?* ℟. Plerique; SS. Patres intelligunt Ecclesiam Christi. Hæc enim est quasi vas lineum, id est, purum, propter incorruptibilem veritatem & fidem: quia purissima & sanctissima est tum in fide, tum in vita & moribus, non habens maculam neq; rugam Eph. 5. 27. Hæc de cœlo demittitur, quia ipsa est civitas sancta, Jerusalem nova descendens de cœlo à DEO Apoc. 21. 2. Quatuor Angeli sunt 4. Evangelia, quibus per 4. plagas mundi, & 4. partes terræ disseminatur Ecclesia. Hoc vas ter è cœlo demittitur, quia fide & Sacramento SS. Trinitatis fideles innovantur, & in Ecclesiam admittuntur. In eo sunt immundæ & feræ bestiæ, id est, quævis gentes, quæ priùs erant turpibus & ferinis moribus atq; à legali Judæorum munditie alienæ. *Vas seu linteum Petri.*

V. *An in hoc linteo fuerint animalia tam munda quàm immunda?* ℟. Justinus q. 89. ad Orthod. censet in hoc linteo fuisse sola animalia immunda, nam si munda fuissent, Petrus non exhorruisset; sed ea accepisset, relictis immundis. Jam autem videns omnia immunda, exhorrescens dixit: *nunquam manducavi omne commune & immundum.* Significabant enim gentes immundas. Unde volatilia denotant superbos & ambitiosos: serpentia invidos & iracundos; quadrupedia avaros, gulosos & lubricos: hi enim oculos, mentemq; in terram & terrena projectam gerunt, ita Lyran. Erant tamen in hoc vase munda nonnulla, sed per pauca, & sub immundis abscondita: nam munda significabant Judæos cum immundis, id est, Gentibus, capiendos esse Ecclesiâ Christi. *Animalia immunda in linteo.*

VI. Quid significat illud *occide* v. 13.? ℟. Hæc occisio & immolatio significabat, in Gentibus occidendam esse infidelitatem & vitia, ut in eis viveret Christus, fides & virtus. Unde S. Hieron. ait Petro quasi capiti Ecclesiæ dictum esse de Gentibus: *macta & manduca, id est, vetustatem earum contere, & in corpus Ecclesiæ, ac tua membra converte.* *Animalia occisio.*

CAPUT XI.

Judæo-Christianos ob inductum in Ecclesiam Cornelium expostulantes cum Petro ipse compescit. Aucto valde è Gentilibus fidelium numero in Syria, mittitur Barnabas Antiochiam, & mox etiam Saulus, & ibi primò Discipuli cognominantur Christiani. Agabus propheta famem toti orbi imminentem prædicit. Antiocheni factâ collectâ pecuniariâ Jerosolymitanis fidelibus opportunè succurrunt.

Cherinthi hæresis.

QUæstio I. *Quis fuit auctor murmuris contra Petrum?* R. S. Epiph. hæresi 28. tradit fuisse Cherinthum, qui proximus post Simonem Magum fuit hæresiarcha, eundemq; suscitasse Judæos contra Paulum, ut eum caperent, quasi qui Gentiles induxisset in templum. Act. 22. 28. Porrò Cherinthus judaizans pugnabat pro Judaismo, ut excluderet Christianismum: unde docebat omnes homines debere circumcidi, & servare legem Mosis, ideoq; contra eum promulgatum est primum Concilium Hierosolymitanum Act 15. ita Epiph. hæresi 28.

Manducare cum Gentilibus.

II. *Cur Christiani ex Judaismo dicunt Petro, quare manducâsti cum illis, & non prædicâsti illis Christum?* R. Quia hoc secundum quasi impium & injurium Christo omnes exhorruissent. Manducare autem Judæo cum Gentilibus illicitum videbatur. Hi enim si cum Gentibus manducarent in mensa, censebantur à Judæis hoc convictu contaminari fieriq; immundi. Sed pariter hæc censura frigida erat, Judaica & Pharisaica, jamq; per Christum cum lege vetere ejusq; immunditie & irregularitate sublata & abolita.

III. *Qui intelliguntur per Græcos* v. 20. *Loquebantur ad Græcos?* R. Vatab. putat intelligi Judæos inter Græcos, id est, Gentiles natos, vel educatos vel habitantes. Verùm quia Græcistæ hic opponuntur Judæis degentibus in Phœnicia, Cypro & Antiochia, hoc est, in regionibus & urbibus Gentilibus, hinc per Græcistas hoc loco, non Judæi inter Gentes nati, vel viventes, sed Gentiles significantur. Unde patet hosce Cyprios Evangelistas evangelizasse Gentilibus paulò post necem S. Stephani.

Manus Domini.

IV. *Quid significat manus Domini in Scriptura?* R. Quandoq; significat vindictam, sive Domini ultionem, quandoq; verò auxilium sive præsidium ad opera, quæ sunt supra naturam Prioris significationis sunt testimonia plura: nam Jud. 2. dicitur: quocunq; pergere voluissent, manus Domini super eos erat. & 1. Reg. 5. *Fiebat manus Domini per singulas civitates interfectionis magnæ nimis.* & Job 13. *Manum tuam longè fac à me.* & 19. *Miseremini mei saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* In secunda significatione ait Ezechiel c. 1. *facta est super eum ibi manus Domini,* scil. ad prophetandum. Et de Joanne Bapt. Luc. 1. *Etenim manus Domini erat cum illo.*

V. *In qua significatione accipitur manus Domini* v. 21. *Erat manus Domini cum eis?* R. In posteriori, ita ut sit sensus: Deus per eos virtutem suam exerebat, miracula in doctrinæ illorum confirmationem edendo. De hac manu Lucas c. 4. dixerat: *Et nunc Domine respice in minas eorum, & da servis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum, in eo quòd manum tuam extendas ad sanitates & signa & prodigia fieri per nomen Sancti Filii tui Jesu.* Potest etiam hoc intelligi de manu DEI vindicante hostes & Adversarios Evangelii, quales sunt Dœmones, quos pellebat de corporibus, & pseudoprophetæ, qualis erat Elymas magus, quem excœcavit Paulus, atq; alii, qui se Evangelio opponere audebant. Nam in his vindicta quædam divina erat, ad utilitatem tamen credentium instituta.

CAPUT XII.

Herodes Agrippa occidit S. Jacobum, & S. Petrum incarcerat: sed ille ab Angelo eliberatur. Herodes à populo Deus acclamatus, occiditur ab Angelo.

Herodes Agrippa.

QUæstio I. *Quis fuit Herodes* v. 1.? R. Non Ascalonita, qui infantes in ortu Christi occidit: nec Antipas, qui Joannem Baptistam decollavit, & Christum illusit: sed Agrippa, filius Aristobuli, filii Herodis Ascalonitæ. Vocatur Rex, non tetrarcha, quia regnum, regisq; nomen à Cajo Caligula Imp. obtinuerat, eò quòd sub Tiberio Cæsare Cajo familiaris, Tiberio celerem mortem, ut Cajus nepos ei in imperio succederet, optâsset, ideoq; à Tiberio in carcerem detrusus esset: unde mox moriente Tiberio, succedens Cajus Agrippam carcere liberatum regem Judææ creavit, ùt narrat Josephus l. 18. c. 8.

II. *Cur Herodes afflixit quosdam de Ecclesia?* R. Quia, teste Josepho, Judaismi & Judæorum erat studiosissimus, atq; à Cajo cum régno jus etiam in res sacras, templum & sacerdotium obtinuerat, Adeo enim Cajo ob optatum & prædictum ei imperium, erat

charus,

charus, ut Cajus creatus Imperator mox Agrippæ donârit catenam auream, pondere parem ferreæ, qua eum onerârat & vinxerat Tiberius, ait Josephus l. 19 c. 5. Videtur Agrippa Romæ didicisse crudelitatem à Tiberio Cæsare, à quo conjectus in vincula, à Cajo evectus fuit ad Regnum.

III. *Cur Jacobum præ cæteris Apostolis occidit Herodes?* R. Quia hic Jacobus major frater Joannis, erat unus è primariis Apostolis tribus, adeoq; è columnis Ecclesiæ. Deinde, quia ut ait Chrysost. & Theophyl. in c. 17. Matth. Jacobus hic quasi Boanerges, id est, filius tonitrui, in prædicatione Evangelii erat igneus quasi fulmen, ac Judæis terribilis & gravis quasi tonitru confutando Judæos, & Judaismum, ideoq; ab eis postulatus ad necem. Ad hæc quia ex Hispania obita celebris, rerumq; gestarum gloriâ clarus, oculos omnium in se convertebat, ac nominatim, quòd duos famosos Magos, Philethum & Hermogenem ad Christum convertisset. Deniq; probabile est, cæteros plerosq; Apostolos abfuisse Jerosolymis, imò abiisse in suas provincias, ut proinde eos comprehendere non potuerit Herodes. Occidit autem Herodes Jacobum, tum ut Judæos sibi magis conciliaret, tum quia Judaismi, quem S. Jacobus impugnabat, erat amantissimus, teste Josepho l. 19. Antiq. c. 7. *Jacobus occiditur.*

IV. *Quid contigit in morte S. Jacobi?* R. Clemens Alexandrinus testatur, quòd is, qui obtulerat eum Judici ad martyrium, motus etiam ipse, confessus est se esse Christianum. Ducti sunt ambo ad supplicium: & cùm ducerentur in via, rogavit Jacobum dare sibi remissionem: at ille parumper deliberans: Pax, inquit, tibi, & osculatus est eum. Et ita ambo simul capite plexi sunt. Et ut quidam scribunt, antequam decollaretur, rogavit spiculatorem, ut aquæ sibi facultas fieret: & allata lagena aquâ plena, dixit ad illum; Credis in nomine JEsu Christi Filii DEI? qui dixit, Credo, & perfudit eum Jacobus, & postea cervicem spiculatori porrexit: ac deinde Josias ille Pharisæus, qui accusaverat, martyrio cum illo coronatus est. Causam autem conversionis hujus Josiæ fuisse tradunt: quòd cùm duceretur ad locum supplicii, vidit paralyticum jacentem, & ad se clamantem; vir sancte libera me à doloribus, quibus omnia mea membra cruciantur. Ad quem Apostolus conversus; In nomine Domini mei JEsu Christi, pro cujus fide ducor ad mortem, exurge sanus, & benedic Salvatorem tuum. Et protinus exurrexit, & cœpit currere & benedicere nomen Domini JEsu.

V. *An Marcus Evangelista idem fuit cum Joanne, qui hîc v. 12. cognominatus est Marcus?* R. non fuisse, quia Evangelista nomen proprium habet Marci: at ille alter nomen proprium habet Joannis, cognomentum verò Marci. Deinde quia ille Act. 12. non fuit ex numero septuaginta: at Evangelista, ut testantur Dorotheus, Orig. & Theophyl. unus ex his Discipulis fuit, qui simul cum Luca retrocesserant à Christo, dum prædicaret de carne sua manducanda, Joan. 6. ut tradit Hyppol. Præterea Marcus Evangelista comes fuit S. Petri, Romæ scripsit Evangelium, inde Alexandrinam fundavit Ecclesiam; Hic autem Marcus fuit socius peregrinationis S. Pauli & Barnabæ. De hoc Marco habetur in Martyrologio Rom. die 27. Septemb. Bybli in Phœnicia S. Marci Episcopi, qui & Joannes à B. Luca nominatur. *Marcus cognomento Joannes.*

CAPUT XIII.

Saulus & Barnabas jussu Spiritûs Sancti mittuntur ad evangelizandum Gentibus: unde in Cypro Paulus convertit Paulum Sergium proconsulem, & Elymam Magum excœcat. Inde Antiochiæ Pisidiæ in synagoga concionatur Paulus, sed per Judæos expulsus, excusso pulvere pedum cum Barnaba pergit Iconium.

QUæstio I. *Quis Manahen Herodis collactaneus* v. 1.? R. De hoc in Rom. Martyr. die 24. Maij: *Antiochiæ S. Manahen Herodis Tetrachæ collactanei Doctoris & Prophetæ sub gratia novi testamenti in eadem urbe quiescentis.* scil. Herodis Antipæ, qui fuit filius Herodis Ascalonitæ, & patruus Agrippæ, de quo c. 12. v. 1. Hic Antipas Christum induit veste alba & irrisit, ac Joannem Bapt. occidit. Collactaneus Herodis, quia ejusdem nutricis lacte lactatus, vel saltem cum eodem educatus; nam solent à pueritia Regum filiis adjungi pueri simul educandi. Sic in hoc & Herode, maximè vera redditur sententia Christi: *Duo erunt in lecto, unus assumetur, alter relinquetur,* patetq; Manahen fuisse insignis & illustris familiæ, utpote qui fuerit Herodis collactaneus. *Manahen.*

II. *Quod ministerium intelligitur* v. 2. *Ministrantibus autem illis Domino?* R. Sacrificium Missæ. Quia cùm hîc sermo sit de Apostolicis viris, qui Prophetæ erant & Doctores, atq; illi non gentium more Jovi aut Marti, aut Veneri, sed Domino sacrificarent: nec sacra etiam more Judæorum facerent, quia Christiani erant, & extra Jerusalem non licebat facere sacrificia, superest, ut more aliquo à Christianis observato sacrificaverint. *Sacrificium Missæ.*

Non fuit autem alius, quàm iſte, qui modò in Eccleſia obſervatur, ſcil. in Euchariſtiæ, ſive Miſſæ oblatione. Deinde Græcè loco *Miniſtrantibus*, habetur *ſacrificantibus*; & Tigurina, cùm operarentur Domino. *Sacris* enim vel *DEO operari*, eſt ſacrificare. Sacrificium enim opus DEO ſoli debitum & proprium. Inde etiam Sacrificium Miſſæ vocatur *Liturgia*: licet enim *Liturgia* ſignificet miniſterium in genere, tamen antonomaſticè ſignificat ſacrificium, ùt patet ex Liturgia S. Jacobi, S. Baſilii, S. Chryſoſtomi &c. Idem evincit vox Domini: Nullum enim miniſterium tam propriè Domino exhibetur, quàm ſacrificium.

Conſecratio in Presbyteros.

III. *An impoſitio manuum fuerit Sacramentum Ordinis, puta conſecratio in presbyteros vel Epiſcopos?* ℟. Ordinatos eſſe Epiſcopos. Nam veriſimile eſt, eos jam antè ordinatos fuiſſe Presbyteros. Jam enim per annum Antiochiæ turbam multam docuerant, ùt ait Luc. c. 11. v. 26. hoc autem eſt proprium presbyterorum, ùt rectè advertit Turrianus l. 1. de Hierarch. Ordin. c. 20. Prima ratio eſt, quia id circumſtantiæ videntur exigere, ſcil. liturgia, jejunium prævium, & impoſitio manuum, id eſt, ante conſecrationem ordinandorum, eamq; peragere in Sacrificio Miſſæ. 2da, quia nusquam legimus Saulum & Barnabam ordinatos fuiſſe Epiſcopos, niſi hic: unde & mox c. 14. & ſeq. Epiſcopalia munia obierunt, ordinando per civitates Presbyteros. Tertia, quia hæc impoſitio manuum facta eſt ſub annum Chriſti 45. ùt deducit Baron. & liquet ex eo, quòd Paulus raptus ſit in tertium cœlum, & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui, nimirum quia decebat, ùt Saulus jam proximè futurus Gentium Doctor, & legationem ſuam ad eas auſpicaturus in cœlum raperetur, ut quaſi cœleſtis Doctor inſtar Moyſis è cœlo ad eas mitti videretur. Quare congruum fuit tunc quoq; ei ultimam manum ordinationis, per conſecrationem in Epiſcopum imponi. 4ta, quia Chriſtus ordinavit Apoſtolos, Epiſcopos, hi alios & alios: ergo & Paulus ab iis ordinatus eſt: hoc enim poſtulat ordo hierarchicus à Chriſto inſtitutus, ut cùm ipſe Petrum & Apoſtolos ordinârit, cæteri omnes ab eis vel eorum ſucceſſoribus ordinentur. Nusquam autem apparet, quòd ab hominibus ordinatus ſit Saulus, quàm hic. Ita docet S. Chryſoſt. hic. S. Leo q. 81. ſancitq; ut jejunium præmittatur ordinationi, eò quòd illud hic præmiſerint Apoſtoli ordinationi Sauli & Barnabæ. Quòd autem Paulus Gal. 2. 6. dicat de cæteris Apoſtoli: mihi nihil contulerunt: intelligendum eſt de doctrina & Evangelio: hoc enim ipſe à Chriſto didicit, non ab Apoſtolis: nam alioqui Ananias contulit ei baptiſmum.

IV. *Quis Apoſtolus & Epiſcopus eos ordinavit? Non Petrus, quia jam abierat Romam. Non Jacobus Zebedæi, quia jam occiſus erat ab Herode. Non cæteri Apoſtoli, quia jam diſceſſerant in ſuas provincias?* ℟. Lyran. Antiochiæ fuiſſe Epiſcopos ab Apoſtolis ordinatos, qui eos ordinârunt. Oecumen. cenſet, Lucium & Manahen eis manus impoſuiſſe. Potuit quoq; è Judæa advocari S. Jacobus Epiſcopus Hieroſolymorum, S. Joannes, S. Mathias, aut quis alius vicinior Apoſtolus. Unde S. Leo l. c. ait eos ordinatos ab Apoſtolis.

V. *Quo ſenſu dicitur* v. 28. CREDIDERUNT *in Chriſtum*, QUOTQUOT ERANT PRÆORDINATI id eſt, *prædiſpoſiti* AD VITAM ÆTERNAM? ℟. ex libera ſua diſpoſitione ſibi à DEO indita. Quæ diſpoſitio in eo ſita erat, quòd ſincero indagandæ veritatis ſtudio, & ſalutis aſſequendæ affectu attenderent prædicationi S. Pauli. Atq; ita antitheſis eſt cum v. 46. vel repellendo prædicationem noſtram redditis vos indignos vitæ æternæ: Gentiles verò auſcultando & obſequendo prædicationi noſtræ præordinantur, ſeu prædiſponuntur ad vitam æternam, quaſi tyrones adſcripti militiæ cœleſti ſub vexillo Chriſti: Unde nihil facit hic locus pro Dionyſio Carthuſiano, & aliis quibusdam ex eo probare conantibus, electionem ad gloriam fieri ante præviſa cujuſpiam merita. Neq; enim agitur hìc de illa ſpeciali, abſoluta, completa, & ſolis prædeſtinatis propria electione, ſed (ùt ſummum) de conditionata, inchoata & remota. Quis enim credat, S. Lucam hic, ubi tantùm agit de fide, id eſt, de initio ſalutis, velle dicere, hos omnes & ſolos perſeverâſſe in fide & gratia, eſſeq; ſalvatos? cùm conſtet, multos alios poſtea credidiſſe & ſalvatos eſſe: neq; veriſimile ſit omnes ſalvatos eſſe, qui tunc crediderunt.

VI. *Quæ vocantur mulieres religioſæ* v. 50.? ℟. Quæ ceremoniis Moſaicæ legis, & traditionum Judaicarum plus cæteris addictæ erant, & majore zelo religionis ſuæ tuendæ ac propagandæ agebantur, ac proinde repugnabant Chriſtianæ doctrinæ pro viribus & ad æmulationem.

CAPUT XIV.

Paulus & Barnabas Iconii multos convertunt: unde pulſi à Judæis fugiunt Lyſtram, ubi ob claudum ſanatum, divinos honores Jovis & Mercurii ſibi à Gentilibus delatos recuſant ac refutant, ſed à Judæis lapidati fugiunt Derben: ac tandem relegentes iter ſuum, confirmatis ubiq; fidelibus, ordinatisq; presbyteris redeunt Antiochiam.

Quæstio I. *Quomodo Paulus* v. 8. *Vidit claudum fidem habere, cùm hæc sit spiritualis, & in animo delitescit?* R. Ex gestu & oculis, per quos animus se sæpe prodit, cognovit, ea, quæ ipse prædicebat, illum probare, quia audiebat Paulum prædicantem: Vel sicut Dominus videbat fidem adducentium ad se paralyticum, ita Apostolus revelatione, aut signo cognoscere potuit claudi hujus fidem.

III. *Quomodo intelligenda sunt verba* v. 15. *Dimisit gentes suas ingredi vias suas?* R. Sequi suas concupiscentias, errores & ficta numina. *Dimisit* autem non quasi eis omne virtutis & veritatis auxilium ademerit. Sic enim necessariò errâssent, & impiè egissent, ac proinde non peccâssent. Nam usq; adeo peccatum voluntarium est malum, ut nullo modò sit peccatum, si non sit voluntarium, ait S. Aug. l. de vera relig. c 14. Sed quòd generalia & modica duntaxat gratiæ & fidei præsidia eis elargitus sit; specialia & magna reservans Christo & legi gratiæ, idq; ex arcano ejus judicio & beneplacito. Ita se explicat Apostolus, dum subdit: *Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit &c.* Et Rom. 1. 20. Docet Gentiles potuisse, & debuisse Deum, ex creaturis agnoscere; imo multos agnovisse: Deus enim illis manifestavit. *Invisibilia enim DEI per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoq; ejus virtus & divinitas: ita ut sint inexcusabiles: quia cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, nec gratias egerunt: propterea tradidit illos Deus in desideria cordis eorum &c.*

IV. *Quo sensu dicitur* v. 25. *Unde erant traditi gratiæ DEI?* R. Traditi Spiritui Sancto, eos exposcenti c. 13. 2. *Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos.* Spiritus S. enim est spiritus gratiæ, qui gratis & copiosè suis, præsertim preconibus, dona quælibet gratiarum ad ministerium hoc opportuna aspirat & subministrat. Gratia ergo DEI hìc significat Spiritûs Sancti directionem, roborationem, illustrationem, quibus animabat Paulum & Barnabam, eosq; suo spiritu & zelo igniebat ad efficaciter & ardenter evangelizandum, & ad patrandum miracula, quibus converterentur gentes. 2dò *traditi gratiæ*, idest, gratuitò Apostolatui & legationi ad gentes Apostolatus enim est ingens gratia. Unde nonnulli per hypallagen sic exponunt: ubi traditi erant gratiæ DEI id est, ubi tradita esteis gratia Ordinationis & apostolatus, hoc est, ubi ordinati erant Episcopi & constituti Apostoli jussù DEI. Hic sensus videtur planus, ùt Paulus dicatur traditus gratiæ per hypallagen, hoc est, commendatus DEO, qui omnis gratiæ liberalissimus est donator viris Apostolicis. *Ostium ad Ecclesiam.*

V. *Quod est ostium* v. 26. *Et quia aperuisset Gentibus ostium?* R. Hoc est, gentes per prædicationem vocâssèt ad fidem, ac per fidem & baptismum vocâssèt & admisissèt in suam Ecclesiam & cœtum fidelium. Ecclesiæ enim ostium est fides & baptismus. Ostium ergo fidei est prædicatio Evangelii & fidei tum externa per Paulum, tum interna per Spiritum S. qua Spiritus Sanctus intellectum & voluntatem movet, ut intendat prædicationi externæ, eiq; credat & obediat; per prædicationem enim quasi per ostium aurium sermo fidei, fidesq; ingreditur in animam, ac seipsam animæ insinuat & persvadet; atq; viciſſim anima ingreditur in fidem, ei se submittendo in obsequium DEI, Christi & Apostolorum ejus.

CAPUT XV.

Antiochiæ oritur quæstio, an Gentiles Christiani debeant circumcidi, & servare legem Moysi? ad eam solvendam mittitur ad Apostolos Hierosolymam Paulus cum Barnaba. Apostoli cogunt primum Concilium, in quo respondent & definiunt, Christianos non obligari lege Mosis, responsum hoc Antiochiam refert Paulus & Barnabas; qui paulò pòst separati, Paulo assumente Silam, Barnabâ Joannem Marcum, pergunt evangelizare Gentibus.

Quæstio I. *Quis fuit auctor hujus seditionis?* R. Cerinthus. De quo Epiph. hæresi 28. & Philastrius l. de hær. 8. Hic, inquit, sub Apostolis quæstionem seditionis commovit, dicens debere circumcidi homines: cujus causâ contra ipsum & hæresin ejus, decreverunt de suis Actibus Apostoli sententiam, non debere jam homines judaismo, id est, circumcisione, aliisq; talibus superstitionis vanæ parere carnalibus, qui de Gentibus venientes credebant in Christum Dominum nostrum Salvatorem. Unde & Cerinthus fideles concitavit contra S. Petrum, eò quòd baptizâssèt Cornelium, ùt habetur Act. 10. & rursum concitavit Judæos, ut Paulum quasi Judaismi hostem caperent c. 21. Cerinthi aflecla fuit Ebion, qui mentiebatur Paulum esse Gentilem, sed factum esse proselytum, ut Jerosolymis filiam sacerdotis in uxorem ducere posset; verùm hac spe dejectum, factum esse hostem Judæorum & Judaismi, ita Epiph. hær. 30. *Circumcisio non necessaria.*

II. *Cur hi seditiosi dixerunt:* NISI CIRCUMCIDAMINI, NON POTESTIS SALVARI? R. Sub circumcisione per Synecdochen intelligebant totam legem Moysis, cujus initium & professio erat circumcisio. Hinc suæ sententiæ prætexebant hi errores, quòd solis Judæis, ut promissus, ita etiam missus esset Messias, & per Messiam parta gratia, redemptio & salus æterna: ac proinde Gentiles non esse horum capaces, nisi fierent proselyti, & Judaismo insererentur.

III. *Quid requiritur ad legitimum Concilium?* R. Ut legitimum sit, & vim omnes fideles obligandi habeat, debet imprimis auctoritate legitima congregari, id est, Petri vel successorum ejus: quæ si Concilio desit, illud profectò infirmat, ejusq; definitiones irritas, & nullas reddit. Debet deinde legitimè procedere, id est, absq; ulla vi, vel dolo, vel fraude. Debent præterea præcedere disputationes, ut hinc inde re agitatâ & discussâ, splendescat magis veritas, & intelligatur id, de quo sunt sententiæ dicendæ. Nec satis est in rebus fidei, & quæ conscientiam tangunt, dicere, volumus, mandamus, edicimus.

CAPUT XVI.

Paulus ob Judæos circumcidit Timotheum, eumq; socium suæ prædicationis assumit in Asia & Bithynia, ac per visionem evocatur in Macedoniam. Philippis ergo convertit Lydiam purpurariam, dæmonemq; è puella ejicit: quare virgis cæsus, cum Syla noctu orans & laudans Deum ciet terræ motum, quo ostia carceris panduntur. His visis custos carceris convertitur, Paulusq; à Magistratu liber cum honore dimittitur.

Timotheus circumciditur.

QUæstio I. *Cur Paulus Timotheum circumcidit, cùm id non tantùm Jerosolymitani Concilii, sed suomet etiam decreto repugnaret, quo dicebat Gal. 5. Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit?* R. Causam esse adjunctam, *propter Judæos*, qui erant in illis locis; ne videretur etiam Judæis prohibita circumcisio: nam literæ Apostolorum pro Gentibus tantùm erant scriptæ: Judæi namq; non ad justificationem, sed ad gentis distinctionem ea uti poterant, donec lex redderetur mortifera. Propter Judæos ergo circumcidit eum, non quòd circumcisio illi quicquam conferret ad salutem, quam fides adferebat, aut quòd necessaria esset ampliùs, sed propter Judæos, ne quid tumultûs oriretur in Judæis, quorum in illis regionibus erat ingens multitudo, ne videlicet legem Moysi videretur damnare. Deinde ut eos sibi demereretur, ne quam Evangelio remoram injicerent, aut Timotheum rejicerent, neq; enim sustinuissent Judæi verbum audire ab incircumciso.

Titus non circumciditur.

II. *Cur ergo Paulus non est passus circumcidi Titum æquè Gentilem?* R. Quia Judæi eum ad id volebant compellere, ne videretur eorum sententiæ falsæ subscribere, qua docebant circumcisionem esse necessariam ad salutem. Laudat discretionem S. Pauli S. Greg. 28. Moral. c. 6. Plerumq; enim, inquit, virtus cùm indiscretè tenetur, amittitur; cùm discretè intermittitur, retinetur.

Paulus non est permissus prædicare in Asia

III. *Cur vetatur Paulus prædicare in Asia* v. 6.? R. Nolebat Spiritus S. Margaritas projici ante porcos, quos præsciebat pedibus conculcaturos, si eo tempore illis prædicatum fuisset, ac proinde de contempta prædicatione graviùs judicandos. Non tamen propterea illis via salutis præclusa est, sed ùt ait S. Amb. l. 2. de vocat. Gentium c. 1. Non utiq; negata illis populis gratia, sed quantum apparuit retardata. Deinde vetiti sunt eò ire, eò quòd alibi majores fructus Paulus erat prolaturus. Novit enim Deus corda, & apta fructificandi tempora, quibus, & quo tempore sit prædicandum. Ad hæc, quod Asia, quæ finitima est Epheso, convertenda Joanni Evangelistæ relinqueretur, qui ad 7. Ecclesias, quæ erant in 7. civitatibus Asiæ, librum Apocalypsis scripsit. Bithynia verò servabatur prædicationi S. Lucæ.

IV. *Qualis fuit visio Pauli* v. 8.? R. Fuit somnium à DEO Paulo immissum per Angelum; Angelus enim in imaginatione Pauli formavit & pinxit virum habitu Macedonico, ejusq; vocem, ut videretur Macedonicè loqui & dicere: *Transiens in Macedoniam adjuva nos*; Vel certè ipse Angelus viri Macedonis speciem & vocem assumpsit. Videtur hic Angelus fuisse tutelaris & præses Macedoniæ. Quòd autem dixit: *adjuva nos*, non pro se postulavit, sed pro iis, quibus præsidebat, ut baptizarentur & salvi fierent.

V. *Quomodo Dominus dicitur cor purpurariæ aperuisse* v. 14.? R. Illuminando intellectum & movendo voluntatem ejus, ut intenderet iis, quæ dicebantur à Paulo, eaq; vera esse intelligeret, itaq; Christum cognosceret & diligeret.

VI. *Qua mente Spiritus Python dixit Paulo & sociis: Isti homines servi DEI excelsi sunt, qui annuntiant vobis viam salutis* v. 17.? R. Hic spiritus ita loquebatur, vel coactus

à Spi-

à Spiritu S. Sicut Lucæ 4. Dæmon quidam Christo dicebat: *Sine, quid nobis, & Tibi Jesu Nazarene? venisti perdere nos? scio te, qui sis, sanctus Dei*; vel ut averteret eos ab oratione, & ad inanem gloriam induceret; vel deniq; ita loquebatur, ne à Paulo expelleretur.

CAPUT XVII.

Paulus exiens Philippis contendit Thessalonicam, ubi multos convertit; sed Judæis eum persequentibus abiit Beræam, inde Athenas: ubi ex ara Ignoto Deo dicata, demonstans hunc Deum esse Christum, multos ad ejus fidem traduxit, ac inter eos Dionysium Areopagitam.

Quæstio I. *Qui sunt Colentes* v. 4.? R. Vocantur proselyti, puta Gentiles ad Judaismum conversi: opponuntur enim Judæis gente & genere, ac Gentilibus, in Gentilismo viventibus. Dicit ergo ex Judæis aliquos fuisse conversos, ex proselytis verò & Gentilibus multos.

II. *Quis fuit Epicurus?* R. Fuit Xenocratis discipulus, qui omnem hominis felicitatem ponebat in voluptate. Negabat animæ immortalitatem, corporis resurrectionem, DEI providentiam & omne Numen. Mundos asserebat innumerabiles esse, & ex atomis inter se coeuntibus coaluisse, quod à Democrito hausit. Epicureis oppositi erant Stoici, sic dicti à stoa, id est, porticu, in qua docere solebat parens illorum Zeno. Docebant, fato seu naturæ necessitate omnia fluere: virturem, in qua summam hominis felicitatem ponebant, in potestate & arbitrio cujusvis esse: virtutes omnes pares esse & connexas, ut & vitia: misericordiam & compassionem vitium esse: licere sapienti, imò decere, seipsum occidere, ne miserè vivat: mundum esse animal animatum, vivum & rationale: animam mundi esse Deum; & alias nugas, quas Cicero, Plutarchus, Lactant. Aug. & Lipsius fusè recensent & refellunt; & Paulus Athænis refellere debuit, docendo felicitatem hominis in DEI fruitione consistere, à Jesu crucifixo dependere, cujus gratiâ resuscitandi sumus in vitam immortalem &c. *Epicurus.*

III. *Quo sensu Paulus dicit Athenienses quasi superstitiosiores* v. 22.? R. Vult dicere nimis religiosos ad superstitionem usq;: nam præter multos falsos Deos colebant quendam ignotum Deum. At nemo nisi superstitiosus, colit, amat, vel adorat, quod non cognoscit: *nam ignoti nulla cupido.* Videntur Athenienses ex Trismegisti, Sybillarum & variorum Philosophorum suorum, fortè & Judæorum doctrina resciviisse, Deum cœli & terræ conditorem esse innominatum, invisibilem, inaccessum, incomprehensibilem, ineffabilem. Unde ne quod Numen sine cultu præteriisse viderentur, aram posuerunt ignoto Deo. Et verò Deum hunc Athenienſibus ignotum, non falsum, sed verum Deum fuisse, innuit Paulus, cùm subdit: *quòd ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis.* *Athenienses quasi superstitiosiores.*

IV. *Quo sensu dicit* v. 24. *Non in manufactis habitat templi?* R. Quasi in palatiis sibi necessariis, quorum ambitu concludatur, ut solent reges. Deus enim nulli loco alligatur, multò minùs terminatur, sed per universum orbem, & super omnes cœlos, per immensa etiam vacui spatia se extendit.

V. *Quid carpit* v. 25. *Nec manibus humanis colitur?* R. Errorem Gentilium, qui victimas putabant cibum esse & delicias Deorum, sicut aras & fana dicebant eorundem cubilia esse & palatia. Unde nihil hìc contra Christianorum templa, altaria, imagines & cæremonias externas, quibus DEO deservimus, non quasi ipse illis indigeat, sed quia nos ad DEO decentiùs serviendum illis indigemus.

VI. *Quid promovit conversionem Dionysii Areopagitæ?* R. Miraculosa eclipsis, quam in morte Christi spectârat Heliopoli in Ægypto, cùm esset 25. annorum præsente Apollophane: propter quam exclamâsse dicitur: Aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina dissolvetur. Conversus à S. Paulo, cùm esset annorum 44. exinde triennio ei adhæsit, ac ab eo factus primus Athenarum Episcopus. Hierosolymam eum S. Paulo veniens interfuit morti B. Virginis, ut scribit ipse l. de Divinis nomin. c. 3. Hortatu S. Joannis Apostoli ivit Romam, ad S. Clementem à quo missus in Gallias, martyr occubuit Parisiis, Anno Christi 119. cùm vixisset 110. portans abscissum caput per duo milliaria, ut dicitur.

CAPUT XVIII.

Athenis Corinthum pergit Paulus, ubi jussu Dei amplam messem promittentis prædicat toto sesquianno. Accusatus à Judæis, se purgat apud Proconsulem, in cujus conspectu Judæi furentes Sosthenem verberant. Post hæc Paulus peragrat Ephesum, Cæsaream &c. Apollo à Priscilla

&

& Aquila instructus, Ephesi & in Achaia fidem Christi fortiter propugnat & propagat.

QUæstio I. *Cur Claudius Imp. jussit omnes Judæos, & ex Judæis oriundos Christianos Româ excedere?* R. Suetonius dat hanc causam in Claudio c. 25. *eò quòd Judæi Romæ assiduè tumultuarentur*, idq; *impulsore Christo:* voluit dicere, occasione Christi, de quo cum Christianis assidua Judæis erat contentio. Unde Claudius (ùt erat teste eodem Suetonio, naturâ timidissimus, & ad solum nomen vel umbram novi Regis exhorrescebat) ne quod periculum sibi à novo Christo vel ejus assèclis crearetur, jussit omnes, qui ad eum aliquomodo spectarent, urbe excedere. Hugo & Lyran. aliam addunt expulsionis Judæorum causam, nempe quòd Massilinam Claudii uxorem pellexissent ad Judaismum. Nam simili de causa Iberius eosdem Roma proscripserat, quòd Fuluiam Saturnini Senatoris uxorem ad Judaismum traduxissent, ùt Josephus narrat l. 18. Antiq. c. 4. & 5.

II. *Quod votum habebat Paulus* v. 18.? R. Nazaræatus, quo cogebatur saltem ad tempus alere comam, & abstinere à vino & sicera. Hoc voto se obstrinxit Paulus, ut Judæos, & Judæo-Christianos sibi, quasi legalia contemnenti, offensos deliniret. Professio enim Nazaræatus erat professio rigidissimæ observantiæ legis, & ceremoniarum Judaicarum, ferè ut apud Christianos professio status Religiosi. Hoc votum expleturus Paulus, & comam positurus in templo, navigat in Syriam Jerosolymam versùs.

III. *Cur ergo totondit caput in Cenchris?* R. Quia forsan funere aliquo vel morticini contactu polluerat comam, quo casu qui votum Nazaræatus habebat, pollutam comam resecare jubebatur, & de novo tempus sui Nazaræatus inchoare. Num. 5. & 6. Complet verò votum suum Jerosolymis Paulus infrà v. 21.

CAPUT XIX.

Paulus Ephesum reversùs, 12. Discipulos Joannis baptizat & confirmat: in Synagoga tres menses in schola tyranni biennium prædicat, plurimis miraculis dicta sua confirmans, solis sudariis suis ægros sanans, & Dæmones pellens. Quod dum volunt imitari Judæi Sceuæ filii, invaduntur à Dæmone: quare territi alii magiam damnant, & magicos libros comburunt, Demetrius argentarius tumultum excitat contra Paulum, sed à Scriba compescitur.

QUæstio I. *Quomodo quis scire potest, an Spiritum S. acceperit?* R. Etsi Spiritus S. sub aspectum non cadat, certis tamen quibus indiciis se manifestum reddebat. Interius quidem charitatem & pacem conscientiæ tribuendo, & testimonium spiritui nostro reddendo, quòd sumus filii DEI; exteriùs verò, quia se per donum lingvarum, vel prophetiæ, vel alia dona exerebat.

II. *Quis tyrannus intelligitur* v. 9. *Quotidie disputans in schola tyranni cujusdam?* R. Syrus, Dionys. & Mariana volunt nomen proprium viri alicujus Ephesini esse. Sed alii ut appellativum accipiunt pro principe, primate, vel ex regio sangvine oriundo. Per scholam autem intelligi potest aula, porticus vel cubiculum quodvis, in quod otii vel quietis causa secedi solebat. Delegit autem Paulus domum hujus Principis, ut potentis & auctoritate illius contra Judæorum audaciam se suosq; tueretur.

III. *De quo est sermo* v. 18. *Confitentes & annuntiantes actus suos?* R. Lutherus pro *actus suos*, vertit miracula sua, sed perperàm, miracula enim non sunt actus nostri, sed DEI, qui solus est omnipotens. Unde Syrus clarè vertit: *renuntiabant offensas suas, & confitebantur, quod fecerant.* Hæc de confessione, quæ fit in Sacramento pœnitentiæ communiter accipiunt Doctores, qui hinc probant necessitatem confitendi contra hæreticos. Nam τὰ actus suos significat hanc confessionem non fuisse generalem & publicam, dicendo, fateor me esse peccatorem, ùt vult Calvinus & Beza, sed particularem, ideoq; secretam: in hac enim, non in illa enarrantur speciatim & particulatim singuli actus mali à pœnitente.

IV. *Quid per curiosa intelligitur* v. 19. *Qui fuerant curiosa sectati?* R. Magiam intelligunt Eusebius, Chrysost. Beda & alii. Et verò Ephesios magiæ addictissimos fuisse vel inde probat S. Hieron. quòd Apollonius Tyanæus publicum magicæ artis ludum Ephesi tum temporis aperuerit, & ab Ephesiis statuâ donatus inter Divos relatus fuerit, sub initia Imperii Neronis, ùt Philostratus testatur. Et cui non sunt nota *Ephesia Grammata* notæ & signa magica, quibus vel ad expellendos Dæmones teste Plutarcho in Sympos. l. 7. q. 5. vel ad obtinendam victoriam, vel ad depellenda pericula teste Suida, passim

uti

uti omnes contendebant? sed Paulus fœdas has artes è medio tollere satagens, comburi publicè curavit artium ejusmodi libros æstimatos universim 50. millibus denariorum, id est, quinq; millibus aureorum.

CAPUT XX.

Paulus Epheso excedens per varias Asiæ & Græciæ urbes pergit in Macedoniam, inde Troadem, ubi Eutychum à morte revocat: inde Miletum, quo Seniores Ephesi accersit, & commendatâ ipsis Ecclesiâ, ultimum valedicit.

QUæstio I. *De qua fractione panis dicit* v. 7.? R. Certum est ad communem cœnam non fuisse opus Paulo tanto cœnaculo & convocatione Christianorum. Et quia quotidie conveniebant ad frangendum panem communem, hìc verò die Dominico; & conjuncta erat ista fractio panis cum prædicatione, sive disputatione, quemadmodum Act. 2. conjuncta est cum doctrina Apostolorum; & quia demiq; discessurus ab eis fregit panem, ut Christus ab Apostolis discessurus, ut mutuæ charitatis eis memoriam relinqueret. Ita rectè colligit Beda de fractione panis Eucharistiæ hunc locum intelligendum. S Aug. ep. 86. tom. 2. dicit Paulum in Troade die Dominico confregisse panem, sicut frangitur in Sacramento corporis Christi: & ante & post celebrata Sacramenta, populo locutum. Certè codex Syriacus hoc loco habet: *Dum congregati essemus ad frangendum Eucharistiam.* Hoc indicant etiam *lampades copiosæ in cœnaculo* non tantùm ad pellendas noctis tenebras (de quo nulli dubium esse poterat, neq; opus erat ejus rei Evangelistam meminisse) sed etiam & quidem maximè ad decorandam Eucharistiæ celebrationem: quod etiamnum, cùm interdiu Missa celebratur, piè imitatur Ecclesia universa. *Panis fractio.*

II. *Quo sensu dicit Paulus se alligatum spiritu ire in Jerusalem* v. 22.? R. Vult dicere, pergo Jerosolymam impellente me Spiritu S. cui quasi alligatus & devinctus sum. Ipse enim ita me possidet, ut non tam agere, quàm ab eo agi videar, juxta illud Rom. 8. 14. *Quicunq; enim spiritu DEI aguntur, ij sunt filii DEI.* Porrò Spiritus S. mihi indit spiritum, id est, impulsum, desiderium, ardorem eundi in Jerusalem; qui me ita validè eo impellit, ut ei alligatus, eoq; ferri videar, sicut nubes ita aguntur vento quaquaversum, ut ei alligatæ videantur, juxta illud Oseæ 4. 19. ligavit eum Spiritus in alis suis. Causa hujus impulsus fuit prima, quia hoc eodem anno post paucos dies B. Virgo Hierosolymis migratura erat in cœlum. Impulit ergo Spiritus S. Paulum in Jerusalem, ut ante migrationem B. Virginem salutaret, eiq; tam suos fideles & Ecclesias, quàm instantes agones cum Judæis & Nerone commendaret. Secunda, quia volebat Spiritus S. Paulum Hierosolymis vinctum mitti Romam, ut cum S. Petro Romanam Ecclesiam fundaret & stabiliret.

III. *Quod est* VERBUM GRATIÆ v. 22.? R. Ipsam Gratiam vocat verbum: tum quia Hebræi omnem rem vocant metonymicè verbum: tum quia gratia verbo à DEO, per Christum nobis promissa est: tum quia verbo & jussu DEI datur. Sufficit enim ut Deus verbo dicat: esto sanctus, patiens, humilis, & mox talis ero. Verbum enim DEI est efficax. DEI enim dicere est facere. Sanchez putat, *commendo vos verbo gratiæ* idem esse, ac Divinæ promissioni, quæ gratiam omnibus liberaliter offert.

CAPUT XXI.

Paulus navigat Coum, Rhodum, Pataram, Tyrum, Ptolemaida, Cæsaream, ubi Agabus ei vincula Jerosolymitana prædicit: Jerosolymæ suasu Jacobi purificat se in templo, sed à Judæis penè occiditur: à tribuno Judæis ereptus, potestatem accipit populum ex editiore loco alloquendi.

QUæstio I. *Quæ Rhodus & Cous?* R. Cous, Coa vel Cea, insula est è Cycladibus in mari Ægeo ad austrum. Patria fuit Hippocratis medicorum & Apellis pictorum principis. Rhodus vicina Coo insula magis Australis, quam Selymus Turcarum Imperator anno Domini 1522. Christianis eripuit. De hac asserit Plinius l. 2. c. 62. nunquam tam nubilum esse diem, quin sol Rhodo appareat, & in ea ex ære colossum, seu statuam soli erectam, altitudine pedum centum & quinq;, unum è septem miraculis mundi. *Rhodus & Cous.*

II. *Quis Philippus & filiæ ejus prophetantes?* R. Philippus unus de septem primis Diaconis, vocatur Evangelista non quòd scripserit, sed quòd prædicârit evangelium. *Huic erant 4. filiæ virgines prophetantes* v. 9. id est Divinas laudes celebrantes, ut nunc faciunt Moniales, inquit Joan. Alba. Electorum c. 58. Sed alii Prophetides propriè dictas vocant. *Philippus & filiæ ejus prophetantes.*

Virginitatis enim præmium est sapientia & prophetia, inquit Oecumenius. De una harum Hermione dicta, legimus in Menologio gravissima sub Trajano passam, in Domino quievisse 7. Sept. Reliquæ etiam Catalogo SS. Virginum adscriptæ sunt: & tempore S. Paulæ extabant adhuc illarum cubicula Cæsareæ inquit S. Hieron in Epitaphio Paulæ.

Purificatio Paulo.

III. *Quænam fuit Pauli purificatio* v. 25.? R. Vatablus & alii censent fuisse votum Nazaræatûs, quod tum vel inchoarit vel expleverit Paulus, ut purificatus sit idem, quod purificationem inchoans vel explens. Nazaræatus enim vocatus purificatio & sanctificatio: quia Nazaræi erant puri à vino & sicera, & consecrati DEO. Alii ùt Sanchez planiùs & verisimiliùs censent, hanc purificationem fuisse propriè dictam, ita enim semper in Græco hìc vocat eam Lucas, nimirum Paulum habentem votum Nazaræatûs, contactu mortui fuisse pollutum, & ab hac immunditia legali se purificâsse. Hoc enim propriè sonat vox purificatus, & hanc purificationem præscribit lex. Num. 6. 10.

IV. *Quomodo Judæi ausi sunt Paulum extrahere ex templo* v. 30. cùm in templo sit jus asyli, ut reum ex eo extrahere non liceat, nisi sit insidiosus, homicida, aut publicus latro, vel publicus depopulator agrorum, ùt habetur cap. *Immunitatem* Extrav. de Immun. R. Jus asyli & immunitatis, ex Jure Canonico & civilis proprium est templo novæ legis, non veteris, uti contra Canonistas docet Abulensis in c. 21. Exodi q. 26. Nusquam enim in veteri Scriptura extat sanctio de hac templi immunitate.

CAPUT XXII.

Paulus ad populum perorans, quamdiu vocationem suam de cœlo & conversionem ad Christum enarrat, cùm silentio auditur: sed simul ac se ad convertendas Gentes missum dixit, ab omnibus sublato clamore ad mortem deposcitur: à tribuno jubetur flagellari & torqueri, sed ubi innotuit civem esse Romanam, flagris eximitur, & postero die in publico Judæorum Concilio se purgare permittitur.

QUæstio I. *Cur Paulus Judæos vocat Patres?* R. Ut admoneat eos, sese fratrem illis præstitisse semper, seq; illos instar Patrum coluisse, quo tantâ modestiâ & charitate exculpat ab illis benignam attentionem, & ut recipiant legitimam excusationem, quam producit.

II. *Cur Paulus suam conversionem ad Christum Judæis commemorat?* R. Ut ostendat se non levi de causa velut paratus ad apostasiam, sed miraculo ad professionem nominis JEsu perveniisse: & simul eos terret, quòd religionem Christianam, tanquam hominum inventum persequebantur.

III. *Quomodo hìc dicit Paulus: Et qui mecum erant, lumen quidem viderunt, vocem non audierunt ejus, qui loquebatur mecum,* cùm c. 9. dicatur: *audientes quidem vocem, id est, neminem autem videntes?* R. Audierunt vocem, id est, sonitum verborum; non tamen sensum perceperunt, ut Beda & Rabanus interpretantur. Vel audierunt quidem vocem Pauli respondentis, non autem Christi compellantis, ut Græca scholia exponunt, nam comites Pauli audierunt quidem vocem JEsu ad Paulum, hìc verò est sermo de voce Pauli ad JEsum.

Paulus præordinatus à DEO.

IV. *Quomodo Paulus præordinatus à DEO* v. 14? R. Præordinatus est in præscientia DEI ad excellentissimum Apostolatûs munus, ac proinde ad celsiorem gloriæ coronam. Græcè habetur, præparavit. Nam & præparat nobis bona opera, in quibus ambulemus, & nos ipsos præparat ad amplectenda salutis subsidia, ut hìc fecit cum Paulo, quem præparavit, ut agnosceret veritatem, & videret Justum, hoc est, Messiam, & audiret vocem ex ore ejus, atq; esset testis ad omnes homines eorum, quæ viderat & audiêrat.

Paulus civis Romanus.

V. *Quomodo Paulus dicit se civem Romanum natum* v. 28? R. Non in urbe Romana; sed ex Patre & patria civitate Romana donatis. Tarsus enim, ubi natus erat Paulus, hoc privilegium, & jus civitatis Romanæ obtinuerat, ùt innuit Plinius l. 5. c. 27. Jura & privilegia civium Romanorum sanè multa & magna, qui nôsse volet, adeat Brissonium. Ad rem nostram facit, quòd verberibus cædi, in crucem agi, vel injussu populi in eos animadverti fas non esset.

CAPUT XXIII.

Paulus in Judæorum concilio causam suam exorsus, jubetur à Pontifice percuti: inde Pharisæum se proclamat, ut illius sectæ favorem sibi conciliet: à tribuno in arcem retrahitur, à Christo visitatur & animatur. Judæi in

ejus

ejus necem conspirant, sed conspiratione detecta, Cæsaream à tribuno ad Felicem Judææ præsidem transmittitur.

QUæstio I. *Quomodo Paulus dicens:* PERCUTIET TE DEUS PARIES DEALBATE, *servavit præceptum Christi de obvertenda maxilla altenm percutienti, & quod ipse dixit,* 1. Cor. 4. MALEDICIMUR ET BENEDICIMUR; PERSECUTIONEM PATIMUR ET SUSTINEMUS? R. Paulum non imprecando malum, aut illi convitiando locutum fuisse, sed futuram illius percussionem à DEO pro peccato percussionis injustæ prænuntiâsse. Prophetæ siquidem plerumq; ventura mala super peccatores prænuntiant, ut confundantur & convertantur retrorsum omnes, qui oderunt Sion.

II. *Cur Ananias à Paulo dictus Paries, & quidem dealbatus?* R. Paries dictus, quia debebat sustinere populum; dealbatus verò, quia tantùm speciem sustentantis, non rem habebat. Est enim paries dealbatus princeps pictus & hypocrita, non verus. *Paries dealbatus.*

III. *Quomodo dicit* v. 5. NESCIEBAM QUIA PRINCEPS EST SACERDOTUM? R. Diu abfuerat Paulus Jerosolymâ, & novus erat hic Pontifex, & multis assidentibus cingebatur, inquit Chrysost. & Lyran. Fortè etiam nesciebat Paulus, à quo vox esset profecta, inquit Sanchez. Fortè etiam tumultuariè & confusè sedebatur, nec erat certus Pontifici locus, utpote non in templo, nec domi suæ, sed alienæ, in quam jussu tribuni convenerant.

CAPUT XXIV.

Paulus à Tertullo accusatus coram Felice Præside, suam causam agit & peragit, adeo ut Felix cupierit à Paulo fidem Christi audire. Disputante autem Paulo de justitia & castitate, & de judicio futuro, tremefactus est Felix, qui tandem provinciam eedens Festo, eidem Paulum vinctum assignat.

QUæstio I. *Quæ fuit secta Nazarænorum?* R. Nazarænus interpretatur sanctus sive floridus. Nomen tamen Nazaræorum restrictum fuit ad significandam hæresim quorundam, qui Christum DEI filium de Maria Virgine natum, passum & suscitatum confitebantur: sed tamen legem & circumcisionem adjungebant, ita ut neq; Christiani essent, neq; Judæi: in quos Epiph. in hær. 29. *Nazaræorum secta.*

II. *Quam viam intelligit Felix* CERTISSIME SCIENS DE VIA HAC? R. Per viam hanc intelligitur institutum & religio Christi ac Pauli, q. d. Felix tum ex literis Lysiæ, tum ex audita Pauli tam sapienti, modesta, & innocenti apologia, certò cognovit ejus doctrinam, religionem & vitam non esse seditiosam, uti accusabant Judæi, sed eos ex odio contra eum iniquè conspirâsse, uti Pilatus agnovit Christi innocentiam, & contra eam iniquè conspirâsse Scribas & Pontifices.

CAPUT XXV.

Judæis poscentibus Festus rogat Paulum, num causam velit dicere Jerosolymis. Ille negat, & Romam ad Cæsarem appellat. Festus priusquam ad Cæsarem Paulum mittat, rogat Agrippam Regem, ut eum audiat, & quid de eo faciendum sit, suggerat.

QUæstio I. *Cur Paulus ad Cæsarem appellaverit?* R. Vitat Paulus judicium suspectum, imò præjudicatum Judæorum, & ne Deum tentaret, si nollet uti remedio, quo posset è Judæorum manibus liberari, & quia Dominus dixerat, eum Romæ de se testificaturum, & sperabat hac occasione verbum illud implendum: deniq; tædio affectus Judæorum, desiderabat eò proficisci, ubi plures Christo lucrificare se posse sperabat. Et sicut superius armis Romanorum defensus est Paulus, sic hic legibus Romanorum servatus. *Paulus ad Cæsarem appellat.*

V. *Fuitne Cæsar Judex legitimus Pauli?* R. Cautè dicit Cæsareæ se debere judicari, non autem Cæsarem suum esse Judicem; quia proprius Pauli Judex & superior erat S. Petrus; Sed quia eum non agnoscebant Judæi, & Romani Gentiles, hinc coram Romanis præsidibus accusatus à Judæis Paulus, coram eis causam dicere debuit. Romani enim Judæam & Judæos sibi subjugârunt, eisq; dominabantur. Adde in civilibus Apostolos & Ecclesiasticos primis illis Ecclesiæ temporibus, debuisse parere magistratui civili, ut insinuat Paulus Rom. 13. & ibidem expressè docet S. Chrysost. Theophyl. & S. Thom. necdum enim introducta erat exemptio & immunitas Ecclesiastica, quam posterioribus sæculis Pontifices & Concilia Oecumenica sanxerunt, ac Reges Principesq; Christiani approbarunt & con-

concesserunt. Cùm enim ipsi sint oves & subditi Pontificum, non decet, ut ipsi judicent suos Pastores & Superiores etiam in civilibus. Verùm tempore Pauli principes erant Gentiles, non Christiani, qui nullo modo tulissent Apostolos à sua jurisdictione eximi. Ideo sponte se eis subjecerunt Apostoli, ne darent infidelibus scandalum, néve principes contra se & fideles concitarent.

CAPUT XXVI.

Paulus coram Rege Agrippa, præside Festo, totoq; procerum consessu vitam actam à juventute, divinamq; vocationem, tanto ardore & auctoritate exponit, ut Præses exclamet eum insanire, rex Agrippa etiam in Christianam religionem sed propendere affirmet, simulq; Paulum innocentem pronuntiet; mittendum tamen ad Cæsarem, quia ad illum appellârat.

QUæstio I. *Cur Paulus sermonem non convertit ad Festum, sed ad Agrippam?* R. 1. Quia coram Festo jam causam suam egerat. 2. Quia Festus causam Pauli ad Agrippam rejecerat, eaq; de causa Paulum hìc in conspectum ejus produxerat. 3. Quia Agrippa avidus erat audiendi Paulum. 4tò, quia Agrippa erat Judæus: unde meliùs capiebat hanc litem Pauli cum Judæis de Judaismo, quàm Festus Gentilis. 5tò, quia sperabat Paulus se Agrippam ad Christum conversurum, demonstrando ei ex Moyse & Prophetis JEsum esse Messiam. Erat enim Agrippa bonæ indolis, sedatæ mentis, intelligens & prudens. Unde & Judæis bellum contra Romanos omni ratione dissuadere conatus est, dictitans illud fore Judæis ruinæ & excidio, uti exitus demonstravit Ita Josephus l. 2 Belli c. 16.

II. *Quis est sensus verborum Agrippæ: In modico svades me Christianum fieri* v. 28.? R. 1mo. q. d. Modicum abest, quin suadeas & persvadeas mihi, ut fiam Christianus; modico negotio persvaderes mihi Christianismum, ait Cyrill. Hierosol. catech. 17. Cajet. Sanchez & alii. 2dò, Oecum. q d. modico tempore, labore & sermone, quo mecum locutus es, svades me fieri Christianum. 3tiò. in modico, id est, modicè, parum, aliquantulum svades. Cui Paulus congruè opponit. *Et in modico & in magno.* q. d. Non tantùm modicè, sed & multum, toto corde & affectu opto, suadeoq; te fieri mei similem, putà Christianum: nec tantùm te, sed & omnes, qui me audiunt.

CAPUT XXVII.

Paulus Romam deducendus centurioni traditur: Cretam appellit; prædicit tempestatem & naufragium, sed ab eo omnes vectores eripiendos & fore salvos.

Custodiæ. QUæstio I. *Quid per custodias intelligitur* v. 1.? R. Custodiæ hìc non sumuntur propriè pro carcere, vel pro custodibus, ut subinde sumit Tacitus, Cæsar & Virgilius, sed metonymicè (ut Svetonius & Jurisperiti usurpant) pro ipsis custoditis & incarceratis, qui unà cum Paulo Cæsareâ Romam, seu ob criminum enormitatem, seu ob causarum difficultatem, seu ob similem cum Paulo appellationem ad Cæsaris tribunal, seu aliam ob causam, eâdem operâ devehebantur *à centurione cohortis Augustæ,* seu Imperatricis, cui tutandæ & cohonestandæ deserviebat de more.

Naufragium prædictum. II. *Unde Paulus naufragium præsagiit?* R. Non tam ex cœlo & àére colligebat certum futurum naufragium, si persisterent in navigatione, quàm ex eorum injuria, & maximè, quòd videret eos nihil curare, quæ DEI sunt, & animus ejus divinitus excitatus præsagiebat, quid futurum erat. Sed miles Julius quia audax, audacibus nautis atq; peritis plus credidit (qui ob audaciam & consvetudinem interdum decipiunt) quàm Paulo; qui etsi cognosceret se non multum posse proficere, tamen consilium suum in medium attulit.

III. *De quo jejunio fit sermo* v. 9.? R. Aliqui putant fuisse jejunium septimi mensis, post quod incipit parum tuta esse navigatio, ut docet Rabanus. Sed Lyrano non placet hæc expositio, eò quòd Centurio & milites, qui cum eo erant, & etiam nautæ pro majori parte Gentiles erant, qui hæc jejunia Judaica non servabant. Ideo magis probat illud jejunium in mari fuisse, quòd propter tempestatem jactatis non vacabat, neq; libebat vel vectoribus vel nautis comedere, illis propter regimen navis, aliis propter nauseam & timorem. Unde hæc verba quidam ex Græco ita vertunt: Et quòd ultra tempus sustinuissent inediam,

IV. *Quem panem gratias agens Paulus fregit & manducavit, Eucharisticus ne fuit, nec ne?* R. Non videtur Lucas de Sacramento Eucharistiæ loqui, ut Chrysost. & Beda loquun-

loquuntur, nihil interpretantes de Eucharistiæ Sacramento, sed allegorias quasdam elicientes: tum quia dicit omnes sumpsisse cibum, tum quia subdit: *& sanati cibo, alleviabant navim.* Nam neq; omnes ipsi apti erant ad communionem sacri panis, cùm essent infideles, & modici panis gustu, qualis exhibetur in Eucharistia, non valuissent expleri. Ideo gratiarum actio, de qua hìc est sermo, de communi cibo erat, ut nos soliti sumus facere ante prandium: nec moris est, ut in navi fiat panis sancti consecratio. Quia tamen priùs Lucas dicitur gratias egisse Domino, quàm fregisse, ùt Matth. 26. fecit, cùm in communi cibo sumendo, priùs sumatur cibus, & postea gratiæ agantur, ut turba saturata joan. 6. idem quidam censent de Eucharistia interpretandum hunc locum.

CAPUT XXVIII.

Paulus è naufragio Melitam appulsus viperam è manu excutit illæsus: sanat patrem Publii & quosdam alios: inde post trimestre navigat, pervenitq; Romam, ubi convocatis Judæis causam adventûs sui, & fidem in Christum exponit: ac biennio in libero carcere degens, intrepidè prædicat Evangelium.

QUæstio I. *Quæ est Melita* v. 1.? R. Non est illa in Illyrico, sed altera oppositа Siciliæ, vulgò Malta dicta, mellis præstantissimi ferax, unde & *Melitæ* nomen illi inditum, adversùs Turcas invictum propugnaculum, sedes equitum toto orbe celeberrimorum: hospitio S. Pauli sociorumq; illius, & merito prolixæ charitatis erga eos exhibitæ famosissima simul ac felicissima. Melitenses enim etsi tum temporis ad huc barbari, seu mores, seu lingvam spectes, præstabant tamen naufragis non modicam humanitatem. Sed qui barbariem in naufragos exuerunt, pro exilibus humanitatis obsequiis, en quanta præmia retulerint. Primum: Evangelio instructi per Paulum, & ad fidem Christi traducti sunt, tantâ constantiâ, ut nunquam ab illa defecerint, etsi Mauri insulam subinde occupârint, tenuerintq; centenis & pluribus annis. Secundùm non homines solùm exuunt barbariem, sed & viperæ, scorpiones & serpentes tam nati Melitæ, quàm eò illati, ex quo tempore Paulus Melitam appulit, ponunt venenum suum. Tertium: Glebæ quoq; Melitenses antidota sunt adversùs venena, sanant enim morsus quoslibet venenatos, etiam canum rabidorum, si vel plagæ imponantur, vel poculis inspergantur, sanant & febres malignas, dysenteriam, variolos, quin & toxica, seu casu, seu sponte hausta, etsi è sublimato. Quartum: insulam omnem S. Paulus, quasi sibi sacram, suo præsidio tutari deprehensus est sæpissimè adversùs pestem, famem, & hostiles incursus. Tanti est benefeciſse Sanctis, qui nunquam sinent se vinci liberalitate. *Melita.*

II. Quid denotat nomen *Vipera* v. 3.? R. Non sic dicitur, quasi *vi pariens,* erosa per fœtum ventre matris, hoc enim falsum esse docet experientia, sed quasi *vivipera,* eò quòd sola inter serpentes pariat vivum fœtum, non ova, ut alii, inquit Theophrastus & Ælianus. Unde pharmacum contra viperarum & serpentum morsus, ex ipsius viperæ carnibus confectum, theriaca vocatur. Plinius ait viperam adeo venenosam ex se & pestilentem esse, ut non solo morsu, sed etiam sibilo & anhelitu, quem efflat, hominem obstupefaciat, & morbum lethalem afferat. Cujus rei probè gnari Melitenses, simul ac vipera Paulum momordit, putabant extemplò in tumorem convertendum. *Vipera.*

III. Quod erat *insigne Castrorum* v. 11.? R. Erant juvenes duo effigiati: cuiq; dabatur ovi pars dimidia, & jaculum in manu & equus candidus, stellâ supernè capitibus imminente. Signabatur hoc symbolo gemellos fuisse Castorem & Pollucem. Cùm enim Jupiter, ut fingunt Pòëtæ, cygni formam induisset, & ex eo Leda, Tyndari regis conjux, ovum concepisset, ex eo ovo prognatos somniant hos geminos: qui quòd inter Argonautas excelluerint, & mare piratis liberârint, variosq; hostes debellârint, post mortem inter Deos & sidera relati sunt à Gentilibus, teste Ciceronè in Verrem Actione 7: signo cœlesti, quòd *Geminì* vocatur, in quo sol degit mense Junio, ipsis appropriato: cujus si ambæ stellæ appareant, serenitatem, quasi propitiis ambobus Diis marinis; sin altera tantùm, tempestatem, quasi uno Deo subirato, spondere sibi nautæ solent. Ut verò tutelares Deos suos ad manum semper haberent nautæ, solebant eorum statuas puppi affixas gestare teste Ovidio 1. Tristium elegia 3: & sic Castores huic Alexandrinæ puppi affixos fuisse oppinatur Chrysost. Sanchez & à Lapide. *Castrorum insigne.*

EPISTOLA B. PAULI APOSTOLI AD ROMANOS.

CAPUT I.

Post præfationem, in qua Euangelii sui, quod prædicabat, excellentiam demonstrat, à v. 18. Docet Gentes omnes ante acceptam Christi gratiam, gravissimis fœdissimisq; peccatis, & iræ DEI obnoxias vixisse, & consequenter eguisse fide & gratia Christi.

Saulus unde Paulus.

QUæstio I. *Quando & quomodo sive quam ob causam Saulus accepit nomen Pauli?* R. Origenes, Anselmus, S. Thomas & alii putant eum à principio fuisse binomium ut fuerunt multi alii tam in veteri, quàm in novo testamento. Parentes enim Pauli, quia Judæi erant, & ex tribu Benjamin, vocârunt eum Saulum, quod nomen in ea Tribu plausibile admodum erat, propter primum Regem, cui nomen erat Saul, ex ea Tribu à Deo electum. Quoniam verò erant cives Romani, & in civitate Romano Tharso, eum genuerant, simul etiam Paulum appellârunt, nomine apud Romanos utiq; perillustri ac celebri. Attamen quamdiu cum Hebræis versatus est, Hebræo nomine vocari voluit Saulus, cùm autem missus est ad prædicandum Gentibus factusq; Apostolus & Doctor Gentium, voluit appellari nomine Pauli, Græcis Romanisq; gratissimo & celeberrimo.

Paulus servus Christi.

II. *Cur Paulus se vocat servum Christi?* R. Ut profiteretur, quidquid esset, se totum esse Christi, ei penitus addictum & mancipatum, non suum, sed illius solius negotium agere, illi laborare, spirare vivere, sicut ipse Gal. 2. dicit: *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus.* Et de tali conditone servitutis gloriabundus dixit: *De cætero fratres nemo mihi molestus sit: ego enim stigmata Domini JEsu in corpore meo porto.* Sunt stigmata, servis impressæ notæ, quibus cognosci & discerni queant. Imò in ipso vocationis & conversionis suæ principio, statim confessus est, servum se Christi esse. Cùm enim audisset vocem Christi dicentis sibi: *Saule, Saule, quid me persequeris?* continuò respondit: *Quis es Domine?* & mox: *Domine quid me vis facere?*

Paulus vocatus Apostolus.

III. Quid illud est *vocatus Apostolus?* R. Videtur istis verbis significari, ùt exponit S. Thom. dignitatem Apostolatûs non humanis meritis acquiri, sed vocatu & gratiâ DEI hominem assumi ad Apostolatum. Significat Paulus his verbis se non ambivisse vel affectâsse Apostolatum, nec ejus functionem sibi arrogâsse, contra id, quod ipsemet scripsit ad Heb 5. *Nec quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur à DEO tanquam Aaron.* Insignis porrò ad Apostolatum vocatio Pauli jam à conversione ipsius declarata est ab ipsomet Christo, cùm de Paulo dixit Ananiæ Act 9. *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus & regibus, & filiis Israël. Ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Tunc autem ad functionem muneris Apostolici obeundam missus est, cùm Spiritus S. dixit Act. 13. *Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus ad quod assumpsi eos.*

Prædestinatus Filius DEI.

IV. Quis est sensus versûs 4. *Qui prædestinatus est Filius DEI in virtute, secundùm Spiritum Sanctificationis ex resurrectione mortuorum JEsu Christi Domini nostri?* R. Secundùm S. Aug. Thom. & alios hic sensus est: Filius DEI, qui factus est ex semine David verus homo, prædestinatus est, id est, divinitus ab æterno decretus est fore Filius DEI (*in virtute*) id est, habens immensam illam DEI potentiam secundùm naturam Divinam, quam habet in se: quæ quidem natura Divina est Spiritus Sanctificationis, id est, fons omnis sanctitatis. Secundùm hanc itaq; expositionem prædestinatio illa refertur non ad Filium DEI, ut in Divina natura subsistentem, sed ut subsistentem in natura humana: quod enim subsistens in illa natura humana, ut sic subsistens, foret Filius DEI, id non semper fuit, sed cæpit esse in tempore, & ideo prædestinatum fuit à DEO. In illis verbis: *ex resurrectione mortuorum JEsu Christi Domini nostri*, videtur supplendum esse verbum aliquod, uti est, declaratum, sive manifestatum, ùt videre est apud S. Amb. Ad hunc nempe sensum: quòd prædestinatus fuerit Filius DEI in virtute, secundùm Spiritum sanctificationis, eo perspicuè declaratum est, quòd suâ ipse potentiâ surrexit ex mortuis.

Ex fide in fidem.

V. *Quis est sensus verborum v. 17. ex fide in fidem?* R. Orig. Chrysost. Theod. exponunt, ex fide veteris testamenti, in fidem novi, quòd illa ducit ad hanc tanquam pædagogus S. Amb. & S. Thom: ex fide promittentis DEI, in fidem hominis credentis promissis DEI. Theophyl. Ex fide incipiente in fidem proficientem, atq; in dies augescentem. Vel ex fide rerum præteritarum & in Christo gestarum, in fidem futurorum, & quæ in nobis gerenda & complenda sunt. Aug. & Catharinus: ex fide prædican-

tium,

tium, in fidem audientium atq; obedientium evangelio, ſicut Paulus ait hîc c 10. *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient ſine prædicante? ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti.* *Juſtitia DEI*, id eſt, Divina q. d. non illa Judaica, quæ in ceremoniis legalibus; non etiam illa Philoſophica, quæ in nudis moralibus virtutibus conſiſtit: ſed vera ſupernaturalis ac Divina juſtitia, qua nos Deus juſtificat & revera in oculis ſuis juſtos facit: hæc inquam, *revelatur* ſeu clarè docetur in Evangelio, inquit S. Aug. de Spiritu & litt. c. 9. Quæ juſtitia, uti ex fide naſcitur, ita & in dies creſcit *ex fide in fidem* ſupple majorem & ſolidiorem: nempe ex fide informi fit fides charitate formata: ex imperfecta & langvida fit robuſta & perfecta, creſcens quotidie, donec credentem (niſi quid aliud obſtet) perducat ad perfectionem, & ſalutem æternam.

Juſtus ex fide vivit.

VI. Quo ſenſu dicitur: *juſtus ex fide vivit?* ℟. Veram juſtitiam, quæ eſt vita animæ, haurit non ex ceremoniis legalibus, ùt Judæi, non etiam ex nudis virtutibus moralibus, ut Gentiles contendunt; ſed neceſſariò *ex fide*, eandemq; vitam jam hauſtam conſervat quoq;, roborat, auget & perficit ex fide, non quidem ſola (quod ſomniant hæretici) nempe ut charitatem excludit & bona opera: (ſic enim fides mortua eſt Jac 2. implicat autem animam vivere, roborari, creſcere per aliquid mortuum) ſed prout ſpei, charitati, cæterisq; virtutibus (quas docet & imperat fides) conjungitur, animatur & vegetatur.

Ira DEI revelatur.

VII. Quid eſt *iram DEI revelari de cælo ſuper omnem impietatem?* ℟. eſt argumentum à contrario, q. d. Hauriri veram juſtitiam ex fide Chriſti, patet à contrario: quia quicunq; deſtituti ſunt fide, manent obnoxii iræ & vindictæ Divinæ, eo ipſo, quod adhærent injuſtitiæ ſuæ & impietati. Hoc verò *revelatur* tum ex eodem Evangelio, tum experientia, tum maximè in die judicii. Id mox inductione probat, primò de Gentilibus hoc reliquo capite, deinde de Judæis cap. ſeq. Gentiles enim veritatem DEI, id eſt veram cognitionem, quam lumine naturali de DEO Divinisq; perfectionibus habebant, *in injuſtitia*, id eſt, injuſtè, quaſi captivam *detinent*, nempe ſeris, & clauſtris perverſæ voluntatis ſuæ illam concludentes, nec ſinunt illam (conformiter dictamini & judicio rectæ rationis & conſcientiæ ſuæ) exire in actus & opera conformia notæ veritati, puta in obſequium, cultum, & honorem DEO debitum, non ſolius juſtitiæ titulo, ſed etiam pietatis ac religionis. Quodq; omnium injuſtiſſimum eſt atq; impiiſſimum, debitos DEO honores & obſequia non ſolùm DEO denegant, ſed, ut ægriùs DEO faciant, ea ipſa juratis ejus hoſtibus, idolis deferunt. Ita Chryſoſt. Cajetanus, & alii.

Inviſibilia DEI conſpiciuntur.

VIII. *Quomodo intelligenda ſunt verba* v. 19. *Quod notum eſt DEI &c.* ℟. Quod naturali lumine cognoſci poteſt de DEO, *manifeſtum eſt in illis*, ſeu in illorum mente atq; intellectu. *DEus enim in illis manifeſtavit*, ſcilicet *à Creatura mundi*, id eſt, ex rebus creatis in hoc mundo. Ex his enim adhibito ſolo lumine naturali, quod cuiq; indidit Deus, *intellecta*, ſeu per diſcurſum intellectûs, *conſpiciuntur inviſibilia DEI*, id eſt, ea quæ alioqui nec videri nec alio ſenſu percipi poſſunt ab homine. Talia ſunt perfectiones Divinæ, ſapientia, bonitas, pulchritudo, juſtitia &c. *Sempiterna quoq; ejus virtus*, ſeu potentia, qua omnia creavit, gubernat, & ad finem cuiq; proprium deducit. Item *Divinitas*, id eſt, Divina eſſentia, excellentia & majeſtas. v. g. Deum eſſe primum & perfectiſſimum Ens, à quo omnia pendent, eſſe Dominum, eſſe ultimum finem omnium &c. & conſequenter, Deum illum colendum latriâ, precibus, votis, ſacrificiis, laude, gratiarum actione &c. ab eoq; omnia bona expetenda, & mala deprecanda.

Idola pro Deo culta.

IX. Quid eſt, *mutaverunt gloriam incorruptibilis DEI &c.* v. 23.? ℟. Glorioſum divinitatis nomen, confeſſionem, cultum, ſeu adorationem, quæ uni immortali DEO debentur, converterunt ad imaginem arte factam hominis mortalis, imò vituli, crocodili &c. id eſt, pro vero DEO coluerunt idola.

Philoſophi coluerunt ne Idola.

X. *Coluerunt ne idola Sapientes Philoſophi*, v. g. *Trismegiſtus, Socrates, Plato, Seneca &c.?* ℟. Negat Catharinus, & cum eo pleriq; Novantes, qui etiam de ipſorum ſalute æterna bene ſentiunt, ſed coluiſſe de Socrate teſtatur Xenophon, ipſeq; Plato & alii apud Euſebium, Athanaſ. & Aug. Etſi enim quidam illorum ipſa lignea vel lapidea ſimulacra non exiſtimârint Deos (ut vulgus exiſtimabat;) vana tamen & falſa numina, ſeu Deos per ſimulacra repræſentari volebant, ſicq; illa adorabant, & adoranda docebant, ſaltem metu legum humanarum, & ut populus hoc uniformi Deorum cultu in officio contineretur. Ita Tertullianus, Lactantius, Juſtinus, & alii.

Impii traditi in deſideria cordis.

XI. Quomodo *Deus* hos *tradidit in deſideria cordis eorum, in immunditiam* v. 24. ℟. Non propriè immittendo vel impellendo eos ad mala, ùt vult Calvinus, hæc enim blaſphemia eſt nimis evidens & atrox in Deum, ejusq; infinitam bonitatem & ſanctitatem: ſed tradidit eos Deus in peccata, quia permiſit eos Deus ſuæ concupiſcentiæ, Dæmoni & occaſionibus peccati; ut fornicatione & adulterio corpus ſuum dedecorarent. unde pſ. 80. Dominus idem explicans ait, *Dimiſi eos ſecundùm deſideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus ſuis.* Sic S. Aug. l. 5. contra Julianum c. 3. Docet Deum tradere peccatores in prava

prava desideria, quando non solùm non apponit gratiam, sed etiam ponit occasiones & offendicula peccandi (licet alio & pio fine) in quæ eos per suam malitiam graviùs ac turpiùs impacturos prævidet, non autem prædefinit, prædeterminat vel impellit. Talis occasio sunt opes, honores, deliciæ, quibus impios Deus cumulat, ut iis bene utantur; scit tamen id eos non facturos, sed iis ad peccata abusuros.

CAPUT II.

Ut hactenus de Gentibus, ita nunc de Judæis docet, etiam ipsos vixisse multis obnoxios peccatis & iræ DEI: ideoq; egusse fide & gratiâ Christi.

Judæi inexcusabiles.

QUæstio I. *Cur dicit Judæos inexcusabiles* v. 1.? R. Si enim Gentiles, qui malitiam supradictorum criminum non tam plenè, quàm tu intellexerunt, ô Judæe, quis tamen vel ea ipsimet patrarârunt, vel ut alii patrarent, permiserunt & consenserunt, digni sunt morte æterna; quantò magis tu, qui clarissimè ex lege Mosaica intellexisti, omnia illa esse mala, & tamen eadem illa patras, dignus eris morte?

Benignitas DEI ducit ad pœnitentiam.

II. *Quomodo benignitas DEI dicitur adducere ad pœnitentiam indurtos in peccatis?* R. Quia tantâ erga eos utitur benignitate ac longanimitate, & tot ac tantis eos cumulat & obruit beneficiis, ut fieri non posset, quin ita trahentem sequerentur, nisi obstirmata perversitas, ex hominibus faceret quasi lapides insensibiles & immobiles. Enim verò dum nihil prætermittit Deus eorum, quæ conducere possunt ad promovendam istiusmodi hominum conversionem, nonne trahere videtur, & quantum in ipso est, perducere ad pœnitentiam? Tale nimirum est, quod per Isaiam dixit Dominus c. 5. *Populo meus, quid ultra debui facere vineæ meæ, & non feci?*

Ad malum nemo necessitatur.

III. *An vera sit doctrina hæreticorum affirmantium non esse in potestate hominis bene vel malè agere, sed ad utrumq; impelli à DEO, & ut ita dicam necessitari?* R. falsa & anathematizata à Conc. Trid. in decreto de justificatione Can 6 illis verbis: *Si quis dixerit, non* esse in potestate hominis, vias suas malas facere, sed mala opera, ita ut bona Deum operari, non permissivè solùm, sed etiam propriè & per se; ita ut sit proprium DEI opus, non minus proditio Judæ, quàm vocatio Pauli; *anathema sit.* Hanc quoq; opinionem Paulus bifariam hìc refellit: imò cùm ait: Deum secundùm veritatem judicaturum eos, qui peccata faciunt, quæ in aliis judicant & damnant: nec istos evasuros judicium DEI. At si peccata isti fecerunt, DEO necessitante eos ad peccandum, verè non sunt culpabiles, nec justo judicio puniri possunt, pro eo enim quod quis necessariò facit, nec potest non facere, nec culpam contrahit, nec meretur pœnam. Idem quoq; demonstrant verba, quæ subdit Paulus dicens: *Ignoras quòd benignitas DEI ad pœnitentiam te adducit, tu autem secundùm duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram &c.* At enim ut homo pœnitentiam agat, vel non agat peccatorum suorum, non est in ejus potestate, nec respectu istius liberam habet electionem: ajunt enim isti, liberum hominis arbitrium post peccatum Adæ amissum & extinctum esse.

Impœnitentia speciale peccatum.

IV. *An impœnitentia ut est impœnitentia, est speciale peccatum?* R. cum S. Thoma 2. 2. q. 14. a. 2. Si accipiatur impœnitentia ea ratione, ut significat permanentiam & perseverantiam in peccato usq; ad mortem, non esse speciale peccatum, sed peccati circumstantiam: sin autem accipiatur, ut præter perseverantiam in peccato, habet propositum & deliberatam voluntatem non pœnitendi, sic esse speciale peccatum, & numerari inter sex species peccati in Spiritum Sanctum.

Gentes factores vel transgressores legis.

V. Quomodo *Gentes, quæ legem* Mosaicam *non habent* v. 14. possunt factores vel transgressores esse legis? R. Etsi careant lege Mosaica scripta in tabulis lapideis, cùm tamen *naturaliter* (id est solius naturæ lumine & viribus) faciant multa opera legis naturalis (v. g. honorant parentes, dant eleemosynas, cavent à furto, à cædibus &c.) ostendunt defacto se habere naturalem legem insculptam intus in cordibus suis, scilicet dictamen conscientiæ, quæ in omni particulari facto vel accusat te, suggerens tibi illicitum esse sic agere, &, si egeris, te malè agere; vel defendet, excusans & dictans tibi licere. Quod judicium conscientiæ patebit, maximè in die judicii per Christum instituendi in fine mundi, & etiam in fine vitæ cujusq; *secundùm Evangelium meum*, id est, prout docui evangelizando.

VI. *Si legis factores justificantur, ùt hìc asserit Paulus: & Gentiles solo lumine & vi naturæ faciunt legem, ut idem affirmat, ergo Gentiles solo lumine & vi naturæ justificabantur, quod est Pelagianum?* R. Distingvendo: factores enim non partium aliquarum, sed totius legis justificantur: Jam verò Gentiles solis naturæ viribus non totam naturalem, sed solùm aliquas ejus partes faciunt, aut facere possunt.

CAPUT

CAPUT III.

Concludit, etsi aliqua diversitas sit inter Judæos & Gentiles, in hoc tamen utrosq; convenire, quòd sint sub peccato, & egeant fide ac gratiâ Christi.

QUæstio I. An ex verbis illis *omnis homo mendax* v. 4. rectè inferat Lutherus, omnem hominem quantumvis justum, in omni opere suo peccare. Si enim non potest verum dicere (quod facilius est) quomodo potest bonum facere, quod est difficilius? R. Perperam. Non dicit Apostolus, hominem non posse verum dicere, vel hominem semper mentiri; sed solum dicit esse mendacem ex semetipso, & ex pronitate depravatæ naturæ suæ. Nullo autem modo negat, subinde (per gratiam Divinam, qua corrupta natura aliquatenus instauratur) tum actum tum habitum mentiendi tolli in quibusdam durante hac vita: etsi nunquam tollatur mendacitas, seu potentia mentiendi. Ita S. Hieron. & alii. Sic David ajebat Ps. 50 v. 6. Etsi ego, ô Deus, fuerim mendax, tibiq; infidelis, tu tamen permane verax, id est fidelis in promissis (mihi ante peccatum factis de regno in familia mea perpetuando, & Messia ex me procreando) *ut justificeris in sermonibus tuis*, id est, ut coram toto orbe verax & justus esse declarâreris per impletionem promissorum mihi factorum: *& vincas cum judicaris*, id est, reipsa evertas temeraria hominum judicia, quibus mentiuntur te ob peccata mea nunquam mihi reconciliandum. Ita S. Thom. Pererius & Toletus. *Omnis homo mendax.*

II. *An ad illustrandum DEI misericordiam & gratiam peccata naturâ suâ ordinantur?* R. Minimè. Si enim hoc verum esset, utiq; peccandum esset, & injustus esset Deus ulciscens peccatum. Videntur illi v. 8. occasionem calumniæ sumpsisse ex eo, quòd sæpe doceret Paulus, superabundâsse gratiam DEI, ubi superabundavit hominum iniquitas & eam cessisse in laudem gratiæ & justitiæ DEI. Hi enim perinde faciunt, atq; si quis de viro pio & patiente ita concluderet: Hic vir mitæ est patientiæ, omnia tolerat, omnia dissimulat; ergo vexemus, milleq; injurias ei irrogemus, ut ejus patientiam exerceamus & illustremus. Hæc enim est perversa argumentatio: nam tam virtus & gloria hujus viri ex injuriis protervorum, quàm Gloria DEI ex peccato nostro, non per se & naturâ suâ provenit, sed per sapientiam Viri sancti, & per sapientiam DEI, qui malum ordinare novit ad bonum misericordiæ vel justitiæ, ùt docet S. Aug. in Enchirid. c. 96. Notat hìc Cajet. nullum peccatum, nec minimum quidem veniale, medium esse eligibile, aut faciendum, ut peccata etiam gravissima evitentur. *Peccata non ordinantur ad illustrandam DEI misericordiam.*

III. Quo sensu dicitur: *non est, qui faciat bonum, non est usq; ad unum?* R. Non est, qui est, qui ex se, sine DEI, id est, Christi gratia faciat bonum absolutè, tale scil. ut inde bonus & justus coram DEO dici, dignusq; DEI gratiâ aut æternâ gloriâ censeri possit, quia omnes ex peccato Adæ corrupti & concupiscentiâ infecti in peccata varia proclives declinant. Ita S. Aug. in Ps. 13. Hinc ergo non sequitur, omnia opera infidelium esse mala & peccata, sed tantùm esse inepta ad justitiam & gratiam promerendam.

IV. An opera & lustrationem legis antiquæ aliquid conferant ad delenda peccata? R. negativè, *quia ex operibus legis non justificabitur omnis caro* v. 20. Hæc opera possunt quidem purgare & expiare carnem, & irregularitatem externam, sive carnalem & politicam, non possunt tamen animam purgare & justificare à peccato: tum quia S. Scriptura omnes omnino homines etiam qui sub lege sunt, post omnes hasce suas lustrationes peccati condemnat; tum quia lex & opera legis tantùm indicium & demonstratio, non autem expiatio sunt peccati.

V. Quid Paulus intelligit *per legem factorum, & per legem fidei?* R. *Legem factorum* vocat legem veterem, quæ multa facienda præscribebat, sed gratiam (qua sola potest homo illa omnia præcepta implere, & ad veram justitiam devenire) non concedebat. *Legem fidei*, vocat novam legem Christi & Evangelicam, quæ simul affert gratiam, qua quæcunq; præcipiuntur, facilè exequamur. Ita S. Aug. & alii Patres. Unde per legem fides nunquam excludit opera ex fide & gratia DEI facta, quasi hæc non sint utilia vel necessaria ad justitiam acquirendam, augendam, fovendam, ùt fingunt nostri hæretici (nam talia opera passim consulit, præcipit & necessaria esse dicit tam ipse, quàm S. Jacobus & alii Apostoli;) sed sola opera legis antiquæ, facta sine fide & gratia Christi.

CAPUT IV.

Exemplo Abrahæ probat justificationem fieri non per opera legis, aut naturæ, sed per fidem Christi.

QUæstio I. *Cur S. Paulus v. 3. utitur reputari potiùs quàm esse: fides reputata est illi ad justitiam?* R. ut insinuet, fidem tam Abrahæ, quàm nostram, ex natura sua, ut *Fides reputatur ad justitiam.*

ut est actus hominis, non parere aut producere justitiam, sed hoc ei solùm concessum (ut dicitur v. 5.) *secundùm propositum gratiæ DEI.* id est, ex gratioso, benevolo, liberali nutu, voluntate & decreto DEI, quo statuit, ut ad actum fidei jam formatæ, seu ad actum contritionis detur & infundatur animæ gratia justificans, non obstante, quòd ille ipse actus fidei ex se, nec ulla præcedentia opera tantum tamq; pretiosum Donum ex condigno mereantur. Reputari enim propriè dicitur pro tali, quod ex se tale non est, sed ex reputantis solo nutu ac voluntate. Sic voluntas reputatur pro facto, & conatus pro opere.

II. De qua justitia loquitur Paulus? R. Tam de prima, qua quis ex injusto fit justus; quàm secunda, qua ex justo fit justior. Credidit enim & obedivit Abraham DEO primum è patria domo magnis propositis præmiis, & promissione (saltem implicita) Messiæ ex ipso nascituri, ipsum evocanti Gen. 12. 4. & hac fide primam justitiam adeptus est, ex injusto, & (ut multi opinantur) idololatra, factus justus. Credidit postea iterum DEO multa alia promittenti ac jubenti Gen. 15. & hac fide adeptus est secundam justitiam, id est augmentum justitiæ, & ex justo justior, Deoq; gratior evasit. ita Toletus.

III. An hic locus *fides reputata est illi ad justitiam* patrocinetur hæreticis, nudam hinc fidem & imputatitiam suam justitiam astruere nitentibus? R. minimè, quia hic non agitur de justitia Christi, sed de fide Abrahæ imputata ad justitiam: neq; de nuda fide, sed de fide vestita operibus spei v. 18. & charitatis, & obedientiæ, qua vocantem Deum secutus est relictâ patriâ, & molestissimam peregrinationem promptè subivit in exteras terras, & postea filium quoq; suum immolare paratus.

IV. Quo sensu dicitur v. 4. *Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum &c.* R. Qui ex propriis operibus vi solius naturæ peractis consequeretur justitiam, non donaretur ei justitia tanquam gratuitum donum, sed tanquam merces debita talibus operibus: (nam omni operanti ex propriis operibus debetur merces) Ei verò qui non ex propriis operibus, sed ex fide justificatur, donatur justitia tanquam gratuitum donum: quia scil. fides ex se non meretur tam eximium donum, & ipsa est gratuitum donum DEI. Jam subsume. Atqui ex Scripturis constat, datam Abrahæ justitiam intuitu fidei illius (hoc enim est fidem reputari ad justitiam) ergo non est justificatus ex propriis naturalibus operibus, ergo nec nos ex illis justificamur, sed gratis ex fide & gratia Christi. Ita S. Aug. & alii.

Peccata tecta.

V. Quomodo dicuntur *tecta peccata*, v. 7.? R. Obliterata & obruta, per infusionem, ita ut non ampliùs sint, neq; existant: sicut hiatus tegitur terrâ injectâ, & nuditas inductis vestibus. Peccata enim remissa non solis hominum vel Angelorum, sed etiam DEI ipsius oculis ita teguntur, ut non ampliùs videantur homini inesse: ergo etiam revera non ampliùs insunt. Neq; enim res aliter à DEO videntur, quàm revera in seipsis sunt. Ita Nazianz. Aug. Greg. & alii. Unde facile refellas Calvini somnium, qui vult, peccata in anima justi manere, sed latere. Item Lutheri, qui vult solùm non imputari ad pœnam. Hæc enim injuria sunt, justitiæ & scientiæ, seu perspicacitati Divinæ.

Abraham in statu præputii justificatus

VI. Quid vult Paulus v. 10 *contendens Abraham in statu præputii justificatum esse?* R. Justitiam Abrahæ non tantùm pertinere ad Judæos, sed etiam ad præputiatos Gentiles. Rursum Abraham esse justificatum, non ex circumcisione, nec ex operibus legis, ex quibus Judæi dicebant petendam esse omnem justitiam: sed ex fide & gratia, quæ communis est, tam incircumcisis, quàm circumcisis. Vide hic Apostolum passim tantùm velle à justificatione excludere opera & ceremonias legis, non autem opera, quæ manant ex fide & gratia Christi.

Abraham Pater credentium per præputium.

VII. Quomodo Abraham dicitur *Pater credentium per præputium?* R. omnium in præputio manentium, omnium præputiatorum, puta omnium Gentilium, ut eorum fides eis reputetur ad justitiam, & ex fide sua illi quoq; justificentur, sicut Abraham ex fide sua justificatus est. Dicitur Pater Gentilium credentium non naturalis & carnalis, sed spiritualis & mysticus: quia scil. iis omnibus illustre fidei exemplum dedit. Rursum, quia posteris ejus secundùm fidem & spiritum, iis scil. qui fidem Abrahæ imitaturi essent, promissa est à Deo benedictio & salus; hancq; promissionem primus inter omnes Patres à Deo accepit Abraham, & nomine omnium posterorum acceptavit, omnium inquam, tam Gentilium quàm Judæorum. Nam Abraham cùm hanc promissionem accepit, incircumcisus erat & Gentilis.

Abraham Pater circumcisionis.

VIII. Quomodo Abraham dicitur *Pater circumcisionis* v. 12.? R. Quia fuit auctor & institutor circumcisionis. q. d. Abraham accepit signum circumcisionis, ut scil. ipsa esset signaculum justitiæ acceptæ per fidem, cùm adhuc esset præputiatus. Unde factum est, ut Abraham fuerit pater credentium Gentilium; fuerit quoq; Pater, id est, auctor & institutor circumcisionis, circumcisionis inquam, quæ fuit signum fœderis inter Deum & Abraham, ejusq; posteros initi, quo scil. testabatur Deus, se Patrem fore, protectorem & amicum Abrahæ, ejusq; posterorum, quodq; eos benediceret, justificaret & salvaret, sicuti benedixerat, justificaverat & salvaverat Abrahamum.

IX.

IX. *Quomodo non contigit Abrahæ promissio per legem* v. 13.? R. Quia contigit ante legem & ante circumcisionem. Hanc enim accepit Gen. 17. Promissionem verò Gen. 12. licet repetita sit post circumcisionem Gen. 22. Promissio verò hæc est, quæ sequitur, *ut hæres esset mundi*. Probat Apostolus hìc id, quod præcessit, scil. Abraham esse patrem credentium, etiam præputiatorum, & consequenter justitiam nobis obtingere non per circumcisionem & legem, legisq; opera, sed per fidem. Probat autem id ipsum ex promissione facta Abrahæ, hoc argumento: Abrahæ promissa fuit benedictio, id est justitia & salus omnium Gentium, non per legem & circumcisionem, sed ante eam, ex eo, quod credidit Deo; ergo posteri Abrahæ hujus benedictionis & justitiæ participes quoq; fient non per opera legis, sed per fidem. *Abrahæ nõ contigit promissio per legem.*

X. *Quomodo Abraham hæres factus mundi?* R. Quia totum mundum habet pro filiis & sic quasi universo mundo potitur, sed per filium suum, puta per Christum, perq; justitiam fidei, id est, fide acceptam. Hæc enim fides & justitia Abrahæ & Christi, pervasit & occupavit omnes gentes, & hæc est promissio, benignitas Abrahæ, scil Ecclesia toto orbe diffusa, quæ est regnum fidelium, in quo rex est Christus, Pater & Patriarcha est Abraham. *Abraham hæres factus mundi.*

CAPUT V.

Excellentiam, utilitatem, & varios fructus justitiæ per fidem Christi obtentæ recenset, & è contrario damna per peccatum originale invecta. Ubi gratiam Christi opponit peccato Adami, & legi Mosaicæ.

QUæstio I. *Quo sensu dicitur* v. 1. *Justificati ergo ex fide per Christum pacem habeamus ad Deum?* R. Pacato & tranquillo deinceps animo simus, nullam posthac ob præterita scelera anxiè metuentes Dei vindictam vel condemnationem, utpote jam Deo reconciliati, ejusq; amici & filii. Porrò pax hæc & tranquillitas justæ conscientiæ non oritur ex plena & absoluta certitudine fidei Divinæ, qua quis certissimè & infallibiliter credat, tanquam articulum fidei, peccata sibi esse remissa, ut volunt hæretici. Talis enim absoluta certitudo non obtingit, nisi ex peculiari revelatione, ut Tridentinum definivit Sess. 6 de justif. sed oritur ex probabilibus conjecturis & signis, quæ moralem creant certitudinem, nos esse justos. Ejusmodi signa sunt recta conscientia nullius conscia gravioris peccati (prompta mori potiùs, quàm Deum studio offendere) Deum supra omnia amare, & propter eum etiam inimicos diligere, Amore Dei ferre patienter injurias, mundum & mundana spernere &c.

II. *Quæ charitas DEI dicitur diffusa in cordibus nostris* v. 5.? R. Tam illa, quæ est in Deo, qua nos ipse diligit, quàm illa, quæ in nobis est, qua nos Deum diligimus. Utiq; enim in justificatione diffunditur (in Græco est effunditur) *in cordibus nostris:* sed posterior formaliter per seipsam: prior non nisi effectivè, per nova & nobilissima dona. De utraq; charitate junctim hæc Orig. Theodor. Oecumenius & S. Thomas. Sed cave sis cum Magistro Sententiarum in 1. dist. 16. & 17. hinc inferas, charitatem qua Deum diligimus, esse ipsummet Deum, nisi cum S. Aug. (qui simili phrasi utitur, & Magistro occasionem errandi dedit) intelligas, non formaliter, sed solùm causaliter & concomitantur esse ipsum Deum: quia nempe emanat ex Deo, & conjuncta est infallibiliter charitati, qua nos amat Deus, & quæ est ipse Deus. Porrò ex verbo *diffunditur* vel *effunditur*, colligimus contra hæreticos, charitatem & gratiam qua formaliter justificamur, non esse aliquid nobis extrinsecum, v. g. justitiam Christi nobis solùm extrinsecè imputatam, sed revera intrinsecè nobis inhærere, ut Trident. definit, & S. Aug. ac alii Patres disertè docent. *Charitas Dei diffusa in cordibus*

III. *Quomodo unius hominis Adami peccatum pertransiit in omnes* v. 12 ? R. Non solùm imitatione, (ut volebant Pelagiani, Zwinglius & Anabaptistæ) sed vera propagatione: nam peccante Adamo, qui omnium parens & princeps erat, *in eo omnes* simul *peccaverunt*, quia omnes voluntates & consensus erant collocati in voluntate unius Adami. Et hoc est peccatum, quod vocamus originale, cujus contrahendi necessitas transfunditur in omnes omnino homines, qui naturali generatione ex Adamo procreantur: quin & actualiter omnes illud contrahunt, nisi speciali misericordia Dei quis eximatur: ut exemptam B. V. Deiparam probabilissimum est. Licet enim hæc in Adamo peccârit, ideoq; necessitatem contrahendi peccatum originale incurrerit ex vi suæ conceptionis; quia tamen primò instanti, quo anima corpori infusa est, gratia sanctificante donata fuit, quæ peccatum omne excluſit, ideoq; nunquam defacto peccatum contraxit. De quo vide fusè Suarez & alios Doctores. *Adæ peccatum transiit in omnes.*

IV. *Quo sensu dicitur* v. 14. *Mors regnâsse ab Adam usq; ad Moysen etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ?* R. Mors regnavit etiam in eos, qui non peccârunt actu, uti fecit Adam, puta infantes; ex morte enim infantium rectè colligit Apostolus eorundem peccatum, quod cùm non possit esse actuale, sequitur debere esse originale contractum ex Adamo,

Adam forma futuri.

V. *Cujus futuri forma dicitur Adam* v. 14.? ℟. forma, typus & figura dicitur Christi, q d. Uterq; tam Christus quàm Adam fuit parens noster, sed in contrarium, ùt rectè ostendit S. Aug. l. 2. de Nuptiis & concupisc. c. 27. Nam primò sicut Adam solus sine concubitu maris & fœminæ, ex terra non maledicta, sed pura & integra est formatus: ita Christus ex sola purissima Virgine est natus. 2dò sicut Adam solus totam posteritatem peccando perdidit, ita Christus solus moriendo reparavit. Hinc rectè quidam adverterunt, cur Deus nostram voluntatem, meritum & demeritum posuerit in voluntate Adæ, præter summum Dei dominium & libertatem, qua quidvis potest facere & statuere; hanc fuisse, ut scil. Adam hac ratione esset typus Christi, in cujus manu & voluntate Deus ponere volebat nostram salutem, ut ille pro nobis mereretur gratiam & gloriam; sicut Adam nobis meritus est reatum & pœnam.

CAPUT VI.

Hortatur fideles, ut justitiæ per Christum acceptæ, diligenter servandæ atq; augendæ studeant.

QUæstio I. Cur Paulus proponit sibi quæstionem: *Quid ergo dicemus? permanebimus in peccato, ut gratia abundet? absit?* ℟. Vidit Apostolus perversè posse accipi, quod dixerat: *ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia:* tanquam dixisset, propter abundantiam gratiæ prodesse peccatum, hoc diluens, respondit: *absit. Qui enim mortui sumus peccato, quomodo vivemus in illo.* Hoc est, cùm id præstiterit gratia, ut moreremur peccato, si rursus vivamus in eo, quid aliud faciemus, nisi ut gratiæ simus ingrati? Neq; enim qui laudat beneficium medicinæ, prodesse morbos dicit & vulnera, à quibus illa hominem sanat: sed quantò majoribus medicina laudibus prædicatur, tantò magis vituperantur & horrentur vulnera & morbi, à quibus liberat, quæ ita laudatur. Sic laus & prædicatio gratiæ, vituperatio & damnatio est peccatorum

II. *Quid est manere in peccato & mortuum esse peccato?* ℟. Nomen peccati hìc significat vel statum hominis in peccato, vel fomitem ipsum, quem quia peccati effectus est atq; pœna, & insuper velut incitabulum quoddam & irritamentum hominis ad peccandum, Paulus per metonymiam peccatum appellare solet. Sed quid est, hominem ritè baptizatum mortuum esse peccato? Illud (peccato) est Dativi casus: & ita dixit Apostolus, mori peccato, sicut aliàs dixit, mori mundo, & crucifixum esse mundo: significatur enim perfecta derelictio & separatio.

Baptizati in Christo.

III. Quomodo intelligendum est illud: *Quicunq; baptizati sumus in Christo JEsu, in morte ipsius baptizati sumus?* ℟. Illud *in Christo,* significat, in baptismo Christi, ad differentiam baptismi Joannis, vel in nomine Christi, vel in virtute & efficacia meritorum Christi: vel ex institutione, & præscripto Christi, qui mandavit Apostolis, ut baptizarent omnes gentes. Jam verò *in morte ipsius,* non significat hoc loco idem, quod virtute & meritò mortis: sed idem valet atq; in assimilationem, & configurationem, & repræsentationem mortis Christi, quæ in eo posita est, quòd qui baptizantur, moriuntur vitæ peccati, sicut Christus mortuus est vitæ mortali. Quocirca subdit Apostolus: *consepulti sumus cum illo in baptismo per mortem,* id est, ipse ritus & formula, & cæremoniæ, quæ adhibentur & servantur in percipiendo baptismo, similitudinem quandam habent, & repræsentationem sepulturæ Christi: nam ut is, qui sepelitur, sub terram conditur; ita qui baptizatur, demergitur in aquam: in baptismo item fit trina immersio in aquam, non solum propter fidem SS. Trinitatis, sed etiam in similitudinem triduanæ sepulturæ Christi.

IV. Quis est sensus verborum: *Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul & resurrectionis erimus?* ℟. Videtur Apostolus allusisse ad insitionem plantæ, cui respondet communio corporis Christi. Sicut enim surculus ex arbore sua decerptus, particeps fit humoris ejus arboris, cui inseritur: ita qui per baptismum inseruntur in corpus Christi, bonorum ejus compotes & consortes fiunt

Baptismi efficacitas.

V. *Quæ est vis & efficacitas Christiani baptismi?* ℟. Per baptimum homini non solùm culpa, sed etiam pœna condonatur. Per ipsum homo peccato moritur, & regeneratur Christo, & perfectè applicatur ipsi virtus passionis & mortis Christi. Præterea semel tantum accipi debet baptismus, nec iterari potest, qnia semel tantùm homini contingit mori & nasci, quod spiritualiter fit in baptismo. Deinde baptismus non est tantùm signum justificationis hominis per solam fidem factæ, sed est instrumentum quoddam Divinæ virtutis à Deo institutum, per quod Deus operatur in animis hominum remissionem peccatorum, quam nec fidei, nec pœnitentiæ motus, ut plurimum, efficere potuisset; rarò enim usuvenit, adeo fidei & pœnitentiæ actus ferventes esse, ac perfectos, ut ante susceptum baptismi Sacramentum remissionem efficiant peccatorum. Deniq; si per baptismum morimur peccatis, non tantùm peccata in baptismo teguntur, vel non imputantur nobis, ut ajunt hæretici, sed penitus delentur ac tolluntur. Si enim peccata

mane-

manerent in baptismo, quæ antè fuerant in nobis, non posset verè dici, nos esse peccatis mortuos; mors enim peccatorum extinctionem & abolitionem denotat.

VI. *Quid est corpus peccati* v. 6.? R. Tota massa & congeries atq; universitas peccatorum: vel ipsum corpus nostrum peccatis obnoxium & mancipatum, & ad perpetranda peccata propensum ac promptum: vel corpus peccati dicitur, ipsa, ut dixi universitas peccatorum, quæ tanquam corpus ex varis membris, ita ex multiformibus vitiis constat, vel quia sicut per diversa membra corporis diversas actiones homo exequitur; sic animus per diversa vitia, etiam diversa peccata & mala facit. Hoc autem corpus Paulus ait esse destruendum; non quidem ut prorsus non sit, sed ut non vigeat & prævaleat ac subjuget rationem; & ut interpretatur Apostolus, ne ultra serviamus, quod est præbere consensum peccato, vel accommodare membra ad exequendum id, ad quod invitat concupiscentia, & impellit consuetudo peccandi. *Corpus peccati.*

VII. *Quomodo dicitur Christus mortuus esse peccato* v. 10.? R. Bifariam intelligi potest Christum mortuum esse peccato. Potest enim significari ista locutione, Christum mortuum esse peccato, id est, expiando & delendo peccato, sive ut per mortem suam tanquam Agnus Dei tolleret peccatum mundi. Potest etiam dici Christus mortuus esse peccato, quia mortuus est secundùm carnem similem, quantum ad naturam, peccatrici carni aliorum hominum, id est, mortuus est vitæ passibili & mortali. *Christus mortuus est peccato.*

CAPUT VII.

Fusiùs probat: nos non esse sub lege, sed sub gratia Christi. Agitq; de concupiscentia etiam in justis adhuc reliqua ex peccato & lege.

QUæstio I. Quæ doctrina Catholica colligenda est ex v. 2. & 3. *Quæ sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi &c.?* R. Duo colliguntur. Alterum est, secundas nuptias per se licitas esse & non solùm per dispensationem, vel permissionem. Si enim per mortem solvitur lex matrimonii, ut diserte hìc docet Paulus: cur non licebit superstiti conjugi ad alias nuptias transire? Non enim ideo Paulus jussit Episcopum unius uxoris esse virum, quod secundas nuptias damnaret: sed quòd id maximè decebat dignitatem & sacramentum Episcopi, quem decebat esse unius mulieris virum, sicut Christus est sponsus unius Ecclesiæ. Hinc enim liquet, si maritus alicujus mulieris mortuus, ad vitam rediret, sicut Lazarus, non futuram ejus uxorem, quæ antea fuerat, nisi de novo cum ipsa contraheret matrimonium. Id verò ideo, quòd sacramentum matrimonii non imprimat characterem, qui est consecratio qnædam animæ rationalis & immortalis: omnis autem consecratio tamdiu manet, quoad manet res consecrata. Quocirca si quis baptizatus, & confirmatus, vel sacris ordinibus initiatus, à mortuis resurgeret ad hanc vitam nostram, non oporteret eum denuò istiusmodi Sacramenta susci pere. Alterum quod ex hoc loco Pauli à Theologis colligitur & confirmatur, est, matrimonium legitimè contractum, & jam consummatum, vivente utroq; conjuge dissolvi, quantum advinculum, nullam ob causam posse, licet quantum ad torum nonnullis ex causis relaxari queat. Id enim hìc expressè tradit Paulus, dicens, mulierem, quamdiu vir ejus vivit, alligatam esse ei, per legem scil. matrimonialem, nec eo vivente, posse ab eo discedere, aut si discedat, innuptam manere oportere: si enim alii viro nupserit, fore adulteram. *Nuptiæ secundæ sunt liciti.* *Matrimoniale vinculum.*

II. Quo sensu dicitur v. 4. *Et vos mortificati estis legi per corpus Christi?* R. Est hypallage, pro eo quòd dicere debuisset: lex quæ erat maritus vester, mortua est (quia scil. *per corpus Christi* in cruce immolatum, id est, per Christi passionem & mortem jam abolita est lex Mosaica, & in aliam meliorem commutata) atq; ita nupsistis secundo marito, nempe Christo. Sed ne Judæos offendat dicendo, legem mortuam esse, mavult dicere, ipsos mortuos esse legi. Prior tamen sensus ex antecedente similitudine divortii maritalis clarissimè colligitur. q. d. Sicut mortuo marito uxor liberatur à lege maritali & Dominio, quod in ipsam usurpabat, & liberè transit ad alias nuptias, sic mortua lege Mosaica, nos omnes liberamur ab ejus Dominio, & legi Christi copulamur: ut deinceps non *fructificemus morti*, id est, non pariamus mala opera digna morte, & ad mortem ducentia (quæ erant fructus prioris conjugii, & proles quas sub Dominio legis parieba mus) sed *fructificemus DEO*, sub Dominio secundi mariti nostri Christi, id est, bona & Divina opera edamus. Ita S. Chrysost. Amb. & Anselm. *Mortificati legi.*

III. An lex, quia causa peccati, ideo & ipsa in se *peccatum est* v. 7.? R. Minimè. Lex enim ex se & per se bona & sancta est, & quod bonum est, præcipit. Nec alia ratione est causa peccati, quàm quòd nobis illud manifestet, nec tamen gratiam præstet, qua illud ipsum curemus & evitemus. Quod quia extrinsecum legi, & non ex intentione, sed merè per accidens est; hinc ab omni culpa illa liberatur & absolvitur. *Lex in se non est peccatum.*

IV. Quid vetatur præcepto *non concupisces?* R. Non indeliberata & involuntaria, *Concupiscentia.*

ſed tantùm voluntaria & libera concupiſcentia, ſive conſenſus voluntatis in illicita. Patet ex eo, quòd præceptum, uti & cœtera, non detur brutis, non pueris, ſed creaturæ rationali, ratione & libera voluntate utenti, quæ ſola legis eſt capax, ſolaq; poteſt legem implere, vel transgredi. Hi autem motus concupiſcentiæ rationem & libertatem præveniunt, nec magis ſunt humani actus, aut in poteſtate, ratione & arbitrio hominis, quàm iidem ſint in poteſtate equi, canis, leonis, alteriusq; bruti. Sicut ergo leoni imperari nequit, ne iraſcatur; cani, ne ringat; equo ne adhinniat: ſic nec homini imperari poteſt, ne primos ſimiles concupiſcentiæ motus ſentiat, & qui eos puniret, tyrannus eſſet. *Peccatum enim* S. Aug. l. 1. Retract. 15.) *ita in ſua eſſentia includit voluntarium, ut ſi hoc deſit, deſinat eſſe peccatum.* Unde Apoſt. v. 17. & ſeq. *Jam,* inquit, *non ego operor illud* q. d. concupiſcere non eſt actus meus: quia non eſt humanus & liber, unde mihi imputari, vitio verti, puniri non poteſt. Sed potiùs quia, ùt idem ait, v. 16. 22. 25. *Mente delector, conſentio, & ſervio legi:* hinc hic meus actus, utpote mentis rationalis & liberæ, cenſeri debet; quod ſcil. mente deteſtando motus concupiſcentiæ legi contrarios, legi ipſi adhæream & obediam.

Homo interior & exterior.

V. *Quis eſt interior & quis exterior homo?* R. Unus idemq; homo à Paulo ratione diverſarum affectionum & operationum vocatur nunc interior, ſpiritualis, vel novus homo, item ſpiritus, mens, vel pars animæ ſuperior: nunc pars inferior, caro, corpus, homo vetus, animalis, exterior. *Interior &c.* vocatur, quando conformiter dictamini interni luminis tum rectæ rationis, tum gratiæ, operatur & fertur in ea, quæ ſpiritualia ac Divina ſunt. *Exterior &c.* quando ex dictamine ſenſuum & appetitus ſenſitivi, operatur & fertur ùt plurimùm in ea, quæ carni & ſangvini placent, ut dicet c. ſeq. v. 5.

CAPUT VIII.

Contra infirmitatem legis, & nocumenta concupiſcentiæ, quæ hactenus expoſuit, jam viros ſpiritus & gratiæ Chriſti deſcribit, nempe quanta bona juſtis per Chriſtum, Chriſtiq; ſpiritum & gratiam obveniant.

Concupiſcentiæ motus in infideli.

QUæſtio I. *An pravi motus concupiſcentiæ, qui ſunt involuntarii, ſint peccata mortalia in homine infideli, cùm Paulus hìc v. 1. dicat: Nihil ergo nunc damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto JEſu?* R. Minimè. Primus enim motus concupiſcentiæ ideo non eſt peccatum in homine fideli, quia non attingit rationem, per cujus conſenſum completur ratio peccati, non enim poteſt eſſe peccatum, niſi ſit voluntarium. At ratio hæc valet etiam in primis motibus infidelium: ſi non ſunt igitur peccata in homine fideli, nec erunt in infideli: præſertim verò cùm in eadem ſpecie peccati graviùs aliquo modo peccare videatur fidelis, quàm infidelis.

Lex ſpiritus vitæ.

II. *Quid eſt lex ſpiritus vitæ* v. 2.? R. Illud *ſpiritus vitæ,* more Hebraico dictum eſt, pro eo, quod eſt ſpiritus vivifici, ſive vivificantis, & eſt periphraſis legis gratiæ, quam Spiritus S. renovator & vivificator mentis humanæ, ſcribit in cordibus, quæ inhabitat. Annotavit hìc S. Thomas, legem ſpiritus vitæ dupliciter intelligi poſſe. Nimirum vel ipſe Spiritus Sanctus: Lex enim datur, ùt homo fiat bonus, ad quod lex conducit dirigendo tantùm hominem ad id, quod bonum eſt, & docendo quid agere & quid fugere oporteat: At Spiritus S. inhabitans hominem, non ſolùm intus mentem illuminat, docendo quæ ſunt agenda & fugienda; ſed etiam inclinat voluntatem & affectum ad bene agendum, Joan. 14. *Paracletus autem Spiritus, quem Pater mittet in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcunq; dixero vobis.* Vel etiam lex ſpiritus vitæ ſignificat ipſam gratiam, id eſt, fidem, quæ per dilectionem operatur, quæ eſt effectus Spiritûs Sancti. Hæc enim & docet interiùs quæ agenda ſunt ſecundùm illud 1. Joan. 2. *Unctio ejus docet vos de omnibus,* & inclinat voluntatem ad agendum, juxta illud 2. Cor. 5. *Charitas Chriſti urget nos.* Atq; hæc eſt illa lex, quam daturum ſe Deus in cordibus ſuorum, tempore Meſſiæ promiſit per Jeremiam & Ezechielem. Apud Jeremiam etenim c. 31. ita eſt: Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in cordibus eorum ſcribam eam: & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum. Apud Ezech. verò c. 36. Dabo vobis cor novum, & Spiritum meum ponam in medio veſtri, & auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum, & Spiritum meum ponam in medio veſtri, & faciam ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea cuſtodiatis & operemini.

Gratia Chriſti liberat à Lege peccati & mortis.

III. *Qua ratione lex ſpiritus vitæ, id eſt, Chriſti Gratia liberat hominem à lege peccati & mortis* v. 2.? R. Dupliciter hoc interpretatur S. Aug. uno modo lib. 1. de nuptiis & concupiſcentiæ reatu, & facit, ne pravi ejus motus imputentur nobis ad culpam, & mortis damnationem. *Quomodo,* inquit Aug. *liberavit, niſi quia concupiſcentiæ reatum, peccatorum omnium facta remiſſione, lex ſpiritus vitæ in Chriſto diſſolvit, ut quamvis adhuc maneat concupiſcentia, & de die in diem magis magisq; minuatur, in peccatum tamen non*

impu-

imputetur. Altero modo idem interpretatur, propterea per legem Spiritus vitæ, liberari hominem à lege peccati & mortis, quia per gratiam Christi liberatur à consensu & obsequio ac obedientia concupiscentiæ, ne prævaleat ei atq; dominetur. Lex spiritus vitæ in Christo, ait Aug. l. 1. contra duas epistolas Pelagianorum c. 10, *liberabit te à lege peccati & mortis, ne scil. consensionem tuam sibi vindicans carnis concupiscentia, in peccatum te ac mortem pertrahat.* Posset etiam per legem peccati & mortis intelligi lex Moysis, de qua supra dixerat Paulus c. 7. nos solutos esse à lege mortis, & legem esse mortuam nobis, sive nos esse mortificatos legi: Dicebatur enim lex peccati & mortis, quia cùm eam sine gratia non servarent & implerent homines, tenebat eos peccati & mortis reos: à quo miserabili statu legis liberati sunt Christiani per legem Spiritus vitæ in Christo.

Lex infirmata per carnem.

IV. Quis est sensus verborum Pauli v. 3. *Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem &c.?* R. Lex vetus demonstrando peccatum, & quid agere, & quid fugere oporteret, conata est quodammodo hominibus auferre peccata; sed infirmata est tamen, & defecit in conatu suo propter carnalem concupiscentiam, cui homo succumbens, legis præcepta servare non poterat, licet mens ejus satis esset per legem de iis, quæ agenda & fugienda erant, instructa. Huic autem impotentiæ legis Deus opem attulit, præstando nobis per filium suum, quod lex ipsa præstare non poterat. Illud: *in quo infirmabatur per carnem,* significat legem fuisse imbecillam & invalidam ad justificandum hominem. *Per carnem,* id est propter carnalem concupiscentiam, quæ repugnans legi DEI, ita prævalebat in homine, ut licet is per legem edoctus, videret meliora probaretq;, victus tamen à concupiscentia tractusq; deteriora sequeretur.

Christus missus in similitudinem carnis peccati.

V. Quis sensus verborum: *DEus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati?* R. Illud: *carnis peccati,* phrasi Hebraica positum est, pro eo, quod est carnis peccatricis, sive obnoxiæ peccato. Caro autem hominis, post Adæ peccatum, duobus malis erat obnoxia: tum peccato atq; imprimis concupiscentiæ motibus; tum morti, ac multis & variis ærumnis ac miseriis, quæ duo malorum genera ex Adæ peccato humanæ carni acciderunt: Christus autem Dominus accepit humanam carnem, secundùm substantiam quidem talem omninò, qualis est cæterorum humanum: respectu verò eorum malorum, quæ diximus, partim similem partim dissimilem. Similem quidem accepit, quia mortalem & passibilem; dissimilem autem, quoniam ab omni peccato tam actuali quàm originali perfectè mundam.

De peccato damnavit peccatum.

VI. Quo sensu dicitur v. 3. *De peccato damnavit peccatum in carne?* R. Notat S. Aug. l. 2. de consensu Evangelistarum c. 30. moris esse in S Scriptura, ut in eodem sermone, atq; adeo etiam in eadem sententia, idem vocabulum & propriè & figuratè ponatur. e. g. in illis verbis Domini Joan. 4. *Omnis qui bibit ex hac aqua, sitiet iterum, qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo, non sitiet in æternum:* priore loco nomen *aqua,* & verbum *sitio,* propriè sumuntur; posteriori autem loco metaphoricè ac figuratè. Similiter & hic, cùm Paulus dixit, Christum de peccato damnâsse peccatum in carne; priore loco, nomen peccati non propriè, sed figuratè sumptum, significat hostiam, seu victimam, quæ immolatur pro expiatione peccati, qua significatione dicitur Lev. 10. *Cur non commedistis peccatum in loco sancto?* sic enim est in Hebræo, pro quo Latinus interpres reddidit: *hostiam pro peccato.* Hujus significationis exemplum habemus Oseæ 4. ubi Dominus de Sacerdotibus dicit: *peccata populi mei comedent.* Dicuntur autem peccata comedere, quia hostias à populo pro expiatione suorum peccatorum oblatas comedebant Sacerdotes. Potest dici, Christus de peccato, id est per peccatum, hoc autem est, per hostiam, seu victimam expiatricem peccati, peccatum damnavit, id est, reatum concupiscentiæ sustulit: nam secundùm phrasim hebraicam, positum est damnavit, pro abolevit, extinxit, sustulit. Dicitur autem Christum sustulisse concupiscentiam, tum quia reatum ejus, & quidquid culpæ est in ea, per baptismum abolevit: tum etiam, quia vires ejus ita fregit, ut non queat deinceps hominem in sui assensum & obsequium pertrahere, & secundùm mentem, gratiâ ipsius sanatam & roboratam, captivare ipsum.

Secundùm carnem ambulare.

VII. Quis est sensus v. 4. *ut justificatio legis impleretur in nobis, qui non secundùm carnem ambulemus, sed secundùm spiritum?* R. Ut justificatio hominis, quam lex præscribebat & exigebat, nec tamen plenè eam homini præstabat, docendo scil. tantummodo, quæ agenda erant, nec suggerendo vires homini infirmo ad ea perficienda, impleretur in nobis per gratiam Christi, quæ planè justificat hominem, nempe illuminando intellectum, & sanando affectum. Illud *in nobis,* idem significat, ac per nos, sive à nobis. Qui autem sint, qui justificationem legis impleant, verbis proximè subsequentibus declaravit Apostolus dicens: *qui non secundùm carnem ambulamus, sed secundùm spiritum.* Ambulare secundùm phrasim Hebraicam idem est, quod vivere, conversari, operari secundùm carnalia desideria, & ut suggerit appetitus, & concupiscentia carnis. Ex adverso autem, secundùm spiritum ambulare, est, vitam agere, & operari secundùm legem spiritus & Dei, quæ sunt contraria rationi & voluntati Dei fugiendo; quæ sunt consentanea, persequendo.

VIII.

Spiritus testimoniū reddit.

VIII. ¦An ex verbis v. 16. *Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filii DEI,* rectè inferant hæretici, omnes justos infallibiliter scire se esse justos, ex eo, quòd testimonium Spiritus Sancti non possit non esse certissimum, imò infallibile? R. Perperam. Quia testimonium istud, licet in se, & quatenus à Spiritu Sancto procedit, sit certissimum & infallibile: quatenus tamen nobis exhibetur, non est certum, nisi certitudine conjecturali, & ut summum morali. Nam ut alia taceam, non sumus certi an illud testimonium proficiscatur à spiritu maligno transfigurante se in Angelum lucis, an à Spiritu Sancto. Unde monet S. Joannes 1. Joan. 4. v. 1. Probate Spiritus, utrum à Deo sunt.

IX. *Quodnam est hoc testimonium Spiritûs Sancti?* R. Experimentum pacis internæ & tranquillitatis conscientiæ, nullis (quod sciamus) gravioribus peccatis obnoxiæ, simul & desiderii, ad promptè & ex puro amore serviendum Deo, quibus freti, fiducialiter *clamamus Abba,* id est *Pater,* confisi, nos esse filios Dei.

X. Quomodo *Passiones hujus temporis non sunt condignæ ad futuram gloriam* v. 18.? R. Quatenus sunt passiones ex gratia Christi toleratæ, ejusq; meritis innixæ prorsus condignæ sunt ad gloriam. Verùm hoc ex se suaq; intrinseca qualitate non habent (cùm nimis leves & breves sint, & nullo modo proportionatæ tanto præmio) sed ex gratuito decreto, beneplacito ac promissò DEI.

CAPUT IX.

Promissiones Divinas de justitia & salute, factas olim Abrahæ ejusq; filiis, docet spectare non ad carnales filios, sed spirituales, qui nempe credendo in Christum, fidem Abrahæ imitantur, cum verò Judæi ut plurimum, noluerint se tales præstare, Gentiles è contrario passim se tales præstiterint, nihil mirum, Judæos à justitia & salute repulsos esse, Gentiles verò ad illam electos & ascitos fuisse. Omnis enim justificatio & salus nostra ex absoluto decreto & voluntate DEI, ab uno Christo petenda est & exspectanda.

Anathema à Christo esse.

QUæstio I. Quid optabat Paulus, cùm ait v. 3. *Optabam ego anathema esse à Christo?* R. Optabat (olim Moyses Exodi 32. v. 31.) heroico quodam excessu charitatis, æternum (si opus & utile foret) separari à Christo, id est non à charitate & gratia, sed à persona Christi, seu ab æterna beatitudine & gloria futura cum Christo in cœlis, dummodo hac via Judæi salvarentur, ita Chrysost. & alii. Addit Cassianus collat. 31. c. 6. optâsse pœnis addici æternis, ut hac via plures bearentnr, & Deum laudarent in æternum. ¦Quod licere etiam cuivis sibi optare sub tali conditione, docet Lud. Molina 1. p. q. 24.

Gratia justificans.

II. De qua gratia agit Apostolus hoc capite? R. Non de gratia præveniente, ejusq; disparitate, quasi docere velit, Judæis minorem datam esse gratiam, Gentibus majorem; Judæis ineffícacem, Gentibus efficacem; sed agit de gratia justificante, ùt patet toto capite præcedente & aliis omnibus, hucusq;. Totius enim epistolæ quæstio est hæc, unde justificetur homo? Cui respondet Apostolus, hominem justificari per fidem & gratiam Christi; non per cæremonias & opera legis. Ex qua responsione rectè hoc cap. & seq. infert & concludit: Gentes justificatas esse, quia fidem & gratiam Christi amplexæ sunt; non autem Judæos, utpote qui eam amplecti noluerunt.

Jacob dilexi, Esau odio habui.

III. Quo sensu dicitur tam hìc quàm Malachiæ 1. *Jacob dilexi, Esau autem odio habui?* R. Nec Malachias nec Paulus loquitur de Jacob & Esau personaliter tantùm, sed & vel maximè de posteris eorum. Rursùm non loquitur de singulis prædestinatis & reprobis, nec de dilectione & electione ad gloriam & reprobatione ad infernum; sed ad literam loquitur directè Malachias de posteris Jacob & Esau: aitq; illos dilectos & electos esse ad bona potissimùm temporalia, præ posteris Esau, ut patet intuenti Malachiam. Nam verisimile est, salvatum esse ipsum Esau: & multò magis Job ejusq; filios & ¦alios ortos ex Esau. Idem patet intuenti Apostolum hìc maximè v. præced.

Non est volentis &c.

IV. Quis est sensus v. 16. *Non est volentis neq; currentis &c.?* R. Neq; Esau perdidit benedictionem carnalem, quòd à venatione sua seriùs rediisset, nec Jacob præveniset; sed ex dispositione DEI utrumq; evenit; ita opera Judæorum Legalia exercitata vel eadem omissa in gentibus, nihil contulerant ad hoc, ut Deus benedictionem spiritualem alligaret fidei in Christum, sed hoc gratis ita disposuit, indifferenter & ante omnia merita. Tametsi porrò fides in Christum sit dispositio congrua ad justificationem, non tamen obstat, quominus gratuita subsequatur justificatio; eò quòd per eam fidem non mereamur condignè justificationem. Deinde etiam actus fidei ex gratia efficace gratuitâ pendet.

det. Hoc autem loco malè abutuntur sectarii, ad ostendendum, pia opera nihil facere ad salutem. Nam etsi opera legalia nihil ad hoc contulerint, ut ipsi Christum & ejus benedictionem reciperent; & licet quoq; per nulla nostra opera, primam electionem sive efficaciam gratiæ, qua disponamur ad justificationem mereamur, & sic gloriam consequamur: tamen eandem gloriam mereri debemus per liberam cooperationem, qua electioni & gratiæ prævenienti cooperemur.

V. *Quomodo Deus indurat* v. 18.? R. Non directè & propriè (ut blasphemat Calvinus & Puritani) sed impropriè & indirectè scil. eo ipso quo non miseretur, sed subtrahit specialia & frequentia auxilia gratiæ, & permittit peccatorem in sua malitia & duritia (ad quam sponte pronum est cor humanum, quando uberiore gratiâ DEI destituitur) perseverare & crescere, & objicit subinde, sed aliis justis de causis occasiones, ex quibus magis indurentur. *Deus quomodo indurat.*

VI. *Quo sensu Deus comparatur figulo* v. 21.? R. In eo, quòd sicut figulus potest ex eodem luto facere vas unum in honorem, aliud in contumeliam: ita Deus ex eadem massâ hominum, cujus vult, miseretur, & quem vult, indurat. Cujus ergo miseretur, id est, quem à peccato liberat & justificat, uti Christianos credentes, hos facit vasa in honorem, quem verò indurat, uti Pharaonẽ & Judæos incredulos, hos facit vasa in contumeliam. Sed sicuti Deus positivè & directè facit vasa in honorem: & sicut permissivè & indirectè tantùm indurat; sic permissive & indirectè tantùm facit vasa in contumeliam. Non ergo vas in honorem hic est electus ad gloriam; nec vas in contumeliam est reprobatus ad gehennam; sed vas in honorem est justificatus, vas in contumeliam est impius, qui est in peccato. *Deus comparatur figulo.*

VII. *Si Deus peccatores indurat, cur queritur, & indurtos punit?* R. Apostolus respondet v. 22. & 23. hoc modo: Indurati ipsi positivè se fecerunt vasa iræ; Deus ergo non fecit eos, sed *sustinuit*, id est, patienter peccare permisit, differens diu supplicium, sicq; eos indurâsse dicitur, idq; duplici de causa. Prior est, ut iram, id est justam & potentem suam vindictam, in eos ostenderet, uti fecit, dum Pharaonem mersit in mari rubro. Putabat enim Pharao, DEI patientiam, per quam non puniebat eum Deus, impotentiam esse. Posterior est, ut ex hac severitate DEI in induratos, appareat glorioſa DEI misericordia, opulentia & liberalitas *in vasa misericordiæ*, id est, in Sanctos & electos, quibus non pœnam sed gloriam præparavit. Dicitur hìc, *quodsi Deus sustinuit vasa iræ*, supple quid ad te? vel tu quis es, qui respondeas DEO? quid habes, quod queri possis? Est enim hìc aposiopesis, sive reticentia frequens Apostolo. Vasa misericordiæ hìc non vocantur efficaciter electi ad gloriam, sed credentes & justi; quos gratiâ suâ dirigit & ordinat Deus ad gloriam, ut patet ex sequentibus: consequenter vasa iræ sunt, mali & indurati, qui se ordinant & disponunt ad iram & pœnam æternam. *Vasa iræ* non aptavit Deus, *sed aptæ*, seu aptata, & apparata, propriâ scil. culpâ & impœnitentiâ (ita S. Thomas & passim interpretes) ad interitum & condemnationem. *Indurtos punit Deus.*

VIII. Quomodo intelligendus v. 28. *Verbum enim consummans & abbrevians in æquitate?* R. Supplendum est, Deus est, q. d. Deus consummabit & abbreviabit verbum, id est, rem, putà numerum fidelium ex Israèl brevem, id est exiguum, conficiet: idq; *in æquitate* & justitia; tum qua justè incredulos & impios Judæos ita abbreviavit, consumpsit & attrivit (quod propriè hìc intendit) tum qua vice versa primos credentes piosq; Judæos, putà Apostolos, & per eos omnes gentes fecit abundare æquitate, & sanctimonia. Sicut enim Deus justus est in infideles & impios eos puniendo & consummendo: ita justus est in fideles & pios, eos præmiando, faciendo, scil. ut in eis & per eos in aliis Gentibus abundet gratia & justitia. Utrumq; hunc sensum, sed magis posteriorem, significant verba Isaiæ, qui habet *Consummatio abbreviata inundabit justitiam.* Ubi Isaias loquitur de Judæis reliquis ex vastatione Sennacherib. Paulus autem hanc sententiam allegoricè explicat de Judæis q.d. consummam, faciamq; finem, & quidem brevissimum Judaismi & Judæorum per Titum, ita tamen ut pauci ex iis relinquantur & convertantur ad Christum; & tum justitia, quæ ex fide est, inundabit & propagabitur per omnes gentes, orbemq; quasi altero diluvio obruet. *Verbum consummans Deus*

CAPUT X.

Declarat quantum præcellat justitia fidei justitiæ legis, cui mordicus adhærere voluerunt Judæi: Gentibus libenter amplexantibus illam, quæ ex fide est: Deum utrosq; ad justitiam pari modo vocásse, & utrisq; Evangelium prædicari jussisse: sed Judæos maluisse illis contradicere & oppugnare, quàm credere.

QUæstio I. *Quomodo Christus dicitur finis legis* v. 4.? R. Christus erat finis legis, ad quem scil. universa lex ordinabatur, & ad quem lex Judæum, tanquam pædagogus ducebat, demonstrans se juvare non posse homines ad implenda legis præ- *Christus finis legis.*

cepta, & ad comparandam justitiam, & in adjutorium dari homini per gratiam DEI impetratam, & apprehensam per Christi fidem. Licet etiam vocabulum *finis* dupliciter interpretari: vel pro extremo, ad quod referuntur cœtera; ut sit hic sensus: Non est data lex, quæ hominem ordinet, & dirigat, & quasi Pædaogus ducat ad Christum, ut per ejus fidem justificetur. Altero modo licet interpretari vocabulum, *finis*, pro consummatione & perfectione legis, ut sit sensus; per Christi fidem impetrari gratiam, per quam lex consummetur, & impleatur, & sine qua lex impleri & consummari non potest.

II. Quo sensu dicitur v. 5. *Justitiam, quæ ex lege est, qui fecerit homo, vivet in ea?* R. Hæc sententia duplicem potest habere sensum. imò. vivet in ea: id est, severitas legis pœnâ mortis eum non plectet, tanquam transgressorem, sed præsenti vita perfruetur; nam in lege veteri, complurium præceptorum ejus violatio pœnâ mortis vindicabatur. Unde Apostolus ad Heb. 10. *Irritam*, inquit, *quis faciens legem, sine ulla miseratione, duobus vel tribus testibus moritur:* 2dò. vivet in ea, id est, observando legem, vitam aget quietam & jucundam, & abundantem bonis temporalibus, quæ Deus observatoribus legis suæ plurima & amplissima promisit Levit. 26 & 28 Deut. Non significatur autem vita Spiritualis, nedum æterna, eò quod dictum est, *vivet in ea*, inde palàm est, eò quod Apostolus tam hic, quàm Gal. 3. distingvit justitiam ex lege, à justitia ex fide, docens diversas esse admodum, & non per illam, sed per hanc justificari hominem.

III. Quis est sensus versus 6. & 7. *Ne dixeris in corde tuo, quis ascendet in cœlum, id est, Christum deducere &c.?* R. Sensus est: ne dicas, ad certitudinem fidei, & ad justificationem opus est Christo præsente, ut eum videamus, ejusq; aspectu & præsentia sanemur & justificemur. Itaq; ipse cœlo vel inferno revocandus est. Non putes hoc à te peti, propinquus enim & facilis, justificationis jam modus est, si in Christum credas mortuum & resuscitatum, licet absentem, & corde ac ore idipsum fatearis, q. d. Ne dicas Judæe, legi assuete, lex Moysi nobis propinqua est & plana; fides & justitia Christi salutem quidem promittit, sed obscura est & remota: nam erras & falleris, non enim ita se res habet, quia, ut sequitur, *propè est verbum* (salutis & justitiæ) *in ore tuo, & in corde tuo, hoc est, verbum fidei, quod prædicamus.* Rom. 10

Fides ex auditu.

IV. Quo sensu dicitur v. 17. FIDES EX AUDITU? R. Innuere voluit S. Paulus Apostolicæ prædicationis necessitatem, qua veluti instrumento Verbum Dei in audientium animum invehitur. Hanc necessitatem declarando orditur ab oris confessione, quam nomine *Invocationis* intelligit: *quomodo invocabunt, in quem non crediderunt.* In confessio est, ait Cajet. *quòd secundùm communem cursum, credere præsupponit auditionem corporalem.* Etsi quandoq; non servato hoc rerum ordine Deus ipse erudiat, ac novo & insueto modo sive externus auditis illuminet. Mens ergo & sensus Apostoli est, quòd quisquis Deum confessus fuerit, invocaverit, sinceroq; affectu inclamaverit, is heres erit cœlestis regni. Sed quomodo homines Deum invocabunt, in quem non credunt? quomodo mysterium Sanctissimæ Trinitatis, quòd Deus Creator sit, glorificator, quòd Filius humanam carnem induerit, quòd nostram operatus sit salutem, mortuus sit pro humano genere, quod tertia à morte die surrexerit, quòd triumphali nube in cœlum evectus fuerit, quòd mundo Spiritum S. dederit, & multa alia talia credent, quorum nihil audierunt? Et verò quomodo audient, si non sit, qui talia proponat? & sic fides per auditùm hominum cordibus illabitur, estq; necessarium Dei verbum prædicari, ut ad fidem perveniatur. Ideo Christus discipulis injunxit Matt. 16. 15. *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ.*

V. Quomodo *fides ex auditu, cùm sit* DONUM DEI Eph. 2. 8. & Philip. 1. 29. *Vobis donatum est pro Christo, ut in eum credatis.* Rdet S. Thom. ad fidem duo requiruntur, unum quidem est ipsa cordis propensio, & ad credendum inclinatio, & hæc non est ex auditu, sed ex divinæ gratiæ dono. Alterum quod ad fidem requiritur est rerum, quæ credendæ determinantur, explicatio, & hæc ex auditu est. Evangelicam enim audiendo doctrinam, quid nobis credendum sit, cognoscimus. Erat Centurio Cornelius ad virtutem compositus, addictus orationi, in pauperes liberalis, veri Numinis cum tota sua familia cultor eximius, deniq; ita erat comparatus, ut per internam inspirationem avidè ad Christianam fidem aspirârit; indiguit tamen auditu. Quare jussus est ad Petrum mittere servos Act. 10. 5. qui eum rogarent, ut veniret, illumq; ad fidem & cætera, quæcumq; animæ salus requirit, erudiret: *Mitte viros in Joppen, & accersi Simonem quemdam, qui cognominatur Petrus: hic dicet tibi, quid te oporteat facere.* Sed cur Petrum vocare debuit, ut quæ illi facere incumbebant, audiret ab illo, si jam internè illuminatus fuit, si Spiritûs S. ductu regebatur? respondet S. Thom. *Necesse habuit, ut ad eum mitteretur Petrus, qui sibi determinaret, quid esset credendum.* Et licet per Dei favorem ad veram fidem operaq; bona, maximam intus & in corde quis sentiat propensionem; etsi Angelorum visu & colloquio, aliisq; desuper cumulatus doctrinarum favoribus; attamen Petrus est auscultandus, homines sunt audiendi de verbo DEI

bo DEI differentes. Hunc enim DEus statuit rerum ordinem, ut homo ab homine instruatur in fidei rudimentis, & ad bonum dirigatur. Quin imò etsi DEus è cælo in terram descenderet, hominum vocationi, eorumq; conversioni suam locaturus operam; adhuc tamen illud verum erit (*fides ex auditu*) est inquam ex auditu, non illo duntaxat, quo DEus è cælo descendens intus & in corde hominum loquitur, sed ex auditu, quo homo mortalis loquitur. Nonne ipsa incarnata sapientia, post suam triumphalem in cœlum ascensionem, in terram iterum descendit, ut Paulum vocaret, & ex infideli fidelem, ex persecutore redderet vas electionis, Apostolum gentiumq; magistrum. Illuminavit illum, prostravit, convertit, flexit, ad agnitionem veritatis, ad fidem, ad veri Numinis & virtutis cultum deduxit, suæq; voluntati per omnia obsequentem fecit, tamen dixit illi Act. 9. 7. *Surge & ingredere civitatem, & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere.* Et quæ necessitas erat illum Damascum ablegandi, ut ab Anania disceret quæ facienda erant, cùm Filium DEI habuerit magistrum? Non tentemus DEum, respondet S. Aug. in Prol. l. 1. de Doctr. Christ. ut ad evangelium discendum nolimus ire in Ecclesias, aut prædicantem hominem audire. Fidem illi divinitus infundi, qui baptizatur, certum est, ab alio instrui debet in sacris dogmatibus. Velle in tertium rapi, ibique divina à DEO ipso secreta discere, arrogantiæ & superbiæ, resq; plena periculis. Caveamus tales tentationes superbissimas, magisq; cogitemus, & ipsum Apostolum Paulum, licet divina & cælesti voce prostratum & instructum, ad hominem tamen missum esse, ut sacramenta perciperet, & copularetur Ecclesiæ.

CAPUT XI.

Populum Judaicum non omnem, etsi pro majori parte, ob incredulitatem docet rejectum à justitia & salute, sic tamen ut qui velint, possint converti; imò multos esse conversos, & tandem in fine mundi reliquos omnes convertendos.

Quæstio I. Quomodo Deus *non repulit plebem suam, quam præscivit* v. 2.? R. Quam ab æterno *præscivit* & Christi fidem & gratiam gratuitò sibi oblatam, sponte sua admissuram & complexuram, foreq; fidelem. Ita à Lapide.

II. De quo agit Paulus v. 5. *Reliquiæ* populi Judaici, id est, pauci Judæi, credentes in Christum, præ innumeris aliis, qui increduli manserunt, *secundùm electionem gratiæ*, id est, ex gratuita DEI electione, *salvæ factæ sunt*, id est, justificatæ sunt? R. Non agit hic Paulus (ut observat à Lapide) de electione immediata ad gloriam, sed neq; ad primam gratiam excitantem, neq; etiam ad fidem: sed de Electione immediata ad justitiam, eaq; non absoluta, sed conditionata. Unde huic electioni non repugnat consensus liberi arbitrii, ejusq; libera cooperatio, & gratiæ cœlitus oblatæ acceptatio: sed neq; repugnat fides, pœnitentia, aliæq; liberæ hominis dispositiones ad justificationem Nam positis his omnibus, nullum adhuc meritum, nullum jus propriè dictum acquiritur homini ad justitiam: sed est meræ electionis DEI & gratiæ, quòd sic dispositos justificet, non alios, qui talibus dispositionibus carent, ut disertè docet Paulus Rom. 4. v. 3. & 5. & ex eo Trident. Sess. 5. & 6. Fides enim & pœnitentia & reliqua justificationi prævia, non ex sua natura vel naturali vi & efficacia, disponunt ad justitiam, sed ex nuda electione, proposito, voluntate & decreto DEI, & conciliantur dissidentes in speciem locutiones quorundam SS. Patrum: Nam S. Chrysost. & ferè reliqui Græci causam dant, cur Deus hunc præ illo eligat ad justitiam & salutem; dicunt, quia hunc suæ gratiæ consensurum, cooperaturum, & ad justitiam se dispositurum prævidit, non illum. Sed S. Augustinus, & cum eo S. Thomas & plerique scholastici causam dant, quia Deus hunc gratuitò elegit ad justitiam, vel quia hunc gratis voluit justificare, non illum. Utrumq; enim verum est: nam & consensus liberi arbitrii, ejusq; cum gratia cooperatio prærequiritur tanquam dispositio ad justitiam: & tamen eâ ipsa dispositione posita, nihil adhuc juris propriè dicti acquiritur dispositio, sed iustitia illi confertur ex gratuita voluntate & decreto DEI, quo ultrò ex mera misericordia, intuitu meritorum Christi, elegit ac promisit, sic dispositio justificantem gratiam conferre præ alio non dispositio.

III. *Cur quærit Israël justitiam, & non est consecutus* v. 7? R. Quia non quærit, ubi oportet, & sicut oportet: quærit enim ex merito solorum operum legis, cùm quærere deberet ex meritis Christi, per fidem sibi illa applicando, quam tanquam prævium dispositionem, & medium ad assequendam justitiam necessarium, ab æterno statuit, & pro suo beneplacito elegit & decrevit DEus. Et quia hanc fidem amplexata est, *Electio* id est, pars illa minor populi Judaici, ideo ipsa *consecuta est* justitiam: cæteri verò Judæi, qui fidem admittere noluerunt, à DEO deserti, & sua malitia excæcati sunt.

IV. An omnes Judæi in fine mundi salvabuntur juxta illud Pauli v. 25. *Et sic omnis*

Israël salvus fieret? R. Quòd non omnes Judæi, nullo excepto, accepturi tunc sint fidem Christi, & futuri salvi, videtur esse manifestum ex verbis illis, quæ dixit Angelus Danieli c. 12: *In illo tempore*, inquit, *salvabitur populus tuus omnis, qui inventus fuerit scriptus in libro vitæ.* Illud, *qui inventus fuerit scriptus in libro*, restringit & contrahit signum illud universale, *Omnis.* Si enim simpliciter omnes Judæi futuri tunc essent salvi, Angelus simpliciter dixisset: *in illo tempore salvabitur omnis populus tuus.* Deinde Joannes in Apocalypsi ait, eos qui consentient cum Antichristo, eumq; adorabunt, miserrimo vitæ exitu morituros. Tradunt autem Patres, qui de Antichristo scripserunt, præcipuos sectatorum Antichristi, fore Judæos. Sed quamvis priùs aut omnes aut fermè omnes Judæi sectaturi sint Antichristum: postea tamen per Eliæ prædicationem plurimi eorum, deserto Antichristo, ad Christi fidem se convertent.

CAPUT XII.

Incipit altera pars epistolæ, qua mores instruit: & ante omnia monet hoc capite, ut quisq; gratiæ à DEO acceptæ, suoq; munere vacet, & proximum, etiam inimicum ex animo diligat.

Hostia vivens.

QUæstio I. *Quid est hostia vivens* v. 1.? R. Dixit hostiam viventem, quo discerneret hostiam Christianam à Judaica: Judæi enim brutam & mortuam pecudem immolabant: Vel secundùm Chrysost. ne quis putaret Apostolum jubere Christianos occidere, & mactare corpora sua, adjunxit *viventem*, non enim corpora ipsa, per mortem eorum mactanda sunt: Vel secundùm Cajetanum, dixit: *Hostiam viventem* ad differentiam hostiæ, quam offerunt Martyres, exhibentes corpora sua morti, propter Deum. Vult Paulus ut mactemus affectus & cupiditates carnis nostræ, nosq; ipsos Deo totos offeramus atq; consecremus, ceu hostiam & victimam, & sacrificium sanctum & Deo placens, & tanquam jam Deo semel dicatos, non ad profanos & pravos usus, nos, nostraq; conferamus.

Obsequium rationabile

II. Quid est rationabile obsequium? R. Rationabile, id est, non corporale, uti olim erat Judæorum, sed spirituale sit *obsequium*, id est, cultus vester & latria, ut habet Græcus. Rursum cultus vester hic non sit irrationalis, uti erat Gentium stultè idola colentium, sed sit rationabilis, qui scil. rationales homines decet; nimirum non pecudibus, sed fide, spe, charitate sacrificate, non idolis sed Deo. Ita S. Chrysost. & Theodor.

III. Quomodo distingvenda sunt hæc, voluntas Dei bona, beneplacens & perfecta? R. Voluntas hìc idem est, quod volitum, seu id quod Deus à nobis vult fieri. Sensus ergo est, q. d. Ut sciatis, quæ sit voluntas Dei bona, id est, quid Deus à nobis velit fieri bonum, & beneplacens, id est melius, & perfectum, id est optimum & sibi gratissimum. Sunt enim hi tres gradus boni voliti à Deo, seu boni, quod à nobis requirit Deus. Loquitur Paulus de voluntate signi, sive præcepti & consilii, quam Deus hominibus ad implendam proponit: non autem loquitur de voluntate beneplaciti Dei, hæc enim necessariò adimpletur. Rom. 12.

IV. Quid indicat v. 20. *Carbones congeres super caput ejus?* Pulchrè respondet S. Aug. serm. 165. de temp. tom. 10: Cùm inimico tuo, pio animo benefeceris, quantumlibet sit impius, crudelis, barbarus & cruentus, tamen tandem aliquando erubescit, & dolet & pœnitere incipit, quod admisit. In eumdem sensum S. Hieron. l. 1. adversùs Pelagian. c. 9. Carbones ignis congregabis super caput ejus, ut superatus beneficiis, excoctus fervore charitatis, inimicus esse desistat. Si Saul efferato in Davidem animo, ubi illum vitæ suæ peperciſſe animadvertit, tam longe fuit, ut eum ad necem quæreret, ut fervore charitatis excoctus, impensè eum laudârit & filium appellârit. 1. Reg. 24. Numquid hæc vox tua est, fili mi David? & levavit Saul vocem suam & flevit: dixitq; ad David: justior es tu, quàm ego: tu enim tribuisti mihi bona; ego verò reddidi tibi mala. De S. Stephano narrat Baron. Anno 418. Quòd illatis Majonam (urbs est Majoricæ) S. Stephani reliquiis, Judæos omnes numero 540. ad Christi fidem de repente conversos. Occasio tam subitæ tamq; stupendæ conversionis fuit S. Stephani jam cœlis recepti in perfidos Judæos benignitas & beneficia. Hi etenim ut sancti reliquias inferri viderunt, iisdem quibus olim Majores eorum, animis, eodem furore, impetuq; ad saxa convolârunt, & quà sacras reliquias Stephani, quà etiam Christianos illas portantes, aut venerationis ergo comitantes impetere cœperunt. Sed ô D. Stephani etiam post fata in suos hostes superstes charitas! innoxia in hos & illas cecidêre saxa, quin & synagoga eorum exarsit: ignem charitatis unà tam validè animis Judæorum immittens, ut de repente in alios immutati sint, quod amantis & miserentis, & carbones super capita eorum congerentis fuit.

CAPUT

CAPUT XIII.

Septem argumentis docet, magistratibus sæcularibus, etiam in conscientia, parendum esse: proximos diligendos; justè vivendum: Christum induendum.

Quæstio I. Cur Paulus dicit: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit* v. 1.? R. Quia fuerunt nonnulli primis illis Christianæ Ecclesiæ temporibus falsò arbitrantes, & docentes, exemptos esse homines Christianos sæcularibus & civilibus legibus, & liberos ab obedientia & subjectione Magistratuum & Principum sæcularium: quòd Dominus dixisset: *Si filius vos liberaverit, verè liberi eritis.* Joan. 8. Horum paucorum hominum falsa sententia & doctrina, universam Christianorum gentem reddidit omnibus invisam & exosam, & maledictis & conviciis, atq; calumniis obnoxiam.

II. Quo sensu dicitur v. 5. *Ideo necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam?* R. Significat obediendum esse legibus humanis, non solùm ob vindictæ & supplicii metum; id enim vocabulo iræ denotatur, sed etiam propter conscientiam, id est, ne polluatur conscientia nostra inobedientiæ peccato, & rea fiat apud Deum, & ne conscii nobis admissi criminis inobedientiæ angamur animo & cruciemur.

III. Quomodo ergo Christus dixit Matt. 17. *Filios DEI liberos esse & immunes à solvendo vectigalia & tributa?* R. illis verbis noluisse Dominum docere, eos, qui per gratiam adoptionis sunt filii Dei, esse immunes à tributis & observatione legum humanarum, non enim contrarium docuissent Petrus & Paulus in suis epistolis, si Dominus id voluisset intelligi. Si igitur ibi loquitur de filiis naturalibus Regum, qui immunes sunt à tributis, quæ Rex Pater subditis suis imposuit. Ex quo infert Christus Dominus, se, qui est naturalis filius Dei, summi Regis & Domini omnium, liberum esse ab omni debito pendendi tributa. Nec tamen negandum est, & Clericos ac Religiosos, pauperum vitam professos, justè etiam hac immunitate gaudere.

CAPUT XIV.

Docet abstinentiam Judaicam à certis cibis lege Mosaica vetitis jam non amplius obligare; monet tamen doctiores, ne infirmos fideles, qui eam adhuc ex scrupulo observant, contentiosè reprehendant, nevè sua libertate, qua omnibus ipsi cibis promiscuè vescuntur, alios scandalizent. Monet deniq; etiam infirmos fideles, ne quidquam hìc agant contra conscientiam.

Quæstio I. Quid in cibis est esse commune? R. Nomen *commune*, pro immundo, & verbum *communicare*, pro inquinare & polluere, sunt propria Divinæ Scripturæ; cujus significationis & usurpationis rationem exponit D. Hieron. in cap. 15. Matth. in illa verba: *non quod intrat per os, coinquinat hominem:* hunc autem in modum scribit: Verbum, *Communicat*, propriè scripturarum est, & publico sermone non teritur. Populus enim Judæorum partem Dei esse se jactans, communes cibos vocat, quibus alii omnes utuntur homines, v. g. suillam carnem & ostreas, & lepores, & alia quæ ungulam non findunt, nec squamosa in piscibus sunt, unde & Petro dictum est, Act. 10: Quod Deus sanctificavit, tu commune ne dixeris. Commune igitur, quod cœteris hominibus communiter in usu est, pro immundo appellavit. Sic Hieron. *Commune in cibis.*

II. Sunt ne aliqui cibi naturâ suâ immundi? R. Hæc fuit antiqua multorum Hæresis, ut Marcionis & Manichæorum & aliorum. De Marcione hæc scribit Epiphan. in hæresi 42. *Docet non esse vescendum rebus animatis, pronuntians reos esse judicii eos, qui carnem edant, tanquam qui comedant animas.* Et in hæresi 66. scribit similia Marcioni dixisse Manichæos, qui putabant comedentes carnes, ita reos fieri criminis, ut tales ipsi aliquando fierent, quale fuisset animal, quod comedissent. Et S. Aug. in lib. de hæresibus, de Manichæis loquens, ait, quosdam eorum nec vesci carnibus, nec ovis, nec lacte, nec vinum bibere, quod esse dicebant fel Principis tenebrarum. *Cibi an sint naturâ immundi.*

III. Si nullus est cibus naturâ suâ immundus, cur in veteri lege multorum ciborum esu, tanquam immundorum interdictum est Judæis? R. det S. Aug. contra Faustum Manichæum, fuisse appellatos immundos cibos non secundùm naturam, sed secundùm typum & significationem ac figuram: e. g. porcus habebatur immundus, non naturâ, sed significatione, significabat enim hominem turpi deditum voluptati, atq; eam significationem retinuit, quo ad Deo placuit, usq; ad tempus videlicet Evangelicæ legis. Quòd autem *Cibi prohibiti.*

autem Apostoli Act. 15. prohibuerunt Christianis esum sangvinis, & suffocati, id fecerunt non ob significationem, sed quòd viderent abstinentiam ab istiusmodi rebus, potuisse id temporis multum conducere ad conciliationem atq; concordiam gentium, quæ ad Christum convertebantur cum Judæis ad ipsum conversis, qui ab illis rebus vehementer abhorrebant.

Abstinentia à cibis Judaica & Ecclesiastica.

IV. Quæ est differentia inter Judaicam ciborum abstinentiam & Ecclesiasticam? R. Illa post evangelium Christi in mundo promulgatum, exolevit, nec vim obligandi habuit: ast post id temporis Ecclesiastica jejunia, per ipsius Ecclesiæ auctoritatem in usu & præcepto esse cœperunt. Deinde abstinentia illa Judaica erat tantùm cæremonialis, & tanquam cæremonia quædam obligabat Judæos: erat enim instituta, non castigandi & macerandi corporis gratia, in remedium concupiscentiæ, caro enim bovina & vitulina Judæis per legem concessa non minùs plenè & delicatè corpus nutriebat, quàm porcina caro eis vetita: Abstinentia verò ciborum Ecclesiastica, non in damnationem & odium ciborum, quasi per se immundorum, nec propter significationem & figuram aliarum rerum instituta est; sed propriè ordinata est ad macerationem & afflictationem corporis, ut ita & tentationibus Diaboli facilius resisti possit, & cupiditates carnis frangi & vitia superari queant. Ad hæc Judæorum illa à cibis abstinentia erat perpetua, & omni tempore obligans; nostra verò jejunia non sunt perpetua, sed ad aliquod tempus, Judaica quoq; observatio ciborum nullam admittebat dispensationem, sed generaliter & inviolabiliter obstringebat omnes: in jejuniis autem Ecclesiasticis, vel sanitatis, vel alius cujusvis necessitatis causa facilè dispensatur.

V. Quo sensu dicitur v. 23. *Omne, quod non est ex fide, peccatum est?* R. Quod non est ex dictamine conscientiæ, quo quis censeat tale quid sibi hîc, nunc & sic licere, peccatum est. Neq; enim agit hîc Apostolus de fide Christiana, supernaturali, generali & speculativa (ut volunt hæretici, & nonnulli Catholici) sed de fide naturali, morali, particulari & practica, quæ nihil aliud est, quàm dictamen conscientiæ, seu judicium rationis, quo judico mihiq; persuadeo, me (v. g. dum comedo suillam) rectè agere, nec Deum offendere. ita S. Chrysost. Theophil. Amb. & Theodoretus.

CAPUT XV.

Monet tum Gentiles, tum Judæos, ut, cùm utriq; ad fidem & gratiam Christi sint vocati, gratias DEO agant, invicem pacem habeant. Mox rationem reddit suæ scriptionis: promittens, dum in Hispaniam excurret, se in transitu visurum Romanos.

QUæstio I. Quo sensu dicitur v. 7. *Suscipite invicem, sicut & Christus suscepit vos?* R. Mutuò vos juvate & fovete, remotis dissidiis, tum ex ciborum delectu, tum ex diversitate nationum, scil. Judæorum & Gentium, ortis, quia Christus utrosq; suscepit, pro utrisq; mortuus est, utrisq; salutis media dedit, utros beare, & in cœlo unire cupit. *Suscipere* in scriptura, maximè psalmis, significat juvare, fovere, promovere.

Christus Minister circumcisionis.

II. Quomodo dicitur Christus, *minister fuisse circumcisionis* v. 8.? R. Non propriè: Christus enim circumcisionem, & legem veterem abrogavit, aut potiùs implevit: sed circumcisionis, id est circumcisorum minister, id est prædicator, & operator salutis, ac Doctor fuit Christus. Intra Judæorum enim fines docendo & evangelisando se continuit Christus, ita Anselmus. Unde dicit ipse Matt. 15. *Non sum missus, nisi ad oves, quæ perierunt domus Israël.*

Christus Radix Jesse.

III. Quomodo Christus dicitur radix Jesse v. 9? R. metonymicè radix hîc est virga ex radice pullulans. Sic Isa. 53. 1. de Christo dicitur: *ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti.* Et Isa. 11. 1. *Egredietur virga de radice Jesse.* Radix ergo Jesse, est Christus ortus ex stirpe Davidis & Jesse. Pererius ait: David fuit radix Christi, quo ad humanam naturam: Christus viciſſim fuit radix Davidis, quo ad eximiam sanctificationem, exaltationem & glorificationem Davidis. Ob hoc enim ita exaltatus fuit David, & tot donis cumulatus à Deo, quòd ex ejus stirpe nasciturus erat Christus, qui appellandus erat filius Davidis.

IV. Quid significat sanctificare seu sacrificare Evangelium v. 16? R. Apostolus hîc inducit metaphoricum sacrificium, putâ conversionem gentium, & earundem oblationem & consecrationem DEO factam, in quo sacrificio Sacerdos est Paulus: victima ipsæ gentes, vel potiùs gentilismus in iis mactatus, sicut Petro dicebatur Act. 10. *Occide & manduca.* Consecratio est prædicatio Evangelij, & administratio Sacramentorum, qua gentes ex profano populo convertuntur in populum Sanctum & Deo dicatum, ignis quo victima comburitur, est Spiritus Sanctus, ejusque charismata & gratiæ, inquit S. Chrysost.

CAPUT

CAPUT XVI.

Amicos commendat, & ſalutare jubet. Eâdem operâ monet, ut ab ijs caveant, qui Authores ſunt diſſidiorum, & ſcandalorum.

QUæſtio I. Quo ſenſu dicit Phœben Sororem? R non naturâ, ſed religione, quia Chriſtianam. *In miniſterio Eccleſiæ* Cenchrenſis, græcè *diaconiſſa.* Sic tum vocabantur, quæ præerant, ſiue virginibus, ſiue viduis Deo dicatis, vel etiam aliis pauperioribus fœminis, quæ publico Eccleſiæ ſumptu alebantur. Hæc à *Cenchris* Corinthiorum portu, negotiorum ſeu publicorum, ſeu privatorum causâ Romam excurrebat.

II. An quia Paulus in hac Epiſtola non ſalutat Petrum, rectè inferant Novatores Petrum nunquam Romæ fuiſſe? R perperam. Quàm facile enim contigit, aliquem urbe nonnunquam abeſſe? Nominatim verò Petrum tum temporis in Britaniam, Hiſpaniam & Africam, ad Eccleſias iſtic fundandas & firmandas excurriſſe, docet Innocentius primus & alij, & ex ijs Baron. & Bellarm. Quòd ſi Romæ tum adfuit, peculiares ad eum literas (ut moris eſt) dederit Paulus, ut neceſſe non fuerit, in publicis eundem rurſus ſalutare. Cæterum Romæ non fuiſſe modò, ſed & mortem oppetiſſe Petrum unà cum S. Paulo, ex innumeris penè totius orbis teſtibus conſtat.

III. Quid eſt, ſalutare invicem in oſculo ſancto v 16? R Non profano, non laſcivo, non ficto, ſed ſincero, caſto, Chriſtiano, religioſo: quale olim ex veteri tam gentilium (teſte Suetonio in Tiberio) quàm Judæorum ritu (teſte Amaſa 2 Reg. 20) etiam uſurpabant primi Chriſtiani, præſertim in ſacris conventibus ante ſumptionem S. Euchariſtiæ, dicentes, *pax tecum*: eratq; hoc ſinceræ reconciliationis & ſolidæ charitatis ſymbolum. Sed fraude poſtmodum ſubrepente, loco hujus oſculi, ſucceſſit oſculum tabellæ, cujus etiamnum uſus pluribus locis in Miſſâ.

EPISTOLA B. PAULI APOSTOLI AD CORINTHIOS PRIMA.

CAPUT I.

Ab humanæ ſapientiæ faſtu, & vana de magiſtris ſuis contentione Corinthios abducit ad humilem victricis crucis Chriſti fidem, & ad concordiam fraternam.

QUæſtio I. Quis fuit Soſthenes v. 1? R Fuit Princeps Synagogæ Corinthi, converſus ad Chriſtum à Paulo, pro fide coram Gallione Proconſule Achaiæ acriter à Judæis verberatus Act. 18. v. 17. jam Paulo aderat Epheſi: & poſt mortem inter Sanctos relatus eſt 28. Novembris. *Soſthenes.*

II. An ex occaſione Schiſmatis dicentium v. 12. *Ego ſum Pauli, ego ſum Apollo, ego ſum Cephæ* ſeu Petri, rectè inferant Novantes, perperam dicere unum, ego S. Thomæ: alterum, ego ſum Scoti diſcipulus: ego ſum Franciſci, ego ſum Dominici alumnus? R Non rectè: Quia diverſæ Philoſophorum & Theologorum ſcholæ, vel monaſtica inſtituta non ſcindunt Eccleſiam in ſtudia partium quoad ea, quæ Eſſentialia ſunt Eccleſiæ (ut fiebat in hoc ſchiſmate Corinthiaco, ubi vis & excellentia baptiſmi & fidei credebatur pendere ab ipſis miniſtris, non minùs quàm à Chriſto) ſed ſolùm inducunt varia & utilia exercitia animorum & ingeniorum, quoad ea, quæ accidentalia ſunt, & planè libera. Et varietas Ordinum Religioſorum etiam facit ad majorem Eccleſiæ ſplendorem, robur & commodum: ſicut in una urbe varietas opificum, in una aula varietas miniſtrorum, in una acie varietas cohortium & legionum. In Novantes verò jure merito ſchiſmata etiam Corinthiacis deteriora retorqueas, qui ſe jactant, ego Lutheri ſum, ego Calvini, ego Mennonis &c in eſſentialibus fidei, & religionis articulis fœdiſſimè, pertinaciſſimeque diſſidentium. *Schiſma.*

III. Quid eſt baptizari in nomine Chriſti? R Idem eſt, quod in invocatione, profeſſione, virtute, merito, & baptiſmo Chriſti baptizari, ac conſequenter in nomen Chriſti tranſcribi, ut à Chriſto dicamini Chriſtiani, non Pauliani vel Apolliani. Ita S. Thomas, & alij; ideo Græcorum hiſtoria docet, græcos accepiſſe hanc ſuam baptiſmi formam, ut non dicant, ego te baptizo; *ſed baptizetur ſervus Chriſti in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti;* ne quis dicat, ego ſum Pauli, ego ſum Apollo. *Baptizari in nomine Chriſti.*

IV. Quo ſenſu dicit Paulus v. 17. *Non miſit me Chriſtus baptizare ſed evangelizare?* R duo ſunt officia paſtorum, ſcil. prædicatio, & Sacramentorum adminiſtratio, ſed illud

lud principalius. Unde Episcoporum, Archiepiscoporum, & Primarum præcipuum munus est prædicatio Evangelij; quod per se, nisi legitimè impediantur exercere debent, inquit Concil. Trid. Sess. 5. c. 2. Baptismum verò aliaq; Sacramenta Parochis, eorumq; adjutoribus cum Paulo committere possunt.

Sapientia mundi stulta.

V. In quo DEus stultam fecit sapientiam hujus mundi? R. In creatione stultum ostendit illud axioma Philosophorum, *ex nihilo nihil fit*, ideoq; putârunt mundum esse increatum & æternum. In incarnatione stultum ostendit illud eorum dictum: *Deus corpore, loco, tempore claudi nequit.* In passione illud: *Deus pati & mori non potest.* In Eucharistia, stulta ostendit Deus hæc eorum, uti & Novantium nostrorum principia: *Accidens non potest esse sine subjecto: corpus nequit esse in puncto: duo corpora non possunt esse in eodem loco.* Licet enim hæc naturæ, non tamen Deo (qui omnipotens est, omnemq; naturam transcendit) impossibilia sunt.

Christus factus nobis sapientia.

VI. Quomodo Christus factus nobis sapientia & justitia &c. v. 30? R. Idem est, quod Author & dator sapientiæ, justitiæ &c. Neq; enim possunt hæc formaliter & imputativè intelligi, ut somniant hæretici: nam sic etiam Christi redemptio esset formaliter nostra, id est, nos ipsi essemus nostri redemptores, ipsius sapientiâ saperemus &c. sed tantùm causaliter, in genere causæ meritoriæ & efficientis: quia scil. Christus per passionem suam est nobis promeritus nostram sapientiam, justitiam, redemptionem, & per suam gratiam ac Sacramenta producit illa in nobis. ita Chrysost. Amb. & alij.

CAPUT II.

Simplicem & spiritualem scientiam mysteriorum fidei Christi præfert omni scientiæ naturali & carnali.

Sapientia inter perfectos.

QUæstio I. Quæ est sapientia, quam loquitur inter perfectos v. 6? R. Est sublimior & profundior doctrina de secretioribus & altioribus fidei mysteriis, de modo, consilio & fine incarnationis & passionis Filii Dei, de adoptione filiorum, de prædestinatione, reprobatione, de sapientia, potentia, excellentia Crucis, de mirabilibus donis Spiritus Sancti &c. *loquimur* non apud vos, utpote adhuc parvulos & incapaces, quibus lacte (id est, facili & simplici doctrina opus) sed *inter perfectos*, magisq; in fide & virtutibus provectos, qui capaciores sunt ejusmodi sublimioris doctrinæ.

Ascendere in cor.

II. Quid est in cor ascendere? R. Hebræi mentis cogitationem vocant ascensum; & cogitare vocant ascendere in cor; quia res cogitata & intellecta, primò à terra alioque objecto ascendit in oculos vel aures, indeq; ad sensum communem & phantasiam, inde deniq; ad mentem, quasi arcem & culmen hominis. Summum enim in homine est mens. Cor autem per Catachresim, Hebræis mentem significat. Nam quod cor est in corpore, scil. prima & nobilissima corporis pars adeoq; fons & principium vitæ, hoc mens est in anima: adde, cor subministrat cerebro spiritus animales, qui imaginationi & consequenter intellectui subserviunt.

Fides particularis.

III. An ex verbis v. 12. *Ut sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis*, hæretici rectè stabiliant fidem suam particularem, qua quisq; fidelis & Christianus certò scit, imò fide divina credere debet, per Christum se habere dona Dei, scil. remissionem peccatorum, gratiam, justitiam, & ut Calvinus, se electum esse ad gloriam æternam? R. Hæc non est fides, sed stulta & falsa præsumptio & impostura; quia non certò scimus, an nos ad justitiam ritè disposuerimus, & an credamus certò, & ita ut oportet, nec usquam hoc in S. Scriptura, scriptum vel revelatum est, scil. me credere, ut oportet, uti nec me esse justum & electum. Apostolus ergo loquitur in genere de donis, iisq; tantùm, quæ data sunt Apostolis, & Ecclesiæ: q. d. ut sciamus nos Apostoli, quibus & quantis donis & beneficiis in genere, nos, id est, Ecclesiam suam, ditârit Christus, scil. quantâ gratiâ Spiritûs Sancti, redemptione, virtutibus, & maximè quantâ gloriâ. Sed me esse ex iis, vel eorum esse participem, non est fidei, sed conjecturæ; nec publicandum, sed secretò sperandum est.

Spiritualis judicat omnia.

IV. Quid est, *spiritualis judicat omnia* v. 15.? R. Idem est, ac per internum lumen fidei à Spiritu S. sibi infusum, capit, intelligit, *judicat*, dijudicat *omnia*, expendens & ponderans non minus rationes spirituales, & Divinas, quàm naturales & humanas, ut de mysterio aliquo sibi proposito solidè judicet ac statuat. *Et ipse à nemine*, qui etiam sit spiritualis, *judicatur*; id est redargui & condemnari potest.

Sensum Domini cognoscere.

V. Quomodo intelligendus v. 16. *Quis enim cognovit sensum Domini?* R. Quis enim non spiritualis homo possit per se, & vi luminis naturalis (quo solo nituntur homines animales) nosse sensum Domini, id est, consilia & secreta Dei? q. d. Ad hoc ut animalis homo possit judicare spiritualem, deberet priùs nosse pondus, & momentum earum rationum, quibus spiritualis à Deo edoctus nititur: sed has non novit revelante & instru-

instruente Deo (ut supponimus) neq; potest nosse vi solius rationis naturalis: ergo nullo modo novit: ergo nec reprehendere alterum potest. Ita S. Chrysost. Amb. Anselmus & S. Thomas. Porrò hæc de spirituali homine intellige, quando & quatenus spiritualiter judicat. Alioquin etiam Petrus à Paulo reprehensus est ad Gal. 2. v. 11. Et potest quivis spiritualis homo in rebus moralibus etiam ab alio non spirituali reprehendi. Sed nihil hic pro Anabaptistis & Libertinis, hinc concludere volentibus, privatum instinctum spiritûs cujusq; Christiani esse judicem controversiarum fidei & Scripturæ: quia non agitur hìc de judicio definitivo, quale est judicum; sed solùm approbativo vel reprobativo, quale est advocatorum vel auditorum astantium. Tantùm enim vult Paulus ostendere, humanam sapientiam Corinthiorum valde arctam esse & tenuem præ ampla sapientia Christiana Apostolorum, aliorum præconum evangelii, de quibus subdit: Nos sensum Domini habemus, id est, sapientiam, quam non Plato, non Aristoteles, non Pythagoras, sed Christus menti nostræ infudit: nempe scientiam Theologicam ex principiis fidei hausta, quæ respectu scientiæ humanæ, est velut sol respectu modicæ candelæ, ita ferè S. Chrysost.

CAPUT III.

Docet Paulum, Apollo, aliosq; patronos Evangelij, non esse nisi ministros Christi: Christum verò fundamentum esse Ecclesiæ, cui quisq; inædificare debet: atq; utinam inædificet aurum, argentum, lapides pretiosos! fideles esse templum Dei, quod per schismata discindi & violari non debet.

QUæstio I. Quo sensu dicit Paulus v. 1. *Non potui* hucusq; *vobis loqui quasi spiritualibus &c.?* R. *Quasi spiritualibus*, id est Spiritum Dei, seu sensum Christi, plenè sequentibus loqui & occultiora fidei mysteria enucleare, (quæ mox escam, id est solidum cibum vocat) *sed tanquam* adhuc *parvulis in Christo & carnalibus*, id est, adhuc rudibus in schola Christi, & carnis sensum sequentibus *lac dedi*, id est, faciliorem & suaviorem doctrinam instillavi, v. g. de nativitate, baptismo, morte, resurrectione Christi, de redemptione & salvatione mundi, de gratia justificante, de gloria beatificante, & similia, quæ catechumenis & recèns conversis proponi solent. Ita S. Amb. Anselmus, & S. Thomas.

II. Quo sensu dicitur: *Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit* v. 6.? R. Ego primus Corinthi fidei semina jeci, primus evangelizavi, quæ deinde superveniens Apollo provexit, patet Act. 18. 26. Sed Deus dedit incrementum, id est, interius dedit vitam & vigorem gratiæ ad crescendum & adolescendum in fide, virtute & Christianismo, hoc enim solius Dei est, *Neq; qui plantat est aliquid, neq; qui rigat: sed qui incrementum dat Deus.* q. d. Agricola qui plantat & rigat, parum est, parum affert, & quasi nihil præ Deo, nam tantùm exteriùs agit, & quidquid agit, accipit à Deo, agitq; ut instrumentum Dei: Deus autem per se interius & principale agens, operatur, vimq; & vigorem crescendi sufficit & suggerit; actio enim tribuitur principali agenti, & maximè causæ primæ. Pari modo parum facit concionatoris vox; sonat enim tantum exteriùs, sed Deus est, qui cum ea concurrens interiùs, per gratiam suam animam illuminat, & convertit. *Incrementum dat Deus.*

III. Quomodo explicandus v. 11.? R. *Si quis* Christianorum, & præsertim Doctorum, seu præconum evangelii, *huic* fidei *fundamento superædificat aurum, argentum, lapides* marmoreos porphyreticos, aut alios *pretiosos*, id est, doctrinam solidam, proficuam, sanctam (ut Amb. & Anselmus) vel opera sancta & perfecta (ut Theodor. Theophyl. & S. Thom. exponunt) hic *Mercedem accipiet.* E contrario, *detrimentum patietur*, qui superædificaverit *ligna*, fœnum, stipulam, id est, doctrinam minus utilem, nimis curiosam, phaleratam, pomposam: vel opera peccatis, non mortalibus (talis enim non erit salvus) sed venialibus infecta, ùt S. Aug. & alii exponunt. Nec est, quod quis speret, ignoratum iri, quale quisq;, seu doctrinam superædificaverit: *Dies enim Domini declarabit opus uniuscujusq;.*

IV. *Quæ est hæc dies Domini* v. 13.? R. Dies judicii (ùt omnes PP. & DD. exponunt) nempe & particularis judicii in morte cujusq; (ut Cajetanus) & universalis judicii in fine mundi (ùt Theodor. Theophyl. Anselm.) Nam idem utriusq; diei judicium, eadem utriusq; erit sententia. Nec declarabit tantùm hæc dies opus cujusq;, sed & *probabit* per ignem. *Quia* dies hæc *in* seu cum, *igne revelabitur* quasi cum lictore Diviniæ justitiæ. *Dies Domini.*

V. An hæretici, ut ignem purgatorii excutiant, rectè dicant, hunc ignem esse metaphoricum, nempe tribulationis vel confusionis in hac vita vel in morte? R. falsum eos dicere probat experientia: sæpe enim qui peccant, prosperantur in vita, & subita morte defun- *Ignis purgans.*

defunguntur. Deinde Apostolus expresè loquitur de probatione, quæ fiet in die Domini, & in die, quæ revelabitur, id est, in die judicii: hæc verò probatio hæreticorum fit in hac vita, quæ vocatur nostra dies, & jam revelatur, & defacto existit. Deniq; dicit ea die arsura horum mala ædificia, quâ alii pro bonis suis ædificiis mercedem accipient; quæ omnium, etiam hæreticorum, confessione est dies judicii. Ergo ignem hìc propriè dictum accipio, verum & meterialem: partim purgatorii, in judicio particulari cujusq;, ùt exponunt Theodor. Anselm. S. Thom. & Concil. Florentinum: partim conflagrationis in fine mundi & judicio universali, ùt S Hieron. Aug. Greg. & alii à Bellarm. citati. Porrò non intelligi hìc ignem inferni, certum est ex v. 14. ubi dicitur authorem arsuri operis salvum fore etsi per ignem. Nam vocula *quasi*, quæ præmittitur, q. d. salvabitur, quia est in statu gratiæ: sed commaculatus & involutus adhuc quibusdam sordibus levium peccatorum, expiabitur purgante igne, ex quo tandem erumpet, sed sicut qui ex modico rogo ambustis vestibus & afflata cute erumpit.

CAPUT IV.

Spretis humanis judicijs pergit redarguere inflatos Corinthiorum animos, suo & aliorum Apostolorum exemplo urgens illos ad humilitatem: minaturq; se brevi advolaturum, ut glorioſos & inflatos pſeudo-Doctores redarguat & castiget.

Dies humanus.

QUæstio I. *Quis est humanus dies* v. 3.? R. Est humanum judicium. Sic enim dies Domini vocatur, & judicium Domini; sic reis dicitur dies, cùm citantur, ut sistant se judicio. Videtur Hebræus ab Hebræorum idiotismo hanc phrasin mutuatus: alludit enim ad Jer. c. 17. v. 16. ubi Jeremias à suis irrisus, & afflictus ob suas prophetias, sic ait: *Diem hominis non desideravi*, Domine, *tu scis*. Dies autem hominis est ille, quo homo prosperatur, & tanquam potens, felix & glorioſus honoratur, & laudatur ab omnibus. q. d. Jeremias: non desideravi vitam longiorem, prosperitatem, opes, honores, delicias, plausus hominum: si enim hæc spectassem, non tristia & dira eis prophetâssem, sed eorum gloriæ & cupiditatibus applausissem, jam autem minimè id aut feci, nec diem, & plausum hominis desiderans.

II. An justi certò sciant, aut credere possint se esse justos? R. Nequaquam, quia Paulus hìc dicit v. 4. *Nihil mihi conscius sum*, sed in hoc justificatus non sum; quod idem est ac si dicat: multa committo peccata, quæ committere me non intelligo. Addit S. Paulus v. 5. *Quoadusq; veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum*, id est tenebrosas & obscuras ac occultas hominum cogitationes & actiones. Putamus sæpe nos bene agere, cùm malè agimus; nos ex gratia Dei & amore ejus agere, quod amore nostræ gloriæ, & cupiditatis facimus.

III. Quo sensu loquitur S. Paulus v. 8. *jam saturati estis* &c.? R Ironico. Jam ad satietatem usq; repleti estis sapientiâ & cæteris bonis, ut vos quidem jactatis. Ubi S. Thomas notat, tangi 4 species superbiæ. Prima est, cùm quis bonum, quod habet, putat se non à Deo, sed à se ipso habere. Hanc tangit Paulus cùm ait, *quid gloriaris, quasi non acceperis*? 2da cùm quis bonum quod habet, suis meritis adscribit. Sed *quis te discernit?* 3tia cùm quis jactat se habere, quod non habet, *jam saturati, jam divites estis*. 4ta, cùm quis alios despicit, & præ se contemnit; *sine nobis regnatis*: id est, nostro auxilio non indigentes, imò nos excludentes, videmini vobis regnum, victoriam, gloriam, & triumphum adepti.

CAPUT V.

Quòd incestuoſum privigni cum noverca conjugium taciti ferrent, satis causæ esse admonet, cur pudore dejiciantur potiùs, quàm superbiant: jubetq; scelestum excommunicari: & hac occasione mandat, quodlibet etiam aliud peccati fermentum expurgari, quo possint puri perenne paſcha celebrare.

QUæstio I. An Fornicarius vel potiùs incestuosus uxorem Patris viventis aut mortui acceperit? R dent aliqui mortui: sed videtur potiùs viventis patris fuisse uxor: hæc enim propriè dicitur uxor patris, & quia v. 12. c. 7. ep. 2. ait: *hæc scripsi non propter eum, qui fecit injuriam, nec eum, qui passus est*, scil. Pater. Ergo vivebat adhuc pater. ita Anſ. & alii. Ergo hîc incestus simul & adulterium, in quo contumaciter hic homo permanebat, sine contumacia non potuisset excommunicari.

II. An ex v. 4. bene inferant hæretici penes Laicos & plebem, non autem penes Præla-

Prælatos Ecclesiæ esse potestatem excommunicandi? ℟ non bene, Apostolus enim planè contrarium indicat: nam expressè dicit; *ego judicavi:* nec nisi suo nomine jubet excommunicationem in publico Corinthiorum consessu, ad terrorem aliorum solemniter infligi, ut Chrysost. Amb. & alii exponunt.

III. Quare excommunicati dicuntur tradi Satanæ? ℟ Quia ejecti extra Societatem Christi & Ecclesiæ, ejusq; bonis privati, scil. orationibus, suffragiis, sacrificiis, Sacramentis, Dei protectione, cura pastorali; tyrannidi & incursibus diaboli, cujus regnum est extra Ecclesiam, ita exponuntur, ut in eos magis quàm antè grassetur, & in omne malum impellat. ita Amb & alii. *Excommunicati traduntur Satanæ.*

IV. Quomodo excommunicatus traditur in interitum carnis.? ℟ ut ægritudine corporis, vulneribus, aut plagis illum maceret diabolus, ut caro ejus atteratur, carnisq; vigor intereat, ut ita humiliatus resipiscat. ita Theodor. Chrysost. & alii. Unde colligitur excommunicatos olim dæmoni traditos (ut discerent excommunicationem timere) etiam ab eo corporaliter fuisse divexatos, & quasi possessos. Sic habetur in vita S Ambrosii. Cùm enim quendam Satanæ tradidisset, dæmon eodem momento eum abripiens discerpere cæpit. Et hac de causa Matt. 10. dedit Christus Apostolis potestatem spirituum immundorum, scil. tum ad eos expellendum, tum ad eos immittendum, ad vexationem corporis, ait S. Thomas. Deniq; excommunicatos traditos ab Ecclesia Satanæ, possessos ac vexatos fuisse à Dæmone multis exemplis docet Delrio de Magia l. 3. p. 1. q. 7. *Excommunicatus traditur in in interitū carnis.*

V. Quis est finis excommunicationis? ℟ det S. Paulus, *ut spiritus salvus sit, in die Domini*, q. d. Ut anima & mens hac pœna resipiscens & renovata, salva sit in die judicii. Hinc patet finem excommunicationis eò terri debere, ut pudorem & afflictionem excommunicato injiciat, quo humilietur, ut recipi oret, veniamq; roget Ecclesiam & DEum: utq; fideles pro eo orent secretò, & curent, ut rursus sibi uniatur. *Excommunicationis finis.*

VI. Quid intendit S. Paulus per verba illa: *modicum fermentum totam massam corrumpit?* ℟ Hæc unius fornicarij labes omnes vos quasi fermentum pervadit & aspergit. Primò, ut propter unum ira Dei in vos omnes, totamq; Ecclesiam, quæ illam tolerat labem, sævire possit. ita Amb. & Anselm. 2dò ut unius hoc exemplum, si inultum maneat, alii sequantur, & scandalum hoc alios inficiat. ita Chrysost. q. d. Agite ergo, scandalum hoc tollite & separate ab Ecclesia per excommunicationem.

VII. Quid intelligit per illa verba v. 7. *Expurgate vetus fermentum?* ℟ putidum istum fornicarium è cœtu vestro, ne eum totum quasi fermentum inficiat, ejicite. Ergo non soli prædestinati, aut peccatores occulti, sed publici (qualis erat hic fornicarius) sunt in Ecclesia, donec excommunicentur. ita Chrysost. & Anselm, qui 2dò aptè, generaliùs etiam accipiunt fermentum pro fornicatione, ejusq; dissimulatione, & quavis malitia ac vitio, quod pari ratione jubet Apostolus ex anima cujusq; & tota Ecclesia auferri, q. d expurgate & ejicite à vobis hoc fornicationis, & quodvis aliud peccati alterius fermentum *ut sitis nova conspersio*, id est, nova massa, hoc est, ut sit vestra Ecclesia nova & pura. *Expurgatio veteris fermenti.*

VIII. Quid innuunt illa verba: *sicut estis azymi?* ℟ Sicut per baptismum facti estis azymi, id est, à fermento peccati puri & consequenter deinceps vocatione & professione estis, hoc est, esse debetis azymi, puri scil, & Sancti. Hebræis enim fieri dicitur, quod fieri debet; & quod non fiet, significat id, quod fieri non debet: sic Christiani vocantur sancti, quia debent esse sancti. Alij propriè accipiunt *estis*, q. d. sicut præter unicum incestuosum, reliqui ferè omnes reipsa estis azymi, id est, puri.

IX. An Ecclesia possit judicare & punire hæreticos & schismaticos, cùm sint extra Ecclesiam, & Paulus dicat v. 12 *Quid mihi de iis, qui foris sunt judicare?* ℟ Posse. Sunt quidem extra, quia bonis Ecclesiæ sunt privati: intus tamen sunt, quia ejus jurisdictioni subsunt. Hoc ipso enim quo characterem baptismi retinent, manent sua prima professione Ecclesiæ devincti, obligati, subjecti, unde tenentur jejuniis, festis, aliisque legibus Ecclesiæ, suntq; in Ecclesia, sicut mancipia in familia, & rei incarcerati in urbe, inquit Tirinus.

CAPUT VI.

Reprehendit Corinthios, quòd lites forenses cum magno Evangelii dedecore instituant apud judices paganos. Deinde multis argumentis insectatur fornicationem.

Quæstio I. Quos intelligit per judices iniquos? ℟ Gentiles & infideles; iniquos enim opponit sanctis, cùm ait, *& non apud sanctos.* Sancti autem vocabantur, fideles & Christiani, ita Chrysost. gentiles vocantur iniqui seu injusti, quia fide carent, qua justus vivit, & consequenter injusti sunt, & sæpe propriè injustitiam committunt. q. d. Cum sint injusti, hi judices, ab eis justitia non est exspectanda, cum sæpe uti fidem, ita & justitiam pervertant. *Judices iniqui.*

II. Cur Paulus tantopere abominatur recursum ad homines paganos? R. solebant olim plerumq; lites oriri & controversiæ inter fideles: & cùm civitas Corinthi partim esset ad Christum conversa, partim verò in paganismo permaneret: erant duplicia tribunalia & paganorum & Sanctorum, id est, eorum, qui Christi fidem profitebantur. At fideles, cùm ad judices paganos, & non ad Sanctos accurrerent, gravem scandali occasionem, etiam ipsis paganis judicibus porrigebant, quos opus erat ab eis examinari, & sub juramento asserere multa, quæ non satis ædificabant fidem, aut potiùs in fidei contemptum cedebant.

III. Nonne Paulus videtur contrarium fecisse appellans ad Cæsarem hoc est, Neronem hominem impurissimum Act. 25. R. hoc ideo factum, quia ab inferiori tribunali licet ad superius appellare cuiq; injustè gravato, & quia creditur veri simile, quòd judex quo major est, & ex altiori loco judicat, eò majori judicio præfulgeat, ita ut Paulus intra illud quinquennium Neronis obtinere absolutionis sententiam potuerit.

IV. Quo sensu volunt Chrysost. & Theophyl. Apostolos & Evangelistas verbis Pauli Rom. 13. *Omnis anima potestatibus superioribus subdita sit,* subesse tribunali Cæsaris? R. Suprema potestas Regia vel Imperatoria nondum erat cum Christiana & Ecclesiastica conjuncta & incorporata: quia tunc meritò omnes erant sub Cæsare, quod attinet ad bona temporaria & corporea, non autem quantum ad fidem & spiritualia bona. Ubi verò Principes & Reges ad Christum conversi sunt, & agnoverunt potestatem à Christo collatam Episcopis, sacerdotibus & summo Pontifici Romano, cesserunt illi suo juri & potestati, & contenti fuerunt, ut judicium sæcularium ad seipsos spectaret, judicium verò fidei vel spiritualium ad Ecclesiam & ministros ejus. Audi jam, quid doceat B. Ignatius Joannis Evang. discipulus 9. ad Philadelphienses: [Principes subditi estote Cæsari, milites Principibus, Diaconi Presbyteris, ut Sacrorum administratoribus. Presbyteri verò & Diaconi, atq; omnis Clerus simul cum omni populo, & militibus atq; Principibus, sed & Cæsares obediant Episcopo, Episcopus verò Christo, sicut Patri Christus] & ita servatur unitas.

Homines sancti judicabunt Angelos.

V. Quomodo homines sancti judicabunt Angelos? R. Bonos judicabunt judicio approbationis, laudis & glorificationis; malos verò propriissimè judicio condemnationis & exprobrationis: quòd scil. ipsi, cùm homines essent in corpore fragili, Dei cultum omnemq; puritatem amplexi sint: quod illi, cùm essent incorporei, & puri Spiritus, facere noluerunt, ait Theophyl. & Theodor. Unica est Ecclesia Christi ex Angelis & hominibus conflata: unum omnium, caput, Princeps & judex Christus. Et hoc pertinet ad majorem laudem, & gloriam, tum divinæ justitiæ, tum ipsorummet Angelorum & hominum. Ita Chrysost. & alij.

CAPUT VII.

Quæstionibus à Corinthiis sibi propositis respondet; de jure matrimonij, de virginitate & cœlibatu.

QUæstio I. De quibus rebus scripserunt Corinthij ad Paulum v. 1. R. ex textu non satis constat, Ex responsis tamen colligitur, tria ad eum fuisse scripta. Primum, an conjugati olim, & postea ad Christum conversi, deberent ab omni congressu, sive actu conjugali continere seipsos: ita enim à quibusdam doctoribus suis persuadebantur, audientes cælibatum rem esse excellentiorem & sanctiorem; & quòd propter Christum uxores essent dimittendæ, quodq; Dominus beatificasset Eunuchos, qui se castraverunt propter regnum cœlorum. Et quia scortationis & conjugii actus nihil illis aut parum differre viderentur, cùm tamen carnem separent. 2dò scripserant de illis matrimoniis, in quibus una pars est infidelis altera fidelis, & an possent tales generationi incumbere, & simul manere; & an si altera pars discederet, liceret parti fideli novum inire conjugium, an manere deberet inconjugata? 3tiò De Virginibus & puellis inconjugatis, an possint earum parentes eas nuptui dare, an meliùs esset eas in virginitate custodire.

II. Quid sentiendum tradidit Apostolus de conjugio? R. Continentiam quidem laudat, fornicationem vituperat, conjugalem verò conjunctionem concedit. Continentiam laudat in genere dicens: *Bonum est homini mulierem non tangere:* Mos Hebræorum est positivis uti pro comparativis, unde ita legendum est: *melius est homini mulierem non tangere.* Ex quo tamen non licebit arguere; igitur tangere malum est, sed rectè inferet, qui dicet: ergo tangere minus bonum erit. Ita etiam bonum accipit Dominus, cùm ait: *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille,* id est melius. Tale est & illud Ps. 117: Bonum est confidere in Domino, *quàm confidere in homine.*

III. De quibus loquitur Paulus v. 2. *Propter fornicationem* evitandam *unusquisq; uxorem suam,* quam duxit *habeat?* R. De solis conjugatis, ut patet ex seqq. nam v. demum

mum 8. incipit agere de non nuptis, ita S. Hieron. & alii. Atq; ita ruit Achilles Lutheri, aliorumq; hæreticorum, qui ex vocula distributiva *unusquisq;*, volunt etiam sacerdotes & monachos omnes debere uxores ducere. Sed Paulus hic non agit de non nuptis, quibus cælibem potiùs suadet vitam v. 8. & seqq. Et ut etiam hoc versu de illis ageret, certum est, non dare hic præceptum (quia sic ibi ipsi repugnaret) sed solùm permittere, & quidem non nisi capacibus conjugii, id est, liberis, nec voto, morbo, senio, vel alio simili impedimento detentis: atqui Sacerdotes & monachi voto detinentur & præpediuntur: ergo.

IV. Quod si Sacerdotes aliqui vel Monachi non habeant donum virginitatis, statui suo proprium, poterúntne matrimonium inire? R. Petoq; à pari, quid si conjugatus non habeat donum continentiæ conjugalis (v. g si defacto cum aliis adulteretur) poteritne cum adulteris novas nuptias inire? item, si uxor vel nolit, vel ægrotet, vel absit, poteritne maritus incontinens aliam amplecti vel superinducere? si ergo mihi respondebis, id non licere marito: quia etsi defacto non se contineat, habet tamen quantum ex Deo est, donum continentiæ suo statui proprium, quo si velit, omnino possit se continere; idem tibi respondeo de Sacerdotibus & Monachis. Neq; enim Apostolus v. 7. per *donum* propriè intelligit habitum, sed auxilium gratiæ sufficens singulis à Deo præparatum, quo quisq; cum sua cooperatione libera possit in eo statu castus vivere, si velit, nempe, si per media congrua cooperetur gratiæ & auxilio Divino: v. g. si vitet periculosa colloquia, consortia, tactus, aspectus, si studio non foveat turpes cogitationes: si seriò vacet orationi, jejunio, piæ lectioni, & perpetuæ occupationi.

V. Fuitne Paulus cælebs an conjugatus? R. S. Hieron. ep. 22 ad Eustochium putat cælibem fuisse. Neq; audiendi sunt, inquit, qui eum uxorem habuisse confingunt: & S. Amb. in exhortatione ad Virgines: volo vos imitatrices esse tanti Apostoli, ut vitam ejus sequamini, qui conjugii vinculum refugit: ut vinctus esset Christi Jesu Non potuisset ad tantam Apostolatus sui pervenire gratiam, si fuisset alligatus conjugii contubernio. Idem in præsentem locum, non diceret, bonum est innuptis, ut sint sicut ego, nisi integer corpore. Nec diceret omnes homines volebam esse sicut meipsum. Si enim habuerit uxorem, & hoc dixit, virgines esse noluit, sed absit. Oecumenius quoq; c. 5. *Virgo erat Paulus: & quia dixerat, cuperem omnes esse, ut ego sum: dicit nunc, quòd manere virginem, donum Dei est:* Non ignoro alios esse, qui contrarium tradunt, ut B. Ignatius ep. 9. Clemens Alexand. Orig. & alii. *Paulus fuit cælebs.*

VI. De quibus loquitur Paulus v. 9. *melius est nubere, quàm uri?* R. loquitur de iis, qui liberi sunt, non autem iis, qui voto adstricti sunt. Sic S Chrysost. Theodoret. Theophyl. & alii. Exactissimè verò S. Ephrem rogatus, ad quem pertineat hæc Apostoli sententia; *melius est nubere, quàm uri;* hac de re tractatum scripsit, in quo multis demonstrat, eam non ad Religiosos aut clericos, eosq; qui castitatem voverunt, sed ad sæculares, qui liberi & soluti sunt, pertinere. *Nubere melius quàm uri.*

VII. Quid notandum circa verba Pauli v. 12. *Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam?* R. Notandum, infidelitatem tempore S. Pauli nec fuisse impedimentum dirimens matrimonium cum fideli contractum, nec impediens sive contrahendum sive contractum, si fideli non erat periculum perversionis. Poterat tamen fidelis ex Christi permissione conjux, infidelem conjugem, nolentem converti, dimittere & alias nuptias inire, ut docent Theologi citati ab Henriquez l. 11. de Matrimonio c. 8. Progressu autem temporis inductum in Ecclesiam, ut infidelitas dirimat matrimonium à fideli contrahendum cum infideli, ut docent iidem Doctores. Hoc tamen (quia multis locis valde odiosum & onerosum) viri quidam docti censent restringi posse ad infideles propriè dictos, id est, qui non credunt ullo modo in Christum, sed colunt idola. Quales non sunt Anabaptistæ, qui etsi nondum baptizati sunt, volunt & tamen parati sunt baptizari, sed baptismum differunt in adultam ætatem, & subinde valde provectam; profitentur interea fidem Christi, ut plures alii hæretici: & passim etiam non nisi hæretici vocantur & habentur.

VIII. Quo sensu dicitur v. 14. *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem?* R. Morali quadam denominatione, & quasi sanctitatis, (sed extrinsecæ) aspergine: partim quia maritus est sanctæ, id est, fidelis conjugis, & una caro cum illa: partim quia non impediendo illam in sua fide & religione, sed benevolè cum illa vivendo, quasi viam sternit sibi ad veram sanctitatem, ut scil. per preces, merita, monita & exempla fidelis conjugis paulatim etiam ipse convertatur & sanctus fiat, ut patuit in Valeriano Cæciliæ, Sisinio Theodoræ, Adriano Nataliæ, Clodoveo Clotildis marito, & tot aliis. Ita S. Chrysost. Theophyl. Anselm.

IX. Quo sensu dicitur: *Alioquin filij vestri essent immundi, nunc autem sancti sunt?* R. Filii ex præcedenti matrimonio concepti haberentur & essent *immundi:* nam separatione facta, filii quasi ex adulterino thoro nati pro adulterinis & illegitimis haberentur,

& à parente infideli in infidelitatis immunditia educarentur. Nunc autem continuato *sancti*, id est, mundi *sunt* (opponitur enim sanctum hic immundo) utpote ex legitimo matrimonio concepti & nati, & industria parentis fidelis facile possunt baptizari & in fide instrui, atq; ita verè sanctificari. ita S. Aug. Amb. Ansel. Nihil ergo hinc colligi potest pro Calvino & Beza, volentibus infantes infidelium verè & propriè sanctos nasci, & sine baptismo salvari. Quia S. Paulus non agit hìc de vera, intrinseca, supernaturali & propriè dicta sanctitate, sed solùm de impropriè dicta, extrinseca & civili, quali sanctitate dixit Rom. 11. 16. totam *massam* populi Israëlitici *sanctam* esse, & hìc v 14. dicit virum infidelem sanctificari per mulierem fidelem. Quod certum etiam Calvini & Bezæ confessione, non posse de propriè dicta sanctitate exponi.

X. Quis est sensus v. 15. *Si infidelis discedit, discedat?* R. Si infidelis conjunx discedit, vel physicè dissolutionem quærens vel moraliter (nempe injuriis lacessens seu uxorem seu Christum) eo casu discedat etiam fidelis, id est divortium faciat non solius thori, sed etiam contractus matrimonii, ita ut possit ad alias nuptias transire, alioquin nimiæ *servituti subjectus* esset *frater*, id est Christianus. Imò licet infidelis nolit discedere, posse tamen fidelem discedere docet S. Aug. & alii PP. ac Doctores ab Henriquez citati & passim Canonistæ, *in cap. Quanto, & cap. Gaudemus tit. de divortiis & c. si infidelis 28. q. 2.* Quin & debere discedere, si conjunx sit maneatq; Judæus, expressè pro Hispaniæ provinciis monet Concil. Toletanum IV. can. 16. quòd experientia doceat, Judæos, ut sunt pervicaces in suis erroribus, ita solere suas conjuges in eosdem importunius protrahere. Quod cum in Ethnicis seu Paganis, ut plurimum non habeat locum, ideo nihil simile de his unquam decretum: sed prudentiæ & arbitrio conversæ conjugis relictum eo casu divortium facere vel non facere.

XI. Quis est sensus v. 18. *Circumcisus aliquis vocatus est, non adducat præputium?* R. Circumcisis præputium potuisse reduci, arte per instrumentum attractorium, quod spatisterem vocant, adducta, ut glandem rursus operiret, ut docet Celsus l. 7. c. 25. idq; eos, qui à Judæis apostatabant ad Gentes, facere solitos patet ex 1. Machab. 1. v. 18. & ex Josepho l. 12. Antiq. c. 6.

Circumcisio nihil est.

XII. Cur dicit v. 19. *Circumcisio nihil est?* R. Quia circumcisio nec prodest, nec obest ad salutem homini Christiano: agit enim de Judæis ad Christianismum conversis. Pariter dicit v. 20. *Unusquisq; in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.* Ut si circumcisus, servus, conjugatus venerit ad Christianismum, propter eum, statum non mutet, sed maneat circumcisus, servus, conjugatus. q. d. Statum tuum retine, quisquis ille sit, scil. si status sit licitus & honestus; nam aliàs S. Cyprianus noluit histriones ad Ecclesiæ Sacramenta admitti. *Servus vocatus es, non sit tibi curæ* v. 21. ne de eo sis anxiè solicitus, quòd servus sis, quasi servitus sit conditio Christianis hominibus indigna, sed eo potius te consolare, quod à misera servitute peccati ac mortis, sis per Christum manumissus, Deiq; servus effectus, licet in hac vita homini servias, quamdiu Deo visum fuerit.

CAPUT VIII.

Docet esum idolothytorum, id est, ciborum, qui idolis oblati fuerunt per se non esse illicitum: cavendum tamen ne fiat repugnante conscientia, vel cum scandalo infirmorum.

Idolothyta

QUæstio I. Cur Paulus scripsit de idolothytis? R. quia magna pars illius civitatis idololatriæ dedita erat, & sacrificia passim Diis gentium fiebant, & ad victimas simulachris immolatas Christiani ab amicis, & cognatis invitabantur. Unde quidam eorum freti scientiâ, qua simulachra intelligebant nihil aliud esse, nisi ligna aut saxa, aut ferrum, nihil habere numinis aut potestatis, ad ea convivia imprudenter accedebant, fortassis intra se dicentes Matt. 15. *non quod intrat in os, coinquinat hominem.* Unde infirmiores offendebantur Christiani, & eadem facere audebant, etiamsi pari cognitione præditi non essent, & reclamante conscientia, tantùm illorum exemplo eò adducebantur: & quod gravius est, ab hoc facto gentiles persuadebantur, eorum idola non esse usquequaq; detestanda.

II. Quomodo Paulus dicere potuit: *scimus quia omnes scientiam habemus,* cùm non ignoraret, plures esse stultos & ignorantes, de quibus scriptum est, Eccl. 1. *Stultorum infinitus est numerus?* R. Vult dicere, video qualis vobis insit prætextus; obtenditis enim Christianam libertatem, & objicitis vos scientiam habere, & quòd nemo vestrûm ignoret, quòd unus sit DEus; & quòd idolum nihil sit in mundo. Alij verò putant, hæc verba ironicè accipienda, & quòd neget omnibus inesse scientiam, & ita arguat eos, quasi falso ostentent se scire, & sibi tribuant, quod non habent.

Scientia inflat.

III. Quis est sensus: *scientia inflat, charitas verò ædificat* v. 1.? R. Vult dicere, omnes

omnes bene instituti in fide Christiana sufficientem scientiam habemus, quòd carnes, virum, panes aliiq; cibi idolis immolati, nihil inde seu religionis aut sanctitatis, seu vitii aut sordium in se trahant, neq; ex se differant ab aliis vulgaribus cibis, inquit S. Chrysost. Sed hæc scientia, quia in pleriſq; vestrûm ô Corinthii, non associatur charitati fraternæ (ut Aug. exponit) non tam prodest, quàm nocet: nam & vos inflat, id est, superbire, & aliis quasi ignorantibus & stupidis insultare facit: & non *ædificat*, sed lædit & destruit proximum, id est, non promovet infirmos ad salutem, sed scandalum & offendiculum illis parit, quo in ruinam trahuntur & damnationem.

IV. Quo sensu dicitur v. 2. *Si quis autem se existimat scire aliquid, nondum cognovit, quemadmodum oporteat eum scire?* ℟ Scire in hoc genere, noverit is, se non nisi objectum nôsse scientiæ, non verò etiam usum, finem & modum scientiæ; cùm tamen scientiæ practicæ & Christianæ (de qua hîc agitur) proprium imò præcipuum sit, in usum & finem sibi præstitutum, semperq; in Dei honorem, & publicum commodum referri. Quod sanè non observat, qui suâ scientiâ ipsemet superbit, & proximo dat ansam scandali ac ruinæ, unde nec talis probatur Deo, sed displicet.

CAPUT IX.

Exemplo suo pergit docere Corinthios, quàm sint cavenda proximorum offendicula: narratq; inter alia, se stipendia seu alimenta, multis nominibus debita præconibus fidei, tamen admittere noluisse, non solum majoris meriti, sed & ædificationis proximi causâ: & ob eandem se omnibus omnia factum, ut discant & ipsi ædificationem & salutem proximorum promovere.

Corinthiorum conversio opus Pauli.

QUæstio I. Quale opus Pauli in Domino Corinthij? ℟ Regenerationem & conversionem Corinthiorum vocat opus suum per evangelium, cujus ipse fuit minister. Nam per evangelium eos genuerat in Domino ad Dei gloriam. Hoc confirmat dicens; *Etsi alijs non sum Apostolus, sed tamen vobis sum.* In quo peculiarem se eorum Apostolum fuisse designat, nam speciatim missus fuerat ad gentes, ut habes Act. 26. quod probat ab effectis: *nam signaculum vel sigillum*, inquit *Apostolatus mei vos estis in Domino.* Quod non secus ingressum est in vos, quàm forma sigilli in ceram, quam sigillat, & ita in vobis apparet, quòd sum Apostolus vester, dum per me habetis, quod reliqui fideles per alios Apostolos habuerunt: & semper cùm cogitur se efferre, ac sua dona enarrare, consuevit uti particula illa, *in Domino*; ne quid sibi tribuere videatur.

Defensio Pauli apud Corinthios

II Cur dicit ad Corinthios, *mea defensio apud vos?* ℟ Erant qui dubitabant, an Paulus esset Apostolus, quia non erat de numero 12, nec illius missio fuerat ita manifestata, ut illa aliorum; si quis ergo obstrepat, quasi sim gregarius minister, vos ipsos oppono pro clypeo meo, & mea estis apologia, ac mea defensio: quoniam vel adimetis vobis gratiam Dei, quam per me accepistis, vel me Apostolum vestrum fuisse fatebimini.

III. Qualem mulierem sororem circumducendi dicit se potestatem habere S. Paulus v. 5.? ℟ Matronam aliquam Christianam, quæ de suis facultatibus necessaria subministraret, sicut & cæteri Apostoli circumducebant, adeoq; etiam ipse Christus, cui ministrabant omnia necessaria mulieres, quæ cum ipso ascenderant de Galilæa Luc. 8.

Carnalia licet accipere pro spiritualibus.

IV. Quomodo licet pro spiritualibus accipere carnalia v. 11. cùm Dominus dixerit Matt. 10. *gratis accepistis, gratis date.* Et Petrus gravissimè Simonem objurgaverit volentem pro Spiritu S. pecuniam dare Act. 20. & ejusdem rei habemus argumentum ex Giezi & Helisæo 4 Reg. 5. ℟ aliud est vendere aut emere spiritualia bona, quod est scelus gravissimum: aliud verò aliquid pro sustentatione vitæ accipere ex Dei ordinatione, & Ecclesiæ Canonica distributione. Sicut Christus ordinavit Luc. 10. 7. *Manete edentes & bibentes, quæ apud illos sunt: dignus est operarius mercede sua.*

V. Quid intelligit Paulus per verba illa v. 15. *Bonum est mihi magis* (meliùs) *mori, quàm ut gloriam meam quis evacuet?* ℟ *Gloriam meam* scil. evangelizandi sine sumptibus: sive gloriam de opere liberali, indebito & supererogationis: patet ex v. 18. Hinc patet consilium esse evangelicum, evangelizare gratis, non accipiendo sumptus, quod faciunt nonnulli viri Apostolici & religiosi sequuntur.

Paulo gratis evangelizavit Corinthiis.

VI. Cur Paulus gratis evangelizavit Corinthiis? ℟ Corinthii licet divites, tenaces tamen erant: ne ergo illi putarent Paulum non se, sed sua bona quærere, ideo gratis eis prædicavit: à Thessalonicensibus verò & Philippensibus utpote liberalioribus, alimoniam accepit. Deniq; voluit Paulus hac ratione Judæis, quibus invisus erat, & pseudo-Apostolis os claudere. Hanc causam ipsemet assignat, ep. 2. c. 11. v. 12. ubi ait:

Quod

Quod autem facio, (quòd gratis prædico) *& faciam: ut amputem occasionem eorum, qui volunt occasionem, ut in quo gloriantur, inveniantur sicut & nos.* Valde autem difficile fuit Apostolo cedere jure sustentationis sibi à Corinthiis debitæ, quia cedendo debebat ipse manibus laborando noctes ducere insomnes, ut sibi & suis victum compararet. Voluit ergo Paulus, illustre dare exemplum paupertatis, sinceritatis, zeli, ad majorem apud teneros in fide, & divites avaros, fidei & Christianismi commendationem & propagationem. Hoc autem tam heroicum opus charitas non præcipit, sed consulit. Unde v. seq. dicit, se in hisce fuisse liberum,

CAPUT X.

Exemplo veterum Hebræorum idololatrarum, docet, etiam nunc reprobandos ac puniendos, qui seu simili cultu idolorum, seu scandaloso esu idolothytorum se contaminârint, vel proximum offenderint.

In Moyse omnes baptizati sunt

QUæstio I. Quo sensu dicit omnes in Moyse baptizatos fuisse? R. Per Moysen, Duce Moyse, baptizati sunt, scil. typicè, in hac nube & in mari rubro, quia subire nubem, & inire mare, quod Ægyptios demersit, figura erat futuri baptismi Christi, quo hostes nostri, id est, peccata demerguntur, & nos sangvine Christi rubricamur, & cœlesti rore gratiæ Spiritûs Sancti obumbramur, inquit S. Amb. Chrysost. & Anselmus.

Manna esca spiritualis.

II. De qua esca loquitur v. 3. *Omnes* tam boni quàm mali *manducaverunt eandem escam spiritualem?* R. De Manna. Neq; enim vult Apostolus, Hebræos eandem nobiscum escam manducasse, (ut Calvinus & Beza malignè interpretantur, quò probent, nos non nisi typicum corpus Christi sumere in Eucharistia, ut sumebant Hebræi in suo manna) sed eandem inter se mutuò, ut patet ex seqq. Vocat autem manna *escam* spiritualem, id est, mysticam & typicam, quia typus seu figura erat nostræ Eucharistiæ: & quia *Spirituum,* puta Angelorum, ministerio parabatur; unde & panis Angelorum vocabatur Ps. 77. c. 25. Simili modo aqua profluens ex petra Oreb Exodi 17. 6, vocatur potus spiritualis v. 4. quia typus erat sangvinis Christi, qui ex petra, id est, Christo virgâ Crucis à Judæis percussò, profluxit. Item quia non vi naturali, sed manu spiritali, id est, Angelica, ex rupe educebatur.

Petra consequens.

III. Quo sensu dicitur v. 4. *Consequente eos petra, petra autem erat Christus?* R. Petra quidem ibi remansit, sed rivus ex petra profluens, populum est comitatus, ac si ipsa rupes illum fuisset consecuta. Nam quemadmodum esca est comitata eos à deserto usq; ad ingressum terræ promissæ, ita potus vel alveus ex petra eductus comitatus est eos. Nam si fuisset unius diei beneficium, postridie iterum fuisset percutienda rupes. Cajetanus tamen vocat Christum petram spiritalem, quæ dicitur consequens, quia futurus erat in carne, & quia individuus comes erat secundùm divinitatem, & interpretatur: bibebant enim de spiritali petra, quia bibebant & hauriebant quotidie de beneficijs Messiæ, & meritis ejus prævisis.

Calix benedictionis.

IV. Quis est calix benedictionis v. 16? R. Est potus calicis benedicti à sacerdote, & consequenter ipse calix continens hunc potum benedictum, nonne hic calix ipsum Christi sangvinem nobis communicat. Deinde dicitur calix benedictionis, quia nos benedicit, & gratiâ cumulat. Deniq; dicitur calix benedictionis, quia Christus ante consecrationem benedixit, id est, Dei opem ad futuram transmutationem tam pani quàm calici apprecatus est. Matt. 26. 26. Benedixit autem Christus non Patrem, ut volunt hæretici, sed panem & vinum, ut expressè hîc habet Paulus ex græco calix benedictionis, quem benedicimus. Benedixit autem Christus panem & calicem, id est, Dei benedictionem & omnipotentiam super panem & vinum invocavit, ut præstò esset, & jam, & in futuris omnibus consecrationibus, ad panem convertendum in corpus, & vinum calicis in sangvinem Christi, quando legitimè pronuntiantur verba consecrationis. Non ergo benedictio hæc fuit consecratio, sed prævia oratio ita Concil. Trid. Sess. 13. c. 1. Christi exemplo & nos petimus, ut Deus benedicat hæc dona, ut divina virtus in panem & calicem descendat ad perficiendam consecrationem: & hinc dicitur *calix benedictionis,* id est, à Christo benedictus.

Communicatio sangvinis Christi.

V. Quid significat *communicatio sangvinis Christi* v. 19? R. Non solùm significat nos sumere idem corpus, & eundem sangvinem Christi, sed etiam nos fieri unum corpus & unum sangvinem, uti explicat v. 17. Ergo non typus sangvinis, ut vult Calvinus, sed ipsissimus sangvis Christi est, & nobis communicatur in calice Eucharistiæ. Si dicam, do tibi aureum; verum intelliges, non pictum: si te invitâssem ad cœnam & epulum capti in venatione leporis vel cervi, & pro lepore & cervo imaginem leporis, & pictum in scutella cervum tibi proponerem; an non ridiculus tibi essem? an non impostor audirem

direm? Nonne ergo ridiculi sunt Novantes, qui sangvinem & carnem, quam Christus se dare asserit, in typum & figuram sangvinis & carnis transfigurant? nonne Christum impostorem faciunt?

VI. Cur Eucharistia dicitur *panis* v. 16? R. Panis hebraismo significat quemvis cibum, ut patet 4 Reg. 6. v. 22. & 23. Sic Joan. 6. v. 31. manna & v. 41. ipse Christus vocatur panis: panis enim communis omnium, & necessarius est cibus. Adde non dici nudè panem, sed *panem quem frangimus*, id est, Eucharisticum, sive transubstantialem, qui est Corpus Christi, panis tamen speciem & operationem retinet, ita omnes Patres. *Eucharistia dicitur panis.*

VII. Quo sensu dicitur v. 17. *Quoniam unus panis, unum corpus, multi sumus omnes, qui de uno pane participamus?* R. Sicut ex multis granis fit unus panis, ita ex multis fidelibus fit unus panis sacer & vivus, putà unum corpus Christi mysticum, scil. Ecclesia, non tantùm generaliter & mysticè, sed propriè & corporaliter, quia omnes realiter uniuntur corpori Christi, cum eoq; fiunt unum in Eucharistia, sicut cibus fit unum cum comedente. *In sacra communione*, inquit Cyrillus Hierosolym. catech. 4. *simus non tantùm Christiferi, sed & concorporei & consangvinei Christi*; quia in ea & Christus nobis, & nos carni Christi, & consequenter personæ & divinitati, ac omnipotentiæ ejus realiter commiscemur.

CAPUT XI.

Pluribus rationibus probat, velandas in Ecclesia mulieres. Deinde docet, qua ratione sacra Eucharistia (cujus à Christo institutionem enarrat) dignè decenterq; sumenda sit.

QUæstio I. Quid intendit Paulus v. 3. dicens: *mulieris caput est vir?* R. Cùm mulier sit subjecta viro quasi capiti & Domino suo, in signum hujus subjectionis velari debet: Velamen enim signum est subjectionis, ut dicetur q. Vir autem velari non debet, qui naturâ suâ nemini in terris subjectus est. Reformat S. Paulus vitium, quod apud Corinthios deturpabat utrumq; sexum: nam viri ex antiquissimo ritu, ab Æneâ inducto, si Plutarcho & Servio credimus, velato capite Diis suis sacrificabant: fœminæ verò ut Amasios allicerent, detecto vultu, patentibus oculis, expansis capillis formam suam publicè ostentabant. Et hunc patrium morem volebant etiam Christiani Corinthii, quasi magis decentem, usurpare ac conservare etiam in publicis conventibus. Sed Paulus se opponit v. 4. *Omnis vir* in publico *orans aut prophetans*, id est, prophetiam explicans, vel quidvis aliud de Scriptura, psalmis, aut hymnis prælegens vel decantans *velato capite deturpat*, id est, dedecore afficit *caput suum*, quia dignitate præcellentiæ suæ videtur se velle privare, & se alteri subjectum fateri, & coram præsentibus erubescere. Loquitur Anselmus secundùm opinionem tunc in Ecclesia. Nam hodie contrario ritu signum esset subjectionis, si quis in publico verba faciens aperto capite loqueretur. *Omnis autem mulier* in publico *orans aut prophetans* (nam præeuntibus viris, etiam mulieres concinebant sacros hymnos & psalmos) si id faciat *non velato capite deturpat caput suum*, quia facit contra naturalem honestatem & verecundiam illi inditam à Deo: & videri vult non subjecta, cùm subjaceat viro. *Unum enim*, seu perinde & æquè turpè illi hoc *est*, ac si decalvaretur. *Mulieris caput est vir.*

II. Cur Religiosæ tondentur in monasteriis? R. Ut ostendant se non esse jam sub potestate viri, seq; omnem sæculi ornatum deponere, & uni deinceps Christo placere velle, inquit S. Hieron. Sed pro coma habent sacrum velamen, quo sat velantur. At Concilium Gangrense vetat, religionis prætextu virgines tonderi can. 17? R. non Religiosis, sed sæcularibus fœminis id vetat, quæ resectâ comâ virilem habitum assumebant, ut Zozomen. & alii apud Baron. testantur anno Christi 390. *Tonsio Religiosorum.*

III. Quo sensu dicitur v. 10. *Ideo debet mulier supra caput* suum habere potestatem? R. Debet habere signum seu symbolum potestatis viri in mulierem Gen. 3. v. 16. putà velamen, quod testimonium & insigne est subjectionis mulierum, ut vocat S. Chrysost. Sicut enim caput nudum & liberum, potestatis indicium est & Dominii; ita caput velatum, signum est potestatis constrictæ, & alteri adstrictæ & subjectæ. Et ab hoc velamine dicuntur *nubere* mulieres, id est, caput obnubere, seu velare, cùm in viri potestatem transeunt. Contra in viro *pileus* jam ab antiquo liberæ conditionis insigne fuit, teste Livio lib. 45. Unde *ad pileum vocare*, est ad libertatem provocare. Jubet verò Paulus velari mulieres in Ecclesia propter Angelos ubiq; assistentes, pudoris aut impudentiæ ipsarum testes & accusatores, inquit S. Chrysost. & alii. S. Thom. & Amb. per Angelos etiam Sacerdotes & Episcopos (ex Apoc. 2. & aliis Scripturæ locis) Clemens Alexand. quosvis viros bonos intelligit: nempe, ne non velatæ mulieres suâ formâ & lubricitate, eos ad turpia provocent.

Hæreſes eſſe oportet.

IV. Quomodo dicit v. 19. *Oportet hæreſes eſſe?* R. Neceſſitate non abſoluta, ſed ex hypotheſi ſpectata, nimirum humana infirmitate, inconſtantiâ, ſuperbiâ & pronitate in novitates, quali laborabant Corynthii, ita S. Amb. Hæreſes, inquam, ſeu ſchiſmata, & diſſenſiones animorum, non modò in fide, ſed & in moribus (ùt erant Corinthii in ſumptione cœnæ Euchariſticæ, quo ad locum, tempus ſocios ſeu convivas &c.) *ut qui ſunt probati,* id eſt, probi, firmi, ſolidi, reliquis etiam *manifeſti fiant,* v. g. pauperes Corinthii, dum à divitibus excluduntur, vel contemnuntur, probantur conſtantes & patientes eſſe, ſi id æquanimiter ferant.

Agape.

V. Cur dicit v. 21. *Unusquisq; enim cœnam ſuam præſumit?* R. In primitiva Eccleſia ad imitationem cœnæ Chriſti, ſolebant ditiores vel certè præfecti Eccleſiæ, ſubinde ante, ſubinde poſt ſacram communionem, epulum in Eccleſia inſtruere commune tam pauperibus quàm divitibus, idq; in ſymbolum mutuæ charitatis: unde & *Agape,* id eſt, dilectio vocabatur. Jam abuſus irrepſerat, ut divites privatim & lautè, & non rarò ad ebrietatem usq; cœnarent, pauperesq; excluderent, vel ſaltem non exſpectarent, quod hìc reprehendit & reformat Apoſtolus. Ita Tertull. & alii apud Baron. Et ob ſimiles abuſus Concil. Laodicenum can. 28. Agapes (quæ teſte Zozomeno, ipſius adhuc tempore, ſaltem in Ægypto continuabantur) in Eccleſiis vetuit inſtitui.

CAPUT XII.

Gratias gratis datas (de quibus Corinthii alii mirè ſe jactabant, alii quòd iis carerent valde dolebant) docet variè variis à ſpiritu S. diſtribui, & quemlibet in Eccleſia debere ſuo gradu & gratiâ contentum vivere, & commune bonum promovere, &, ut decet membra unius corporis ſibi invicem auxilio ac ſolatio eſſe.

Dona ſpiritualia.

QUæſtio I. Quid intelligit Paulus per ea, quæ abſolutè ſpiritualia vocat ſine aliquo addito, & quid ſupplendum ut oratio conſtet? R. Intelligit Dona ſpiritualia, quæ à ſpiritu dantur, & ab eo pendent, & opponuntur donis naturæ, aut rationis naturalis, aut corporis, aut fortunæ. Nam Eccleſiæ dona, ſive gratiæ, non ſunt naturæ beneficia, ſed Eccleſiæ propriè tribuenda. Nec enim rationis, aut carnis operâ, & induſtriâ nobis dona ſpiritûs comparamus, ſed Deus pro ſuo arbitrio, quibus vult diſtribuit.

Ethniciſmo in mentem reducitur.

II. *Apoſtolus Corinthiis ethniciſmum in mentem reducit* v. 2.? R. Facit id ad comprimendam omnem inflationem & ſuperbiam ac contemptum aliorum, quæ ex donis acceptis oriri ſolent: hoc autem eſt revocare in memoriam priſtinum ſtatum, in quo ante converſionem ad fidem fuerant: hoc etiam aliàs Apoſtolus ſolet facere, ut Eph. 2. 1. Theſſal. 2. Timoth. 3. In lege ſæpe repetit Deus Iſraëlitis, quales olim fuerint, antequam eos in peculiarem populum ſibi adjungeret, unde Ezech. 16. *Radix tua & generatio tua de terra Chanaan: Pater tuus Amorrhæus, & Mater tua Cethea.* Quare monet horum donorum authorem Deum eſſe, cùm antè Corinthii rudes, & omni ſpirituali luce deſtituti eſſent; non ergo à natura inſtructi, ſed gratuita Dei benevolentia vocati erant.

Dominum Jeſum nemo poteſt dicere, niſi in Spiritu Sancto.

III. Si nemo poteſt dicere Dominum Jeſum, niſi in Spiritu Sancto v. 3. cur Dæmones impii hoc dixerunt? R. Dæmones non ſponte, ſed ad hæc confitenda cruciatibus coactos, ut ſibi fidem & auctoritatem conciliarent, & illis poſtea nobis mendacium obtrudentibus, fidem haberemus. Quærebant præterea doctrinam Chriſti infamem reddere, utpote quæ à Diabolo teſtimonium haberet.

IV. Cur Apoſtolus aſſerit, *neminem poſſe dicere Dominum Jeſum, niſi in Spiritu Sancto?* R. Non loquitur de ſpiritu regenerationis, vel de gratia juſtificante, ſed de donis & Chariſmatibus gratis datis, quæ tam bonis quàm malis ſunt communia. Quare Apoſtolus ut oſtendat, quomodo bene de Chriſto, aut ſentias aut loquaris, non eſſe à te ipſo declarat, id eſſe à Spiritu S. à quo eſt omne verum, ſicut omne mendacium eſt à Diabolo patre mendacii. Vides quanta ſit noſtra imbecillitas, qui ne lingvam quidem movere poſſumus ad prædicandam Dei gloriam, niſi ejus ſpiritu gubernetur, & cum Davide precemur, *Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam.* Materialiter & verbo tenus poteſt dici, *Dominus Jeſus* & à Diabolo & ab aliis inimicis crucis Chriſti, quia non eſt enunciatio, id eſt, nec affirmatio nec negatio. Dicere autem Dominum Jeſum, id eſt, quòd Jeſus ſit Dominus, quoniam hoc verum eſt, nec ſciri poteſt, niſi per revelationem, nemo poteſt dicere, niſi in Spiritu Sancto. Et dicere hìc non eſt ſolo externo verbo proferre, ſed cum interno, & mente approbare, quod dicit ut verum, nam hoc eſt propriè dicere. Naturaliter namq; cenſetur quis illud dicere, quod mente priùs cogitavit, & naturaliter lingvâ, quæ interpres eſt mentis, expreſſerit.

Fideles ſunt unum corpus.

V. Qua ratione fideles ſunt unum corpus ſecundum Apoſtolum? R. Duo dixerat

ſupe

ſuperiùs. Primum, quòd unum ſumus corpus; deinde quòd multa ſunt in corpore membra: probat jam quòd ſimus unum corpus, nempe per baptiſmum & Euchariſtiam. Inſerimur namq; in Chriſti corpus per baptiſmum mutuo nexu, tanquam membra ſimul colligata, & vivimus unam & eandem vitam. Sicut enim corpus unum eſt, & vivificum, quia ſpiritus vitæ colligat invicem cuncta membra; ita & Chriſtus hoc myſticum corpus per unum Spiritum conflat, quo unitur, & vivit. Et per baptiſmum ſic naſcimur omnes, & intramus in Chriſtum. De altero Sacramento ſubjungit: *omnes eodem ſpiritu potati ſumus.* Utitur ſynecdoche, per unius partis mentionem totum intelligens ſacramentum. Sicut in fine cap. præcedentis per alteram ſpeciem manducationis, cùm dixit, itaq; fratres mei cùm convenitis ad manducandum (ſcil. corpus Chriſti) invicem expectate, totum intelligitur ſacramentum.

VI. Qui peccatores ſunt, qui verò non ſunt membra Chriſti? R. Quicunq; regenitus eſt ex aqua & Spiritu Sancto, actu, ſive voto baptiſmi concepto, quovis modo renatus ex ſpiritu, membrum eſt Chriſti & Eccleſiæ incorporatus. Si verò fictus quis ad baptiſmum accedat, fidem non habens, propriè Chriſti membrum dici non poteſt, quia Spiritus fidei, quo uno vivitur, non eſt in illo; tantùm habet characterem propter quem nullum impertitur illi donum Deus. Si verò jam inſitus per fidem & ſpiritum Chriſto, per mortiferum delictum contaminetur, non tamen propterea deſinit eſſe membrum Chriſti, etſi ſpiritu charitatis deſtituatur: nec inconveniens eſt, ſi aliquod miniſterium in Eccleſia, quamdiu fidem non negaverit, habeat, nec eſt incapax aliorum donorum ſpiritualium; etſi interim ipſe non ſit particeps fructûs, qui elicitur ex potu ſpiritualium. Quod ſi omninò fidem amittat, membrum Chriſti dici non poteſt, nec cenſeri prælatus, aut paſtor. Non eſſe autem membra de corpore, eſt, non habere ullam communicationem cum aliis membris. *Baptizatus eſt membrũ Chriſti.*

CAPUT XIII.

Docet inter omnia dona & gratias Spiritûs Sancti excellere charitatem, ſine qua nullum donum prodeſſe poteſt. Mox charitatis conditiones & officia in proximos enarrat.

QUæſtio I. Quomodo loquuntur Angeli? R. Dirigendo conceptus ſuos ad alium, cui illos volunt innoteſcere: tunc enim ex congrua Dei ordinatione & concurſu fit objectum proportionatum, & ponitur quaſi intra ſphæram cognitionis, fitq; intelligibile illi, cui volunt loqui, non alteri: ita ut ille objectum hoc quaſi ob oculos poſitum videat & intelligat, non alius. Ex quo aliqui concludunt, Angelos naturâ ſuâ non poſſe mentiri. Sed contrarium videtur verius, ſcil. poſſe mentiri: quia poſſunt Angeli conceptum falſum & menti diſſonum in intellectu ſuo formare, eumq; dirigere ad alium, cui hoc modo loquuntur: ſicut homo format loquelam falſam, & menti diſſonam cùm mentitur. Non enim Angeli ipſos actus voluntatis in ſe, id eſt, ipſas volitiones & intentiones ſuas videndas exhibent: ſed horum actuum conceptus in mente efformant, vel veros vel falſos, prout volunt, eosq; repræſentant illi, cui loquuntur. *Angeli quomodo loquuntur.*

II. An bona opera proſint pœnitenti, ſi non ſequatur charitas? R. Nihil prodeſſe. Diſpoſitio enim quâ diſpoſitio, fruſtra eſt & nihil, niſi ſequatur forma, ad quam diſponit: opera ergo ſine charitate nihil ſunt, id eſt, nullam juſtitiam, aut ſalutem conferunt. & homo ſine charitate nihil eſt ſcil. ſecundùm eſſe ſpirituale, quo per regenerationem ſupernaturalem accipit eſſe ſupernaturale & Divinum, fitq; nova Dei creatura, filius & hæres Dei.

III. De qua traditione corporis, ut ardeat, loquitur Paulus v. 3. R. De quavis traditione, ſive id faciat quis pro patria, uti fecit Mutius Scævola, qui volens occidere regem Porſenam Romam obſidentem, cùm errâſſet, eſſetq; jam in poteſtate hoſtium, ut oſtenderet, quàm mortem pro patria contemneret; manum combuſſit, *ut ſcias* (ajebat ipſe Porſenæ) *quàm vile nobis ſit corpus gloriam ſpectantibus.* Sive id faciat quis ob inanem gloriam, uti fecit Peregrinus, qui ob immortale nomen ſibi comparandum, in certaminibus Olympicis ſe in rogum comburendum injecit, ut teſtis eſt oculatus Lucianus. Sive etiam quis ſe igni tradat ob fidem Chriſti, ſimul tamen ſervando odium proximi, aut voluntatem peccandi mortaliter: quod martyrium eſt materiale, non formale; tum enim eſt ſine charitate & nihil prodeſt. Ita S. Thom. Anſel. Theodoret. *Opem ſine charitate nihil ſunt.* *Tradere corpus ut ardeat.*

IV. Quomodo dicitur, Charitas patiens eſt, benigna eſt v. 4.? R. Non formaliter ſed cauſaliter, quia parit patientiam & benignitatem: quia patientia æquè ac benignitas, non eſt actus elicitus, ſed imperatus à charitate: Pulchrè Tertull. l. de Patientia c. 11. docet nullam eſſe perfectam virtutem, quæ non habet comitem patientiam, itaq; in omnibus beatitudinibus, quas Chriſtus Matt 5. enumerat, patientiam quoq; intelligendam eſſe. *Charitas patiens eſt.*

V. Quomodo lingvæ ceſſabunt, nunquid ſine uſu lingvæ uſu aut idiomate permanebunt Beati? R. Lingvæ ceſſabunt, quia idiomatum diverſitas non erit, etiamſi ſine ali- *Lingvæ ceſſabunt in Beatis.*

cujus lingvæ usu, & præsertim, ùt quidam volunt, Hebraicæ, non sint permansuri. Et ut olim mundus fuit labii unius, & sermonum eorundem, multò magis in cœlo erit labium unum, & sermo idem, & eatenus idiomatum diversitas, quatenus in pœnam peccati inflicta fuit, à cœlesti patria exulabit.

Scientia destruetur.

VI. Quæ scientia destruetur v. 7. R. Non physica aut mathematica, sed scientia Sanctorum, de qua dicitur Sap. 10: *Dedit illi scientiam Sanctorum*, quæ innitur fidei: quæ quoniam caret evidentia rerum cognitarum, sicut & prophetiæ evidentia rerum futurarum, cessàbunt illæ, quatenus imperfectæ sunt, sicut & fides ipsa. Nam ût prophetia & lingvæ & scientia ad alendam fidem nunc sunt necessàriæ: sequitur quod ubi non sit fides, minus erunt necessària ea, quæ ad eam alendam ordinantur. Et licet non desit cognitio per species intelligibiles, peribit tamen scientia ea, quæ est cum conversione ad phantasmata.

CAPUT XIV.

Dono linguarum præfert charitatem. Dein normam tradit rectè utendi gratijs gratis à Deo datis. Deniq; ordinem præscribit servandum in sacris conventibus: in quibus vetat mulieres loqui.

Lingva exotica.

QUæstio I. Quomodo lingvâ loquens non hominibus loquitur, sed Deo v. 2.? R. Intellige de lingva exotica. Inoleverat enim consuetudo apud Corinthios, ut quidam voluptatis, aut sanctitatis, aut alicujus ostentationis & curiositatis gratiâ psalmos aliquot, aut cantica spiritualia, aut preces lingvâ exoticâ coram simplici & promiscua plebe recitarent, quibus tempus adeo subtrahebatur, ut vix doctrinæ & exhortationi locus supereslèt, & Ecclesia sine fructu dimitteretur. Hunc abusum corrigere volens Apostolus, ait: *qui lingvâ loquitur, non hominibus loquitur, sed DEO.* id est, qui incognitâ & peregrinâ lingvâ aut canit, aut precatur aut psallit, non hominibus loquitur, qui ignorant idiomata, sed Deo, & sibi, quia ipse solus est, qui canit, & Deus tantùm intelligit. Unde subjungit: *Nemo enim audit:* scil. vocem articulatam, ut intelligat, bene autem sonum quendam confusum, ac proinde nemo intelligit. Audire enim & intelligere, ita conjuncta sunt, ut unum pro altero accipiatur, juxta illud: qui habet aures audiendi, audiat.

II. Quomodo intelligendus v. 14. *Nam si orem &c.?* R. *Nam si orem* publicè *lingvâ* solùm peregrinâ, *spiritus meus orat*, id est, ego quidem oro Deum, & in animo meo fructum orationis meæ percipio: sed *mens mea sine fructu est*, id est, intentio & scopus, quem præcipuè intendere debeo, in talibus publicis orationibus vel exhortationibus, scil. instruere, movêre, solari populum; non subsequitur orationem meam, quia nempe alii non instruuntur: sicut si quis apud rudem plebem Græcè vel Latinè, concionari vellet. Ita Oecum. Theodor.

III. An hinc rectè inferant Novantes; Ergo etiam sine fructu canuntur in Ecclesia Laudes Divinæ lingvâ latinâ? R. Perperam. Quia Laudes illæ primò, non diriguntur primariò ad plebis instructionem, sed ad gloriam & cultum Dei promovendum, quod ut hìc docet Paulus, potest etiam peregrinâ lingvâ fieri, & fortè decentius sacrâ lingvâ, quàm profanâ: & utilius lingvâ toto penè orbi aliquo modo intellectâ, quàm vulgari lingvâ non nisi uni provinciæ nota. Et sic mens, seu intentio Ecclesiæ in talibus, non est sine fructu, quia Deus pro decentia laudatur, honoratur, & colitur, quod unicum in his intendit. Unde 2dò quando Divinæ laudes decantantur, non possùnt dici decantari lingvâ peregrinâ, quæ à nemine intelligatur: nam plurimi seu incolæ seu advenæ sunt illius periti, & intelligitur etiam à multis mulierculis. Neq; hoc fit sine omni interpretatione, cùm quæ in templis decantantur, in vulgarem lingvam translata in pluribus libellis extent, è quibus quicunq; volunt, interpretationem haurire possint. Secus erat tempore S. Pauli, cùm publicæ, quæ tum fiebant, preces, primariò fierent etiam ad populi (ut diximus) instructionem: sed à quibusdam, gloriolæ fortè studiosis, subinde instituebantur lingvâ non latinâ vel græcâ (quæ sat vulgares tunc erant) sed peregrinâ & omnibus ignotâ: ex qua præter admirationem, nullum alium fructum populus consequebatur.

CAPUT XV.

Contra Pseudo-doctores multis probat corporum resurrectionem, ejusq; ordinem & dotes describit.

Paulus se vocat abortivum.

QUæstio I. Cur Paulus se vocat *abortivum?* R. Vult se contemptum & abjectitium dicere, inquit Theophyl. & Theodor. quia abortivi fœtus, utpote imperfecti, tenuiores & graciliores esse solent. 2dò, quia extra tempus, Christo scil. in cœ-

los

los recepto, natus in Christo Paulus, novissimus Apostolatum accepit, ita Amb. & Chrysost. 3tiò quia, ùt ait Anselmus, vi Divina prostratus in terram, coactus & violenter renatus est Paulus: abortivi enim naturæ violenter ejiciùntur. 4tò quia ut idem Ansel. annotat, fœtus abortivi semimortui & cœci sæpè nascuntur. Sic Paulus in conversione cœcitate percussus est.

II. Qui dixerunt *non esse resurrectionem mortuorum* v. 12.? ℟. Cerinthus cum suis, qui primus post Simonem Magum hæresiarcha tempore S. Pauli negavit resurrectionem. Nam ùt refert Epiph. hæresi 28. Cerinthus pro Judaismo pugnans, ex Judaicis traditionibus, quæcunq; de Ecclesia & felicitate legis Evangelicæ prædicta fuerant, referebat ad regnum terrenum, & ad divitias & corporis voluptates: ad hoc postea abusus est Apoc. 20. 4. & factus est parens Chiliastarum, sive hæreticorum Millenariorum. Unde aliqui putârunt Cerinthum auctorem Apocalypseos, ideoq; eam rejiciendam esse. Resurrectionem quoq; negârunt Hymenæus, & Philetus 2. Timoth 2. 17. *Resurrectio mortuorum*

III. Cur si Christus non resurrexit, *adhuc sumus in peccatis* v. 17.? ℟. Primò, si Christus non resurrexit, ergo fides in Christum resuscitatum, quæ justificationis est radix, falsa est; fides autem falsa non potest esse remissionis peccatorum, & veræ sanctitatis initium & fundamentum. 2dò quia mors Christi inefficax fuit ad remissionem peccatorum, si Christus in morte mansit, ab eaq; victus est. Si enim resurrectione sua nequivit vincere mortem, ergo nec peccatum: hoc enim vincere gravius est & difficilius, quàm vincere mortem, adeoq; peccatum plenè non aboletur, nisi ejus effectus, id est mors aboleatur. ita S. Chrysost. 3tiò quia Resurrectio Christi causa est justificationis nostræ Rom. 4. v. ult. Sublatâ autem causâ tollitur effectus: sublatâ ergo resurrectione Christi, tollitur nostra justificatio à peccatis, ac consequenter adhuc sumus & manemus in peccatis nostris. *Si Christus non resurrexit adhuc sumus in peccatis.*

IV. Cur dicit v. 18. *Ergo & qui dormierunt in Christo* (scil. qni spe, fide, gratia & charitate Christi mortui sunt) *perierunt?* ℟ quia si corpus non resurgit, sed planè in morte interit, interibit & anima, quæ in æternum sine corpore esse nequit, cùm naturâ suâ forma sit corporis; ut, nisi violente animæ suam quasi naturam & naturalem statum adimat Deus, debeat ei suum corpus reddere.

V. Quo sensu dicit v. 19. *Si in hac vita tantùm in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus?* ℟ SPERANTES significat hîc non actum spei (hunc enim certum est existere tantùm in hac vita) sed objectum spei, nimirum rem speratam. q. d. Si in Christo sperantes sumus tantùm illa bona, quæ sunt in hac vita, tunc omnibus hominibus sumus miserabiliores, id est, miserrimi sumus omnium hominum; putà hominum stultissimi sumus, utpote qui falsa & inani spe resurrectionis, quæ nunquam continget, jejunia, mortificationes, persecutiones aliaq; diriissima patimur; mundi carnisq; voluptates abdicamus, cùm alii ijs indulgeant. Licet ergo illis feliciores simus ob bonum virtutis, abstinentiæ, charitatis & serenæ conscientiæ, miseriores tamen iis sumus quo ad spem in Christum, imò stulti ex stulta spe. ita Aselm. & Chrysost.

VI. An etiam reprobi per Christum, Christiq; merita sunt resurrecturi & vivificandi? ℟ omnibus, etiam reprobis resurgendi causa est Christus. Primò, quia Christus omnino mortem ex toto humano genere abolere voluit per resurrectionem (hæc enim totius naturæ ingens est bonum) ergo etiam ex reprobis, non qua reprobi, sed qua homines sunt, sive abstrahendo à reprobatione. ita S. Amb. l. de Resurrect. c. 21. Clariùs Cyrillus l. 4. in Joan. Adde, inquit, Christum reprobis, qua reprobi sunt, meruisse resurrectionem tanquam hostibus suis in justam vindictam, scil. ut gloria Christi hostium suorum æternâ pœnâ celebraretur.

VII. Quo sensu dicitur v. 28. *Tunc & ipse filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia?* ℟. Subjectus erit secundùm humanitatem, id est, subjiciet & offeret se cum electis suis ad æternam Dei laudem, & participationem Divinæ bonitatis, dominii & gloriæ. Idem enim est hoc subjici Christi, cum eo quod dixit v. 24, scil. quòd tunc tradet Christus regnum Deo & Patri, ut in se & suis omnibus Deus Pater plenissimè & glorioissimè regnet. Deinde potest accipi verbum *erit* in actu continuato: subjectus erit, id est, in subjectione Patris, quam nunc habet Christus, in æternum perseverabit.

VIII. Quomodo *corpus surget spirituale* v. 44.? ℟. Non quòd corpus in spiritum, aut in corpus aëreum sit vertendum, ùt voluit Orig. & Eutychius, sed spirituale, id est, spiritui subditum, spiritui simile & conforme, putà instar spiritûs, non egens cibo vel potu, subtile, leve, penetrabile, ita S. Epiph. Damasc. & alii Patres ac Doctores, qui ex his S. Pauli verbis colligunt quatuor dotes corporis glorioi, impassibilitatem, claritatem, & subtilitatem. *Corpus surget spirituale.*

CAPUT XVI.

Jubet fieri collectam eleemosynarum pro pauperibus Jerosolymitanis, & salutat amicos.

QUæstio I. In quos sanctos fiunt collectæ? R. Ad juvandos Christianos pauperes, à Judæis contribulibus suis, Jerosolymæ nuper bonis omnibus ob fidem Christi exutos Heb. 10. v. 34. Et à Paulo commiserant cæteri Apostoli in Concilio Jerosolymitano, ut ita Gentium curam susciperet, ut tamen pauperum Judæorum memor esset Gal. 2. v. 10. Quod & diligenter præstitit.

II. Quid intelligitur *per unam Sabbati* v. 4.? R. Prima dies hebdomadæ, scil. Dominica: per hebraismum enim ponitur cardinalis pro ordinali. Nempe illa die conveniebant fideles in Ecclesia: & hac occasione jubentur tum secum deferre, quod in pauperes collatum vellent. Ita S. Amb. & alii. Ex hoc & similibus locis probatur jam tum ab Apostolis mutatam fuisse solemnitatem septimæ, & translatam è Sabbato in Dominicam. Unde optimè consequitur, non omnia scripta esse, quæ servari jusserunt Apostoli, sed quædam viva voce tradita, quæ Traditiones Apostolicæ vocantur, & æqualis sunt authoritatis cum scriptis Legibus Apostolorum, ùt fusè demonstrat Bellarm. de Verbo Dei non scripto.

III. Quale *ostium magnum & evidens apertum est* S. Paulo Ephesi v. 9.? R. Occasiones & commoditates oblatæ ei erant multæ & certæ plurimos convertendi in nobili isto emporio, ubi sapientia maximè viget, teste Philostrato l. 8. vitæ Apollonii, & sedes est Proconsulis Asiæ, & infinitam numerat multitudinem incolarum.

EPISTOLA II. S. PAULI AD CORINTHIOS.

CAPUT I.

Occasione multarum tribulationum, è quibus ope divina ereptus fuit in Asia Act. 19. docet Deum esse verum & solidum consolatorem, & in promissis suis stabilem. Se quoq; non esse instabilem, etsi Corinthum necdum advenerit, causam reddens dilati adventûs.

Passiones Christi.

QUæstio I. Quas *passiones Christi* vocat v. 5.? R. imò, quas pro Christo patimur. ita Amb. 2dò, id est, quales passûs est Christus. 3tiò Christi, id est, quas ut suas reputat Christus, sic Saulo dixit Act 9. *quid me persequeris.* ita Oecumen. Sic Christus patitur in membris suis. Theoph. addit dici hic abundant, quia Christus plura in membris, quàm in seipso passus est. Extensivè hoc verum est, non intensivè. Sic in Laurentio ignem passus est Christus, in Stephano lapides, in Ignatio bestias; Christi enim passio & dolor his omnibus fuit major in se & intensior.

II. Quæ tribulatio facta est Paulò in Asia v. 8.? R. Ephesi à Demetrio argentario Dianæ, qui seditionem populi contra Paulum excitavit, quâ pene oppressûs fuit Paulus Act. 19. v. 28. ita S. Thomas & alii passim, unico excepto Cajetano, qui putat hujus tribulationis nusquam alibi in Script. fieri mentionem.

III. Quo sensu dicit v. 8. *Ita ut tæderet etiam vivere?* R. Per se & naturaliter, ita ut natura maluisset mori, quàm tantas afflictiones pati; non autem tœdebat spectando charitatem & gratiam Dei, qua fortissimè & libentissimè ad Dei obsequium quasvis afflictiones tolerabat Paulus. Tale tœdium fuit in pluribus Sanctis, uti S. Job c. 10. *Tædet, inquit, animam meam vitæ meæ.* Et Elia in persecutione Jesabelis 3. Reg. 19. 4. ubi sic orat: *Sufficit mihi Domine, tolle animam meam: neq; enim melior sum, quàm Patres mei.*

CAPUT II.

Incestuosum 1. Cor. 5. v. 4. excommunicatum, jam pœnitentem absolvit ab excommunicatione.

QUæstio I. Quibus negotium Absolutionis à S. Paulo committitur? R. Prælatis Ecclesiæ, vel potiùs ipsi Ecclesiæ, non ut per omnes etiam Laicos, sed ut per Prælatos, hanc potestatem absolvendi exerceat; ita tamen ut ex quadam humanitate velit Laicos huic absolutioni cooperari, & suo consensu, voto, desiderio, precibus, commiseratione, convictu, quodammodo etiam ipsos condonare hoc scandalum

lum sibi & Ecclesiæ suæ datum, illiusq; justam pœnam sive pœnitentiam canonicam. Vide dicta ep. 1. c. 5. Unde sequitur: *Nam & ego quod donavi, propter vos in persona Christi.* Ex quo patet Paulum propriè per potestatem & jurisdictionem quasi Christi Vicarium condonâsse, idq; publicè in Ecclesia Corinthiorum per Episcopum vel alium Prælatum declarari & promulgari jussisse; Corinthios verò condonâsse tantùm per preces, consensum & executionem sententiæ & absolutionis Paulinæ.

II. Quid donavit Paulus v. 10? R. Absolutionem ab excommunicatione, & simul imò magis, indulgentiam plenam illius incestûs, scil remissionem omnis pœnæ illi debitæ. Patet, quia hoc erat vinculum illi injectum ep. 1. c. 5. scil excommunicatio, & simul pœnarum infamis ejectionis ex Ecclesia, tum carnis, qua scil. corporaliter affligeretur à Satana. Hìc autem ab omni vinculo, quo eum alligârat, absolvit. Ita Amb. Anselm. & alii.

CAPUT III.

Apostolos & ministros novi testamenti, dotet majori honore ac gloriâ decoratos à Deo, quàm Moysen & ministros veteris testamenti.

QUæstio I. Quo sensu dicit S. Paulus v. 5. *Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis?* R. Aliquid quòd verè bonum vel virtuosum sit, quodq; de condigno vel de congruo juvet ad fidem, gratiam, conversionem vel salutem. Agit enim hìc Apostolus de iis, quæ necessaria sunt, ut quis idoneus sit minister novi testamenti. Sed non negat Apostolus (ut fingit Calvinus) liberum arbitrium nostrum cooperari gratiæ Dei; sed solùm ex se esse insufficiens ad bona supernaturalia opera, seu exercenda, seu tentanda, ut explicant SS. Patres, qui hinc docent contra Semipelagianos, omne fidei salutisq; initium ac desiderium non esse ex libero arbitrio, sed ex gratia præveniente: qua excitatum, roboratum, & adjutum liberum arbitrium cooperatur, si vult, eidem gratiæ, ejusq; influxui supernaturali in opus supernaturale concursum suum præbet, sibi suæq; naturæ viribus commensuratum. *Sufficientia* ergo liberi arbitrij, id est, potentia ac vires ad opus supernaturale producendum, non est ex libero arbitrio, sed ex Deo. *Initium fidei & salutis non est ex libero arbitrio.*

II. Quo sensu dicit Apostolus ministros novi testamenti *non literâ sed spiritu* v. 6? R Non eo modo ministri quo in lege Moysis, ut scil. nudam literam legis vobis proponamus, sed insuper etiam spiritum, id est, gratiam afferamus: nam Deus ad verba nostra immittit vobis copiosam gratiam, sanctasq; inspirationes & impulsus. Ita S Chrysost Amb. Aug. *Litera enim*, seu lex sola, si gratiæ præsidio destituatur (ut in veteri testamento) nocet potiùs quàm prosit: nam occidit animam (licet occasionaliter) dum multitudine & difficultate præceptorum urget ac premit, nec tamen vires subministrat ad ea omnia complenda ut oportet Rom. 7 6. Solus enim Spiritus, id est, gratia spiritualis, *vivificat* animam, vitam ei spiritualem afferens, qua potens redditur ad opera æternæ saluti parandæ necessaria. *Minister non literæ, sed spiritu.*

III. Quomodo intelligenda verba v. 7. & 8. *Quodsi ministratio mortis, literis deformata in lapidibus, fuit in gloria &c.*? R Quodsi promulgatio legis Mosaicæ, quæ mortem & damnationem plerisq; causabat, & *deformata* erat, græcè impressa seu inscripta, *in lapidibus*, id est, tabulis marmoreis, *fuit in gloria*, id est, fuit valde gloriosè facta nempe cum tonitru, fulmine, tuba cælesti, terræ motu, splendore vultûs Mosaici, qui tamen citò evacuatus & ablatus fuit Exod. 34. v. 29. *Quomodo non magis ministratio spiritûs* & justitiæ (id est, promulgatio legis evangelicæ, quæ spiritum, id est, copiosam gratiam & veram justitiam affert) gloriosa esse debuit? & verò fuit etiam gloriosissima tum in Pentecoste, tum deinceps per signa, miracula & prodigia longè plura & præstantiora Mosaicis, solidiora & diuturniora. ita Chrysost. Amb. & Anselmus. *Nam nec glorificatum* quidem dicendum *est quod claruit* in promulgatione legis Mosaicæ. q. d. Gloria Moysis in Sinai, nequidem appellanda est gloria *in hac parte*, id est, si comparetur cum splendore muneris Apostolici, *propter excellentem* hujus *gloriam* præ illa Mosaica, quæ *evacuatur*, id est, citò sublata & extincta fuit: nam & radij & splendor, quin & ipsa vita Moysen morientem deseruerunt, ut significarent, legem Mosaicam desituram, ejusq; gloriam, adventante nova lege Christi, emorituram, cùm lex Christi maneat, duratura usq; ad finem mundi. *Lex Moysis cum lege Evangelij confertur.*

IV. Qualis est libertas, ubi est Spiritus Domini v. 17? R à velamine, ab umbris, à timore servili &c. ut scil. ablato velamine legis Mosaicæ, clara luce, & ultronea voluntate, ambulemus secundùm legem Dei, inquit Theophyl. Libertas ergo Christiana non abolet leges humanas aut Divinas (ut volunt Suencfeldiani & Libertini) sed ad eas implendas tanta impertit auxilia, ut sponte, generosè ac liberè eas omnes impleamus, non formidine pœnæ, ut servi ac mancipia solent, sed amore virtutis & Dei, quod filiorum est, ac liberorum. Ita Chrysost. & alij apud Bellarm. l. 4. de Justific. c 3. & 4.

CAPUT

CAPUT IV.

Spe melioris vitæ ac resurrectionis docet omnia dura & adversa meritò toleranda.

Occulta dedecoris abdicârunt Apostoli.

QUæstio I. Quæ *occulta dedecoris abdicârunt* Apostoli v. 2.? R. imo crimina seu peccata, quasi diceret, nihil admittimus, ne occultè quidem, quod meritò culpari possit. 2dò fraudes, latebras, ambages & clancularias artes, quibus solent pseudo-apostoli probra & flagitia sua obtegere. Nam ut Eph. 5. dicit: *quæ in occulto ab ipsis fiunt, turpe est dicere.* Sed nos operam damus, ut clara & aperta *veritatis* tum doctrinæ, tum morum, *manifestatione*, atq; ipsa rerum evidentia omnibus probemur, etiam infidelibus, si secundùm *conscientiam*, & prout recta ratio dictat *coram Deo* judicare voluerint.

Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium.

II. Quis *Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium* v. 4.? R. Diabolus, qui est Deus sæcularium viventium, non creatione, sed sua perversitate, exemplo, imperio & suggestione; ideo enim non Deum vocat, sed alienando, Deum hujus sæculi, id est, sæcularium, qui temporalia & caduca præferunt cælestibus & æternis bonis. S. Thom: ait *Deus hujus sæculi* est mammona, sive opes & pompæ, in quibus sæculares ultimum finem & omne bonum quasi in Deo constituunt. Sic Philipp. 2. dicitur: *quorum Deus venter est.*

Christus imago Dei.

III. Cur Christus dicitur *imago Dei* v. 6.? R. Quia est perfectissima imago Dei. Sunt enim tria ad imaginis rationem necessaria, nimirum, similitudo, origo, & perfecta æqualitas: quæ summa in Christo & patre inveniuntur. Si enim inter imaginem & eum cujus est imago, non esset similitudo, nulla esset ratio imaginis. Similiter si non esset perfecta æqualitas, quæ est secundùm eandem naturam, perfectæ imaginis, ibi non esset. Nam imago Cæsaris in Denario impressa, non erit Cæsaris perfecta imago, quia deest æqualitas secundùm naturam. Christus autem consubstantialis est Patri. Et quia nomen imaginis non potest intelligi nisi per hoc, quod refertur ad aliud, ideo notat distinctionem Patris & Filij.

Lumen è tenebris splendet.

IV. Quomodo *è tenebris lumen splenduerit* v. 6.? R. Tenebræ non sunt intelligendæ propriè, quasi sint pura privatio; sed significat, de tenebrosa chao, sive materia informi fecit oriri lumen, non secus, atq; ex lignis igni tactis lux oritur. Ita Eccl. 24. legimus: *Ego feci in cælis, ut oriretur lumen indeficiens,* non aliqua nubecula illuminata, ut quidam sentiunt, aut sol quidam imperfectus, sed lumen indeficiens, id est, immortale; & omni lucis proprietate ornatum ad mundum hunc illuminandum,

CAPUT V.

Pergit inculcare futuræ vitæ gloriam, ad quam ex hoc exilio suspirat, & aliis ut eò contendant, prolixè commendat.

Dissolutio Domûs terrestris.

QUæstio I. Quid intelligit per terrestris domûs dissolutionem? R. Corpus post resurrectionem excitandum. Habet libenter Apostolus sermonem de resurrectione, quam aliqui ex Corinthiis vel negabant, vel irridebant, ùt olim Athenienses, vel de ea dubitabant. Et sicut superiùs duos depinxit homines, alterum internum, externum alterum, cùm tantùm sit unus homo; ita hoc loco duo finxit domicilia, idem indicans per hanc allegoriam, quod superiori, nonnihil mutato orationis habitu.

Vestis fidelibus necessaria.

II. Quid est: *si tamen vestiti & non nudi inveniamur* v. 3.? R. Si modò cùm de vita excedimus, non spoliati gratiâ inveniamur, quæ prima est stola, de qua dixit Pater ad Servos Luc. 15: *Adferte stolam primam, & induite illum.* Alludit etiam ad vestem nuptialem Matt. 22. ut digni simus apparere in nuptiis Agni Apoc. 19. & recipere secundam stolam gloriæ. Et hoc verbo: *si tamen non nudi &c.* restringit sermonem suum de stola secunda ad fideles tantùm, quia illorum est peculiare vestimentum. Exuuntur namq; etiam impii corpore, sed quia nihil in conspectu Dei præter ignominiosam nuditatem accipient: ideo corpore glorioso non superveſtientur. Fideles verò quia per baptismum Christum induerunt, & fidei justitiâ atq; operibus bonis induti in conspectu ejus apparuerunt, immortalitatis gloriosam vestem recipient: impii verò non adferent vestem candidam, quam acceperant in baptismo.

Peregrinatio à Domino.

III. Quomodo *peregrinamur à Domino,* qui ubiq; semper nobis adest? R. Absens est à nobis, quia se coràm videndum non exhibet, sed adhuc exulamus à regno ejus & aula, in qua fruuntur eo semper Angeli. Vocat hanc vitam peregrinationem à Domino, eo consilio, ne præsentium amore detineamur, quibus potius gravamur & implicamur:

ne

ne etiam morituri indoleſcamus, ſed magis tanquam ad potiora bona profecturi gaudeamus.

IV. Qua ratione Chriſtus factus peccatum & à quo? R. Hoc dictum more Scripturæ, & tropo illi familiari: *Quoniam poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium* Iſai. 53. Tale eſt illud Oſeæ 4. *Sacerdotes peccata populi mei comedent*, id eſt, ſacrificia pro peccatis oblata. Et quod dicitur, *pro nobis peccatum fecit:* intelligendus eſt Deus Pater, de quo erat ſermo: nam ejus obedientiâ Chriſtus crucem ſubiit pro nobis expiandis. Deus enim Pater peccatum fecit; hoc eſt juxta Aug. in Enchiridio c. 14. ſacrificium peccatorum. Ut nos, qui nihil aliud, quàm peccatum eramus, juſti efficeremur per eum. Ita etiam explicandum eſt illud, nos factos eſſe juſtitiam Dei: ſæpe enim abſtracta pro concretis uſurpat Scriptura: ſic per tenebras homines tenebroſos: per lucem homines Dei ſpiritu afflatos. Unde dixit Paulus Eph. 5. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Ita hìc juſtitiam pro populo juſto accipit. Sic etiam Circumciſionem & præputium pro hominibus circumciſis & præputiatis paſſim uſurpat. *Chriſtus factus peccatum.*

CAPUT VI.

Quomodo Chriſtiani, utpote miniſtri Dei, ſe gerere debeant, & nominatim cavere commercia infidelium & hæreticorum.

QUæſtio I. Quid eſt *in vacuum gratiam DEI recipere* v. 1? R. In vacuum, ſeu in vanum gratiam Dei recipit, qui Deo non agit gratias, & bonum quod habet, ſibi & non Deo adſcribit. Vel qui gratiam accepit, nec in ea ipſa perſeverat: & deniq; gratiæ aliorum invidus exiſtit. Studium ergo Pauli eſt, ut omnes Chriſtum agnoſcant & recipiant, ſe ei totos dedicent. In vacuum gratiam Dei non recipit, qui dicere poteſt cum Paulo 1. Cor. 15. *Gratia Dei in me vacua non fuit, ſed abundantius illis omnibus laboravi.* *Gratiam Dei in vacuum accipere.*

II. Cujus verba ſunt: *tempore accepto exaudivi te* v. 2. R. Dei, qui loquitur in ſcripturis; vel Spiritûs Sancti, qui locutus eſt per Prophetas: vel ſi mavis, ipſius ſcripturæ, de qua habet Paulus Rom. 9. *dicit enim ſcriptura Pharaoni.* Quia ergo quiſquam objicere poterat. Non eſt in manu noſtra gratiam Dei recipere: reſpondet Paulus: en tibi tempus acceptabile & dies ſalutis, in quo Deus ſe propenſum reddit ad amandum nos, & ad exaudiendas preces noſtras. Dies enim ſalutis dicitur ille, in quo auxilium ſanitatis & proſperam incolumitatem accipimus, in qua ægrotis ſalus adfertur, & medicamenta ſalutaria infunduntur. Dies autem hæc vita vocatur, quia ad operandum eſt apta, & in quæ omne meritum comparatur, & cui ſuccedit nox futuri judicij, in qua nemo poteſt operari. Et ita dies pro tempore accipitur.

III. Quis eſt ſenſus: *non anguſtiamini in nobis, anguſtiamini autem in viſceribus veſtris* v. 12. R. Cum ait, *in nobis* in poſuit pro, de: Non, inquit, de nobis, qui tanta amoris ſignificatione vos proſequimur. *Anguſtiamini autem in viſceribus veſtris*, id eſt, de vobis; qui eſtis in cauſâ tantæ anguſtiæ: eſt ergo ſenſus, nequaquam anguſtiâ coarctamini pro me, cujus lingua vobis patet, & cujus cor dilatatum eſt: ſed veſtris affectibus ſervientes coarctamini, & in anguſtias reducimini, quibus pſeudo-apoſtoli ſuis fraudibus ac dolis vos à libertate ſpiritûs in ſervitutem legis coanguſtant.

CAPUT VII.

Corinthios pœnitentes conſolatur, docetq; quæ ſint vera ſigna & actus ſolidæ pœnitentiæ.

QUæſtio I. Quæ ſunt promiſſiones v. 1.? R. Nos eſſe templa Dei, & filios ac filias Dei, & habere Deum inhabitantem, & inambulantem in nobis, vel præcedentem, & ducentem nos in via Dei.

II. Unde incipit ſanctificatio, & quomodo perficitur v. 1.? R. Incipit in baptiſmo, in quo mundamur ab omnibus peccatis etiam originali, non ſolùm quantum ad culpam, ſed etiam quantum ad debitam pœnam: & hoc gratuita Dei munificentia, & ſine ullis noſtris meritis. Perficitur autem dicta ſanctificatio per operum bonorum ſtudium, & per timorem Domini, per quem à malo recedimus. Soli enim homini à Deo relictum eſt, ut poſſit ſeipſum perficere, & augere in ſanctitate, propter liberum arbitrium, quod cæteris animantibus negatum eſt. Et hæc perfectio propria eſt eorum, quos gratia novi Teſtamenti attingit. Nam Philoſophi conati quidem ſunt perficere, ſed non potuerunt; & hoc ideo, quia non potuerunt omnia peccata vitare. *Sanctificationis initium & perfectio.*

III. Quid illud: *capite nos* v. 2.? R. *Capite* hoc loco non ſignificat intelligere, ſed capacem eſſe, ſicut vas aut locus aliquis dicitur capax: in quo ſenſu dixit Joannes

in fine sui evangelii: *Nec ipsum mundum arbitror capere posse eos, qui scribendi sunt libros.* Ergo *capite nos.* id est, capaces nostri estote, & amplectimini nos in corde vestro, sicut ego vos omnes amore lato complector. Unde & ob hanc causam ad latitudinem cordis fuerat eos cohortatus cùm dixit: dilatamini & vos. Ita vos me præceptorem vestrum capite: nec est, cur me non capere debeatis: quia *Neminem læsimus* in persona. *Neminem corrupimus*, doctrinâ falsâ aut pravo vitæ exemplo. *Neminem circumvenimus.* Hoc est, fraudavimus vel expilavimus, in bona vestra involando.

Tristitia sæculi & divina.

IV. Tristitia sæculi & tristitia secundùm Deum quomodo differunt v. 10? ℟ Tristitia sæculi vel carnalis est, quæ nascitur ex nimio amore & amissione bonorum sæculi, ùt propter opes & voluptates amissas, amicos vel potentes offensos. Hæc sæpe mortem animæ operatur, quia incitat, ut per Dei offensam hæc bona recuperes. Non rarò etiam operatur morbos & mortem corporis. Multi enim dum nimis sua vel suos lugent, luctu opprimuntur, tabescunt & moriuntur. *Multos*, inquit Eccl. c. 30. 25. *occidit tristitia, & non est utilitas in ea.* Tristitia secundùm Deum, Divina est, quæ concipitur propter Deum offensum, hæc est tristitia & parit pœnitentiam, id est, sui castigationem, *in salutem stabilem*, id est, salutarem firmam, solidam.

CAPUT VIII.

Hortatur ad eleemosynam faciendam pauperibus Jerosolymitanis.

QUæstio I. Altissima Macedonum paupertas, quomodo abundavit in divitias simplicitatis eorum, v. 2. ? ℟ Sensus est: extrema & profunda eorum paupertas ad liberalitatem non obfuit, sed occasio fuit magis abundandi. Et simpliciter magnas divitias in largiendo ostendit, sumptâ metaphorâ ex vasis exhaustis, ut ex inanibus scriniis, quidquid erat, depromerent, ut jam ad fundum foret perventum. Quod contingere potuit propter direptionem, & expilationes, quas ab adversariis fidei passi erant; vel quia Thessalonicenses omnia bona sua dederant, ut in communi viverent, imitantes Ecclesiam Jerosolymitanam. Et simplicitatem hoc loco vocat, teste Theophylacto, animum invidiâ vacantem, & ad impertiendum facilem. Profunda ergo & extrema eorum paupertas opulentissima fuit propter ditissimum animi affectum, & ad dandum promptissimum: nam liberalitas non de beneficiorum copia, sed de liberalitate dantium æstimari solet.

II. Quæ fuit origo hujus eleemosynæ, ad quam Apostolus adhortatur? ℟ Narrat eam Lucas Act. 11. v. 28. Surgens unus ex eis (Prophetis Antiochiæ) nomine Agabus, significabat per spiritum famem magnam futuram, in universo orbe terrarum, quæ facta est sub Claudio (anno ejus 4. ut multi, vel ut Baronius vult, anno ejus 2. qui fuit Christi 44.) discipuli autem, prout quis habebat proposuerunt singuli in ministerium mittere habitantibus in Judæa fratribus: quod & fecerunt mittentes ad seniores per manus Barnabæ & Sauli: ita Lucas. Et quia Jerosolymitana Ecclesia fuit prima & quasi matrix cæterarum, perduravit hic mos apud Christianos, ut ad pauperes istius Ecclesiæ fovendos, fideles ex toto orbe eleemosynas mitterent, quem morem usq; ad Theodosij tempora durantem cum carperet Vigilantius, ita eum confirmat & laudat Hieron. contra Vigilant. Hac in Judæa, inquit, usq; hodie perseverante consuetudine, non solùm apud nos, sed & apud Hebræos, ut qui in lege Domini meditantur die ac nocte, & partem non habent in terra nisi solum Deum, synagogarum & totius orbis foveantur ministeriis.

III. Quis est sensus v. 4. *Obsecrantes nos gratiam & communicationem ministerij, quod fit in Sanctos.?* ℟ subintelligendum est, ut susciperemus gratiam & communicationem ministerii, id est, gratiosum hoc ministerium colligendi eleemosynas, ut scil. in eo communionem & partem caperemus: hanc enim vocat communicationem ministerii. q. d. Obsecrârunt nos, ut in partem oneris veniremus, & participaremus in ministerio colligendi eleemosynas pro pauperibus Christianis Jerosolymitanis: hos enim vocat Sanctos.

CAPUT IX.

Pergit hortari Corinthios ad liberalem eleemosynam.

Eleemosyna est benedictio.

QUæstio I. Cur eleemosynam vocat benedictionem? ℟ quia sermone pio imitari & significare voluit Dei beneficentiam, quæ omnis nostræ beneficentiæ fons est & origo, ab ejusdem benedictione promanare. Dei enim benedicere est efficax, idemq; in re, quod benefacere, adeoq; Deus solo dicto & jussu suo nobis bona cuncta largitur. Deinde quia suavius & mollius tam dando quàm petendo donum quodvis vocatur benedictio potius quàm beneficentia. Sic enim & petentes & dantes donum suum modestè extenuant.

II. Cur

II. Cur eleemosyna vocatur Actus justitiæ v. 9.? R. Quia magna pars est justitiæ generalis, quæ est complexio omnium virtutum, tum quia justitiæ & sanctitatis indicium est: Sancti enim sunt misericordes, contrà viscera impiorum crudelia, inquit Sapiens Prov. 12. 10. tum quia ad justitiam disponit, eam meretur (primam quidem de congruo, secundam autem, hoc est, augmentum justitiæ de condigno) conservat & auget. Unde solis misericordibus Christus dat coronam justitiæ Matt. 25. 35. Hinc duris & obstinatis in malo svadenda est quasi ultimum remedium eleemosyna, uti Daniel superbo Nabuchodonosori svasit; *Peccata tua eleemosynis redime* Dan. 4. 24. *Eleemosyna est actus justitiæ.*

III. Quo sensu dicitur v. 10: *Augebit incrementa frugum justitiæ vestræ?* R. Augebit proventus justitiæ & charitatis vestræ, scil. dabit incrementum gratiæ hic & gloriæ in cœlo, ita Theophyl. Fruges enim intelligit Divinæ & æternæ remunerationis, ita Anselm. Triplicem enim eleemosynæ fructum hic videtur assignare Apostolus. Primum cùm ait: *Panem ad manducandum præstabit.* 2dum cùm subdit: *& multiplicabit semen* (opes) *vestrum.* Tertium Spiritualem, cùm concludit, *& augebit incrementa frugum justitiæ vestræ.* Anselmus simpliciter accipit fruges bonorum temporalium. q. d. Deus fruges & opes vestras crescere faciet, ut semper magis & magis eleemosynam dare sufficiatis, & augebit incrementa frugum justitiæ vestræ; Id est, multò abundantiora dabit incrementa frugibus, quas promeretur justitia vestra; justitia enim est, ut quia Deus homini dat, retribuat ex eo homo, & det illi, cui deest. Simpliciùs fruges justitiæ hic intelliguntur fruges beneficentiæ, sive natæ ex beneficentia, videlicet opes, quas beneficis Deus, quasi messem seminantibus reddit. Incrementa enim frugum non sunt aliud quàm seges, & messis, quæ ex semine jam dicto succrescit. *Eleemosynæ fructus.*

CAPUT X.

Hoc & duobus sequentibus capitibus apologiam pro se texit contra pseudo-apostolos, putà contra Cerinthum, Ebionem & alios, qui Paulo infensissimi, evangelium quidem Christi prædicare videbantur, sed simul etiam Judaismi errores occultè & subdolè introducere conabantur. Hoc igitur capite ostendit, qua fiducia, quibus armis, qua victoria sit instructus adversùs illorum calumnias, seq; præsentem non minùs virtutis habere in operibus, quàm absentem gravitatis in verbis.

Quæstio I. Quid est *in carne ambulare, & non secundùm carnem militare* v. 3. ? R. Est habitare in corpore mortali & corruptibili, seu versari in hoc mundo, & carne obtegi, non tamen sequi affectus carnales, sed spiritualibus uti armis. Erat inclusus Apostolus corporis sui ergastulo, sed hoc non impediebat, quominus virtus Spiritûs Sancti se exereret in infirmitate. Secundùm *carnem militant,* qui nihil aggrediuntur, nisi mundanis præsidiis muniti, in quibus etiam solis superbiunt, & fiduciam in Spiritûs Sancti ductu non habent. *Ambulare in carne.*

II. Quænam sunt *arma militiæ suæ* Apostolo *non carnalia, sed potentia Deo* v. 4.? R. Vult dicere, etsi humiles & imbecilles nobis videamur; non tamen sumus inermes, nec ad coërcendos hostes Evangelii, robur nobis deerit. Et talis est nostra militia, qualis est & armorum species; spiritualibus armis muniti sumus, ergo spiritualis est militia. Unde sequitur à contrariis, nos non secundùm carnem militare. *Sed potentia,* inqnit, seu valida *Deo,* seu secundùm Deum, sive pro Deo fortia, Deo per illa, & pro nobis certante. Vel, ad puniendum contumaces, & obloquentes, gladio sæculari non utebatur Apostolus, sed armis Spiritûs Sancti: non ad subdendum homines homini, ut fit armis carnalibus, sed ad subdendum Deo, hoc est, in gloriam Dei. Arma carnalia sunt divitiæ, gloria, facundia, famulatus, sociorum multitudo, equitum currus, & omnis apparatus bellicus, quo Pharao instructus persequebatur Israëlem fugientem Exod. 14. & Saul Davidem, qui dicebat Ps. 19. *Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine Dei nostri invocabimus.*

IV. Ad quam destructionem munitionum valent *arma militiæ Apostolicæ* v. 4.? R. Ad omnes munitiones, quæ se fidei opponunt, quibus & Dæmones & homines veluti muniti sunt contra Christi fidem. Munimenta diabolica sunt consilia sive cogitationes, in quibus comprehendit omnes astutias, omnes artes & consilia, quibus oppugnat fidem & Ecclesiam. Deinde vocat altitudinem (seu celsitudinem) extollentem se (seu quæ sustollitur) adversùs scientiam Dei. Dupliciter solet se munire mundus ad bellum inferendum. Primò arte, astu, dolis & aliis machinationibus occultis, & stratagematibus, insidiis & similibus. Deinde ferociâ, & brachio valido, quæ per altitudinem de-

scribuntur, id est, mundi gloriam, potentiam & superbiam, & similia propugnacula, quibus se inexpugnabilem præsefert.

V. Quomodo erat Paulus paratus *ulcisci omnem inobedientiam, cùm completa foret Corinthiorum obedientia* v. 6.? R. Dicit Apostolus sibi non tantùm datam esse potestatem ad cogendum in obsequium Christi voluntarios Discipulos, sed etiam ad ulciscendos rebelles, suasq; minas & terrores inania non esse terriculamenta puerorum, sed habere paratam executionem: Et licet hæc intelligi queant de spiritali potestate ligandi, & solvendi, per quam rata sunt in cœlis, quæ in terra fiunt, vel de corporalibus pœnis, quibus utebantur Apostoli in contumaces, ùt quidam volunt, ut Petrus, qui Ananiam & Saphiram, voti defraudatores morti adjudicavit, & Paulus, qui Elymam magum cœcitate percussit, & incestuosum satanæ tradidit: tamen, quia rarò, non semper utebantur miraculis; & quia finis erat eos reddere Christo obedientes, ut hìc dicitur, & Rom. 1. ideo priùs præcipiuntur absolvere, quàm ligare, & remittere peccata, quàm retinere.

VI. Quid denotant verba v. 17. *Quæ secundùm faciem sunt, videte?* R. Hæc verba sunt Apostrophe Apostoli, qua deflectit sermonem ab obtrectatoribus ad eos, quos pseudo-Apostoli deceperant, & sui erant observantiores, nec tamen prudenter animadvertebant eorum studia, sed inani fuco sibi patiebantur oculos perstringi. q. d. magnificatis eos, qui ampullis turgent; me verò qui ostentatione, & jactantia careo, damnatis. Nam ea tantùm cernitis, quæ sunt juxta faciem, id est, quæ foris videntur, & ostentationis potiùs habent speciem, quàm efficaciam.

CAPUT XI.

Pergit contra pseudo-apostolos se tueri, proferens Apostolatûs sui vera insignia, putà labores & passiones pro Christo toleratas.

QUæstio I. Quid ansam dedit Apostolo de suis virtutibus gloriandi? R. Importunitate & imprudentia pseudo apostolorum, qui sese falsis laudibus commendabant, coactus etiam fuit Apostolus propter Corinthios discipulos, ne à sua doctrina & Evangelio deficerent, veras suas laudes in medium adferre, eorumq; vitia & arrogantiam apertiùs incessere per sequentia duo capita. Verè autem se ipsum laudaturus, veniam à principio precatur, enumerationem suorum encomiorum modestè insipientiam appellans. Actum enim esse solet de doctrina alicujus, cùm ejus auctoritas labefactatur.

Desponsatio animæ cũ Christo.

II. Per quid fit desponsatio animæ cum Christo? R. Per fidem, spem aliasq; virtutes. Nam ùt ait S. Aug. tr. 13. in Joan. tom. 9. *Virginitas mentis est integra fides, solida spes, sincera charitas.* Contra meretrix & adultera fit anima, cùm infidelitati, peccatis, suggestionibus, & voluntati Dœmonis consentit. Si ergo, inquit Origenes hom. 12. in Levit. c. 2. susceperis ô homo, in cubili animæ tuæ adulterum Diabolum, meretricata est anima tua cum Diabolo. Si Spiritus iræ, si invidiæ, si superbiæ, si impudicitiæ, ingressus fuerit ad animam tuam, & receperis eum, & consenseris ei loquenti, & in corde tuo delectatus fueris his, quæ tibi secundùm mentem suggerit, meretricatus es cum eo. Desponsatio tamen maximè fit per charitatem. Hæc enim inquit à Lap. secum in Deum rapit omnes animæ vires & affectiones, & quò magis crescit in homine charitas, eò magis crescit hæc animæ cum Deo unio & desponsatio, ita ut animæ flagrantes charitate, in eaq; se assiduè exercentes, nuptiis cum Deo, & nuptialibus bonis ac gaudiis Divinis fruantur. Est enim charitas connubium, conspiratio & conformatio duarum voluntatum, humanæ scil. & Divinæ, in unam, qua sibi mutuò in omnibus consentiunt & conformantur Deus & homo. Hinc oritur communicatio & familiaritas animæ cum Deo, oritur quies & mira voluptas animæ, æstusq; tantus Divini amoris, ut eo absorbeantur & in Deum immergantur omnes aliæ animæ affectiones.

III. Quomodo *alius Christus aut aliud Evangelium potest prædicari* v. 4. ? R. Loquitur de pseudo-Apostolis seu prædicatoribus, qui mundi sapientiâ turgidi, & inani verborum ornatu Christum prædicantes ampliùs quid & magnificentius adferre videbantur, quàm Christum solùm. Omnis hæresis, alium revera Christum prædicat, qui non est is, qui primus jam venit; & alium Spiritum Sanctum ea suggerentem, quæ prior non dixit. *Aliud etiam Evangelium,* id est, novum, quod aliquid Christo affingat, & aliquid detrahat eorum, quæ vetus Christus de se dixit.

CAPUT XII.

Raptum suum in tertium cœlum enarrat, simul & stimulum carnis.

Quæst. I.

Quæstio I. Quod est tertium cœlum? R. Est supremum, quod v. 4. vocat paradisum. Primum enim seu infimum cœlum est aëreum, & complectitur omne illud spatium, quod Lunæ subjectum est. Secundum seu medium cœlum est sidereum, & constat undecim orbibus cœlestibus. Tertium, seu supremum est empyreum cœlum, ubi sedes & paradisus, id est, locus voluptatis, est Beatorum. Ita à Lap. & alij. *Cœlum tertium.*

II. Quomodo contigit raptus S. Pauli, in corpore, vel extra corpus? R. Probabiliter S. Thomas 2. 2. q. 175. a. 5. opinatur, animam Pauli non fuisse divulsam à corpore; nam alioqui non fuisset raptus vel extasis, sed occisio & mors. *Raptus* enim, teste eodem S. Thoma, *solùm est, ab eo, quod est secundùm naturam, in id, quod est supra naturam ex vi superioris naturæ elevatio.* Quæ divina virtute fit cum abstractione animæ à sensibus & phantasmatibus, sed non à corpore, cujus est forma. *Raptus S. Pauli.*

III. Quæ arcana vidit vel audivit Paulus? R. Quæ fando explicari non possunt ab homine, id est, quæ omnem captum & lingvam humanam longè excedunt v. g. gloriam & pulchritudinem SS. Animarum, inquit S. Chrysost. & Theodor. item secretum, modum & ordinem Divinæ prædestinationis, vocationis & conversionis Gentium per Paulum, ut ipsemet insinuat Rom. 11. v. 33. ita Baron. Deniq; œconomiam Ecclesiæ, ejusdemq; tum præsentis, tum futuræ mirabiles successus. Hæc enim propriè ad Paulum spectabant. *S. Paulus vidit arcana.*

IV. Quis fuit *stimulus carnis* v. 7.? R. Fuit concupiscentiæ motus, libidinisq; tentatio: hæc enim concupiscentia stimuli telivè instar carni nostræ ita infixa est, ut evelli in hac vita non possit. Hunc stimulum vocat Angelum Satanæ, seu Satanam, ut sit metonymia, qua causa pro effectu & auctor pro opere suo ponitur. Dæmon enim humores commovendo, sanguinem accendendo, spiritus generationis subservientes excitando & inflammando, Pauli phantasiæ turpes imagines objiciendo, concupiscentiam quasi sopitam, totq; laboribus, inediis, ærumnis pene mortificatam suscitabat, & ad turpes libidinis motus commovebat & acuebat. Hæ tentationes carnis propriè sanctos non lædunt, sed collaphisant, id est, ruborem ac mœrorem incutiunt, sicut qui à socio colaphum accepit, non tam dolore, quàm pudore suffunditur. *Carnis stimulus.*

CAPUT XIII.

Obstinatioribus in malo minatur & redarguit, & suadet pœnitentiam: cæteros hortatur ad perfectionem, fraternam dilectionem, pacem & osculum sanctum.

Quæstio I. Quomodo dicit v. 2: *Si venero iterum non parcam,* cùm Dominus Petro dixerit de remittendo peccato Matth. 18; *Non dico tibi usq; septies, sed usq; septuagies septies.?* R. Paulum ut privatum hominem obligatum esse legi Dei ad parcendum offensoribus, qui in eum quoquo modo peccârunt. At Paulus ut Apostolus & Apostolico fungens officio, non debebat scandalizantibus parcere, quando eo exemplo alii ad similia crimina patranda accenderentur. Quod verò ex Evangelio productum est: privatas personas tantùm respicit, quæ omni petenti remissionem illatæ injuriæ condonare adstringuntur. *Injuria condonanda.*

II. An Christus ex tali infirmitate crucifixus fuit, ut subjectus necessitati fuerit non volens? quod enim infirmitate patimur, coacti & non propria libertate perpetimur? R. Hoc factum fuit dispensatione quadam, quia voluit, non quòd infirmitate cogeretur, sed quia naturam nostram mortalem sponte induit, & prius se exinavit.

III. Quis est sensus v. 4. *Nam & nos infirmi sumus in illo: sed vivemus cum eo ex virtute DEI in vobis?* R. Nos infirmi ab infidelibus judicamur, contemnimur & extrema patimur in illo: quia ut membra ejus sumus, & gloriam illius promovemus. Et infirmum esse in Christo hic significat, socium esse infirmitatis Christi: ita suam infirmitatem gloriosam facit, quod in ea Christo simus conformes, nec ampliùs horreamus probrum, quod nobis commune est cum filio Dei; & particula *in vobis* vel erga vos jungenda est, & construenda cum *Virtute DEI,* cum qua ad puniendum venit.

IV. Quodnam *est osculum* v. 12.? R. Gentiles sibi invicem obviantes sese invicem osculo salutabant in signum amicitiæ. Idem mos fuit apud Hebræos, ùt patet ex osculo Amasæ, & Joab, 2. Reg. 20. Item ex osculo quo Judas quasi de more Christum exosculans eum prodidit. Magis verò solemne fuit primis Christianis, ut tum aliàs, tum præsertim in sacris conventibus ante sacram synaxim sese osculo sive amico complexu salutarent, dicentes: pax tecum. Erat hoc communicaturis reconciliationis & injuriæ omnis remissæ puræq; charitatis symbolum, ùt docet Cyrill. catech. 5. mystagogica. Verùm quia olim fraus irrepsit, cùm viri licet locis à mulieribus distincti, furtim tamen irrepentes, eas oscularentur, hinc pro osculo oris successit osculum tabellæ pacis, quam vocant. *Osculum amicitiæ signum.*

EPISTOLA S. PAULI AD GALATAS.

CAPUT I.

Certam fidem Evangelio ſuo habendam docet ex eo, quòd illud ipse immediatè à Chriſto acceperit.

QUæſtio I. Quæ fuit cauſa ſcribendi hanc epiſtolam? R. Quia Galatas recens ad Chriſtum converſos quidam pſeudo-Apoſtoli ad Judaicas ceremonias (quaſi ad ſalutem neceſſarias) unà cum Evangelio ſuſcipiendas pellexerant, unde acri objurgatione revocat illos Paulus, docetq; Chriſtianos liberos eſſe à Servitute legis Moſaicæ. Ita S. Hieron. Chryſoſt. Anſelmus.

II. An Novantes ex v. 8. poſſint aliquid concludere contra leges Eccleſiaſticas, decreta Pontificum, vel Canones Conciliorum? R. Nihil. Dicit enim Paulus: *Licet aut nos* mutata mente, *aut Angelus de cœlo* (ſi id fieri poſſet) *evangelizet vobis præterquam*, id eſt, contrarium vel repugnans ei, *quod nos evangelizavimus vobis, anathema ſit.* In Legibus autem Eccleſiaſticis, Decretis Pontificum vel Canonibus Conciliorum, nihil contrarium, nihil repugnans reperitur certæ, exploratæ Apoſtolorum doctrinæ. Non vetat autem Apoſtolus plurima Galatis evangelizari, quàm audierant, modò non repugnarent auditis; patet vel ex hac ipſa, & tot aliis Pauli Epiſtolis, in quibus multa de novo evangelizat. Et quia Paulus paſſim, uti & Chriſtus Luc. 10. v. 16. jubet ſervari præcepta Apoſtolorum & Superiorum. Deniq; certum eſt Latinum *præter* ſæpiſſimè uſurpari pro *contra* tum apud Sacros; tum apud profanos Auctores, ùt fusè Bellarm. demonſtrat.

III. Qua auctoritate Paulus auſus eſt, homines quoscunq; etiam Apoſtolos, & quod majus eſt, etiam Angelos excommunicatione percellere? R. Eſſe hyperbolicam Locutionem, non autem eſſe verba poteſtatem exercentis, ſed certam veritatis notitiam exprimentis. Conſtat enim non fuiſſe ei in ſeipſum datam poteſtatem, nec in Angelos, & tamen in ſeipſum, ſi aliter evangelizet, anathema pronuntiat. Enuntiativa ergo eſt hæc oratio, & conditionalis, ac vera, quoniam poſito impoſſibili, quòd ipſe, vel alius Apoſtolus, vel Angelus aliter evangelizâſſet, absq; dubio anathema fuiſſet. Hoc & optare ſe Paulus indicat & comprobare, ſi ita evenire poſſet. Eſt autem conditionalis propoſitio vera, quamvis tam antecedens, quàm conſequens ſit impoſſibile, ùt tradunt Dialectici.

IV. Quid vult illud v. 10: *Modò enim hominibus ſuadeo an Deo?* R. Cauſam meam probare ſtudeo hominibus, an Deo? q. d. Olim acerrimè pro Judæis & Judaiſmo zelatus ſum: at modò, Evangelij luce colluſtratus, non ampliùs Judæis aut ullis hominibus me, meamq; cauſam probare ſtudeo, ſed uni ſoli Deo. Reddit ergo Apoſtolatûs tanti ſui zeli & confidentiæ rationem, qua etiam aliter docentes anathematizaverat: eò quòd ipſe non reſpiciat in ſua prædicatione homines, ut aliud agat apud Judæos, aliud doceat in Gentibus, ſed ſpectat Deum, & ejus gloriam, & in illum unum intuens, tam gravem anathematis ſententiam profert.

V. Quomodo Paulus *ex utero matris ſegregatus* v. 15.? R. Antequam natus, aut quidquam promeritus eſſet, id eſt, gratuitò eum (actu mentali) ſibi delegit in ſervum, in filium, in Apoſtolum, in præconem Evangelii, non quaſi eo invito, vel non exſpectato conſenſu ejus, id abſolutè decreverit, ſed ſuppoſito, quòd grandior factus, & ab ipſo vocatus, vellet dare manus & ſequi vocantem: quod & fecit *non acquieſcens carni & ſanguini*, id eſt, conſangvineorum ſuggeſtioni vel conſilio, inquit S. Hieron.

CAPUT II.

Collato cum Petro, Jacobo & Joanne Evangelio ſuo, docet ab omnibus illud probatum fuiſſe: ſed Petrum palàm à ſe reprehenſum, quòd incautiùs Judaismum ſimularet: deniq; non juſtificari hominem ex operibus legis Moſaicæ, ſed per fidem JESU Chriſti.

QUæſtio I. Cur Paulus cum Barnaba & Tito Jeroſolymam venit ad Apoſtolos? R. Comitatum fuiſſe Barnaba Hebræo & Tito Gentili, qui erant omni exceptione majores, ut oſtenderet ambos conveniſſe in veritatem Evangelii, & non ſecutos honorem carnis; & ut ſi quod de eo extitiſſet ſcandalum, eorum teſtimonio tolleretur: ut ſi Apoſtoli vel Judæi dicerent, non rectè illum in Gentibus prædicâſſe, iſto-

istorum testimonio se tueretur, qui testarentur eum unum omnino & eundem prædicationis tenorem, quem cæteri Apostoli, tenuisse.

II. Quid est, quòd Paulus Jerosolymam ascendisse dicitur secundùm revelationem? R. Quia non tantùm fuit Legantium eos auctoritas, sed & Spiritûs Sancti pecularis revelatio ad hoc ipsum impellens, ne hæc facta esse crederentur humano tantùm spiritu. Ex quo elicitur, quòd non fuerit commotus aliqua dubitatione de Evangelio, quod prædicabat, de quo erat certissimus; quasi enim omnes motus & actus Apostolorum ab Spiritu Sancto erant.

III. Quis fuit ille descendens de Judæa & docens fratres: *quia nisi circumcidamini secundùm morem Moysi, non potestis salvari?* R. Cherintus Judæus, qui paulò post in templo magnam excitavit Apostolo seditionem Act. 21. dicendo: *Hic est homo, qui adversùs populum & legem, & locum hunc, omnes ubiq; docens, insuper & Gentiles induxit in templum, & violavit Sanctum locum istum:* Hic idem est Cherinthus, qui Petro ex revelatione admonito, ut alloqueretur Cornelium, quem postea baptizavit, seipsum opposuit in Jerusalem, excitans alios ac dicens, *quare introisti ad viros præputium habentes, & manducâsti cum illis.* Ita S. Epiphan. hæresi 28 contra Cherintianos.

IV. Cur Paulus cum aliis Apostolis contulit Evangelium suum? R. Non ideo contulit, quòd dubitaret de ejus veritate vel integritate, aut certe an concordaret cum Petri aliorumq; Apostolorum Evangelio: sciebat enim certissimò, Deo revelante, se idem cum cæteris Apostolis Evangelium plenum & perfectum à Deo accepisse, ut patet ex c. 1. v. 11. & 12. Contulit ergo cum Apostolis Evangelium non propter se, sed propter alios ad Christi fidem conversos, apud quos à Pseudo-Apostolis judaizantibus diffamatus erat Paulus, quòd apud Gentes legi Moysi detraheret, cùm contrarium docerent & facerent Petrus, Jacobus & Joannes, imò ipse Paulus apud Judæos judaizaret: Paulus autem ut contrarium ostendat, suamq; doctrinam doctrinæ Apostolorum consentientem, pariter & auctoritatem tueatur, confert cum eis Evangelium, *ne fortè,* inquit, *in vacuum currerem, aut cucurrissem.*

V. Quid est *in vacuum currere* v. 2.? R. *Currere* Apostolica phrasis est: & nihil aliud significat, quàm officio suo quenquam fungi. Et maximè Prophetis seu legatis & Apostolis proprium est currere, quo indicent se ad eos festinare, ad quos destinantur: unde expeditos & promptos esse oportet ad ea exequenda, quæ in mandatis habent. Unde & Isa. 52. *Pulchri pedes vocantur ad currendum & evangelizandum pacem & bona.* Non dixit hoc Paulus propter seipsum, quasi ipse dubitaret de Evangelio, quod prædicabat, aut super eo testimonium ab hominibus quæreret, aut vacillaret, quasi minus fidei Dei revelationi habuisset. Sed id quod ait, ne fortè, seu ne quovis modo propter alios tantùm dixit, qui audiebant, ne in vacuum currerem: quia dubiis & suspectis conscientiis inutile est verbi ministerium. Quia tunc frustra curritur, cùm inutiliter laboratur: non enim sequitur ea, quæ debet fidelium ædificatio. Minore etiam fide suscepissent ejus prædicationem, si visus fuisset ab aliis discrepare, aut cum illis, qui in tanta erant existimatione, non convenire, qui Ecclesiæ primariæ columnæ vocabantur, penes quos auctoritas probandi doctrinas residebat.

VI. Quid vult innuere v. 3. *Neq; Titus, cùm esset Gentilis, compulsus est circumcidi?* R. Urgentibus licet, & quasi impellentibus Judæis falsis fratribus, nolui cedere, & concedere, ut Titus utpote Gentilis circumcideretur: sic enim visus fuissem ipso facto Gentilibus asserere necessariam esse circumcisionem & legem Moysis. Unde quod postea Act. 16. 3. Timotheum circumcidi, non id compulsus, sed sponte feci, ne Judæos irritarem: erat enim Timotheus non purè Gentilis, sed ex Judæa matre semijudæus, & ex Gentili Patre semigentilis.

VII. An ex v. 7. *Creditum est mihi Evangelium præputij* (id est Gentium præputiatarum) *sicut & Petro circumcisionis,* (id est circumcisorũ Judæorũ) bene inferat Illyricus, Petrum non fuisse caput Ecclesiæ, sed tantùm Judæorum Apostolum & Papam? R. ineptè. Illo enim tempore, initio scil. Ecclesiæ, quo Judæi à Gentibus naturaliter adhuc, ut patet v. 12. abhorrebant, Petrus & Paulus partiti sunt non potestatem, sed operas, ut Paulus Judæis exosus primò ac præcipuè Gentibus prædicaret, Petrus Judæis: nam alioqui & Paulum Judæis evangelizâsse, patet Act. 9. Et Petrum Gentibus, patet Act. 10. & quia sedem suam Romam ad Gentes transtulit, ut historici omnes, Patres, chronica & monumenta consentiunt, adeo ut hac de re & traditione velle dubitare, non sani sit cèrebri, sed mentis emotæ, aut certè frontis perfrictæ.

VIII. Quo sensu dicit Paulus v. 11. *in faciem se Petro restitisse?* R. idem est, quod, ut vulgò dicitur, in os, in barbam, apertè, palàm Petro restiti, idq; ut hac ratione scandalum ejus publicum publica correptione emendaretur, ita Aug. & alii passim. Ex hoc tamen non sequitur Petrum inferiorem fuisse Paulo, quia Paulus reprehendit Petrum non tanquam superior, vel ex auctoritate, sed solùm ex charitate tanquam inferior, quia bonum

num publicum sic postulabat. Tali enim casu licere id inferiori, etiam in publico, sed adhibitâ cautelâ & honore Superiori debito, constat ex jure tum naturali, tum positivo Can. *Si quis* & can. Lator distinct. 2. q. 7. & fusè demonstrat Aug. Qui occasione hujus v. 13. *simulationis* S. Petri, acrem cum S. Hieron. concertationem suscepit, ut patet ex ep. 8. 9. & seqq. in tomo 2. Operum S. Aug. Hieronymus enim, ùt ex Chrysost. volebat Petrum licitè, imò ex composito simulâsse. Quorum utrumq; negat S. Aug., qui propiùs accedit ad mentem Pauli, diserte affirmantis, Petrum non rectè ambulâsse, & idcirco reprehensibilem, id est, reprehensione dignum fuisse, uti Tertull. Cyprianus, Amb. Gregor. & passim Latini

IX. Quid simulavit Petrus? R. se legem Mosaicam, quasi adhuc obligantem observare, cùm revera id non intenderet, utpote quam sciret abolitam Act. 15. v. 10: sed solùm intendebat se moribus Judæorum pro tempore accommodare, ne illos offenderet.

X. Quale fuit hoc peccatum? R. Leve seu veniale, non erroris in fide, sed in facto: erat enim incauta atq; importuna simulatio, seu professio Judaismi, nimirum cum scandalo Gentilium, qui tale factum Petri (capitis & Principis totius Ecclesiæ) interpretabantur signum esse, quod ceremoniæ legis Mosaicæ adhuc necessariæ essent ad salutem, ac proinde Paulum eos hactenus non rectè instituisse. Erat ergo indiscretio in Petro, & vanus timor displicendi Judæis: cui proinde occurrit prudentia & zelus Pauli.

XI. Quando cessavit lex vetus & legalia præcepta? R. Quoad obligationem lex vetus cessavit in Pentecoste; tunc enim promulgata fuit lex nova, cæpit obligare; ac proinde abolita est lex vetus, desiitq; obligare, non tamen ita cessavit, quin tamen ad tempus adhuc servari posset, donec Judæi sensim & svaviter ab ea abducerentur, eamq; cum honore sepelirent.

CAPUT III.

Pluribus rationibus ostendit, nos justificari non per legem Mosaicam, vel opera legis, sed per fidem in Christum, ad quem lex quasi pædagogus nos deduxit.

Quæstio I. An appellatio illa: *O insensati Galatæ, Domini verbo repugnet, fratrem suum fatuum non appellandi?* R. Non repugnare, Verba enim illa: *ô insensati Galatæ* convitium non sunt, sed sunt verba justæ reprehensionis & correctionis, quasi Magistri suos tardiores Discipulos instruentis: non absimilia ab eo verbo, quo Dominus pergentes Discipulos in Emmaus correctionis gratiâ vocavit: *ô stulti & tardi corde ad credendum!* & alibi ad Apostolos: *adhuc & vos sine intellectu estis?* Sicut enim teste Greg. l. 12. Moral. c. 16. tom. 1. Superba non sunt, quæ humili corde proferuntur: ita convitia non sunt, quæ ex charitate sanandi & corrigendi gratiâ proficiscuntur, etiamsi aliquam contumeliæ speciem præseferre videantur.

II. Quid propriè significat verbum *fascino?* R. Fascinare est oculo malefico vel aspectu maligno alteri nocere: quod facere solebant fœminæ quædam, quæ pestiferis & lividis oculis infantes, quos conspicabantur, inficiebant, & paulatim ad tabem & mortem deducebant, & ita fascinum erat species maleficii. Hinc illud pastoris apud Virg. Ecloga 3. *Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.* Spiritualiter verò oculo invido & maligno alios fascinant, qui pestiferâ doctrinâ aliis nocent, & à veritate susceptâ in errores inducunt. Et quia hæc fascini passio propria est puerorum, quæ ab his qui malignos habent oculos infertur, ita ii, qui pueri sunt sensibus, ab oculis hæreticorum, qui malitiâ sunt fortiores, facilè inficiuntur. Idcirco diligenter sibi quisq; ab oculis hæreticorum, sive ab eorum libris, in quibus fascinum suum reponunt, si sapit, cavere debet. Nam ut homo fascinatus, & præstigium oculorum recipiens, aliter judicat de rebus atq; priùs judicabat: ita hæreseos fascinationem recipiens, aliam de fide sententiam formare solet. Ut verum sit illud Sap. 4. *Fascinatio nugacitatis obscurat bona.*

III. Quid illud: *Ante quorum oculos Jesus Christus præscriptus est, in vobis crucifixus* v. 1.? R. Præscriptus, id est, descriptus, depictus, repræsentatus, *ante oculos vestros,* nempe *in vobis,* id est, in regione vobis vicina, vestra etiam ætate & quibusdam vestrûm præsentibus ac spectantibus Jerosolymæ crucifixus. q. d. fierine potest, vestros oculos sic fascinari, ut Christum redemptorem vestrum pene adhuc ante oculos vestros in cruce pendentem non intueamini, typicis Mosaicæ legis velaminibus toti obvelati? ita Chrysost. Si enim retectis oculis fontem illum justitiæ & salutis intueremini, facilè sineretis divelli vos à siccis Mosaicæ legis cisternis. Alia lectio habet *proscriptus:* proscribebantur autem illi, quorum nomina proponebantur scripta, quo impunè licebat eos de medio tollere: Nam qui fascinabant Galatas, ac dementabant, Jesum proscribebant, & ejiciebant de sua possessione, hoc est, ex Galatis ipsis, quam possessionem ipse sibi Jesus cruce & sangvine comparaverat. Et ita interpretantur Amb. & Aug. Jesum enim ceu pu-

rum

rum hominem, & ad juſtificandum inefficacem, & ex meritis criminum damnationi datum rejiciebant & damnabant. *Et in vobis crucifixus*, id eſt, non ſolùm proſcriptus, ſed etiam in vobis crucifixus, ut non vivat, neq; reſurgat: Et ita alludit ad id 1. Cor. 1. Prædicamus Chriſtum crucifixum, Judæis ſcandalum, Gentibus ſtultitiam.

IV. Quomodo lex propter transgreſſiones poſita eſt v. 19? ℟. Ad declarandas, arguendas, còèrcendas multiplices transgreſſiones legis Divinæ tam naturalis, quàm poſitivæ: docendosq; homines in Chriſtum reſpicere, in quo tandem promiſſiones illæ Abrahamo factæ complerentur, & absq; cujus gratia non poſſent homines legem implere, neq; à peccatis ſuis expediri, aut juſtitiam ſalutemq; Abrahamo promiſſam adipiſci. q. d. Lex data eſt, ut nobis quaſi pœdagogus eſſet ad Chriſtum, ergo Chriſto jam præſente, officio ſuo perfuncta eſt. Ut quid ergo ô Galatæ, vultis eam ulteriùs prorogare. *Lex propter transgreſſiones poſita.*

V. Quis per mediatorem intelligitur v. 19. ℟. S. Hieron. Chryſoſt. Aug. Amb. intelligunt Chriſtum Dominum: Licet enim Chriſtus tempore Moyſis necdum eſſet actu, ac conſequenter necdum mediator eſſet, erat tamen in decreto & deſtinatione Dei. q. d. Lex vetus data fuit poteſtate & auctoritate Chriſti mediatoris jam prædeſtinati à Deo: ergo ſicut in Chriſti poteſtate fuit legem per Moyſen dare, ita in ejusdem poteſtate fuit eandem per ſe jam natum abrogare. Cyrillus tamen 12. Theſauri c. 10 Nazianz. orat. 6 & alii intelligunt Moyſen, qui Deut. 3. 4. dicit ſe ſequeſtrum fuiſſe & medium inter Deum & populum. Patet, quia Chriſtus dici non poteſt mediator ut Deus, ſed ut Deus homo factus: atqui tempore Moyſis necdum erat homo: ergo necdum dici poterat mediator. Apoſtolus mediatorem non poteſtate ſed actu; quia per mediatorem hunc dicit ordinatam eſſe legem veterem, actu ſcil. cùm illa lex data eſt Hebræis: atqui Chriſtus, utpote nondum exiſtens non potuit illam legem ordinare, cùm data eſt Hebræis in Sina; ergo non potuit tunc eſſe mediator illius legis: quod enim non eſt, operari non poteſt, aut quidquam ordinare. Deinde *per Angelos in manu mediatoris* ſignificat Angelos per miniſterium mediatoris dediſſe legem; ſed Chriſtus non poteſt dici miniſter Anlorum, ſed Angelorum dux eſt, & princeps ad Heb. 1. ergo hic mediator non eſt Chriſtus. Deniq; lex vetus propriè data eſt per Moyſen, ſicut nova per Chriſtum; ergo ſicut Chriſtus novæ legis & novi teſtamenti eſt mediator, ita Moyſes veteris. *Mediator.*

CAPUT IV.

Docet, nos eſſe liberos à tutela & ſervitute legis veteris.

QUæſtio I. Quid eſt *ſub elementis mundi eramus?* ℟. Sub lege veteri Moſaica, quæ mundo data fuit à Deo quaſi alphabetum & prima rudimenta veræ fidei & pietatis, quia lex imperfecta erat, & (ut infra v. 9. dicitur) *egena & infirma*, ſcilicet ad juſtitiam & ſalutem procurandam: Chriſtus verò per novam legem ſuam perfecit omnia. Ita S. Hieron. Theodoretus & Anſelmus. *Sub elementis eſſe.*

II. Quomodo intelligendum v. 4. *At ubi venit plenitudo temporis?* ℟. Ubi impletum eſt tempus à Deo Patre præfixum fini legis & initio gratiæ ac Evangelii, quo à lege quaſi pædagogo, tutore & actore, hoc eſt, à ſtatu & conditione ſervili transferemur in libertatem fidei & filiationis Chriſti. Ita Anſelm. & alii. *Plenitudo temporis.*

III. Quid ſignificat *factum ex muliere?* ℟. Significat Chriſtum ſine Patris ſemine conceptum & formatum ex ſola matris ſubſtantia & puriſſimis ſanguinibus. Mulier hìc non corruptionem, ſed ſexum muliebrem ſignificat, competitq; virgini, qualis fuit Beatiſſima Virgo Maria. Patet hinc Chriſtum non ſumpſiſſe corpus è cœlo, quod transſeundo per B. Virginem quaſi per canalem in terram detulerit, uti olim docuerunt Valentiniani, etiam Anabaptiſtæ, ſed Chriſti corpus ex Virgine factum & formatum eſſe. *Factus ex muliere.*

IV. Quænam ſunt *infirma & egena elementa* v. 9.? ℟. Hieron. Theodor. Anſel. & alii per hæc elementa intelligunt Sacramenta & obſervantias dierum & menſium, feſtorum, & aliarum cæremoniarum legis veteris, quæ quaſi prima religionis & pietatis rudimenta data fuerunt Judæis, ac per eos toti mundo, quæq; creationis & gubernationis mundi ſunt elementa, principia, ſymbola. Hæc ſunt *egena* & ut Tertull. legit *mendica*, quia gratiam, ſanctitatem, Dei cultum & religionem non continent, non conferunt, ſed ad hoc Chriſti fide, gratia, ſacramentis indigent. Sunt & infirma, quia per ſe inefficacia ad juſtificandum, ut juſtos, pios, ſpiritu & virtute præditos efficiant: nam ſine fide Chriſti juſtificare neminem poterant; imò cùm ea non juſtificabant per ſe & ex opere operato, uti novæ legis Sacramenta, ſed tantùm ex opere operantis, id eſt, ex fide & devotione ea ſuſcipientis: unde & quaſi infirma abolita ſunt per mortem & legem Chriſti. *Elementa infirma & egena.*

V. Quomodo Eccleſia dicitur *de ſurſum eſſe* v. 26? ℟ quia Chriſtus ejus caput è cœlo deſcendit, ac rurſum in cœlos aſcendit, indeq; Eccleſiam regit. 2dò quia perfectio Eccleſiæ in ſuperis ac cæleſtibus rebus eſt, nimirum in fide, ſpe, charitate. 3tiò *Eccleſia cur de ſurſum.*

quia virtus sacramentorum ejus è sursum provenit, & Deum ipsum in Ecclesia quasi de sursum advenientem, præsentem habet. 4tò quia disciplina & conversatio ejus in cœlis est, cor & thesaurum habet in cœlo apud sponsum suum. 5tò quia ad æternam coronam & quietem in cœlo anhelat & tendit. ita Hieron. Amb. Anselm.

Ecclesia cur Jerusalem.

VI. Cur Ecclesia dicitur Jerusalem? R. quia Jerusalem idem est, quòd visio pacis. Hanc enim Ecclesiæ providet & procurat Deus, ut scilicet gaudeat pace non terrena sed spirituali & cœlesti; quam Christus abiens Joan. 14. ei legavit dicens: *pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis:* quæ est pax conscientiæ cum Deo, secum, & cum omnibus hominibus, quantum est ex parte sua. 2dò & magis ad literam, quia sicut in Sina lata est lex vetus; ita in Sion & Jerusalem lata est lex nova, ibiq; cœpit Ecclesia nova & Christiana.

Liberi.

VII. Cur vocatur libera? R. Quadruplex est libertas. Prima civilis, quæ opponitur servituti civili mancipiorum. 2da moralis, quæ excludit servitutem cupiditatum & vitiorum, metumq; rerum adversarum. 3tia spiritualis ex perfecta charitate *quæ foras pellit timorem*, proveniens, per quam non servili timore, sed amore filiali, reverentiaq; servitur Deo, idq; non corporalibus cæremoniis, sed in spiritu & veritate, & hoc est, quod propriè spectat Apostolus. 4ta, cœlestis, quæ excludit omnem corporis & animi servitutem, quæ quibusvis ærumnis corporis & animi subjacet, eſtq; consummata hominis felicitas. Dico ergo: Ecclesia jam habet libertatem moralem & spiritualem; spe verò ac voto cælestem præcipit & prægustat, illam reipsa post resurrectionem adeptura.

Mater fœcunda.

VIII. Cur vocatur mater fœcunda? R. quia ex sterili gentilitate, quæ dœmonibus serviebat, collecta Ecclesia Christi multos ei filios spirituales peperit, & parit, non ex solis Judæis, ut synagoga, sed ex omnibus & Judæis, & gentibus, eosq; Christo ad cœlum transmittit.

CAPUT V.

Pergit astruere libertatem Christianam. Hortatur & ad charitatem, recensèt opera carnis, & fructus spiritûs.

Timor & servitus duplex.

Quæstio 1. Quomodo exhortatur ad libertatem eos Apostolus, quos noverat jugo evangelii esse subjectos, aut quomodo deprecatur servitutem, qui vult nos esse servos justitiæ? R. det S. Aug. tract. 85. in Joan. Sicut duo sunt timores, qui faciunt duo genera timentium: sic duæ sunt servitutes, quæ faciunt duo genera servientium. Est timor quem perfecta *charitas foras mittit*, & est alius timor castus permanens in sæculum sæculi. Illum timorem qui non est in charitate attendebat Apostolus, cùm dicebat: *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore.* Illum autem timorem castum attendebat, cùm dicebat: *noli altum sapere, sed time.* In illo timore, quem foras charitas mittit, est etiam servitus simul foras cum ipso timore mittenda: utrumq; enim junxit Apostolus, hoc est, servitutem & timorem, dicendo; Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore. Ad hanc servitutem servum pertinentem intuebatur & Dominus dicens: *jam non dicam vos servos, quia servus nescit, quid faciat Dominus ejus:* non utiq; ille servus pertinens ad timorem castum, cui dicitur; *Euge Serve bone, intra in gaudium Domini tui:* sed ille servus pertinens ad timorem foras à charitate mittendum. Hæc ille. Ergo homo per justificationem liberatur à mala servitute, & à servili timore, & comparat sibi libertatem à peccato, & metu illo: imò potiùs commutat ignobilem servitutem & vanum timorem, in veram justitiæ servitutem, & in timorem castum & Sanctum.

Circumcisio nihil prodest in Christo.

II. Quomodo circumcisio nihil prodest in Christo, de qua supra 2. dixerat: *Circumcisio quidem prodest, si legem observes?* R. Etiamsi olim circumcisio, ut erat signaculum justitiæ fidei, Judæis profuerit, si bona opera illi adjicerentur: tamen post Christum mortuum & suscitatum, vana facta est, & inutilis. Gentibus autem semper fuit noxia, quanquam Judæis ob fidei eorum infirmitatem, ad tempus tolerata sit, dum synagoga cum honore sepeliretur, & ea ratione, ne spem salutis in ea ponerent, putando esse necessariam ad salutem, qua ratione etiam Paulus Timotheum circumcidit, ac subdit: *Christus vobis nihil proderit.* Id est, fides in Christum, vel gratia Christi nihil proderit: & ab hoc opere retrahere poterat negotii difficultas. Nam circumcisio periculosa est vitæ humanæ: importabile quoq; & difficile jugum servitutis secum adferebat, quia signum erat universæ legis à circumcisis præstandæ.

III. Qua ratione circumcisio cogebat ad totam legem servandam, cùm Indi & Æthiopes se circumcidant, nec tamen se obligant ad legem servandam? R. aut factum illorum præposterum esse, & omnino damnandum, aut si error ille, ne sit noxius, condonandus est, dici posset, illos non ideo se circumcidere, quasi ex lege ad eam teneantur, aut

ut ea

ut eâ utantur quasi quodam Sacramento, ut velint prænuntiare Christum venturum, sed tantùm ad solam Christi imitationem, ex devotione eam suscipere. In quo tamen non leviter erratur, quia non omnis Christi actio nostra est instructio. Ipse enim se circumcidit, ut sua circumcisione circumcisioni illius populi, cujus eò usq; usus fuerat, vigorem conferret, usq; illi finem imponeret: sicut & Agnum phase manducavit, ut vetus testamentum impleret, non ut talia faciendi exemplum nobis præberet.

IV. Quis est sensus v. 4. *Evacuati estis à Christo, qui in lege justificamini: à gratia excidistis?* ℟ Evacuati estis à fructu Christi, qui ex lege quæritis justificationem, à gratia excidistis, quia diffiditis gratiæ, & aliunde quàm ab ea quæritis justificationem, & gratiæ ipsi vos ingratos præbetis. *Nos enim spiritu,* sive spirituali circumcisione, *quæ per charitatem est: spem justitiæ,* id est speratam justitiam, ac desideratam, *sive coronam* gloriæ exspectamus.

V. Quomodo *In Christo neq; circumcisio aliquid valet, neq; præputium* &c. v. 6. ? ℟ In Christi Evangelio neq; circumcisio, in qua Judæi olim gloriabantur, & quæ adventu Baptismi jam evanuit: neq; præputium in quo gentiles nonnulli se jactabant, aliquid jam valet. Prius quidem quàm veniret Christus, ac fides ejus explicata, aliquid valebat circumcisio, quæ erat signaculum justitiæ fidei Christi venturi: sed jam Christo exhibito, cognito, & per baptismum induto, tantùm fides ad salutem valet, & expletionem spei nostræ, non quidem quæcunq; aut sola, & nuda & informis, & otiosa ut hæretici volunt, sed illa, quæ per charitatem operatur, id est, quæ viva est, & efficax & dilectionis opera producit. Ita ut quoties fides commendatur ab Apostolis, non de mortua aut informi sit accipiendum, sed de illa, quæ viventes nos Dei gratiæ reddit, & ad bonorum operum merita proferenda nos impellit. Et hæc fides communis est circumcisis & incircumcisis: & non est in corpore, ut circumcisio, & præputium, sed in anima.

VI. Quomodo fides per charitatem operatur? ℟ non tanquam per instrumentum, ut volunt hæretici: quia charitas etsi Dei sit instrumentum, non tamen fidei, quia fidei habitus minor est charitate, ut docet Apostolus 1. Cor. 13. Deinde dici non potest, quòd fides operatur per charitatem tanquam per fructum, sive effectum à se prolatum, quia arbor nihil operatur per fructum. Fides ergo operatur per dilectionem tanquam per formam suam & perfectionem, ex qua etiam ipsa fides vim suam totam habet, & in justificando & in impetrando & in promerendo. Ita enim dicimus: homo per animam suam intelligit, aut ratiocinatur, cùm anima sit forma substantialis homini. Ita viva fides salutem operatur per dilectionem. Certè S. Bern. Serm. 2. de Resurrect. sic habet: *Sicut corporis hujus vitam ex motu suo dignoscimus; ita & fidei vitam ex operibus bonis. Itaq; vita quidem corporis est anima, per quam movetur & sentit; vita verò fidei charitas est, quia per illam operatur, sicut in Apostolo legis: fides quæ per dilectionem operatur.* Unde *& refrigescente charitate fides moritur, sicut corpus anima recedente.* ita ille. *Fides per charitatẽ operatur.*

VII. Quid est: *modicum fermentum totam massam corrumpit?* ℟ Perinde est, ac si dixisset; parvum errorem inficere totam substantiam religionis, illamq; evertere, etiamsi solam cum evangelio misceatis circumcisionem: quia qui se circumcidit, debitor est universæ legis faciendæ: quemadmodum olim observantia Paschæ more Judæorum, contra morem Ecclesiæ Romanæ magnas tragœdias in Ecclesia excitavit, & olim usus calicis Bohemos ab Ecclesia præcidit. Nam hæc quidem etsi modica sint in seipsis, paulatim tamen omnia evertunt, ut ostendit usus utriusq; speciei, quem urgentes hæretici in principio, in omnium hæreseon colluviem illos pertraxit. Verum enim est, quòd qui in uno fidei articulo invertendo pertinax est, nihil verè credit in reliquis, nam etsi maximè sibi credere videatur, fidem tamen non habet, sed opinionem. Et ratio est in promptu, quia discrepans ab Ecclesia, spernit eam, quæ est columna & firmamentum Veritatis, & cui soli innitendum erat, & non prudentiæ suæ. Fermentum verò significat malam doctrinam juxta illud; *intuemini & cavete à fermento Pharisæorum & Sadducæorum.* Matt. 16.

CAPUT VI.

Hortatur ad fraternam charitatem & ad opera misericordiæ: & in solo crucifixo gloriandum docet.

QUæstio I. Quomodo possumus *portare onus,* id est, peccata proximi, eumq; hoc onere levare? ℟ mò per compassionem, & lenitatem, lenem instructionem & correptionem, & hoc propriè intendit Apostolus. 2dò per orationem, si oremus pro eo, ut eum Deus hoc onere levet. 3tiò & perfectissimè per pœnitentias, si Christi exemplo proximi peccata voluntariis jejuniis, ciliciis, aliisq; pœnis luenda & expianda suscipiamus.

II. An non verba illa v. 5. *Unusquisq; onus suum portabit* pugnent cum superioribus, *alter alterius onera portate*? ℟. Non. Nam in illis verbis est sermo de onere sustinendæ alienæ infirmitatis, hic verò de onere reddendæ rationis, quod quilibet per se portabit, sive sit onus præmii, sive pœnæ, nam etiam æternæ vitæ gloria onus dicitur, juxta illud: *æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* 2. Cor. 4. Si verò dicantur alii reddere rationem pro aliis, ut pastores pro subditis ovibus, quarum sangvinem Christus de manu speculatorum requirit, & Apostolus: *ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri:* Apostoli verbo non contradicit. Quia prælati pro aliorum peccatis non puniuntur, sed pro propriis, quæ in custodia ovium sibi creditarum admiserunt.

III. Qualia *stigmata Domini in corpore suo* Paulus portavit? ℟. Stigmata Christi vocat plagas & cicatrices ex verberibus, vulneribus, & afflictionibus propter Christum susceptis corpori suo impressas, de quibus 2. Cor. 11. 23. quæ stigmata coram Deo non dedecora sunt, sed summæ laudes. Unde uti milites, vexilliferi & capitanei sua vulnera & cicatrices ostentant quasi signa fortitudinis & gloriæ bellicæ: ita ego Paulus hæc stigmata, has plagas quasi trophæa militiæ Christi non tantùm habeo, sed porto, inquit, & ostento. Ita Hieron. Chrysost. & alii. Quinq; vulnera Christi, manibus, pedibus & lateri S. Pauli infixa fuisse, ùt fuerunt infixa S. Francisco & S. Catharinæ Senensi, nullus veterum meminit.

EPISTOLA B. PAULI APOSTOLI AD EPHESIOS.

CAPUT I.

Laudat & benedicit Deum, quòd per Christum nos prædestinârit, & omni gratia cumulârit.

Electio ad fidem.

QUæstio I. De qua electione loquitur Paulus v. 4.? ℟. non loquitur de electione absoluta, nisi quantum ex parte ipsius Dei. Nam ex parte nostra requirit consensum & cooperationem, ùt Gal. 1. v. 15. dicit de suamet electione. Item non loquitur de immediata electione ad gloriam, ùt vult Suarez; sed ad fidem, justitiam, sanctitatem. Et eodem modo usurpat verbum *prædestinavit* v. seq. nempe inchoatè, seu ad justitiam. Et patet, quia omnes Ephesios, imò omnes Christianos, dicit hìc prædestinatos & Electos; certum tamen est, multos illorum fuisse reprobos & postea damnatos, quod completè & absolutè prædestinatis vel electis ad gloriam accidere non potest.

Prædestinationis causæ.

II. Quas causas prædestinationis nostræ ponit Apostolus? ℟. Ponit omnes, imò causam efficientem, scilicet Deum, cùm ait, *qui prædestinavit;* 2dò causam meritoriam, *per Jesum Christum;* 3tiò materialem, *nos;* 4tò formalem, *secundùm propositum voluntatis suæ,* (de quo Rom. 8. v. 28. & 29.) & in seu *ex charitate.* 5tò causam exemplarem, *in ipsum* scil. Christum, id est, ut Christo capiti nostro & exemplari, nos membra & imagines illius conformemur, hìc per Dei cognitionem, gratiam & amorem, in fututo per gloriam; 6tò causam finalem, *in laudem gloriæ gratiæ suæ,* id est, ut laudetur glorioſa & splendida gratia Dei. 7mò effectus prædestinationis & electionis hujus Divinæ recenset v. 7. redemptionem & remissionem peccatorum: & v. 11. vocationem nostri, seu conversionem ad fidem & justitiam: & v. 6. gratificationem nostri, per infusionem gratiæ sanctificantis, qua grati & gratioſi reddimur Deo & toti curiæ cœlesti: & v. 5. *adoptionem filiorum* ad cœlestem & æternam hæreditatem: deniq; v. 8. Omnem, id est, summam maximeq; sublimem *sapientiam* seu cognitionem rerum Divinarum, & *prudentiam* rerum ùt oportet agendarum. ita S. Chrysost. Amb. Anselmus, S. Thomas.

Sorte vocati sumus.

III. Quomodo *sorte vocati sumus* v. 11.? ℟. Sine ullis meritis nostris, quasi jacta omnibus sorte, cecidit super nos felix illa sors, ut ad Christianissimum vocaremur. Ex nostra enim parte (quia nihil agebamus, ut vocaremur, imò ne quidem de eo cogitabamus) mera fuit sors & planè fortuitum eò vocari: sed ex parte Dei nullo modo fuit sors, sed destinata electio, propositum & consilium, id est, Decretum, ùt mox sequitur. Porrò licet sors (modo jam dicto) nobis fuerit *vocari à Deo,* non fuit tamen sors *credere,* vel *sequi vocantem Deum,* quia hoc requirebat insuper assensum liberi arbitrii nostri antè gratiâ prævenți. Ex quibus patet, prædestinationem Divinam quo ad primum ejus effectum, qui est vocatio seu collatio primæ gratiæ prævenientis, non pendere ex bono usu liberi arbitrii vel ex meritis nostris, sed ex mero beneplacito Dei: quoad reliquos tamen subsequentes effectus, dici potest objectivè dependere à libero nostro arbitrio & merito. Nam habito illo primo effectu, ad reliquos requiritur noster consensus,

& possu-

& possumus illos promereri, v. g. justificationem de congruo, glorificationem etiam de condigno, ut Scholastici docent.

IV. Quomodo Deus Christum dedit *caput super omnem Ecclesiam?* R. Tam Gentium, quàm Judæorum; tam Angelorum quàm hominum; tam triumphantem quàm militantem. Christus enim, etiam ut homo, propter unionem hypostaticam cum Verbo Divino, nobilior est omnibus Angelis, & omnibus præest, imperat & dominatur, inquit S. Hieron. & Augustinus, imò S. Thomas, Albertus & plures alii, quos citat & sequitur Suarez 3. p. disp. 42. sect. 1. ac Valentia volunt probabile esse, Christum etiam Angelis meruisse omnem gratiam & gloriam; & bonos omnes per fidem in Christum mediatorem sanctificatos & gloriam adeptos esse: qui verò Christo homini hanc Mediatoris dignitatem superbè inviderunt, & Angelicæ naturæ tanquam digniori arrogare voluerunt, Dæmones factos & damnatos fuisse. Sed hoc Scholasticis disputandum relinquo. *Christus caput Ecclesiæ.*

CAPUT II.

Christus Gentiles Judæis, nullo ipsorum merito, sed gratis, per fidem conjunxit sibi & Deo in una Ecclesia.

Quæstio I. An idem est, mortuos esse in peccatis & delictis, quod mori peccatis & delictis? R. non esse idem. Mortuum esse in peccatis & delictis, idem est, quod per peccata & delicta, quia *anima, quæ peccaverit, ipsa morietur,* & de qua Dominus: *nisi credideritis, quia ego sum, moriemini in peccato vestro.* Mori autem peccatis in dandi casu, longè aliud est; quia est, non ampliùs vivere peccatis, nec illis ulterius incumbere, ut prius, de quo Rom. 6. dicitur; *Si enim mortui sumus peccato, quomodo vivemus in illo!* *Mori peccatis.*

II. In peccatis Ephesii olim quomodo ambulaverint? R. Progressum faciendo de uno peccato in alterum; nam peccatum, quod per pœnitentiam non deletur, suo pondere ad aliud trahit, ut qui in sordibus est, sordescat adhuc. Etsi ergo homo per fragilitatem cadat, non debet tamen perpetuò in peccato jacere. Ambulant verò ad malum, qui occaluerunt in peccato, & quovis flatu mundi aut Dæmonis, in priora prolabuntur. *In peccatis ambulare.*

III. Quid est *ambulare secundùm sæculum hujus mundi?* R. Nihil est aliud, quàm pro carnis nostræ & naturæ depravatæ arbitrio, & cupiditate ambulare in spe præsentium bonorum, nulla habita ratione futuræ vitæ: cujus argumentum erat, quòd Gentes in fama & auctoritate hujus mundi felicitatem collocabant. Fideles ergo, qui in Christo sunt, de hoc mundo translati sunt. Etsi enim corpore sint in mundo, non tamen corde, sed quæ sursum sunt quærunt, & quæ sursum sunt sapiunt: quia *qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis,* & illis mundus est crucifixus, qui instar Christi crucifixi damnatus est & abominandus. Translati sunt ergo à Deo, de hoc mundo in regnum Filii dilectionis suæ; & conversatio eorum in cœlis est: gustant virtutes venturi sæculi, habent partem futuri sæculi, non sunt filii hujus sæculi & tenebrarum, sed filii lucis. *Ambulare secundum sæculum.*

IV. Quid est *ambulare secundùm principem potestatis aëris hujus* v. 2.? R. Juxta instinctum & ductum Diaboli, qui in hoc àére dominatur & potestatem exercet miscendo ventos, ciendo tonitrua, fulgura & alias tempestates, item tentando & vexando homines. *Princeps aëris hujus*

V. Quomodo dicitur *Princeps aëris hujus,* cùm legamus eum esse principatu spoliatum atq; dejectum? R. Dæmonem revera per Christum principatum amisisse; sed nonnulli sunt, quibus annuntiata est libertas, qui noluerunt tamen credere, & libertatem oblatam recusârunt; & ideo adhuc manent sub ejus imperio. Nonnulli etiam post acceptum Evangelium, rursus per insidias & tentationes Diaboli seducti succumbunt, diligentes hoc sæculum, & bona mundi hujus; & in hos etiam resumit Satanas dominium juxta Domini parabolam Matt. 12. *Cùm immundus spiritus exierit ab homine &c. Tunc dicit, revertar in domum meam unde exivi: Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus nequiores se &c.*

VI. Quid significat: *in quibus & nos omnes aliquando conversati sumus in desideriis carnis nostræ?* R. In quibus scil. peccatis ac delictis nos quoq; mortui fuimus, & aliquando ambulavimus. Vel, in quibus, id est, inter quos filios inobedientiæ & incredulitatis inventi sumus peccatores, & ob beneficium Christi, non ullis meritis nostris, sed merâ Dei gratiâ pervenimus. Non est autem ignotum, quantum ipse Paulus Christo restiterit, & quomodo alligârit omnes Judæos, qui per civitates profitebantur Christi dona.

VII. Quomodo dicit *nos omnes,* cùm constet multos justos & Prophetas extitisse, qui ad Christum aspirabant, & sanctæ vitæ exemplo cæteris prælucebant? R. Omnes Judæi, quando in Moyse erant, tales ex se fuerunt, nec aliud, quàm peccatores esse poterant, quia lex iram operatur, donec quis inveniatur in Christo, in quo existens verus est Judæus, à Christo vero Juda denominatus. Ideo addit aliquando, id est, tempore no-

ctis & pueritiæ. *Facientes*, inquit, *voluntatem*, affectus, appetitiones, & suggestiones carnis ad gulam, ebrietatem & luxuriam spectantes. Et hæc sunt peccata carnis.

Naturâ filii iræ.

VIII. Quomodo *eramus naturâ filij iræ?* R. Non sic conditi sumus aut creati ab initio à Deo, qui fecit hominem rectum, & inexterminabilem, *& vidit cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Manichæus tamen dixit, hominem naturâ malum, naturaliter peccare. Sed utrumq; falsum est. Peccat enim libero arbitrio, & voluntate, non naturâ, & malus quidem est homo, sed suo vitio, non tamen ita à Deo conditus. Sed intellige, naturâ, id est, naturali inclinatione post Adæ peccatum: quia invenimur justitiâ & gratiâ Dei spoliati. Vel etiam dicere possumus naturâ, id est, nativitate, & sorte nascendi à talibus parentibus, sicut servi naturâ dicuntur, quia eorum progenitores servi fuerunt, & ideo nascuntur servi.

Ephesii sine Christo & sine Deo.

IX. Quomodo Ephesii olim *fuerunt sine Christo & sine Deo in hoc mundo* v. 12.? R. Sine Christi notitia & fide saltem expressâ & explicita: quia *Jesus Christus heri & hodie, ipse & in sæcula.* Ejus tamen promissio Judæis tantùm facta erat, qui sine Christo ob fidem & spem conceptam omnino non erant. *Sine Deo*, quia Deus nullum pactum cum illis aut commercium habebat, nec ullum colloquium, uti cum Judæis, quibus Deus respondebat de tabernaculo, & per Ephod & per Prophetas: ideo relicti erant in pura naturæ conditione, habentes tantùm librum creaturarum ad cognoscendum Deum, si *quomodo eum attrectare & invenire possent.* Act. 17. non enim illis Deus omnino deerat, de quo Rom, 3. *An Judæorum Deus tantùm? nonne & gentium? imò & gentium.* Unde & ministerio Angelorum usus est Deus ad illorum salutem promovendam, ut testis est Dionys. Areop.

Ephesii longè erant à Deo.

X. Quomodo Ephesij *erant longè à Deo*, à quibus tamen non longè Deus aberat? R. Non esse intelligenda hæc de distantia loci, sed de morum similitudine, ut dulce distat ab amaro, & album à nigro, & justus à peccatore; denique quisq; distat à contrario vel hoste suo: ita filius prodigus abiisse dicitur in regionem longinquam: & propheta: *longè à peccatoribus salus*, hoc est, Jesus, qui operatur salutem in nobis. Corde ergo & moribus distabant multùm à Deo Ephesij, de quibus poterat dicere: *cor eorum longè est à me.* Facti ergo sunt prope per Christi sangvinem, & est sermo de appropinquatione per gratiam & benevolentiam: quia essentiâ, potentiâ & præsentiâ adest semper omnibus Deus, imò est in omnibus. Et ampliando beneficii magnitudinem, addit, *in Sangvine Christi*, id est, per Sangvinem in cruce fusum, & Deo datum in pretium reconciliationis.

Parietem medium Christus solvit.

XI. Quid est *medius paries*, quem Christus solvit v. 14? R. Erat in atrio locus, in quo preces fundebant Judæi: erat & alter locus distinctus & separatus per murum quendam à mundis Judæis, qui in proximo orabant: quandoquidem in dedicatione templi illius rogaverat Salomon Deum, ut gentes in templum venientes & orantes exaudirentur, unde legimus gentiles confluxisse adorandi gratiâ ad templum Joan. 12. & Act. 8. venit Eunuchus Candacis Reginæ Æthiopum. Christus ergo dividit medium illum parietem, sive maceriam facientem diversa atria, & sublato interstitio remansit una vinea, una domus, unum ovile, & unus hortus.

CAPUT III.

Pergit extollere beneficium vocationis gentilium ad fidem & Ecclesiam Christi.

QUæstio I. Quo referenda sententia v. 1, *Hujus rei gratiâ, Ego Paulus*, cùm sit incompleta & careat verbo? R. Hanc sententiam post longam parenthesim (quam Apostolus suo more à v. 2. usq; ad 14. interjicit de beneficio vocationis gentium, cujus admiratione absorptum erat cor ejus, itaq; plenum, ut eò identidem recurreret, illudq; aliis & aliis verbis assiduè eructaret) expleri v. 14. ibi enim prima capitis verba repetens, subdit, eaq; explet, dicens: *Hujus rei gratia, flecto genua* &c. Hæc enim optimè cohærent cum initio hujus capitis, & fine præcedentis: cùm enim ibi dixisset. *In quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu Sancto*, mox suo more initio hujus capitis conversus ad Dei laudem, gratiarum actionem, & invocationem subdit: *Hujus rei gratiâ ego Paulus vinctus Christi Jesu, flecto genua &c.*

Vocatio gentium an fuit agnita.

II. Quomodo verum est vocationem Gentium non fuisse *agnitam filijs hominum, sicut nunc revelata est Apostolis & prophetis*, novi scil. testamenti *in spiritu* v. 5. cùm tamen Isaias & alij Prophetæ clarissimè prophetaverint de eadem gentium vocatione ad fidem Christi? R vocatio gentium ad eandem Ecclesiam, gratiam & dignitatem cum Judæis, priscis Prophetis quidem innotuit, sed paucis, idq; obscurè & in confuso: Apostolis verò & prophetis novi testamenti, qui illam curare & exequi debebant, omnibus clarè & distinctè eadem à Deo revelata est. Unde vis est in voce *sicut*, q. d. non ita

planè

planè & particulatim hoc myſterium vocationis Gentium innotuit Prophetis antiquis, ſicut revelatum eſt Apoſtolis, qui illius modum, locum, tempus, ordinem aliasq; circumſtantias in particulari & ſpiritu Dei revelante præviderunt, & experientiâ ac reipſa viderunt, cùm easdem Gentes converterunt: pleniùs enim cernitur res dum opere completur, quàm cùm ſpiritu futura à longè prævidetur.

III. Quomodo Angeli illuminantur ab hominibus & Eccleſia v. 10.? ℟. Illuminantur per Eccleſiam, id eſt, per ea, quæ geſta ſunt à Chriſto & Apoſtolis in Eccleſia, perq; gratias & dona Eccleſiæ ab iis communicata, multa myſteria Chriſti & Chriſtianorum Angelis innotuiſſe, quæ prius ignorabant. Licet enim myſterium incarnationis & redemptionis noſtræ, quoad ſubſtantiam ex revelatione à principio ſuæ beatitudinis cognoverint; non tamen omnes ejus partes, ſpecies, cauſas, effectus, modos & circumſtantias cognoverunt, ſed didicerunt, cùm ea in Eccleſia fieri, exhiberi & geri viderunt. Talia fuerunt inſtitutio Sacramentorum, præſertim Euchariſtiæ; modus & ratio juſtificandi peccatores, diviſio & miſſio Apoſtolorum, in tales & tales provincias, ordo hierarchicus Apoſtolorum, Sacerdotum, Diaconorum, aliorumq; miniſtrorum Eccleſiæ; vocatio Gentium, de qua propriè hìc loquitur Apoſtolus.

Angeli illuminantur ab Eccleſia.

CAPUT IV.

Hortatur ad varias virtutes, & maximè ad charitatem fraternam.

QUæſtio I. An quia *Chriſtus cælos aſcendit, ut impleret omnia* v. 10. rectè inferant Ubiquiſtæ, humanitatem Chriſti eſſe ubiq;, eò quòd Divinitate ſua jam pridem, imò ab æterno implevit omnia? ℟. non rectè: quia non agitur hìc de impletione phyſica, ſeu corporali ſaltem adæquata, qua neceſſum ſit, eum locis omnibus & ſingulis locorum partibus adeſſe corpore præſentem: ſed ùt ſummum de partiali & inadæquata impletione, quâ præſentem ſe aliquando ſiſtat omnibus locis, eo modo quo Rex ſui regni partes viſitat, ad quod ſufficit, ſi ſingulis locis ex parte & ſucceſſivè præſentem ſe exhibeat. Ita enim Chriſtum quaſi à recenti victoria triumphabundum, & novis ubiq; regnis & poſſeſſionibus inaugurandum, omnia univerſi loca impleviſſe novâ ſuâ gloriâ, majeſtate, triumpho, adde & præſentia corporali, ſed inadæquata (ut dixi) & ſucceſſiva docent Theophyl. Oecumen. & Bernardus. Sed S. Chryſoſt. & Hieron. volunt dici Chriſtum ſuo aſcenſu *impleviſſe omnia*, id eſt, omnes figuras & prophetias, quæ de hoc aſcenſu extabant in Scripturis. Addunt S. Amb. ep. 16. & S. Thom. *impleviſſe omnia*, id eſt, totam Eccleſiam, imò univerſum mundum, ſuâ munificentiâ, nempe omnis Generis donis, gratiis, ſignis, miraculis.

Chriſtus aſcendit, ut impleret omnia.

II. Quomodo Filius Dei de cœlo deſcendit: nam juxta Divinitatem nec deſcendit, nec aſcendit, quia implet omnia. Juxta humanitatem etiam minimè deſcendit, quia ibi nunquam fuit, & aſſumpta fuit in utero Mariæ, niſi velis ſomniare cum Valentino hæretico corpus de cœlo traxiſſe? ℟. Deſcendit, quia aſſumpſit humanam naturam non in gloria, & immortalitatis honore, ùt par erat, quia etiam erat vera Dei forma, ſed naturam corruptibilem & mortalem, quæ erat forma ſervi, & quam aſſumendo, plus deſcendiſſe credendus eſt, quia ille locus cœli, illi naturæ, quam debuit aſſumere, ſuo jure debebatur. Pariter cùm à mortuis reſurrexit, dici poteſt aſcendiſſe, quia accepit formam cœlo dignam, & cujus terra digna non erat. Quod autem manſit ad tempus, diſpenſativè factum eſt, ad probandam reſurrectionem, ac illi ſuſcitato debita fuit ad dexteram Patris ſeſſio, ex quo in tanta ac tali forma reſurrexit, etſi ad dies 40. Aſcenſionis reipſa diſpenſatum fuerit. Sicut anima ejus in inferno detineri non potuit, ſed ad tempus tantum propter confirmandam reſurrectionem, & Apoſtolorum doctrinam.

Deſcenſus Chriſti.

III. Cur potiùs Chriſtus, quàm Pater aut Spiritus Sanctus Eccleſiæ dicitur dediſſe miniſtros v. 11.? ℟. Una eſt & eadem operatio Trinitatis, cùm extra ſe operatur, ita ut quidquid uni perſonæ tribuitur, idipſum juxta veram Theologiam, reliquis duabus attribuendum ſit, cùm una & eadem ſit numero omnium trium natura, virtus & operatio.

IV. An quia Deus dat Eccleſiæ Paſtores & Doctores, propterea ſint juris Divini? ℟. Certum eſt eos, quos Deus ſua immediata vocatione ad Apoſtolatum aut aliam Eccleſiaſticam dignitatem evexit, Divino jure eſſe conſtitutos, nec poſſe ulla auctoritate humana deponi à functione ſua, aut in ea reſtringi, niſi ipſe contulerit majorem alicui Magiſtratum, qui in eos poſſit, quemadmodum Petro contulit ſuper omnes Apoſtolos, qui eos per ſe mittebat, & in officio continebat, ac moderabatur loco Chriſti: reliqui verò qui per intermediam Eccleſiam ad magiſtratus Eccleſiaſticos vocantur, ſunt jure Divino conſtituti appellandi, ſed jure tantùm Eccleſiaſtico & canonico: & iſtos omnes dicitur Chriſtus dare, quia per miniſtros ſuos majores in Eccleſia illos vocat: ac proinde ſubjecti ſunt ſuis majoribus, qui eos & magiſtratu ſpoliare, ſi expediat, & uſum poteſtatis limitare poſſunt. Et id opus erat ad unionem Eccleſiæ ſervandam, & ad fidem reu-

Paſtores Eccleſiæ dati ſunt juris Divini.

retinendam, & ad disciplinam conservandam.

V. Quomodo intelligendus est v. 11. *Ad consummationem Sanctorum &c.?* R. Ut in suo quisq; gradu perficiatur *in opus ministerii*, id est, ad strenuè obeundum munus, quod cuiq; impositum est, *in* mystici *corporis Christi*, id est, Ecclesiæ, *ædificationem*, promotionem & perfectionem, tam in moribus, quàm in fidei scientia, inquit S. Anselmus. Porrò spirituali huic ædificationi oportet pastorum industriam continuò insudare. *Donec occurramus*, Græcè perveniamus *omnes ad unitatem*, & soliditatem *fidei*, cæterarumq; virtutum Christianarum: debent enim hæ paulatim in nobis adolescere, & excrescere *in virum perfectum*, seu adultum, ut non semper infantes simus vel parvuli & in viros aliquando evadamus adultos & perfectos in Christo, seu in cognitione & dilectione Christi; quæ perfecta cognitio ac dilectio est plena mensura, seu statura, & matura ætas hominis Christiani. ta Hieron. Chrysost. Amb. Aug & alii. Et hic est sensus literalis hujus loci. Complures tamen Scholastici *per mensuram ætatis plenitudinis Christi*, intelligunt plenam, virilem & perfectam staturam corporis humani, qualis fuit Christi, cùm esset annorum 34. Dicuntq; omnes, etiam qui in infantili ætate mortui sunt, resurrecturos ea magnitudine & statura, quam singuli habituri fuissent (nisi contigisset naturam seu morbo, seu casu violento impediri) in ea ætate, quæ respondet plenæ ætati Christi, nempe anno ætatis singulorum 34. vel 35. Velle autem ex hoc loco tollere in resurrectione diversitatem sexuum, quasi fœminæ omnes, exceptâ fortè Deiparâ, resurrecturæ essent in sexu virili, ut sensisse videntur Basil. Hilarius, Athan. & Scotus, erroneum esse docent Tertull. Hieron. Aug & passim Scholastici. Neq; verum est, quod illi ajunt, sexum fœmineum esse naturæ vitium vel imperfectionem, cùm sit naturalis conditio & perfectio, licet minor quàm virilis: fueritq; etiam in statu innocentiæ, & quidem necessario ad sobolis propagationem, & consequenter ad speciei humanæ propagationem & conservationem.

CAPUT V.

Hortatur ad imitationem Dei & Christi: avocat ab operibus tenebrarum, advocat ad opera lucis: jubet mulieres viris subjectas esse, viros autem diligere uxores suas.

Avaritia idolorum servitus.

QUæstio I. Cur avaritiæ vitium dicitur *idolorum servitus?* R. quia avarus signatas nummorum suorum effigies colit pro Deo, imò præ Deo diligit, sicut idololatræ statuas suas aureas & argenteas, inquit Theophyl. Et ùt hi in Jove & Marte, sic ille in Mammona, spem omnem victûs, vitæ & felicitatis suæ reponit, & cor, mentem, animam totam illi immolat, nec audet idolum suum contingere: pro templo, arcâ, claustris & vectibus illud sepit, tantâ curâ & studio, ut malit oculos & animam perdere quàm thesaurum suum, inquit S. Chrysost: additq; postquam idolum suum sic concluserit, exinceps illud adorare: alludens cum Herode Sophista, ad Aloadas, qui postquam Martem incarcerâssent, ei sacrificârunt, teste Philostrato.

Peccata tenebræ.

II. Cur peccata dicuntur tenebræ? R. Quia peccantes oderunt lucem, & quærunt tenebras. Pudet enim eos in luce palàm coram hominibus tam pudenda facere & peccare. Deinde quia peccata rationis judicium excæcant. Semper enim peccatum oritur, vel ex errore, vel ex imprudentia, inconsideratione & inadvertentia aliqua rationis, & intellectûs: ac rursum cùm committitur, eandem adauget, ob fuscatq; rectum prudentiæ & conscientiæ dictamen per proclivitatem ad idem peccatum iterandum, quam animo ingenerat.

Ecclesia sancta sine macula & ruga.

III. Quomodo Ecclesia dicitur, *Sancta sine macula & ruga*, v. 27. cùm in ea multi sint peccatores? R. dicitur *sancta*, non quòd omnes, qui in ea sunt, tales sint; sed quòd præcipua Ecclesiæ pars, quæ Christo proximè adhæret, scil. sancti, qui non tantùm fide, sed gratia ac charitate Christi præditi sunt, tales sint. Tota ergo Ecclesia dicitur *sancta*. Primò, quia caput Ecclesiæ, scil. Christus, & præcipua ejus membra sunt sancta. 2dò dicitur *sancta*, quia sancta habet Sacramenta, sanctas leges, Sanctum Sangvinem Christi, & Christus, quantum est ex parte sua, eam planè sanctificavit, quia omnia sanctitatis media illi dedit.

Ecclesia formata de carne & ossibus Christi.

IV. Quomodo verum est, Ecclesiam, id est, nos fideles formatos esse *de carne & ossibus Christi* v. 30. R. Sicut ex latere & costa Adæ dormientis formata est Eva, ita ex carne & ossibus Christi in cruce immolati, & dormientis, id est, morientis, formata est Ecclesia. Quod intellige cum Cyrillo & Chrysost. symbolicè & meritoriè; quia scil. per pretium & meritum carnis, sangvinis & ossium Christi immolatorum in cruce instituta & sanctificata est Ecclesia. Unde in hujus rei symbolum & significationem, de latere Christi mortui fluxit sangvis & aqua, ut aqua significaret baptismum, qui est principium Ecclesiæ & Sacramentorum, à Christi sangvine & morte manare, suamq;

amq; efficaciam trahere: ſangvis ſignificaret Euchariſtiam, quæ omnium Sacramentorum complementum eſt & finis, pariter à Chriſti ſangvine & morte manare. Sub quibus duobus cætera omnia Sacramenta comprehenduntur; cætera enim omnia ad hæc duo referuntur, & hiſce duobus quaſi initio & fine concluduntur. Hinc S. Aug. tr. 120 in Joan. ait omnia Sacramenta ex latere Chriſti emanâſſe: quod intellige non de merito (erat enim Chriſtus jam mortuus, qui nihil agere aut mereri poterat) ſed myſterio, ſymbolo & ſignificatione.

V. De quo matrimonio loquitur v. 32. *Sacramentum hoc magnum eſt?* ℟. Hoc, nempe primum matrimonium Adami & Evæ, & pari ratione, omne deinceps aliud matrimonium tam veteris quàm novæ legis, *eſt magnum Sacramentum* ſeu myſterium aut arcanum, vel ſignum rei ſacræ, nempe *in Chriſto & in Eccleſia*, id eſt, repræſentativum Chriſti & Eccleſiæ, ſeu conjunctionis Chriſti cum Eccleſia, factæ in incarnatione, qua Chriſtus viſus eſt quaſi relinquere patrem ſuum, poſtea etiam matrem ſuam ſynagogam, ut ſponſæ ſuæ Eccleſiæ Chriſtianæ adhæreret. Eccleſia viciſſim reliquit Patrem ſuum Diabolum, & matrem cœtum infidelium, ut ſponſo ſuo Chriſto adhæreret. Sed matrimonium Adæ & cæterorum veteris legis erat ſignum futuræ illius conjunctionis Chriſti cum Eccleſia: matrimonium novæ legis eſt ſignum ejuſdem conjunctionis jam factæ: ideoq; à Chriſto inſtitutum propriè Sacramentum dictum, conferens gratiam & mutuum conjugum amorem. *Matrimonium Sacramentum magnum.*

CAPUT VI.

Quod ſit officium filiorum erga parentes, ſervorum erga Dominos, & contrà. Quàm acris pugna fidelibus ſubeunda, & quibus in ea armis utendum.

Quæſtio I. Quid eſt *obedire in Domino?* ℟. Nihil aliud eſt, quàm obedire, quatenus Dominus & lex Evangelica permittunt, & in nulla re pietati contraria obedire. Nam ubi parentes contrarium Chriſto præcipiunt, obediendum eſt Deo magis, quàm hominibus. Alibi quoq; ait de muliere, ut *cui vult, nubat, tantùm in Domino:* 1. Cor. 7. id eſt, more Chriſtiano, quo lex Chriſtiana docet eſſe nubendum. & alio loco dicitur, *Beati mortui, qui in Domino moriuntur:* id eſt, qui more Chriſtiano præparati, & precibus ac Sacramentis muniti mori ſolent. *Obedire in Domino.*

II. Quo ſenſu dicit obedire parentibus eſſe primum mandatum in promiſſione, cùm ſit quartum? ℟. Primum vocatur ex his videlicet quæ ad proximos vel ad ſecundam tabulam ſpectant. Adjicitur promiſſio quarto præcepto, & non cœteris ſequentibus quia in reliquis operationes malas prohibet, in quarto verò bonam præcipit, quæ ſita eſt in honorandis parentibus, ut annotavit Oecumenius. *Obedire parentibus primum mandatum*

III. Quando parentes ad iracundiam provocant filios? ℟. Quando cum eis non agunt eâ, qua decet moderatione, vel cùm ſe eis duros, inexorabiles præſtant, aut cùm ſervorum officia eis imperant, aut quando gravius quàm par ſit, puniunt, & inde animi abalienationem & iræ vindictam & odium concipiunt contra parentes. Sed ſicut nimia parentum in filios indulgentia improbatur, & fomentum ſolet eſſe peccandi; ita etiam nimia ſeveritas & duritia hoc loco interdicitur. Legimus enim & Heli ſacerdotem peccantibus filiis in avertendis hominibus à ſacrificio indulgentem reprehenſum fuiſſe 1. Reg. 2. Et Saulis in Jonatham filium nequaquam toleratam nimiam aſperitatem. *Parentes ad iracundiam provocant filios.*

IV. Quid intelligit *per ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus* v. 12.? ℟. Spirituales nequitias vocat Dœmones, qui in cœleſtibus, id eſt, ſublimibus locis, ſeu in aëre degunt. Nam teſte S. Hieron. communis eſt Patrum opinio, àërem iſtum plenum eſſe Dœmonibus, in eoq; procellas, turbines, tempeſtates, quibus noceant hominibus, non rarò ciere: ſervato etiamnum inter ſe ordine ſuo naturali, ut inferiores ſcientiâ & nequitiâ ſubſint ſuperioribus, quo poſſint commodius & acrius bellum hominibus inferre. Alioquin finito iſto bello & ſublato fine, ob quem in hunc ordinem conſpirant, veriſimile eſt, nullum ampliùs alteri pariturum in inferno. Et hoc inſinuare videtur Paulus, cùm ait 1. Cor. 15. v. 24. in extremo Judicio *evacuandum omnem principatum & poteſtatem & virtutem.* *Spiritualia nequitiæ in cœleſtibus.*

V. Quæ ſunt tenebræ, & qui ſubditi tenebricoſorum principum v. 12? ℟. det S. Bern. ſerm. de diverſis affectionibus. Tripliciter mihi videntur homines eſſe ſub principe tenebrarum; primùm quidem nec volentes, nec nolentes: quod convenit his, qui necdum habent voluntatis uſum: ſunt tamen vaſa iræ propter peccatum originale. 2do modo volentes, cùm jam voluntate peccant. Tertio quoq; modo volentes, cùm jam reſipiſcere vellent, niſi quòd peccati conſuetudine miſerabiliter obligati, juſto Dei judicio, qui *in ſordibus ſunt, ſordeſcant adhuc.* hæc Bern. Peccatum, ut video, ſunt eæ, quas inquirimus, tenebræ: Si enim internas & in nobis inſitas peccati radices, cauſasq; ejusdem peccati externas, atq; impulſivas expendas, præcipuam earum cauſam invenies Dœ-

monem, tentandis mortalibus, & in ruinam impellendis juratum, & omni ſtudio intentum. Si verò modum conſideres, quo peccatum admittitur, excuſationum & prætextuum larvis, quavis caligine quadam involvi videbis. Si autem & loca percurras, quibus perpetratur à nobis, latibula occurrent, & ſolitudines quæſitæ, & caligine contectæ noctis horæ, ùt Chriſtus Dominus dicit Joan. 3. *Omnis, qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus.* Si deniq; fructuum à peccato naſcentium refricare memoriam velis, & ablatio gratiæ, & cœcatio mentis, & oblivio numinis, & æterni ſupplicii reatus ſe offerent. Quas autem tu tenebras dices, ſi has eſſe non videas? Ah tenebrarum tenebras! Principes peccati vocat Dæmones Cyrill. Catech. 2. Dæmones ergo in terra noſtra ſunt principes tenebrarum. His adde, quòd miſeros mortales principatui ſuo nonniſi fraudulentis atq; tenebricoſis technis ſubjiciant. Primum omnium Patrem, & in ipſo genus univerſum ſub poteſtatem miſſùrus, ſe formâ ſerpentis veſtivit.

EPISTOLA B. PAULI APOSTOLI AD PHILIPPENSES.

CAPUT I.

Hortatur ad conſtantiam in fide, etiam ſuo exemplo. Et licet optet diſſolvi & eſſe cum Chriſto, innuit tamen adhuc ſe in carne manſurum, ad majus illorum auxilium & conſolationem.

Presbyteri etiam vocantur Epiſcopi.

QUæſtio I. Quomodo Paulus ſcribit Epiſcopis in plurali, cùm in civitate Philippenſi tantùm unus eſſet Epiſcopus? ℟. Per Epiſcopos hìc intelligit Presbyteros. Unde Syrus vertit, *cum presbyteris & eorum miniſtris.* Vult enim his duobus nominibus ſalutare totum clerum Philippenſium. Unde Presbyteros vocat Epiſcopos, Diaconos verò, Subdiaconos, & reliquos inferiores, digniori Diaconorum nomine complectitur. Epiſcopum autem non ſalutat, quia hic erat Epaphroditus harum lator literarum, ita Theodor. Ubi nota, hæc nomina Epiſcopus & Presbyter olim communia erant omnibus Sacerdotibus tam majoribus, quos jam propriè Epiſcopos, quàm minoribus, quos Presbyteros nominamus. Sic Act. 20. 28. Paulus ad majores natu Eccleſiæ Epheſinæ: *Attendite,* ait, *vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos* (id eſt, Presbyteros & Paſtores) *regere Eccleſiam DEI.* Nec enim Epheſi plures, quàm unus, erant Epiſcopi propriè dicti. Unde tam hìc quàm 1. Timot. 3. ab Epiſcopis tranſit ad Diaconos, nec nominat Presbyteros, quia ſcil. eos Epiſcoporum nomine intelligit.

Presbyter non eſt par Epiſcopo.

II. An hinc bene inferant Aerius & Wiclef jure Divino Presbyterum in ordine & poteſtate, parem eſſe Epiſcopo? ℟. Perperam. Par quidem eſt in Sacerdotio (in poteſtate conſecrandi, ſacrificandi, ſolvendi à peccatis) qui ſeptimus & ultimus eſt ordo; non autem in poteſtate ordinandi & conſecrandi, nec in poteſtate jurisdictionis; hiſce enim Epiſcopus præcellit Presbyterum. Vide Bellarm. l. 1. de Cler. c. 5.

Æmuli & invidi Pauli.

III. Quinam fuerunt æmuli & invidi Pauli v. 17? ℟. Fuerunt contentioſi Prædicatores Chriſtiani, oriundi ex Judæis, ùt videtur, ſed ambitioſi, mercenarii & improbi, utpote qui Pauli æmuli ex Evangelio non aliud, quàm ſuam gloriam & lucrum quærebant. En quid etiam inter Chriſtianos facit cœca ambitio & invidia, prorumpit ad preſſuras Pauli etiam vincti, eiq; inſidias & mortem machinatur per ſuum ipſius Evangelium, ipſoq; facto dicit: pereat Paulus, pereat prædicatio, pereat fides, pereat reſpublica, pereat Eccleſia, ac ſimul cum ea pereamus & nos ipſi, dummodo ad breve tempus, ad momentum ſimus in honore & gloriâ.

CAPUT II.

Hortatur ad mutuam concordiam, charitatem & humilitatem exemplo Chriſti.

Humilitas erga inferiores.

QUæſtio I. Quomodo fieri poteſt, ut quiſq; alios ſibi ſuperiores exiſtimet v. 3. cùm nobis conſtet multos eſſe inſignes peccatores, & multis rationibus nobis inferiores. ℟. explicat ſe Paulus v. 4. *non quæ ſua ſunt ſinguli conſiderantes, ſed ea quæ aliorum.* Vult Apoſtolus nos non intellectu ita exiſtimare, ſed facto ipſo & opere, ut ſcil. quò major quis eſt, eò magis ſeipſum ſubmiſsè gerat, ac deprimat propter proximum, ita illi ſerviendo ac miniſtrando, ut minorem ſe oſtendat. Ita Chri-

Christus propter excellentem charitatem & humilitatem suam, superiores cæteros arbitratus est, non quidem ipso intellectûs assensu, sed ipso facto præcingens se & serviens nobis. Neq; docet Apostolus, ut ignoremus scientiam, aut virtutes, quæ nobis insunt & quibus alios præcellimus, aut ut dicamus alios nobis præcellere, quos verò constat non præcellere; sed ut cum omni excellentia nostra ita nos geramus per humilitatem & charitatem erga proximos, ac si verè illi nobis superiores essent. Rectè dixit Sapiens Eccle. 3. *Quantò magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam.*

II. Quomodo nos *idem in nobis sentire debemus, quod & in Christo Jesu,* nobis infinitis partibus majori? R. Jubet Apostolus singulos eundem sensum & affectum, qui fuit in Christo, induere, non quidem quatenus Deus purus erat, sed quatenus homo, pastor, magister, servator & exemplar nostrum, nobis præluxit. Quodsi ille tantus, ad quem collati vos, nihil estis, fecit se nihili propter vos, & dejecit se ad formam servi, imò ad mortem probrosissimam, quo nostris commodis consuleret, enitendum ergo vobis est, ut affectum hujusmodi induatis, celando virtutes vestras, & dona sive naturæ sive gratiæ, ut spiritus, quibus ad alta quæq; & sublimia secundum sæculum sectanda & expetenta ferri homines solent, comprimatis: ut aliorum commodis, propriis etiam neglectis, studeatis. Non est propriè similium comparatio, sed majoris & minoris; humilitas enim Christi est, ex summo gloriæ fastigio se dejicere ad infimam usq; ignominiam: nostra verò est, falsa opinione nos non efferre, aut intumescere; cessit ille juri suo: à nobis tantùm requiritur, ne plus nobis sumamus quàm oportet.

III. Quomodo *Deus operatur omnia in nobis & velle & perficere,* nunquid sine nobis, an nobiscum? Si Deus operatur in me & velle & perficere, quod inde meritum comparo? R. Volumus nos & operamur salutem nostram, dum volumus & operamur præcepta: etsi Deus operatur, ut velimus, illuminando, & suaviter monendo & trahendo, nos tamen sumus qui volumus, cùm possemus non velle & possimus non operari. Nam multi sunt, qui nolunt, & qui resistunt. Et nos sumus, qui facimus & perficimus opera, sed Deo ipso cooperante & adjuvante tum per gratiam, tum per externa auxilia, & sic operatur in nobis, ut nos quoq; operemur cum eo. *Faciam,* inquit Dominus Ezech. 18. *ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis & operemini.* Operatur ergo ille, ut & nos etiam operemur. Operatur quidem in nobis sine nobis: ut cùm vocat, cùm illuminat, cùm excitat, & cùm habitus gratiæ & virtutum dignos creat vel infundit: cooperatur verò nobiscum, dum facit, ut velimus acceptare gratiam Dei, & operemur opera fidei, & perseveremus, & in afflictionibus patienter sustineamus. Nos porrò sine illo & ejus gratia nihil penitus boni, sive interius sive exterius operamur.

Deus omnia operatur in nobis.

IV. Quid denotat *pro bona voluntate.* v. 13? R. Pro beneplacito & ultraneo affectu. Neq; enim debentur nobis primæ gratiæ prævenientes aut excitantes, quibus intellectum nostrum illuminat Deus, immittendo illi pios affectus seu motus: sed gratuitò prorsus subministrantur. Unde meritò docent SS. Patres, omne bonæ volitionis, fidei & salutis initium, continuationem, effectionem & perfectionem esse à Deo & à gratia divina, non exclusa tamen cooperatione liberi arbitrii. Nam ut bene notat S. Bern. etsi Deus primum cogitare, seu primas gratias prævenientes, operetur in nobis sine nobis: velle tamen seu consentire gratiis prævenientibus, non nisi nobiscum operatur, sicut perficere, seu exequi opus bonum per nos operatur. *Sic autem ista cum arbitrio operatur, ut tantùm in primo illud præveniat, in cæteris comitetur: ad hoc utiq; præveniens, ut jam sibi deinceps cooperetur.* Et verò, si (ut volunt Lutherus, Calvinus & horum sequaces) hæc à solo Deo penderent, cur adeò solicitè Paulus hortaretur hîc Philippenses, ut cum metu & tremore suam ipsi salutem operentur. Ita S. Aug. Bern. & alij Orthodoxi.

CAPUT III.

Judaizantes (qui docebant legalia Moysis servanda esse simul cum Evangelio) item assectas Simonis Magi, negantes Christum verè crucifixum, acerrimè insectatur.

QUæstio I. Quos vocat *canes* v. 2.? R. Judaizantes, quos excitavit diabolus contra Christum sub ejus tamen ficto pallio incedentes, sive quia, quod erat in Christo sanctum, vel sanctificatum, ut cibos & alia, pollutum dicebant; sive quia revertebantur ad vomitum sicut canes, recedentes à sancto quod acceperant mandato; & ad legem, quam semel evomuerant in baptismo revertentes: aut quia ut canes, quibus Sanctum non est dandum, detrahebant veritati, & homines veritatem prædicantes, ut Paulum, mordebant & lacerabant.

Judaizantes vocantur canes.

II. Cur vocantur *mali operarij & concisio*? R. Vocantur *mali operarij*, quia prætextu ædificandæ Ecclesiæ non solùm non ædificabant, sed destruebant, miscere volentes cum Christianismo Judaismum. *Concisionem* eos nominat, & est allusio ac agnominatio ad circumcisionem, usurpatq; abstracta pro concretis more Hebræo, ut scelus pro sceleſto. Nec proprio sed alieno vocabulo eos appellavit, in contemptum. Quia conciditur, inquit Chrysost. Serm 10. tom. 4. quod inutile & temere, ac præter artem inciditur; circumciditur verò, quod expolitur rejectis supervacaneis. Et significat schismata & scissiones, quas ob circumcisionem & legem retinendam faciebant. Hinc Hiron. in Michææ c. 5. ait: *Nequaquam juxta Apostolum vocaris circumcisio, sed Concisio.*

III. Quo sensu dicitur: *nos sumus circumcisio*? R. Nos potiùs sumus circumcisi, qui non unius membri pelliculam, sed totius carnis vitia resecamus. Illi vocentur concisio vel concisi, qui circumcisione abutuntur, & extra tempus suum protrahunt, cùm jam terminum habuerit.

IV. Quo sensu dicitur v. 4. *quanquam ego confidentiam habeam & in carne?* R. non omnino asserit se in iis carnis prærogativis gloriari, estq; modus potentialis loquendi, q. d. Non deest mihi modus gloriandi, si modo velim: nec quisquam putet, damnare me circumcisionem, quasi gentilis sim; nam ego sanè, si liceret, generis mei nobilitatem & gloriam in Judaismo, narrare possem, si quis est alius, qui apud vos versetur: non enim ego condemno, quæ non habeo, nam si quis gloriari potest in carne, ego maximè, qui circumcisus sum octavo die.

CAPUT IV.

Hortatur ad spirituale gaudium, & ad perfectam sanctitatem.

QUæstio I. Quænam fuerint mulieres Evodia & Synthyche inter se dissentientes? R. Videntur nobiles fuisse ac præcipuæ, & quæ habebant aliquid publici muneris, etsi non constet, quale illud fuerit. Constat etiam illas parum inter se convenisse: quas Paulus obsecrat, ut idem sentiant in Domino, id est, ut concordes sint. Neq; videtur, quòd fuerit earum dissensio de dogmatibus, sed potius animorum discordia: & fortè mulieres istæ Judææ erant, etsi nomina Gentilia sint & Græca. Sicut moris erat Judæorum, ex quo commisceri cum Gentibus cœperunt, assumere nomina Græca. Aut verisimilius est, Philippenses fuisse, quia primam concionem habuit Paulus ad mulieres extra portam juxta flumen Act 16. ubi etiam solebat oratio fieri, Lydiamq; purpurariam Apostolus Christo lucrifecit. Et dicit eas mulieres secum laborâsse, vel potiùs ut Græcè dicitur, decertâsse in Evangelio, scil. propagando; & cùm edoctæ fuissent ab Apostolo, aliquid postea simultatis inter eas intercessit, & ideo eas ad concordiam redigere conatur.

Liber vitæ. II. Quis est *liber vitæ* v. 3.? R. Liber hebraicè vocatur catalogus vitæ, id est, viventium, sive eorum, qui conscripti sunt ad vitam æternam: hic autem catalogus extat in mente, præscientia, & prædestinatione Dei; hæc ergo dicitur liber, sive catalogus Dei, in quo Deus omnium justorum, qui in justitia perseverant, & in gratia moriuntur, nomina quasi descripsit, ut nos vitâ & coronâ æternâ donet, ait Theophyl. Sic enim apud homines, qui ad aliquod munus aut dignitatem eliguntur, conscribuntur in libro, uti milites & Senatores, qui inde dicti sunt Patres conscripti, ùt ait S. Thomas. Pari modo eadem mens, præscientia & reprobatio Dei, dici potest liber mortis, in quo Deus omnes, qui in peccato moriuntur, describit, ut æternâ eos morte puniat. ita Theophyl. Licet S. Thomas non admittat librum mortis, sed tantùm vitæ, eò quòd hujus nominis, non illius meminerit Scriptura: & quia Deus, cujus natura est bonitas, per se ordinat & conscribit suos ad vitam; ad mortem verò non per se, sed quasi coactus malitiâ & peccatis, impios destinat & transcribit.

III. Quomodo quis scribitur in libro vitæ? R. Dupliciter. Primò absolutè & completè: ita scribuntur omnes & soli illi, qui in gratia moriuntur, ideoq; Electi sunt ad vitam æternam. 2dò inchoatè tantùm: ita scribuntur in libro vitæ justi omnes, qui adhuc in hac vita luctantur cum mundo, carne & Dæmone, ut si in justitia perseverent, completè scribantur in libro vitæ, eliganturq; & perveniant ad vitam æternam; si non perseverent, deleantur de libro viventium, ùt ait David Ps. 68. 29. Hoc secundo modo dicit Paulus Clementem & alios suos adhuc viventes scriptos esse in libro vitæ: nec enim vult eos omnino certos reddere de sua perseverantia, salute & electione ad gloriam, eamq; Philippensibus omnino revelare, nec rursum vult dicere, se accepisse à Deo revelationem de hac ipsorum Salute & gloria; sed tantùm ipsos quoad præsentem gratiæ statum inchoatè scriptos esse in libro vitæ.

EPISTO-

EPISTOLA B. PAULI APOSTOLI AD COLOSSENSES.

CAPUT I.

Non Angelos, sed Christum unigenitum Dei filium, rerum omnium opificem esse, & totius mundi, etiam gentium, redemptorem & Salvatorem.

Quæstio I. Quid est *dignè Deo ambulare* v. 10.? R. Est Deo per omnia placere: ita ut illi ambulent dignè Deo, qui quasi fideles & morigeri servi Dei, quasi summi sui Domini placitum & voluntatem in omnibus explent. Quomodo verò Dei placitum & voluntatem expleamus, ac consequenter, quomodo dignè Deo ambulemus, explicat Apostolus, dum subdit: *in omni opere bono fructificantes,* & cætera quæ subjicit, quæq; sibi placita à nobis exigit Deus.

II. Quid est, *secundùm potentiam claritatis*, seu græcè *gloriæ ejus*? R. secundùm potentiam claram & gloriosam Dei, qua vos ô Colossenses, communiri est opus, cùm insurgunt hæreses & persecutiones. Deinde potentia gloriæ significat potentiam maximam & robustissimam, quæ apud omnes celebris est & gloriosa q. d. ubiq; gloria Dei dominatur, ubiq; Dei potentia imperat. Nihil ergo formidate, roborabit vos ac potentes faciet Dominus ille potentissimus omnibus imperans, cui servitis, ita Theophyl.

III. Quis est sensus v. 12. *Dignos nos fecit in partem sortis sanctorum?* R. Nullis nostris meritis, per solam gratiam suam retulit nos in album Christianorum, seu fecit nos participes *sortis*, id est, hæreditatis fidelibus promissæ & repositæ: idq; *in lumine*, id est, per lumen fidei in terris, gloriæ in cælis, transferens nos *de potestate* & subjectione *tenebrarum*, id est, Dæmonum, & infidelitatis, *in regnum filij dilectionis suæ*, id est, in Ecclesiam filij sibi unicè dilecti. ita Theodor. & Theophyl.

IV. Quid est *sors*, & cur hæreditas Sanctorum vocatur sors? R. Sors idem est, quod hæreditas. Olim enim hæreditates inter hæredes sorte dividebantur. Inde sors dicitur portio hæreditaria, quæ cuiq; sorte obtingit. Sic dicitur ps. 77. 55. *Sorte divisit eis terram in funiculo distributionis*, id est, per funiculum, quo terram dimetiebatur, & cuiq; tribui suam partem distribuebat. Multò magis hæreditas Sanctorum vocatur sors: quia nulli hominum ad eam jus habebant, cùm tamen inter homines, qui hæredes sunt, jus habeant ad hæreditatem, cujus sunt hæredes. Unde Ephes. 1. 11. dixit Apostolus nos sorte vocatos ad fidem & gratiam Christi. Hæreditas ergo hæc Sanctorum sors dicitur; quia hominibus sine merito, gratis ac quasi fortuitò obtingit. *Non vidit* (ait S. Aug. in illud ps. 30. *in manibus tuis sortes meæ*) *ullum meritum, quo de universa impietate generis humani me potissimum elegisti ad salutem: ad tunicam Domini sorte perveni.*

Hæreditas sanctorum vocatur sors.

V. Quod est lumen v. 12.? R. Duplex est lumen primum fidei, secundum gloriæ. Hoc lumen & hanc cognitionem Dei inchoatè accipimus in hac vita, sed perfectionem ejus accipiemus in beatitudine cœlesti, cujus conscripti sumus hæredes, illamq; hæreditatem cœlestem in hac vita per spem & gratiam, quasi per quendam prægustum delibamus & inchoamus. Sensus ergo hujus loci completus hic est: Deus fecit nos dignos per baptismum & Christianismum, ut jam hîc viventes in Ecclesia, habeamus partem & participationem sortis & hæreditatis sanctorum, id est beatorum, quæ sita est in lumine, id est, visione Dei & gloria cœlesti, quam reipsa participabimus post hanc vitam; cùm reipsa in sortem & album sanctorum ac beatorum referemur. ita Chrysost. Theophyl. Anselmus.

Lumen fidei & gloriæ.

VI. Quomodo Christus dicitur *primogenitus omnis creaturæ* v. 15.? R. dent aliqui hæc verba accipi de Christo ut homo est: nimirum quòd Christus ut homo est, omnis creaturæ sit primogenitus, non tempore sed honore· quia Christus ut homo, finis est, quem Deus primò intendit, & propter quem omnia creavit. Hæc explicatio probatur primò, quia Christus ut Deus non est primò genitus, sed unigenitus, ergo primogenitus esse nequit, nisi qua homo est. 2dò quia Christus ut homo caput est Ecclesiæ: atqui Paulus agit hîc de Christo, prout caput est Ecclesiæ, ut patet v. 18. Ergo Christum vocat primogenitum, non qua Deus, sed qua homo est. Verùm hæc melius & magis genuinè accipies de Christo, ut Deus est. Hoc enim versu Christi dignitatem ex divinitate describit. Unde ait, *ipse est ante vos, & in ipso*, id est, per ipsum, *omnia* (ergo etiam Angeli) *constant*, id est, consistunt, & conservantur, sicut ab eodem creata sunt.

Christus primogenitus omnis creaturæ.

Primogenitus ergo hîc, sicut & Matt. 1. v. 25. idem est, quod unigenitus. Dicitur verò Christus primogenitus, quia primò, putà ante omnem creaturam, est genitus. Vult ergo Paulus dicere, Christi generationem priorem esse omni creaturarum creatione, nec Christum Angelis esse juniorem, ut docebant Simoniani.

Primogenitus ex mortuis.

VII. Quomodo Christus dicitur primogenitus ex mortuis, cùm aliqui ab Elia & Elisæo resuscitati resurrexerint ante Christum? R. Dicitur primus resurgentium, quia resurrexit ad vitam immortalem nunquam ampliùs moriturus: illi verò resurrexerunt ad vitam mortalem rursum morituri, uti defacto rursum mortui sunt.

Passionibus Christi quid defuit?

VIII. Quomodo aliquid *defuit passionibus Christi*, quod Paulus *adimplet* v. 24? R. Passio Christi in se fuit plena & sufficiens, illiq; quoad valorem & pretii sufficientiam nihil defuit. Christus enim sua passione comparavit pretium sufficiens toti mundo redimendo, imò mille mundis redimendis: eidem tamen passioni aliquid defuit, & deest in nobis, nimirum communicatio & participatio passionis ac meritorum Christi, ut scilicet corpus non tantùm in se, sed etiam in suis membris, id est, Apostolis, aliisq; fidelibus similia patiatur, hacq; passione propagetur, & perficiatur corpus ejus, quod est Ecclesia. Æterno enim suo decreto statuit Deus, ut Christus non tantùm in se, sed etiam in suo corpore & membris, putà in Ecclesia & fidelibus pateretur, & passione eorundem consummaretur & perficeretur; dum nimirum fideles quiq; patiendo participes fiunt & similes Christi patientis & crucifixi.

CAPUT II.

Carpit varias pseudo-apostolorum impostruras, observationes legales, falsam Angelorum religionem, superstitiosum delectum ciborum, dierum &c.

Thesauri sapientiæ in Christo absconditi.

QUomodo in Christo sunt *omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi* v. 3? R. Absconditi propter lippos oculos nostros, qui naturaliter ad hoc tam excellens intellectûs objectum intueri non valent. Vel absconditi sunt velamine carnis, quia Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis, aut pallio crucis, & vilitate, aut velo accedentium, aut specierum in Eucharistia; aut Prædicatorum contemptu; tales enim fuerunt Apostoli, Judæi, pauci illiterati, inermes, ignobiles, & pauperes, & omnis humanæ eloquentiæ, aut fortunæ præsidiis destituti. In Christo est scientia Divina quatenus Deus est, non minor illa, quàm possidet Pater, cùm illam eandem possideat: at quatenus homo scientiam habebat visionis beatam; scientiam quoq; propheticam, & infusam à Deo, per quam Prophetæ elevati sunt, ad cognoscendum ea, quæ multis pòst sæculis eventura erant. Habuit etiam scientiam humanam, id est, experientiam acquisitam, qua uno cogitatu, aut uno ictu oculi majorem scientiam comparabat, quàm omnes mundi philosophi & sapientes.

Paulus absens corpore, præsens spiritu.

II. Quomodo Paulus erat *absens corpore*, & *spiritu præsens* v. 5. gaudens & videns ordinem Colossensium, & firmamentum fidei eorum, cùm hæc sub aspectum non cadant? R. eo modo, quo teste Ambrosio, Elisæus præsens erat Spiritu, & videbat, quid Giezi minister ejus ageret apud Nahaman Syrum. Et cœlitus particulari dono Apostolus fuit præditus, quo propheticis oculis, & in spiritu videbat, quo in statu Ecclesiæ versarentur. Curam enim de illis agebat, nec ubiq; præsens corpore esse poterat.

Elementa mundi.

III. Quæ sunt *Elementa mundi* v. 8.? R. Rudimenta, axiomata, prima principia mundanæ doctrinæ, quibus animos suorum à pueritia imbuunt mundani homines. Talia axiomata apud Gentiles erant: *ex nihilo nihil fit:* à privatione ad habitum non fit regressûs: accidentis esse est inesse: mundus est æternus: Quæ sunt eadem uni tertio, sunt idem inter se: Omnis substantia maximè rationalis, per se subsistit. Hæc enim uno excepto in naturalibus vera sunt, non autem in supernaturalibus. Alioqui enim ex primo tolleretur (uti nonnulli sustulerunt) rerum creatio: ex secundo tollerentur miracula Christi, quibus cœcos, surdos, claudos, visui, auditui & gressûi restituit: ex tertio tolleretur veritas corporis Christi in Eucharistia: quartum negat mundi originem: ex quinto eliderentur mysterium SS. Trinitatis: ex sexto enervaretur mysterium incarnationis, & unionis hypostaticæ. Deinde elementa mundi, sunt rudimenta vanæ philosophiæ, circa mundi productionem & gubernationem, v g. Platonis & Platonicorum, qui docuerunt Angelos mundum condidisse, & esse hominum mediatores apud Deum, rursum cœlos & astra esse animata aliaq; similia: quos secutus Simon Magus finxit se Deum quendam esse, ac primum genuisse Selenem uxorem suam, eamq; quasi primam mentis suæ conceptionem vocavit Ennæam, asserens hanc esse Matrem omnium, feciseq; Angelos, deinde fecisse & produxisse cœlos & mundum: aliaq; his similia figmenta.

IV. Quid est in *Christo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* v. 9.? R.

Tota

Tota & plena Divinitas cum omnibus ſuis attributis ac perfectionibus. Divina enim Verbi perſona hypoſtaticè unita eſt humanæ naturæ Chriſti, duplici vinculo unitivo (quod Scholaſtici vocant *exiſtentiam* in Verbo) uno ſpirituali, quo anima agglutinatur Verbo: altero corporali, quo corpus Chriſti eidem Verbo adnectitur. Unde meritò dicitur hîc divinitas in Chriſto inhabitare etiam *corporaliter* ſicut anima in corpore inhabitat corporaliter, inquit Aug. & S. Thom. Atq; ita teſte eodem Aug. & Proſpero per corporalem inhabitationem, id eſt, veram, realem, ſubſtantialem & hypoſtaticam connexionem divinitatis cum humanitate Chriſti, excludit Apoſtolus phantaſticam earundem connexionem, quam Manes poſtea confinxit; & conjunctionem per accidens, ſcil. per operationem & motum, quam Neſtorius docebat; deniq; etiam umbraticam inhabitationem, quali Deus habitabat in propitiatorio Moſaico. Sic v. 17. per *corpus* intelligit veritatem, & opponit illud *umbræ*. *Plenitudo divinitatis corporaliter in Chriſto habitat.*

V. Quo ſenſu dicitur v. 11. *circumciſi eſtis in circumciſione Chriſti, conſepulti ei in baptiſmo?* R. eſt Antitheſis inter circumciſionem carnis datam per Moyſen, & circumciſionem animæ inſtitutam à Chriſto, ut ſenſus ſit, vos ô Chriſtiani Coloſſenſes circumciſi eſtis circumciſione nòn Judaica, quæ fit manibus, quæq; conſiſtit in expoliatione corporis carnei, qua nimirum de corpore carnea præſcinditur præputium, ſed circumciſi eſtis in circumciſione, id eſt, circumciſione Chriſti, quæ non corpus, ſed animam à peccatis circumcidit. Si quæratis ubi & quando ita à Chriſto circumciſi ſitis? R. in baptiſmo, nimirum hoc ipſo quo Chriſto in baptiſmo eſtis conſepulti: in baptiſmo enim non tantùm circumciduntur, ſed ſepeliuntur, & aquis piacularibus obruuntur & abſorbentur peccata. Eandem ſepulturæ metaphoram tribuit baptiſmo Apoſtolus Rom. 6. v. 4. *Circumciſio in baptismo.*

VI. Quodnam eſt *chirographum decreti* v. 14? R. eſſe obligationem ad mortem & pœnam æternam, juxta decretum Dei & ſententiam damnationis in peccatores latam Gen. 2. v. 17. Huic enim obligationi omnes ſubſcripſimus, primum manu Adami, nomine omnium delinquentis: ſecundo manu etiam propria cùm actualiter Deum offendimus. ita S. Aug. S. Thomas & à Lap. Hanc obligationem *tulit* ſeu ſuſtulit, caſſavit & abolevit ſua cruce ac morte, relinquens ſchedam, quaſi jam caſſam & abolitam cruci velut unco affixam. ita Theodor. *Chirogmphum decreti.*

VII. Quis cultus Angelorum damnatur v. 18? R. Videtur arguere hæreticos ſemijudæos, & ſemiplatonicos, idq; colligi videtur ex v. 8. 16. & 20. Sicut enim Plato l. 8. de civit. c. 12. Deos quoſdam ponebat medios: ita Simon, Menander, Saturninus, Cerinthus & alij, Angelos ponebant quaſi minores Deos, qui homines mundumq; fabricâſſent, & per Prophetas locuti eſſent. Imò Cerinthus Angelos ajebat Chriſto, utpote puro homine, eſſe nobiliores, tum quòd ſunt puri ſpiritus, tum quòd cenſebat eos eſſe mundi opifices, adeoq; Deum Hebræorum, qui eis legem dederat in Sina, Angelum fuiſſe aſſerebat. Unde contra hos Apoſtolus toties hîc, & Eph. c. 1. & ad Heb. 1. ſuper Angelos extollit Chriſtum, facitq; Chriſtum opificem omnium. Hac de cauſa quoq; Apoc. 19. v. 22. noluit Angelus adorari à S. Joanne. *Angelorum cultus damnatur.*

VIII. Quæ fuit origo & occaſio hujus erroris? R. Videtur fuiſſe hæreſis Cerinthi, qui in Chriſto Deum dividebat ab homine, dicebatq; Jeſum fuiſſe purum hominem, ſed in eum deſcendiſſe Chriſtum Dei filium, ac in paſſione rurſum ab eo in cælum receſſiſſe. Inde enim inferebat Jeſum inidoneum & indignum eſſe mediatoris Dei & hominum officio; cumq; ipſe Deus & Dei Filius mediator eſſe non poſſit, neceſſariò conſequi, Angelis, qui inter Deum & homines naturâ ſunt medij, hoc mediatoris officium uti debitum, ita & tributum eſſe à Deo.

CAPUT III.

Corporalibus, terrenis & ſuperſtitioſis exercitijs opponit Chriſtiana, ſpiritualia & cœleſtia, hortaturq; ad mentis renovationem, charitatem, pacem, omneq; officium Chriſtianum.

QUæſtio I. Quomodo deguſtari poſſunt, quæ ſurſum ſunt, cùm ſint inviſibilia? R. Modum eſſe, deguſtari ipſum Deum, de quo dicitur pſ. 72. *Quàm bonus Deus Iſraël his, qui recto ſunt corde?* & quàm ſit Chriſtus dulcis in Cruce, deguſtatâ etiam arrhâ tantorum bonorum, hoc eſt, Spiritu Sancto, de quo Sap. 12. *O quàm bonus & ſuavis eſt, Domine, ſpiritus tuus.* Non enim omnino dimiſit nos Deus pignoris expertes, atq; adeo arrhabonis ad ſtabiliendam nobis promiſſionem, in quo eſt quædam præguſtatio. Alioqui ſi nullo dulciario cruſtulo alliceremur, quis talia operaretur & tantos exantlaret labores, aut quis libenter tanta operaretur.

II. Quomodo nos, qui terreni ſumus, terrena quærere prohibemur v. 2. cùm ſine illis vivere non poſſimus.? R. dit Dominus Matt. 6. *Quærite primùm regnum Dei & juſtitiam*

ſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis, velut additamenta, & ubi præcipuè mens quærit regnum Dei, temporalia & terrena, quæ propter illam quæruntur, quodammodo æterna & ſpiritualia fiunt.

III. Quo ſenſu dicitur: *mortui eſtis & vita veſtra abſcondica eſt cum Chriſto in Deo?* ℟. ſermo eſt de morte ſpirituali, qua in baptiſmo morimur, & mundo renunciamus, & triplici ejus concupiſcentiæ, carnis, oculorum & ſuperbiæ vitæ. *Et vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.* Id eſt, vita veſtra per gratiam & gloriam futuram, quæ jure jam veſtra eſt, tantisper vobis ſervatur in Deo inviſibili & Filio, qui etiam abſconditus eſt vobis, qui ambulatis non per ſpeciem, ſed in ænigmate. Mundus enim non videt vitam veſtram ſpiritualem, & quomodo in vobis regnet ſpiritus; ſicut nec videt vitam Chriſti, qui tamen maximè & gloriosè vivit apud Deum.

Chriſtus ſedet ad dextram Dei.

IV. Quomodo hîc v. 1. & alibi in ſcriptura & in ſymbolo dicitur Chriſtus *ſedere ad dexteram Dei?* ℟. Sedere hîc non ſumitur propriè; nam hæc eſſet exilis Chriſti dignitas, imò potius in cœlo videtur ſtare Chriſtus, quàm ſedere; ſtare enim viſus eſt à S. Stephano Act. 7. & hic ſitus magis naturalis eſt homini, docetq; valentem & beatum; ſeſſio verò competit homini ob fatigationem. Ita Maldonatus Suarez & alij. Dicitur autem Chriſtus ut homo *ſedere ad dexteram Dei* metaphoricè; primò per communicationem idiomatum, qua propter unionem hypoſtaticam omnia attributa, omnis honor & prædicatio, quæ tribuitur Verbo, tribuitur & Chriſto homini: ſedet ergo Chriſtus homo à dextris Dei, id eſt, præeſt omnibus, quaſi ſummus Rex ac Judex, qui tanta dignitate præcellit, ut in eodem ſolio cum Deo ſit, & eâdem cum eo adoratione colatur. ita Patres paſſim. Itaq; ad dextram Dei ſedit homo Chriſtus in primo inſtanti incarnationis ſuæ: ſed poſt aſcenſionem peculiariter, quia tunc hæc dignitas & divinitas Chriſti celebrari & in clareſcere cœpit. Deinde propriè ipſa humanitas Chriſti ſedet à dextris Dei per ſe, quia ſcil. humanitas Chriſti poſt mortem, victoriam & aſcenſionem in cœlum victrix triumphat & pacificè dominatur in ſumma Patris gloria. Significat ergo hæc ſeſſio humanæ naturæ Chriſti *imò* illius excellentiam ſuper omnem excellentiam creatam *2dò* ſummam ac ſingularem ejus beatitudinem & gloriam, tum intenſivè, tum extenſivè, tum in modo illam obtinendi, tanquam connaturalem Chriſto, & ex vi unionis hypoſtaticæ, ac conſequenter ex vi propriæ dignitatis & majeſtatis illi debitam.

V. Nonne ſi Chriſtus eſt ad dextram Patris, Pater erit Filio ad ſiniſtram, conſequenter Filius honoratior Patre? ℟. Medium locum honoratiſſimum eſſe Patris, & dextram Filij, non opponi loco medio Patris ſed ſiniſtro; ad ſiniſtram enim eſt Spiritus Sanctus, qui à Filio procedit: quod intellige de ordine non dignitatis, ſed proceſſionis, qui ſolus eſt in divinis: aut potiùs ad ſiniſtram ſunt Sancti alij minores. Genuinè hæc ſeſſio Filij ita concipitur, ut nulla ſit hîc talis oppoſitio, ſed Pater in ſummo & nobiliſſimo ſuo throno conſidere dicatur, ob primam & ſummam ejus majeſtatem; Filius verò à dextris ejus eſſe, ùt qua Deus, illi majeſtate eſſè par ſignificetur; qua homo, proximam poſt Deum gloriam & excellentiam adeptus, & eſſe à dextris Dei, id eſt, in potiſſimis bonis honoris, gratiæ, & gloriæ (horum enim ſymbolum eſt dextera) quæ Deus illi communicavit ſuper omnem principatum & poteſtatem & virtutem & dominationem.

Chriſtus vita noſtra

VI. Quomodo Chriſtus dicitur *vita veſtra* v. 4.? ℟ Metonymicè, quia eſt cauſa vitæ noſtræ, tam gratiæ quàm gloriæ: cauſa inquam tum efficiens, tum exemplaris, tum objectiva. Notat Theophyl. præſentem vitam naturalem magis eſſe mortem quàm vitam, quia conſiſtit in corruptione, fluxu & refluxu. Deinde notat vitam gratiæ & ſpiritûs in hoc ſæculo latere, ſed in fine mundi, cùm Chriſtus toti mundo glorioſus judex apparebit, tunc pariter vitam hanc noſtram toti mundo manifeſtandam eſſe. *Delitescit*, inquit ex Chryſoſt. Theophyl. *margarita tantiſper, dum in conchyli fuerit; ſimul ac verò illud per fractum fuerit, tum in gloria relucet: ſic & nos in hoc corpore quaſi latentes vivere debemus ab omni gloriæ cupiditate alieni, cùm autem hoc corruptibile corpus diſſolutum fuerit, tunc gloria noſtra reſplendebit.*

CAPUT IV.

Hortatur ut inſtent orationi, & circumſpectè agant inter Gentiles, & ſalutent amicos.

QUæſtio I. Quæ eſt iſta *ſapientia*, in qua ambulandum eſt, *ad eos, qui foris ſunt?* ℟ Eos qui foris ſunt, vocat Gentiles, & Judæos qui ſunt extra Eccleſiam, de quibus 1. Cor. 2. dixit: *Quid enim mihi qui foris ſunt, judicare?* Solent enim tales inſidiari Chriſtianis, & eos à fide ac baptiſmo revocare, ut præda fiant

vel

vel Moysis vel Platonis, aut alterius alicujus Philosophi. Inter hos cautè & sapienter ambulandum, ne qnovis modo in via mandatorum offendamus. Nam ubi inter inimicos ignotos versamur, aut ubi ambulatur inter latrones, qui in via grassantur, non decet incautè progredi.

II. Quomodo tempus est redimendum? R. Videtur metaphora sumpta à mercatoribus, qui omnibus suis commoditatibus vel minimum lucrum anteponunt: & qui in una merce jacturam fecerunt, in eodem conantur jacturam redimere. Tempus autem quod semper labitur, retinemus ne transeat, quando illud in bonis operibus collocamus, quia ad id à Deo datum est nobis: quod verò jam est elapsum redimitur, cùm strictè utimur tempore, inservientes Deo, ut quàm minimè nostris commodis indulgeamus, immò etiam aliquid nobis de necessariis adimamus, & quod corporis commodis erat tribuendum, eo ad animæ lucrum utamur. Est enim quasi redimere & commutare illud, ut pro ipso temporis pretio corpora nostra pendamus, & fructus spirituales exigamus. *Tempus redimendum.*

III. Quis est *Tychicus* missus cum Onesimo, quis item *Onesimus?* R. *Tychicus*, qui literarum ad Ephesios bajulus extitit, sicut & harum ad Colost. *Onesimum* charissimum vocat, quia illum tanquam filium genuerat in Christo, & fidelem fratrem suum, qui per fugam infidelis fuerat.

IV. Quis *Demas* v. 14? R. Est ille, qui postea amans licentiosiorem vitam à Paulo defecit, ut in 2da ad Timotheum conqueritur: quia nec satis est, nos semel viam salutis ingressos, nisi perseveremus luctantes cum carne, mundo & satana pro corona, quam Dœmones nobis insidiantes & invidentes eripere contendunt. Nisi dicamus primum tentatum dereliquisse Paulum, postea pœnitentiâ ductum resipuisse & rediisse ad Paulum: sicut etiam constat de Marco priùs rejecto, postea vocato & assumpto. Hoc valde consolatur retrocedentes, ut sciant locum esse resipiscentiæ & redeundi ad pristinum gradum.

V. An quia Paulus in hac Epistola non nominat Petrum, bene inferat Beza, Petrum Romæ non fuisse, nec ibi sedisse Pontificem 25. annis? R. Perperam. Soli hic numerati erant cum Paulo Romæ, quasi socii & domestici ejus: Petrus verò Romæ erat, & seorsim evangelizabat. Adde Petrum ita sedisse, id est, Papatum gessisse Romæ, ut tamen quasi pastor Ecclesiæ per vices sæpe discurreret per alias regiones, ibiq; fundaret Ecclesias, uti faciebant alii Apostoli.

EPISTOLA B. PAULI APOSTOLI AD THESSALONICENSES I.

CAPUT I.

Laudat Thessalonicensium constantiam in fide, & patientiam in adversis.

QUæstio I. Quomodo potuit Apostolus scire *Electionem* Thessalonicensium v. 4. cùm soli Deo notus sit numerus Electorum in æterna felicitate locandus? R. Non est sermo de *electione* prædestinationis, sed quod electi essent ad audiendum verbum Dei, ut narrat historia Act. 16. Nam cùm vellet in Bithyniam proficisci, non permisit illos Spiritus Jesu: sed vir Macedo apparuit, deprecans Paulum, ut transiret per Macedoniam. Et ita certiores facti, quòd vocâsset illos Dominus, ad evangelizandum eis, profecti sunt.

II. Quomodo *non fuit* apud nos *Evangelium in sermone* v. 5. cùm evangelizare non aliud sit, quàm verbis annuntiare & prædicare? quia *fides ex auditu, auditus autem per Verbum Christi?* R. Non negat fuisse *in sermone*, sed non fuisse *tantùm in sermone*, qui esset inefficax & sine fructu. Nam Verbum prædicatum non solet redire vacuum, sed operatur in omnibus, ad quæ mittitur. Et nihil hic ampliùs dicitur, quàm quòd ad Corinthios scripsit: *Sermo meus & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritûs & virtutis.* Non ergo fuisse prædicationem suam in sermone tantùm, ostendunt tot signa, fides, charitas, sustinentia vestra. Solet enim defectus esse ex parte terræ, semen jactum frustrantis, ut terra secus viam spinosa & petrosa: non autem ex parte seminis jacti, aut pluviæ, aut solis, quæ ad seminantem primarium Deum spectant.

III. Quæ est *ventum ira* v. 10? R. Est ultio sive vindicta Christi Domini venientis in die judicii, ubi apparebit quasi de cœlo descendens, de qua dixit Joannes Baptista Matt. 3. *Progenies viperarum quis demonstravit vobis fugere à ventura ira?* Cujus etiam

iræ meminit Rom. 1 cùm ait: *Revelatur ira Dei de cœlo super omnem impietatem.* Hæc autem ira erit, quando dicet: *nescio vos. Discedite à me omnes operarij iniquitatis;* & *discedite à me maledicti in ignem æternum.* Hanc æternæ damnationis iram præcedit alia Dei ira præsens, de qua Ps. 80. *Dimisi eos secundùm desideria cordis eorum: ibunt in adinventionibus suis.*

CAPUT II.

Ostendit quanta sinceritate & zelo evangelium ipsis prædicârit, nullo ipsorum onere, hortaturq; ad perseverantem in fide & virtute constantiam.

QUæstio I. Cur Paulus tantopere commendat suum ad Thessalonicenses ingressum & conversationem: videri enim posset jactantia, cùm tamen ipsemet dixerit 2. Cor. 10. *Non qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat?* R. Apostolus per occupationem conversationis suæ testimonium exigit ab ipsis Thessalonicensibus, ne quisquam aliorum testimonium cavillari posset, estq; revera præsentissimum ac firmum testimonium, quod ab illis petitur, qui nostra beneficia experti sunt, nec possunt testari rectius, quàm qui rebus ipsis præsentes fuerunt, ac eas experimento didicerunt. Nemo enim in negotio pietatis debet solus esse judex aut testis, aut censor, nemo sui ipsius commendator, sed est Ecclesiæ judicium hoc & censura, & commendatio relinquenda.

II Quomodo dicit Paulus se à Deo probatum, antequam prædicaret v. 4. cùm in Scripturis probari aliquis à Deo dicatur, cùm ipso opere talem se esse declarat? R. Paulus non absolutè dicit se à Deo probatum, sed probatum hac in parte, ut ei Evangelii dispensatio committeretur Antequam in Apostolatum assumeretur Act. 13. prædicaverat in Arabia, Damasco & Antiochia. Videbat præterea Deus sinceram illam Pauli mentem & cor purificatum, & amore Christi ardens, & in hoc probatus fuerat, ut idoneus ad prædicandum inveniretur, quod & præstitit & non fefellit hanc Dei commendationem.

Paulus se comparat nutrici.

III. Quomodo Paulus se comparat nutrici v. 7? R. Multa tolerant nutrices, dum incrementa puerorum expectant: non enim quoslibet cibos, sed teneriores & præmansos in os filiorum ingerunt: puerorum moribus inservire coguntur, risum simulant & gemitum, cantillant, & quæ gravitatis sunt, omnia spernunt, dum eos à fletu avocant, aut illis somnum conciliant. Ita se gerebat inter Thessalonicenses Apostolus. Lac enim potum dabat non escam. Et licet Thessalonicenses perfectè fuissent renati, erant tamen adhuc teneri, & nondum consummati. Et amat nutrix parvulum nutrire, sed non amat eum parvulum remanere; in sinu tenere solet, brachiis complecti, & ori oscula infigere, non tamen ut hoc semper faciat.

Paulus se nominat Patrem.

IV. Cur Apostolus se Patrem nominat v. 11.? R. Ministri verbi Dei sunt parentes: semine enim Verbi Dei in Ecclesiæ Sanctæ utero filios regenerant, Confirmatione Sacri Chrismatis corroborant, Eucharistiæ alimento nutriunt, & infirmitatibus per reconciliationis Sacramentum medentur, verbis deprecatoriis ipsos excitant, & consolationis gaudium præbent, & ita dignè Deo ambulant.

Ira Dei super Judæos usq; in finem.

V. Quomodo dicitur *ira Dei super Judæos* pervenisse *usq; in finem.* v. 16.? & quæ est ista *ira in finem usq;.?* R. Sermo est de Judæis, qui repugnabant Evangelio, nec ipsi credebant, neq; alios credere permittebant ob suam obstinationem. In illo autem verbo: *ut impleant peccata sua semper,* alludit Apostolus ad illud Gen. 15. *Nondum completæ sunt iniquitates Amorrhæorum usq; ad præsens tempus.* Et ad illud Christi Matt. 23. Et vos *implete mensuram Patrum vestrorum.* Quando enim hoc scripsit Apostolus, adhuc Jerusalem stabat, & nondum erant completa peccata sua, sed paulò post venientibus Romanis, completa sunt illius peccata & desolata in æternum. Et tunc ira Dei in finem, id est, perfecta venit & consummata super Judæos, sive in filios eorum. Aliqui verò *in finem* interpretantur, quia in fine sæculi velamen de cordibus eorum auferetur, juxta illud ps. 58. *Convertentur ad vesperam, & famem patientur ut canes.* Et Oseas c. 3. dixit: *quia dies multos sedebunt filij Israël sine Rege & sine Principe, & sacrificio, & sine altari, & sine Ephod, & sine Teraphim. Et pòst revertentur filij Ismël, & quærent Dominum Deum suum, & David regem suum* (id est Messiam, ut habet Chaldaica interpretatio) *& pavebunt ad Dominum, & ad bonum ejus in novissimo dierum.*

VI. An Sanctorum opera & desideria Satan impedire valeat, cùm Paulus dicat v. 18 *Sed impedivit nos Satanas?* R. det S. Basilius in regulis brevioribus Interrogat. 275. tom. 2. Eorum, quæ in Domino sunt rectè factorum, alia solâ voluntate ac deliberatione animi efficiuntur, alia ad hoc ut efficiantur, indigent etiam operâ corporis, adhibendis videlicet vel studio vel tolerantiâ. Ac quæcunq; quidem sunt ejus generis, quæ in sola animi voluntate posita sunt, hæc nullo modo impedire Satanas potest. Quæ verò ejusmodi,

modi, ad quæ consequenda necessaria est etiam opera corporis, in his plerumq; etiam Deus nasci impedimenta permittit, vel probandi vel detegendi causa illius, qui impeditur: ut vel si à recto proposito destiterit, convictus quis sit, detegatur: ut hi qui supra petram fuerant seminati, qui ad modicum tempus susceperunt quidem verbum cum gaudio, exortâ autem tribulatione statim recesserunt: vel si in recto perseverat, clarius appareat studium ipsius in rectè factis: ut ipsius Apostoli, qui cùm Romam sæpe petere decrevisset, & prohibitus esset, ùt ipse fassus est, tamen eatenus in ea voluntate permanere non destitit, quoad etiam efficeret, quod statuerat. Hæc ille.

CAPUT III.

Plurimùm solatij se accepisse dicit ex fide & charitate Thessalonicensium; seq; magno revisendi illos desiderio teneri, interim optare, ut in virtute magis ac magis roborentur indies.

Quæstio I. Quid est, quod ait v. 3. *Ipsi scitis quòd in hoc positi sumus* & non explicat, quid illud sit? ℟ Subintelligendum esse, in hoc positi sumus ut scil. affligamur, quod præcedentia ostendunt, dum ait: *ut nemo moveatur in tribulationibus istis.* Est autem omnium Christianorum, & præcipuè prædicatorum & Apostolorum symbolum Crux & malorum tolerantia. Ita enim dixit Christus Matt. 24. *Eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum; & non est discipulus super magistrum, nec servus super Dominum suum. Si me persecuti sunt, & vos persequentur.* Rursus 1. Cor. 4. *Puto quòd Deus nos Apostolos novissimos ostendit, tanquam morti destinatos: quia spectaculum facti sumus mundo, & Angelis & hominibus.* Et universalis data est regula: *Omnes qui piè volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur.* *Persecutio propria Christianorum.*

II. Cur misit Timotheum ad cognoscendam fidem Thessalonicensium v. 5. cùm Sancti & maximè Apostoli omnia noverint, quæ in Ecclesia fiunt, cùm hoc Prophetis non fuerit occultum? ℟ non omnia Sanctos cognoscere. Unde Elisæus 4. Reg. 4. *Dominus celavit me, & non indicavit mihi;* & Elias, *Altaria tua destruxerunt, & Prophetas tuos occiderunt gladio, & derelictus sum ego solus.* Cui tamen fuit responsum: Reliqui mihi *7. millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal.* Ut ponderavit Apostolus Rom. 11. Ita modò Apostolus ignorat res Thessalonicensium. Et communiter ea, quæ per humanam industriam resciri possunt, non opus est, ut revelatione detegantur. Poterat enim ad eos mittere Timotheum, ut fecit. At verò orationes quas fundimus ad Sanctos, jam cum Christo regnantes, quia viâ humanâ rescire non possunt Sancti, agnoscunt in verbo per revelationem, etiamsi id hæretici protervè inficientur.

III. Quis ille, de quo ait v. 5. *Ne fortè tentaverit vos is, qui tentat?* ℟. Est satanas, antiqvus serpens, qui humanum genus capitali odio persequitur & incautas animas fallit, & in præcipitium agit, qui etiam Sanctos homines aggreditur, ut maximè opus sit fide & timore ad ejus tentationes eludendas & infringendas: quia *non est super terram potestas, quæ comparetur ei:* & avidissimus perambulat terram, & *circuit quærens, quem devoret* 1. Pet. 5.

IV. Quis sensus v. 8. *Quoniam nunc vivimus, si vos statis in Domino?* ℟ Omnem tribulationem in nos ingruentem loco vitæ ducimus, modò vos permaneatis & persistatis in fide, quæ vos inserit Domino, demum in semel cœpto pro vita æterna certamine perseveretis. Nam etsi doctoris partes sint Verbum Dei serere, & quod seminatum est, irrigare ut crescat; tamen amantis Doctoris & pastoris est pro grege suo invigilare, ejusq; bonis operibus congaudere, & ejus progressum reputare proprium bonum: quod sentire poterit nemo, nisi priùs charitate proximi flagraverit.

V. Quid Thessalonicensium defuit, quod supplere debebat Apostolus v. 10.? ℟ Non vult significare fidem eorum & constantiam imminutam & deficientem: sed quòd adversariorum importunitate ædificium vix inchoatum relinquere coactus fuerit: ob quam etiam causam, dum se subduceret, Silam & Timotheum in Macedonia reliquerat, & postea Timotheum reversum ex Macedonia, iterum ad eos visitandos misit. Paulus etiam tam brevi temporis spatio non potuit integrum Evangelicæ doctrinæ corpus impartiri illis, quæ tempore & experientiâ multâ sensim addiscuntur.

CAPUT IV.

Hortatur ad castitatem & perfectam vitæ sanctitatem, & fugam otij, agitq; de resurrectione mortuorum.

QUæstio I. Quodnam *vas* intelligit v. 4.? R. S. Aug. l. 1. de nuptijs & concupi scentia c. 8. per *vas* uxorem accipit. q. d. Quisq; honestè & castè uxore sua utatur. Verùm quia apud Thessalonicenses, multi præsertim juniores erant adhuc cælibes, & sine uxore, Apostolus autem cuilibet hoc vas tribuit, generaliùs & meliùs cum Chrysostomo & aliis per *vas* intelligitur corpus, quod generatim phrasi hebræa dicitur vas, id est, instrumentum hominis: sicut enim faber suâ regulâ, vel trullâ quasi instrumento utitur ad omnem fabricam, ita anima utitur corpore quasi instrumento & organo ad omnes suas actiones, adeo ut nec intelligere quidem possit sine sensibus & phantasmatibus corporeis. Sic Plato dixit corpus esse vas animæ. Sic dicitur Paulus *vas electionis*, id est, instrumentum à Deo electum ad conversionem gentium. Sic Gen. 49. Simeon & Levi dicuntur vasa, id est, instrumenta iniquitatis, id est, iniquæ cædis & vastationis Sichimorum. Vel corpus dicitur vas animæ speciatim & propriè, quia sicut vas recipit & continet vinum, ita corpus recipit & continet animam, & sicut vas sordidum & putidum vinum ipsum afficit & corrumpit, ita corporis sordes, pollutiones & libidines inquinant animam.

II. Quis est sensus v. 6. *Ne quis supergrediatur, neq; circumveniat in negotio fratrem suum?* R. Non ait Apostolus de fraude, avaritiâ & injustitiâ opum, sed de injustitia & fraude thori, id est, de adulterio: agit enim de libidine & immunditia; adulterium ergo vocat supergressionem & circumventionem. Supergressionem, id est, prævaricationem, & oppressionem, qua quis proximi thorum invadit superscandendo & adulterando: idem circumventionem vocat, qua quis fraudulenter usurpat uxorem alterius.

III. Cur Apostolus Thessalonicenses hortatur ad operandum manibus suis, v. 11.? R. Quia in ea civitate multi homines otiosi degebant, qui alienis expensis sustineri solebant, & à labore manuum abhorrebant. Erant item multi Christiani, qui ob fidei professionem fortunæ bonis expoliati in summa inopia vitam degebant: hos omnes hortatur ad laborandum, ut sibi & alijs præsidio esse possent, & ne otiosam vitam ducant, nam *multam malitiam*, ait Sapiens Eccli: 33. *docuit otiositas.*

Tristitia de mortuis.

IV. Cur prohibet Apostolus v. 12. Christianos contristari de mortuis; cùm & Christus contristatus fuerit de Lazari morte, & Apostolus Philippensibus c. 2. scripserit, se dolere de Epaphræ infirmitate, & mortis periculo? R. Non simpliciter luctum omnem prohibet, sed eorum qui spem non habent resurrectionis & incorruptionis. Itaq; non vetat omnem pietatem, aut carnis desiderium, quo antiqui Patres olim, & aliquot viri novi testamenti præditi erant. Nam & ipse Dominus in resurrectione Lazari lacrymas dedit, & sepelierunt Stephanum viri timorati, & fecerunt planctum magnum super eum. S. Amb. acerbo luctu prosequebatur Sanctos de medio sublatos, non quidem quòd de eorum felicitate dubitaret, aut doleret, sed considerans, quàm esset difficile invenire eos, qui in defunctorum locum succederent, & quia Ecclesia præclaris & Sanctis viris defraudata erat, vehementer eorum mortem & defectum deplorabat.

V. Quis est sensus v. 14. *Nos qui vivimus, qui residui sumus, non præveniemus eos, qui dormierunt?* R. Nos qui relinquimur superstites usq; in adventum Domini, ut in illo adventu viventes reperiamur. Ubi Paulus ita de se loquitur, atq; si victurus esset usq; ad adventum Domini, hoc est, usq; ad diem judicij, non quòd ita futurum putaret, sed ut illius diei terribilis & incertæ memoriam nobis & timorem perpetuum incuteret, ut semper suspensi illum diem exspectemus, & ad eum nos comparemus. q. d. quicunq; vivent sive ex nobis, sive ex posteris nostris, quorum personam ego hîc induo & subeo, ut de ijs in mea persona loquar. Ita S. Aug. l. 20. de civit. c. 20. *Non præveniemus*, non priùs resurgemus, aut gloriâ donabimur, quàm ij resurgant ad gloriam, qui ante nos jam pridem mortui computruerunt.

Viventes judicabuntur.

VI. An qui sub illud tempus vivent, sine morte fient immortales? R. Negativè: nam ante raptum omnes omninò rapientur, sive igne conflagrationis (in eorum sententia, qui ignem hunc putant immittendum ante judicium:) sive subtracto concursu Dei in Francisci Suarez & quorundam aliorum sententia, sive alio modo dissoluta ad breve tempus conjunctione corporis cum anima. Quia tamen sub idem illud tempus vivi reperientur, & brevissimo tempore mortui manebunt (fortè nullo mortalium advertente vel sentiente illorum mortem: nam mox cum omnibus aliis redivivi comparebunt 1. Cor. 15. v. 22. 25. 36. & 51.) hinc meritò vocantur viventes: & sic Christus dicitur judicaturus vivos & mortuos, inquit S. Amb. & alij passim. Si enim filiam Jairi Matt. 5. etsi verè mortuam, ob hoc solùm quòd brevi suscitanda esset, Christus dicebat non esse mortuam sed dormire. Si Lazarum Joan. 11. v. 11. &c. quantò potiori jure hi, qui longè breviori spatio mortui manebunt, dici poterunt non mortui, sed vivi.

VII. Quomodo mortui audient vocem? R. *audient*, id est sentient vim hujus vocis, vel *audient*, id est, illi obedient resurgendo, perinde ac si audirent vocem Filij Dei,

qui

qui vocat ea quæ non sunt, quasi ea quæ sunt, ut sit catachresis; erit enim hæc tuba, ùt multi Patres & Doctores docent, instrumentum saltem morale resurrectionis, per quod Christus operabitur resurrectionem: sicut verba consecrationis sunt instrumentum transsubstantiationis. Dico morale; non enim necesse videtur, aut congruum satis, huic tubæ tribuere vim physicam suscitandi mortuos. Adde audient mortui hanc vocem postquam resurrexerint; resurrectio enim fiet in instanti, cùm tuba canet, *surgite*, ita ut hac voce protracta, & sonante, resurgentes illam adhuc audire possint, vel certè illud, quod tuba subjunget. *Venite ad judicium.* Ita Suarez 3. p q. 55. a. 1. *Mortui audient vocem.*

CAPUT V.

Ex incertitudine diei judicij hortatur omnes ad vigilantiam, & assiduum studium bonorum operum.

QUæstio I. Quid *dies Domini sicut fur in nocte* v 2.? R. Repentinus, improvisus, & præter omnem expectationem, imò ut etiam Princeps Apostolorum testatur 1. Pet. 3. Sicut in diebus Nôé cùm fabricaretur arca, cùm pacem securam & stabilitam sibi concessàm putabant vitiosi homines, tunc potissimùm invadentur. *Dies Domini sicut fur in nocte.*

II. Ad quid mulieris, in utero habentis, exemplum inducit Apostolus? R. Non ad designandum adventum Domini, sicut illa de fure in nocte, sed ad designandam somnolentiam eorum, quos comprehendet illa ultima dies. Solet enim mulierem prægnantem dolor partûs occupare ante diem expectatum Deinde mulier prægnans doloris materiam, intus in utero gestat absq; sensu, donec inter epulas vel risus, vel somno corripiatur; ita impii tam citò interibunt, quàm dolor partûs mulieres in partu corripit. *Mulier prægnans*

III. Quomodo incertus ad judicium Domini adventus, cujus Elias, Henoch & Anti-Christus certi futuri sunt præcursores? R. Verum esse sed quis illos, dum venient, agnoscet, si Christum tantâ doctrinâ, tantâ vitæ sanctitate & miraculis præditum homines non agnoverunt? Nihil etiam constat, quantum ab eorum adventu distet dies Domini. *Dies judicij incertus*

IV. Quid est, *spiritum nolite extinguere* v. 19.? R Aliqui per Spiritum intelligunt rationem, sive portionem superiorẽ in anima, hæc enim dicitur spiritus v. 23. Sed aliter ibi aliter hìc vocem, Spiritus, sumit Apostolus. Dico ergo, Spiritum, id est, dona, gratias, lumina, afflatus, impulsus, &, ut sequitur, prophetias Spiritûs Sancti, qui est quasi lampas præfulgens in nocte hujus sæculi, *nolite* desidiâ, terrenis curis, desiderijs carnalibus, aut etiam incredulitate, quasi injectâ aquâ, vel pulvere *extinguere*; qui enim hæc extinguit, quantum in se est, Spiritum Sanctum in corde suo extinguit; sed potiùs concludite januas, id est, sensus, ne ingrediatur spiritus malitiæ, qui extinguit hanc lampadem. ita Chrysost. & alij. *Spiritum extinguere*

V. Quomodo Spiritus ab anima distinguitur v. 23. *Ut integer spiritus vester & anima & corpus sine querela in Adventu,* (in adventum) *Domini nostri Jesu Christi servetur?* R. Spiritus est pars rationalis, sive ratio & potentia animæ superior, quæ mens dicitur, maximè si fide & spiritu Dei sit imbuta; anima est portio inferior nobis cum bestiis communis, ex qua homo animalis dicitur, & animales operationes exercet, uti sunt videre, audire, edere, generare; corpus verò est domicilium utriusq;, scil. tam spiritûs, quàm animæ. q. d. ait Anselm *Sit spiritus vester integer,* id est, nulla hæresi, errore, diffidentiâ, malitiâ, invidiâ, nulloq; peccati consensu vulneretur, ita ut in aliquo fidei, spei, charitatis, alteriusq; virtutis articulo, & quasi membro mutiletur, sed plena articulorum omnium & dogmatum fide, integra spe & charitate, cœterarumq; virtutum partibus & numeris omnibus integer sit & perfectus. *Animæ & spiritûs distinctio.*

VI. Qui sunt manci in fide & charitate, qui integri? R. Manci & mutili sunt in fide, qui credunt symbolum Apostolorum, sed negant alias traditiones, negant invocationem Sanctorum, & Christi præsentiam in Eucharistia &c. Sic in charitate manci sunt, qui amicos diligunt, non inimicos. Sic in anima manci sunt, qui tactum à turpibus custodiunt, sed non aures, non oculos, & ita de aliis. Hisce opponit Apostolus integritatem, quam Christianus tam in spe, ut omnia speranda speret, quàm in fide, ut omnia credenda credat, & charitate, ut omnia amanda amet, altisq; virtutibus habere debet. Ita Hieron. ad Hedib. q. 12. *Manci in fide & charitate.*

EPISTOLA B. PAULI APOSTOLI AD THESSALONICENSES II.

CAPUT I.

Laudat patientiam Theſſalonicenſium & conſtantiam in fide: promittens accepturos illos condigna præmia, perſecutores autem pœnas daturos in adventu Domini.

QUæſtio I. Quid eſt *in exemplum juſti judicij Dei* v. 5.? R. Suſtinetis perſecutiones & tribulationes hac ſpe & conſolatione, hoc fine & fructu, ut aliquando (putà in die judicii) oſtendatur & demonſtretur juſtitia, & juſtum judicium Dei, quo vos ob patientiam dignos habebit, id eſt, dignos judicabit regno Dei, & coronâ gloriæ coronabit; veſtros verò perſecutores, qui hic in veſtra afflictione gaudent, condemnabit, ita Theophyl. & patet ex ſeqq. Unde Tertull. in Scorpiaco c. 13. ita legit: *in preſſuris, quibus ſuſtinetis oſtentamen juſti judicij Dei.*

II. Quis eſt ſenſus v. 6. *Si tamen juſtum eſt apud Deum retribuere retributionem iis, qui vos tribulant?* R. Sunt verba non dubitantis, ſed aſſerentis *Si* ſumitur pro quandoquidem aut quoniam per affirmationem. Ita interrogando confirmamus, ut cùm dicimus: Si Deus odit peccata, certè iſte peccator, non evadet manus ejus; quaſi manifeſtum ſit Deum odiſſe peccata. Ita frequenter accipienda eſt particula *ſi tamen*, pro ſiquidem, ùt Rom. 8. *Si tamen compatimur.* ſiquidem juſtum eſt, id facere Deum, qui juſtus eſt adæquator duorum diſcrepantium & affligentis & afflicti.

III. Quænam erit illa *revelatio Domini de cœlo cum Angelis virtutis ejus* v. 7. & quæ *flamma ignis* v. 8.? R. In apparitione vel adventu de cœlo, quando revelabitur omni carni, id eſt, impiis, & iniquis. *Cum Angelis virtutis ejus*, ſive potentiæ, qui ſcil. magna potentiæ opera ad nutum Chriſti perficere ſolent. *In flamma ignis*, eſt ſermo de igne conflagrationis, quo omnia conflagrabunt & abſumentur, de quo Propheta: *ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus.* Et videtur alludere Paulus ad illud pſ. 103. *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis.*

IV. Quis majori ſupplicio eſt dignus, qui non novit evangelium, an qui notum transgreditur v 8.? R. det S. Aug. tom. 8. l. de grat. & lib. arbitrio c. 3. *Aliud eſt neſciſſe, aliud ſcire noluiſſe. Voluntas quippe in eo arguitur, de quo dicitur: noluit intelligere, ut bene ageret* Pſ. 35 & Job. 21. *Recede à nobis, & ſcientiam viarum tuarum nolumus.* Et inter ſcientes habendi ſunt, qui cum ſcire poſſent, ſcire tamen noluerunt. Vindicabit ergo Dominus eos, qui non noverunt Deum, id eſt, agnoſcere noluerunt per fidem efficaciter prædicatam, & qui non obediunt Evangelio. Quia etſi noverint quidem fide, & ore confeſſi fuerint, factis tamen negârunt: quia dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem.

V. Quo jure temporariis culpis pœna debetur æterna v. 9.? R. Quia æterna fuit eorum voluntas delinquendi, & in peccato vivendi, à quo niſi per Deum ſurgere erat impoſſibile. Sicut etiam pro meritis ad tempus, & pro paſſionibus brevi tempore toleratis juſtè rependit æternæ mercedis coronam. Dæmones quoq; parvâ morâ peccârunt, ſed perpetuò cruciantur. Lex etiam civilis hominem furem, aut hominem homicidam, aut adulterum, qui brevi temporis momento deliquit, in æternum vitâ ipsâ privat.

VI. Quomodo Chriſtus in nobis, & nos in Chriſto clarificamur v. 12? R. Eâ ratione clarificamus Deum, quâ eum clarificare poſſumus, ut membra caput, ùt filii parentem, ùt Diſcipuli magiſtrum, ùt ſervi Dominum, non quidem in ſeipſo, quia Deus majoris gloriæ non eſt capax, quia infinitam & in ſe & ex ſe habet gloriam, ſed exteriùs propagando, ardua & heroica pro eo operando, aſpera quæq;, & immania pro ejus nomine patiendo. Quod contingat interdum nos in peccatum prolabi, & rurſus ex peccato reſurgere, clarificabimus in nobis ejus miſericordiam & gratiam. Rurſus nos ipſe glorificabit peccata remittendo, in filios adoptando, & virtutem communicando, quâ poſſimus legi Dei ſatisfacere, & rurſus in die judicii ampliſſimo præmio remunerando.

CAPUT II.

Contra pſeudo-prophetas & impoſtores docet, non priùs Chriſtum venturum ad judicium, quàm Antichriſtus comparuerit, quem vivis coloribus depingit.

Quæſt. II.

QUæstio I. Quid est *rogamus vos per adventum Domini & nostræ congregationis in ipsum* v. 1.? R. Per Christum venturum ad judicium, & per adventum nostræ congregationis in ipsum, quando nempe adveniente Christo ad judicium, nos illi obviàm veniemus & ad ipsum. 1. Thess. 4. v. 16. q. d obsecramus & obtestamur vos per Christum & per vestrammet salutem, ut quantum reverenini Christum, & vestram amatis salutem, tantùm aversemini pseudo Doctores ita Chrysost. & Theophyl.

II. Quid per discessionem intelligitur v. 3. *nisi venerit discessio primùm?* R. Græcè est apostasia, id est, defectio, nempe celebris illa, quâ omnes gentes, eousq; fideles, deficient, apostatabunt, discedent, tum à Christo, ejusq; Ecclesia, ut Anselm. & à Lap. tum à Romano Imperio, ut Hieron. Cyrillus & alii passim exponunt. Ex horum enim sententia sub initium Monarchiæ Antichristi rebellabunt omnes nationes contra Romanum Imperium Apoc. 11. v. 1. & Ecclesiam Christi, & utrumq; stirpitus exscindere conabuntur. Et hoc signum primum est prævium extremo judicio. Alterum *& revelatus fuerit*, id est, publicè comparuerit, & tanquam universalis Monarcha imperium toto orbe obtinuerit, *homo peccati*, id est, peccator ille sceleratissimus, *filius perditionis*, id est, perditissimus, & æternæ perditioni destinatus. *Discessio ventura.*

III. In quo templo sedebit Antichristus? R. Jerosolymitano (nam unicum illud tempore Pauli propriè vocabatur templum Dei: & tempore Antichristi rursus instaurabitur, quasi paulatim & thronus illius, qui ut Judæus, & Rex seu Messias Judæorum solium imperii sui constituet non Romæ, exustæ tunc Apoc. 11. v. 8 & 16, & in cineres redactæ, sed Jerosolymis;) *sedeat*, non ut Papa vel Episcopus (quod fingunt hæretici nostri) sed *tanquam Deus ostendens* græcè ostentans se quòd sit Deus: volet enim cultu latriæ adorari, ut Deus, immò ut solus Deus. Ex dictis colligitur, Antichristum futurum unum aliquem singularem hominem, & non multitudinem plurium impiorum Pontificum sibi mutuò succedentium: nec posse hæc quadrare in quemquam mortalium, qui hactenus vixerit, sed in unum illum solùm, qui paucis annis præcedet adventum Christi ad extremum judicium, ut fusè & doctè post alios demonstrat Leonard. Lessius de Antichristo. *Antichristus sedebit in templo.*

IV. Quod *mysterium iniquitatis jam operatur.* v. 7.? R. Figura & symbolum illius Antichristianæ iniquitatis (nempe Simon Magus ejusq; Asseclæ 1. joan. 2. v. 18. & Imperator Romanus Claudius & Nero, aliiq; illis similes tyranni, infideles, hæretici) *jam* id est, ex nunc *operatur*: nam perfidi isti hostes Christi eodem spiritu aguntur & feruntur, quo feretur & agetur suo tempore verus Antichristus, cujus isti figuræ, symbola & præcursores sunt ita S Hieron. Amb. Chrysost. Aug. *Tantum* ergo detinet seu remoratur, Antichristi propriè dicti adventum Claudius Nero, Galba, & quicunq; illis successurus Rom. Imperator. Debet enim hoc imperium, quod est sextæ & ultimæ ætatis mundi Apoc. 17. v. 10 priùs everti. Restat igitur, ut *qui* illud *nunc tenet, teneat & imperet, donec* illud ipsum *de medio fiat*, id est, tollatur, & penitus evertatur. ita Chrysost. & alij. Loquitur autem S. Paulus tam obscuris verbis de Imperio & Imperatore Romano, non ex metu; sed prudenti consilio, ne scil. sine causa & fructu tyrannum contra Christianos, quasi hostes Romani Imperij acriùs inflammet, inquit idem Chrysost. Exciso Romano Imperio, *revelabitur* id est, in lucem prodibit *iniqvus ille* Antichristus. *Mysterium iniquitatis operatur.*

V. Quomodo Dominus Jesus Antichristum *interficiet spiritu oris sui* v. 8. R. Non arcu vel gladio, sed spiritu vel flatu oris sui, id est, solo metu & jussu suo, per Michaëlem Archangelum præcipitando illum è sublimi aëre deorsum, unde terra dehiscente vivus corpore & anima à Dæmonibus abripietur, mortuus tamen antequam eò pertingat, ut olim accidit Core, Dathan & Abiron Num 16. ita Anselm. & alij. Atq; ita monstrum hoc superbiæ omnisq; impietatis destruet Christus sola *illustratione adventûs sui* græcè, apparitione, seu cùm primùm, instar crepusculi, apparere seu elucescere incipiet præsentia ejus & adventus ad judicium. Quòd si radius primi crepusculi sternit potentissimum totius orbis monarcham, quid faciet ardens sol in meridie judicij paucis pòst annis subsecuturi. *Antichristus interficietur spiritu oris Christi.*

VI. Quæ erunt signa & prodigia mendacia Antichristi? R. Nec Antichristus, nec dæmon nec Angeli possunt facere verum miraculum: sed solus Deus. Miraculum enim est, quod fit super omnem naturæ vim, quodq; omnium naturalium causarum vires excedit & transcendit: Antichristus ergo faciet miracula non vera, sed falsa & mendacia. Apoc. 13. Tria miracula Antichristi describuntur. Primum v 3 & 11. quòd unum è regibus sibi subjectis, vel potiùs seipsum plagâ mortiferâ (in bello vel alibi unde acceptâ) saucium sanabit. Ubi adverte plagam hanc revera non fore mortiferam, sed vel talis hominibus videbitur tantùm, non autem erit reipsa: vel si revera erit incurabilis, id tantùm erit respectu artis & opis humanæ: dæmoni enim totum corpus nostrum pernoscenti & pervadenti, naturaliter curabilis erit, ac proinde nec vim creati agen- *Antichristi signamendacia.*

agentis transcendet curatio, nec miraculum erit. *2dum* ibidem v. 13. quòd faciet ignem de cœlo descendere: sed & hoc naturaliter facere potest dæmon, uti scimus eum ciere fulmina, tonitrua & tempestates, concitando vapores & nubes. *3tium* ibid. v. 15. quòd propheta & præcursor Antichristi faciet statuam ejus loqui: sed sic dæmon per idola locutus est, & per Pythones etiamnum loquitur naturaliter.

VII Quomodo Deus se habet in permissione impostturarum & præstigiarum Antichristi v. 10.? ℟ Dicitur Deus mittere hæc opera & impostturas Antichristi, quia ex proposito ea Judæis aliisq; hominibus immitti permittet, inquit S. Aug. l. 20 de civit. Dei c. 19. laxando scil. habenas tum Diabolo, tum ipsi Antichristo: non enim opus est, ut positivè eos mittat Deus ad decipiendum homines, cùm ipsi per se ad hoc promptissimi sint futuri, nec aliud sint desideraturi, quàm ut Deus hanc deceptionem perficere eis permittat. Hinc patet Deum, cùm mittit spiritum erroris, cùm excœcat, cùm indurat, adeoq; cùm peccata præcedentia punit peccatis sequentibus, non tantum se habere negative; sic enim non irrogaret pœnam: nec enim judex censetur, punire reum, si negativè permittat eum furari, & malè agere, sed habere se etiam positivè, ac positivo actu, & speciali providentia & decreto decernere permittere peccatum posterius hoc fine, ut puniat prius.

CAPUT III.

Inquietos, otiosos, turbulentos, contumaces cavendos monet & coercendos.

Fides non est omniũ.

QUæstio I. Quid est, *non omnium est fides* v. 2.? ℟ Non omnes possunt induci, ut fidem complectantur. Non quòd defectus sit ex parte Dei, qui quantum est ex se *illuminat omnem hominem* Joan 1. v. 9. Sed ex parte liberi istorum arbitrij, cujus est consentire vocanti Deo, inquit Theodor.

Fides est donum Dei

II. Quomodo fides est donum Dei & tamen in nostra potestate? ℟. Fides non est donum Dei, sicut prophetia, donum linguarum, miraculorum &c. sunt dona Dei. Hæc enim à solo Deo homini donantur: sed fides est donum Dei, eodem modo quo prudentia, fortitudo, temperantia, cæteræq; virtutes, immò omnia bona opera dicuntur esse dona Dei; quia scil. Deus suâ gratiâ ad actum fidei aliarumq; virtutum nos excitat & vocat; ita tamen ut nobis liberum relinquat huic gratiæ assentiri vel dissentiri; illam amplecti vel respuere, cum illa operari & credere; aut illam negligere & nolle credere.

III. Qua ratione Paulus, cùm esset nobilis, & sacris literis eruditus mechanicam didicit? ℟ id fecisse ex instituto veterum Rabbinorum; ijs enim, qui sacras literas discerent, præscripserunt, ut opificium quoq; aliquod manuale addiscerent, tum ut eo victum sibi pararent, tum corporis exercendi, & animi à studiis relaxandi causâ; addebantq; eos, qui illud negligerent, procliviores ad peccata futuros. Sic Rabbi Johanna sutoriam, Rab. Juda pistoriam addicit. Sic Carolus M. filios suos mechanicam aliquam, & filias suam Lanificium vel Linificium discere voluit.

EPISTOLA B. PAULI APOSTOLI AD TIMOTHEUM PRIMA.

CAPUT I.

Monet Timotheum muneris sui Episcopalis, & ut, rejectis fabulis Judaicis ac Simoniacis, doceat, quæ fidem, charitatem, & bonos mores promoveant.

QUæstio I. Ubi Deus Pater demandavit Apostolatum Paulo? ℟det Theoph. cùm opera SS. Trinitatis sint indivisa, quod Filius jussit aut Spiritus Sanctus, hoc jussisse & Patrem. Atqui Spiritus Sanctus Act. 13. 2. *Segregate*, inquit, *mihi Saulum & Barnabam* in opus (apostolatûs inter gentes) *ad quod assumpsi eos.* Rursum Christus ad Paulum Act. 22. sic ait: *ad gentes longinquas mittam te.* & Act. 23. *Cæsari oportet te stisti.* Ergo ibi Deus Pater cum Filio & Spiritu Sancto, Paulo Apostolatum demandavit.

Christus spes nost ra.

II. Quomodo Christus dicitur *spes nostra* v. 1.? ℟. Idem est, quod causa spei nostræ tum objectiva & materialis: speramus enim Christi visione & fruitione beari: tum effectiva & meritoria: speramus enim non per Moysen, legisq; cæremonias, sed per Chri-

Christum ejusq; gratiam, tentationum victoriam, periculorum & malorum omnium aut tolerantiam aut liberationem, ac deniq; æternam salutem & beatitatem. Et hoc propriè intendit hîc Apostolus. Ita Chrysost. Theoph. Anselm. tum finalis, quia finis spei nostræ & patientiæ, ac omnis virtutis est Christus. Adverte Christum per se & immediatè esse spem nostram, quia ab eo bona jam dicta speramus; Sancti verò & B. Virgo dicuntur spes nostra mediatè, scil. per Christum: quia speramus per eam preces apud Christum impetrare bona, quæ petimus. Si enim Apostolus Thessalonicenses ep. 1. c. 2. v. 19. sine Christi injuria, vocat non tantum suam spem, sed & coronam gloriæ, cur non possimus ita vocare Sanctos & Matrem Dei.

III. Quas & quorum fabulas ac genealogias, Judæorumne an gentilium, perstringit Apostolus v. 4? ℟ Judæorum, quales nunc extant in Talmud, & apud Cabalistas: adeoq; Judæorum Rabbini post Christum totam sacram scripturam fabulis à se confictis contaminârunt. Talis fabula est, quòd docent Deum Adamo duas creasse mulieres, ex quibus texunt genealogias interminatas, seu longissimas & quasi infinitas. Tale est, quod fabulantur de bove & ceto initio mundi creatis, qui alantur pro Judæis in tempus Messiæ, ut cum eo epulentur, & bovem hunc tantum esse, ut mille quotidie montes depascatur. Quòd tempore Messiæ Judæa proferet Judæis panes coctos, & vestes sericas, cuiq; Judæo accommodatas. Quòd Deus quotidie lacrymam emittat, eò quod gentem suam, putà Judæos, vastari & excindi permiserit. *Fabulæ ac genealogiæ Judæorum.*

IV. Quo sensu *lex justo non est posita* v. 9.? ℟ Lex non est lata ad justos coercendos; justi enim sponte sua se conformant legi, amore justitiæ & obedientiæ, non timore pœnæ, quam lex transgressoribus minatur: sed lata est, ut minis suis & pœnis coerceat impios. Patet hic sensus ex sequentibus, q. d. Sicut pædagogo non est opus juveni, qui jam satis instructus est, nec minis & flagellis opus est servo, qui sponte facit imperata: ita lege minaci & pœnas intentante non est opus justo, qui sponte sua facit bonum & honestum, quod lex imperat. Hinc malè inferunt Libertini, justos non obligari lege etiam decalogi; in lege enim sunt tria, obligare videlicet, dirigere, & coercere sive punire; duo priora lex exercet in omnes etiam justos: tertium solùm in injustos. *Lex justo non est posita.*

V. Cur Paulus dixit v. 13. *Misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate?* ℟. Non erat justificationis Pauli causa propriè dicta vel meritoria, seu de condigno, seu de congruo, sed solùm impropriè dicta, nec nisi occasionalis, & removens quædam impedimenta. Peccare enim ex ignorantia, item minus peccare quàm alij, neminem facit dignum aut altero digniorem gratiâ vel veniâ (ut Arausicanum Concilium Can. 5. 6. 7. definit) facit tamen minus indignum. Hinc peccatoribus etsi obstinatissimis, semper suadendum, ut graviora peccata devitent, & minus saltem peccent: sic enim sæpiùs & faciliùs illuminabuntur & excitabuntur à Deo.

VI. Quomodo verè potuit sentire & dicere Paulus se *peccatorum* esse *primum* v. 15, id est, maximum, cùm sciret Judam, Caipham, Herodem, aliosq; plurimos graviùs longè peccâsse? ℟ Apostolus bene illustratus Spiritu Sancto agnovisse gravitatem suorum peccatorum, & in eam vera humilitate omnes mentis oculos intendisse; aliorum verò peccata ita non considerâsse & inspexisse, quin de quolibet præsumeret meliora, vel quòd plures haberet causas ipsum excusantes, & peccati graviratem minuentes: sicuti qui gravi dentium, capitis vel oculorum dolore laborat, dicit nullum dolorem hoc esse majorem, sed suum omnium esse maximum; qui scil. suum sentit per experientiam, aliorum verò dolores tantùm considerat per speculationem, itaq; suus sibi dolor videtur, & revera in suo sensu maximus est: ita Pauli peccatum ipsi in suo sensu videbatur esse maximum.

VII. Quomodo Paulus dicit, *quorum primus ego sum,* cùm sciret sibi jam condonatum esse hoc peccatum? ℟. Paulus hîc se considerat, quasi in puris naturalibus constitutum seclusâ gratiâ: sic enim peccator erat; fuisseq; in peccato mansurus, & nullo modo mutandus, imò longè adhuc graviùs peccaturus. Humilis enim est, considerare & despicere se ob ea, quæ habet à se: nam ea, quæ habet à Deo, non sua sunt, sed Dei, Deoq; eorum laus & gloria debetur.

CAPUT II.

In publicis precibus jubet commendari DEO omnes homines, & orationem omnibus commendat: mulieribus autem vetat docere in Ecclesia.

Orandum pro omnibus.

QUæstio I. Quare Apostolus vult nos *orare pro omnibus hominibus* v. 1. etiam Regibus gentilibus & incredulis, cùm tamen 1. Joan. ultimo dicatur: *est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut oret quis?* & Christus ait esse peccatum, quod *non remittitur neq; in hoc sæculo, neq; in futuro.*? R. Ad nos, qui pondus peccatorum, & illud Dei judicium ignoramus, quod jam quosdam despexisse dicitur, attinere, ut omnium salutem optemus & pro omnibus precemur, quousq; pateant nobis, quæ in contrarium sunt producta. Pro omnibus ergo etiam inimicis, precandum est. Est namq; duplex inimicitiæ species consideranda; altera, qua parte nos tangit, & tunc dimittere jubemur, quia dimisit nobis Christus, cùm inimici essemus: Altera qua parte Deum tangit, & cùm in genere Deus sit paratus dimittere, ideo generatim pro cunctis vult orari. Pro excommunicatis autem nominatim, privatas preces fundere licet, à communibus tamen & publicis abstinendum est.

Deus vult omnes homines salvos fieri.

II. Quomodo *vult Deus omnes homines salvos fieri* v. 4.? R. Id est, sincerè cupit & ex animo desiderat omnes homines salvos fieri, ideoq; omnibus dedit Christum redemptorem, & per eum gratiam, Sacramenta, & alia omnia media ad salutem necessaria suppeditavit, quantum est ex parte sua, ut si qui pereant, non Dei voluntate & prædestinatione, sed suâ culpâ & malitiâ pereant. Hæc ergo Dei voluntas salvandi omnes non tantùm est signi, quam scil. Deus significavit per tot exhortationes, præcepta, pœnas, & præmia hominibus proposita, sed etiam est beneplaciti: non tamen completa, consequens & totaliter efficax; sed incompleta, antecedens & efficax tantùm ex parte Dei.

Christus mediator Dei & hominum.

III Estne Christus *mediator Dei & hominum*, ùt homo, an ùt Deus v. 5.? R. Quia S. Paulus dicit: *mediator Dei & hominum homo Christus Jesus*, satis ostendit, quòd secundùm humanam naturam mediator sit. Si enim rectè inspicias, duo sunt conciliatoris sive intercessoris officia: alterum reconciliare discordes; justi autem mediatoris est ita conciliare discordes, ut justam causam fovens à jure suo non cadat; quæ autem injusta est, ad justitiam deducatur. Alterum convenit mediatori, ut proximus sit utriq; parti dissentienti, atq; adeo similis sit utriq; & amicus, & quod ab utroq; aliquantulum distet: si enim unum cum altero illorum, tenet se tantum ex parte illius, nec jam medius est. Si omnino ab utroq; distet, non poterit conjungere discordes. Primum igitur convenit Christo secundùm humanam naturam, nam secundùm eam Divinæ justitiæ satisfacit, & meretur ac impetrat nobis justitiam: secundùm Divinam autem naturam, ipse est pars placanda, ut Pater & Spiritus S.; quanquam passio humanæ naturæ non placat Deum, nisi in persona Divina esset, & inde valorem haberet. Ita S. Aug. in Enchiridio c. 108. Secundùm verò, nempe medium esse, partim similem, partim dissimilem, & distantem ab utroq;, competit etiam Christo secundùm humanam naturam. Deo enim similis est Christus per justitiam, per quam distat ab hominibus peccatoribus: nobis verò est similis per miseriam, per quam distat à Deo. Atq; hæc similitudo & distantia valde congruit: quia per miseriam, quam ipse sustinuit, Dei justitiæ bonam causam fovent is satisfecit, & homines iniquam causam foventes, id est, nolentes subdi Deo, ad justitiam reduxit.

Mulier salvabitur per filiorum generationem

IV. Quomodo *mulier salvabitur per filiorum generationem* v. 15.? R. Præpositio *per* significat hìc causam & meritum; scil. laborum, quo patitur mulier in partu & educatione liberorum in fide & moribus Christianis, per quod salvabitur. Sub generatione educationem complectitur Apostolus: educatio enim est quasi completa generatio & formatio filiorum ita Chrysost. q. d. Paulus, esto non doceat mulier, non deerit illi pia occupatio, adeoq; salvabitur, non per librorum, sed per liberorum tractationem. Audiant hoc nostræ Novantes sciolæ, quæ pro sua hæresi & Scriptura contentiosè cum viris disputant. Audiant quod S. Basilius Demostheni coco Valentis Imperatoris pro Arianis garrienti, respondit: *tuum est pulmenta coquere, non evangelium exponere.*

CAPUT III.

Dotes Episcopi & Diaconi.

Episcopus vir unius uxoris.

QUæstio I. Quo sensu vult S. Paulus Episcopum esse *unius uxoris virum* v. 2.? R. Vult ne sit bigamus, seu nunquam inierit, ne successivè quidem, secundas nuptias. Patet ex c. 5. v. 9. ubi simili phrasi dicitur. *Vidua eligatur, quæ fuerit unius viri uxor.* Jam verò constat, nunquam moris fuisse, ut pluribus simul viris una eademq; esset uxor (ut ad hoc cavendum peculiari opus esset præcepto) sed neq; posse viduam esse, quæ defacto adhuc habeat virum, sed solùm eam, quæ habuerit. Unde à simili colligimus non præcipere hìc Paulum, ut qui Episcopus vel Presbyter eligendus est, sit defacto conjugatus. Namq; Paulus ipse, ut patet 1. Cor. 7. & c. 9. v. 5. Neq; Timotheus aut Titus, unquam teste S. Ignatio ad Philadelphios, conjugati fuerunt:) sed solùm si fuerit aliquando, vel adhuc sit conjugatus, ut non nisi unam habuerit. In primitiva

mitiva enim Ecclesia, eò quòd cœlibes, qui apti essent muneri Episcopali vel Pastorali, admodum pauci reperirentur, ordinari solebant etiam conjugati, sed non nisi monogami: & hi post susceptos Sacros Ordines usu prioris conjugis abstinebant, teste Epiphanio hær. 59. & aliis Patribus. Postmodum tamen Græcis ob incontinentiam indultum fuit, ut uxoribus, si quas ante ordines susceptos duxissent, etiam pòst uterentur *Cap. cùm olim. de Clericis Conjugatis.* Nunquam verò concessum, ut ordinato liceret uxorem de novo ducere. Quod & apud Ægyptios, aliosq; Gentiles seu Ethnicos observatum fuisse docet S. Hieron. ep. 11. Ageruchiam. Hæc Tirinus.

II. Cur Neophytum ab Episcopatu arcet Paulus? R. Ne novo honore superbiat, & novitate potestatis infletur, putans se aliis in fide veteranis meliorem, statimq; perfectionem Christianam adeptum, ac quasi Ecclesia eo indigeat, illiq; non tam conferat, quàm ab eo beneficium accipiat, & aliis præesse & insolenter dominari velit *Excluditur Neophytus* ait Haymo, *ne dicere possit, indigebat Ecclesia meâ sapientiâ, ideo me ad fidem adduxit, & super se constituit;* itaq; *in judicium,* id est, condemnationem *incidat diaboli,* qui Neophytus in cœlo novâ creationis suæ pulchritudine superbivit, ideoq; damnatus est. ita Chrysost. & Theophyl. Excipe ab hac lege, nisi Neophyti vita adeo sit probata, ut de ejus aptitudine ad Episcopatum, nullum sit dubium, aut nisi Dei oraculo Neophytus designetur Episcopus. Sic enim S. Amb recdum baptizatus Mediolani à puero & mox à toto populo conclamatus Episcopus, elec. & consecratus est. *Neophytus arcetur ab Episcopatu?*

III. Quid est *mysterium fidei* v. 8.? R. Sacra Eucharistia; Hæc enim à Dionys. Chrysostomo, Cyrillo, Basil. antonomasticè vocatur mysterium. Unde in forma consecrationis Sanguinis Domini, calix sanguinis vocatur mysterium fidei. q. d. Diaconi habeant, id est, servent, & custodiant Eucharistiam, quæ est mysterium illud arcanum fidei Christianæ; *in pura conscientia,* ut scil. pura & mente & manibus calicem Eucharistiæ tractent, eumq; populo administrent. Solent enim Patres veteres æquè ut Paulus hìc loqui tectè ac arcanè, ne Gentiles rem tantam audientes & non intelligentes, irriderent & subsannarent: hinc passim eam vocant arcanum mysterium. *Mysterium fidei.*

IV. Quod *Sacramentum magnum justificatum est in spiritu* v. 16.? R. Gentes rident Verbum incarnatum, & in carne manifestatum, sive Deum hominem factum, quasi stultum; Judæi habent pro scandalo: sed Spiritus S. per rationes convenientissimas, per miracula, per tot charismata, per efficacem prædicationem, & sanctitatem, zelum, sapientiam, aliasq; dotes cœlestes Apostolorum declaravit & comprobavit hoc Dei de Verbi incarnatione consilium esse justum, sanctum, sapiens, Deoq; dignum. In hoc enim incarnationis opere relucet mira Dei justitia, sapientia, bonitas, & potentia, ut pulchrè declarat S. Thom. 3. p. q. 1. a. 1. & 2.

CAPUT IV.

Prædicit subortiuras hæreses, quæ nuptias & certos cibos damnent: Commendat Episcopo pietatis studium, & ut sibi & lectioni scripturæ ac doctrinæ Verbi intendat.

Quæstio I. Quæ est *cauteriata conscientia* v. 2.? R. est notata & insusta indelebili cauterio infamiæ, scil. ob libidines aliaq; infamia scelera. Alludit ad stigmata, quæ maleficis ferro candenti inuruntur, quale Calvino ob Sodomiam Novioduni in Picardia inustum fuisse, non tantùm ejus familiaris Hieron. Bolsecus Doctor medicus in Calvini vita, sed & multi alij viri gravissimi asseverant. q. d. Paulus: hi hæretici non tam corpus, quàm animum habent stigmaticum ob vitæ dedecora, ita Chrisost. Theophyl. & alij. Franc. Turrianus in can. 44. Apostolorum. *Cauteriatam,* inquit, *conscientiam vocat Apostolus eam, quæ sensum peccati amisit, instar partis cauterio inustæ, quæ jam pervenit ad dedolentiam.* *Conscientia cauteriata.*

II. Contra quos loquitur v. 3. *Prohibentes nubere, & abstinere à cibis?* R. Contra Simonianos, Saturninum (qui tempore Apostolorum vixit) Ebionem, Manichæos, Marcionitas, Encratitas, qui dicebant, nuptias, vinum, carnes &c. non esse à Deo bono, sed malo, putà diabolo creata, ac proinde hæc naturâ suâ esse mala & cavenda, eorumq; esu & usu hominem infici & maculari. Id patet primò ex ratione, quâ eos impugnat Apostolus, cùm subdit: *quia omnis creatura Dei bona est, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione recipitur.* q. d. Errant hi, dum aliquas creaturas naturâ suâ esse malas & vitandas docent: nam omnis creatura Dei bona est, & ad usum homini data à Deo. idò quia hanc fuisse hæresim Encratitarum, quorum auctor fuit Tatianus S. Justini discipulus, docet Irenæus l. 1. c. 30. indeq; dictos Encratitas, id est, continentes. Plura vide apud Corn. à Lap. Nihil ergo hìc contra cælibatum Sacerdotum, vel jejunium Ecclesiasticum, quo subinde carnes & nuptiæ prohibentur, non tanquam *Nuptiæ non sunt malæ.*

in se aut per se malæ; sed solùm ad refrænandam concupiscentiam, ad exercendam obedientiam, pœnitentiam & studium orationis exemplo Joannis Baptistæ Matt. 3. v. 4. adeoq; & ipsius Christi Matt. 4. v. 2. & infinitorum Sanctorum primitivæ Ecclesiæ.

Manuum impositio.

III. Quomodo intelligendus v. 14. *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterij?* ℟ Noli negligere donum, tum gratis datum, putà ordinem sacerdotalem & Episcopalem: tum gratum faciens, putà varias gratias, quæ muneri Episcopali ritè obeundo necessariæ, infunduntur in Sancti Ordinis susceptione. *Quæ data est tibi per prophetiam,* id est, revelante & jubente Deo Timotheum ordinari Episcopum. Aliqui per prophetiam intelligunt orationem sacram, sive verba mystica, putà ipsam formam ordinationis, quasi Apostolus hìc designet ipsam formam Sacramenti ordinis, & mox ejusdem materiam, cùm subdit, *cum impositione manuum,* id est, per impositionem manuum presbyterij, id est, cœtus presbyterorum, seu majorum, id est, Episcoporum. Philipp. 1. v. 1. Nam Episcopus (ut habet Apostolica traditio) ordinari debet à tribus ùt minimùm aliis Episcopis. ita Concil. Carthaginense IV. Porrò hac impositione manuum, teste S. Dionysio Eccles. Hierar. c. 5. p. 3. significatur illapsus & plenitudo Spiritûs Sancti, ejusq; protectio, regimen ac directio circa omnia, quæ sunt muneris & ordinis collati.

CAPUT V.

Docet Episcopum, qua ratione omnibus Ecclesiæ statibus providere debeat.

QUæstio I. De quibus viduis loquitur v. 3.? ℟. De omnibus, potissimùm tamen de viduis sacris & Ecclesiasticis: ad has enim sensim descendit. Pro quo nota ex historia Ecclesiastica, olim etiam tempore Apostolorum, sicuti erant Virgines, quæ se totas Deo dicabant, ita similes erant & viduæ. Rursum sicuti quædam ex virginibus hisce seorsim in domibus suis degebant, ut patet ex Concil. Carthaginensi III. Can. 33, quædam verò simul vivebant, uti jam fit in monasteriis: ita pariter viduæ aliæ domi seorsim, aliæ simul quasi in Collegio vivebant.

Viduæ Ecclesiasticæ.

II. Quales fuerunt hæ viduæ Ecclesiasticæ, & cur ab Apostolo *verè viduæ* vocantur? ℟ Hæ viduæ à mundo separatæ, & quasi mortuæ vivebant simul, uniq; Deo & pietati vacabant, ut patet v. 5. Profitebantur, immò vovebant castitatem: unde v. 12. ait Apostolus, aliquas ex eis primam fidem (id est votum) irritam fecisse. Ex eis deligebantur Diaconissæ & similes, quæ imperitas mulieres docerent, & præpararent ad baptismum, de quibus Epiphan. hæresi 79. Erant pauperes & omnibus subsidiis destitutæ, ideoq; alebantur ab Ecclesia. Ut patet Act. 6. v. 1.

Viduæ reddant vicem parentibus.

III. Quomodo vidua *mutuam vicem* debet *reddere parentibus* v. 4. ? ℟. Si parentes adhuc vivant, eis inserviat, opituletur, ministret, eosq; alat, sicut ab eis à puero alita & educata est: uti faciunt ciconiæ parentibus senibus. Sin parentes sint mortui, reddat eis vicem in filiis & nepotibus, eisq; impendat illam curam, alimoniam & obsequium, quod parentibus impendisset.

IV. Quis est sensus v. 11. *Cùm enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt?* ℟ Viduæ hæ juniores cùm in domo Dei ab Ecclesia bene alitæ & pastæ fuerint, quasi vituli saginati recalcitrant, & Christi jugum, ac professionem castitatis excutiunt, ac ruptis votis quasi vinculis nubere volunt, idq; *in Christo,* id est, Christi injuriam. Vox ergo luxuriatæ non libidinem, sed luxum deliciarum hìc significat. Unde Cyprian. l. 3. testimon. 74. ad Quirinum legit: *cùm indelicatæ fuerint in Christo.*

V. Quo sensu dicitur v. 24. quòd peccata alios præcedunt ad judicium, alios sequantur? ℟. *Peccata manifesta præcedentia ad judicium* sunt peccata clara & publica, condemnata communi hominum voce, priusquam in judicium adducantur: peccata verò quæ peccatores *subsequuntur* in judicio, quasi pedissequi vel umbræ, sunt peccata occulta impiorum, quæ non patent in publico, sed in mente vel tenebris latent, cùm impij faciem bonorum induunt, ut externa specie videantur probi, si tamen diligenter examinentur & dijudicentur, tandem se prodet larvata eorum impietas.

CAPUT VI.

Quid servis Domini debeant: quàm exitiosa pestis avaritia: quàm nova dogmata vitanda.

Servi Dominis infidelibus obediant.

QUæstio I. Cur vult, ut servi seu mancipia Dominis infidelibus promptè & reverenter obediant? ℟ Ne si inobedientes eis sint, prætexentes se per Christianismum ex servitute assertos esse in libertatem, ipsi heri blasphement Chri-

stianis-

ſtianiſmum, quaſi qui ſervos, ſibi anteà morigeros, fecerit rebelles & ſeditioſos.

II. Quid deſiderat à ſervis Dominorum fidelium v. 2.? R. Hos monet, ne putent ſe per baptiſmum factos eſſe Dominis ſuis pares; licet enim pares ſint in baptiſmo, & fratres in Chriſto, tamen in civili conditione & ſtatu impares ſunt; unus enim eſt Dominus, alter ſervus: quin potiùs hortatur hos ſervos Apoſtolus, ut heris fidelibus meliùs ſerviant quàm infidelibus; quia herus fidelis melior eſt & dignior, ſerviq; Chriſtiani amantior, cum eoq; in fide conjunctior, ac conſequenter magis dilectus, id eſt, diligendus, quàm herus infidelis. *Servi Dominorum fidelium.*

III. De quibus dicitur: *qui beneficij participes ſunt?* R. De Dominis, quos beneficij, ſcilicet illius magni & excellentis, putà Chriſtianiſmi, participes fecit Deus. q. d. Servi ſerviant Dominis Chriſtianis & amantius & diligentiùs, eò quòd Domini ſint fideles & dilecti à Deo, Deiq; amici, eò quòd Domini ſint unà cum ſervis ejuſdem illius, Dei beneficij participes, putà vocationis ad fidem & gratiam Chriſti, hæc enim eſt maximum Dei beneficium.

IV. Quænam Chriſti *bona confeſſio* v. 13.? R. Qua coram Pontio Pilato, totoq; concilio & populo Judæorum profeſſus eſt ſe eſſe Meſſiam regem Judæorum, miſſum in mundum, ut teſtimonium perhiberet veritati, ſcil. ut doceret homines veram doctrinam bene & piè vivendi, & ad ſalutem æternam perveniendi. ita Chryſoſt. Theophyl. & alij. *Confeſſio Chriſti bona.*

V. Quomodo ſolus Deus eſt immortalis v. 16.? R. Sicut dicitur ſolus potens, ita & ſolus immortalis, ſcil. à ſeipſo pleniſſimè & abſolutiſſimè, ita ut à nulla alia re mors aut interitus Deo inferri poſſit: Angeli enim & animæ licet immortalitatem Dei, ſicut & eſſe ſpirituale Dei, aliquo modo participent, imperfectè tamen & tenuiter eam, æquè ut eſſe Dei, participant; adeoq; abſolutè à Deo interimi & annihilari poſſunt. *Deus ſolus immortalis*

VI. Quomodo *nemo poteſt Deum videre* v. 16.? R. Nemo poteſt Deum videre, ſcil. per ſe, & ſuas naturæ vires, ſive nemo poteſt videre Deum ſuâ acie mentis, ſuo naturali acumine, ſuo ingenio, uti præſumebant Anomæi: ſed neceſſè eſt, ut homo viſurus Deum ſuper hominem elevetur, ac per gratiam naturam tranſcendat, & ſuper ſeipſum attolatur, atq; quaſi ſupernaturalem vim viſivam, oculumq; accipiat, puta lumen gloriæ, quo Deum videre poſſit. Quod ergo dicitur Gen. 32. v. 30. Jacob. *vidiſſe Deum facie ad faciem.* Et Moyſes Num. 12. v. 8. dicitur *ore ad os quaſi amicus cum amico familiariter cum Deo collocutus,* intelligendum eſt, non de Dei eſſentia, ſed de corpore à Deo, vel potiùs ab Angelo perſonam Dei repræſentante aſſumpto, in quo facie ad faciem cum Moyſe & Jacobo Angelus vice Dei colloquebatur. *Deum nemo poteſt videre.*

VII. Quid eſt *depoſitum* v. 20.? R. Per *depoſitum* intelligit Apoſtolus doctrinam ſanam, quæ Timotheo quaſi Epiſcopo credita erat, eiq; quaſi depoſitum à Deo & Paulo commendata. Unde conſequitur doctrinam hanc ſolere per manus tradi, ejuſq; cuſtodes eſſe Epiſcopos obſtrictos ad hoc, ut ne minimam quidem ejus partem tolli aut vitiari patiantur. Lex enim depoſiti, inquit Chryſoſt. non patitur, ut aliquid illius pereat ſinè culpa apud Depoſitarium. Hinc S. Baſil. præfecto Valentis Imperatoris Arriani, urgenti ut ei in nonnullis cederet, ita reſpondit: *Qui divinis enutriti ſunt eloquijs, corrumpi de divinis dogmatibus nec unam ſyllabam patiuntur: ſed pro ijs, ſi ita oporteat, omnes mortis ſpecies amplectuntur.*

EPISTOLA B. PAULI APOSTOLI AD TIMOTHEUM SECVNDA.

CAPUT I.

Monet Timotheum, ut reſumpto vigore prædicet intrepidè ſanam Chriſti doctrinam.

Quæſtio I. Quomodo Paulus *à progenitoribus ſervivit DEO* v. 3. cùm fuerit perſecutor? R. Licet aliquando judaizârit, Chriſtumq; Deum ad breve tempus oppugnârit, tamen retinuit ſemper cultum & amorem unius veri Dei, ut illi poſſet dicere, Te ſolum Domine latriâ colo, idq; in pura conſcientia, quia conſcientia mihi teſtis eſt, me non alium quàm te pro Deo meo habere, amare & zelari; adeoq; cum Chriſtum oppugnavi, conſcientia mihi teſtis eſt, me hoc non odio Chriſti aut Dei, ſed potiùs Dei & legis Dei zelo feciſſe; neſciebam enim illum eſſe Meſſiam à Deo miſſum, & putabam in conſcientia me pro patria lege, à Deo Moyſi datâ, ſtare & pugnare debere, putabam hac Chriſti perſecutione maximè me Deum colere, illiq; me rem gratiſſi- *Paulus à Progenitoribus ſervivit.*

mam præstare. Unde mox ut à Deo illuminatus errare me vidi, illicò errorem correxi, totum me Christo dedi, tantumq; Christum, Christiq; legem propugnavi, quantum antea impugnaveram. ita Theodor.

Gratia ab æterno data.

II. Quomodo data est nobis *gratia ante sæcularia tempora*, seu ab æterno v. 9? R. Non fuit actu ab æterno nobis data, utpote qui nondum eramus in rerum natura, ut capaces gratiæ esse possemus: cùm ergo hìc dicitur gratia ab æterno data, intellige in Dei decreto & prædestinatione, ut idem sit *data*, quod dari decreta & prædestinata. Unde Tit 1. v. 2 non datam sed promissam à Deo dicit Apostolus hanc gratiam & gloriam ante tempora sæcularia. Hæc gratia data est *in Christo*, id est, per Christum, putà per Christi merita præviſa ab æterno, data est nobis à Patre hæc gratia.

Christus mortem destruxit.

III. Quando Christus *mortem* in mortalibus *destruxit* v. 10.? R. Christus per evangelium, quod attulit in mundum, quantum est ex parte sua, destruxit reipsa mortem, & vitam restituit, eamq; in lucem protulit: sed quantum est ex parte nostra, reipsa in nobis id necdum factum est, sed fiet in resurrectione, cùm in singulis beatis resurgentibus mors abolebitur, & ita vita æterna efflorescet. Apostolus enim non tam de vita spirituali, quæ fit per gratiam, quàm de futura & corporali, quæ fiet per resurrectionem, agit. Ait enim *vitam & incorruptionem*, id est, vitam incorruptibilem. Unde Theophyl. & Græci docent Christum tantùm in spe nobis in hac vita mortem destruxisse & vitam communicâsse.

Depositum Pauli.

IV. Quod est *depositum* Pauli v 12.? R. Est ejusdem Apostolatus & prædicatio Evangelii, putà thesaurum laborum & passionum pro Evangelio à se obitarum, quem à se collectum Paulus patiens & moriens apud Deum quasi deposuit; ut in illo die magno, judicii scil. illum, id est, illius mercedem & gloriam recipiat, ac coram toto mundo declaretur falsò hìc fuisse traductus, incarceratus, verberibus & contumeliis affectus, tanquam impostor, Deorum hostis & pseudo Apostolus, publicèq; proclametur verus fuisse veri Dei & Evangelii Apostolus & Doctor.

CAPUT II.

Hortatur ad fortitudinem & constantiam in evangelizando, & ad fugam hæreticorum.

QUæstio I. Cur dicit v. 1. *Tu ergo fili confortare in gratia, quæ est in Christo Jesu?* R. Vult dicere: dixi cap. præced. me in vinculis pro Evangelio susceptis non confundi, non dejici, non turbari, licet Asiani olim amici me deserant. Tu ergo ô fili Timothee me patrem tuum imitare, cape animos & robur in gratia, id est, per gratiam Christi, quam habes tecum pugnantem, imò propugnantem, ut fortiter persistas in Evangelii non tantùm fide, sed & prædicatione & propagatione, etiamsi ejus causâ & vincula & tormenta & mortem ipsam subire debeas.

Resurrectio jam facta.

II. Quomodo Phyletus & Hymeneus dicebant resurrectionem jam factam v. 18.? R. S. Thomas putat eos docuisse, resurrectionem esse factam, scil. literaliter in Christo à mortuis resurgente, à nobis verò non literaliter, sed mysticè eandem fieri, cùm baptizamur, & à peccatis resurgimus, vitamq; sanctam, & Christianam inimus: ut resurrectio sit idem quod justificatio, in qua resurgimus à morte peccati ad vitam gratiæ, sitq; vitæ & morum mutatio, ait Anselmus, ita ut resurrectio hæc sit ipse & Christianismus, & Christiana vita, in qua à peccatis & servitute legis veteris liberi, in delitiis & suavitate vitæ Christianæ vitam beatam degimus.

Fundamentum Dei.

III. Quod est *fundamentum DEI* v. 19? R. Ecclesia à DEO fundata, quasi ædificium & palatium ipsius firmum stat & inconcussum. Moliantur hæretici quæcunq; voluerint, nunquam illud subvertent. Sed neq; vel particulam illius ullam, putà fideles, divellent à fide, gratia vel gloria, nisi spontaneos & volentes. Nam binis signaculis firmatur & communitur Ecclesia, & quodlibet ejus membrum: unum est ex parte Dei, infallibilis Divina præscientia, electio irrevocabilis, amor inexplicabilis, & cura ac providentia inimpedibilis; cognovit enim certò, tenerèq; amat & curat omnes *qui sunt ejus*, & gratiam illis suam, omniaq; ad salutem necessaria & utilia abundantissimè suppeditat. Alterum est ex parte hominis, odium & fuga peccati. His duobus positis, non rapiet eos de manu Dei quisquam. Nam gratia Dei ita stabilit corda suorum, ut nisi sponte voluerint, nunquam occasuri sint: solùm enim liberum cujusq; arbitrium potest hoc signaculum convellere. Ita S. Chrysost. Aug Theophyl. & S. Thomas. Quin & efficax seu absoluta electio nostri, seu ad justitiam, seu ad gloriam, multoq; magis reprobatio vel damnatio pendet objectivè à libera nostra cooperatione & consensu. Unde nobis invitis nihil metuendum ab ullis hostibus.

Ecclesia Domus magna.

IV. Quæ est domus magna, in qua non solùm *sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea fictilia: & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam* v. 20? R. Domus est

est Ecclesia, vasa sunt fideles; aurea & argentea, sunt firmi & illustres in fide, & justitia; lignea verò & fictilia, sunt vulgares, fragiles, infirmi in fide & charitate: nam hæretici nec vasa aurea, nec fictilia sunt, sed potiùs vasa fracta & ex domo projecta & ejecta. Hinc patet in magna domo, id est, Ecclesia, non tantùm esse bonos, sanctos, & ut vult Calvinus, prædestinatos; sed etiam malos, peccatores & reprobos: sicut in arca Noé animalia erant tam immunda, quàm munda: sic in Christi domo & familia vas aureum erat Judas, sed factus est vas in contumeliam, cùm fur esse cœpit, & tandem fidem Christumq; prodidit; Thomas verò de Christi resurrectione dubitans, fuit vas fictile, sed à Christo confirmatus, factus fuit vas in honorem.

V. Quomodo dicitur Deus *dare pœnitentiam* v. 25. cæterasq; virtutes? ℟. Dicitur Deus dare pœnitentiam, & alias virtutes, quia suâ gratiâ excitat, & impellit liberum arbitrium, ut ipsum sponte suâ ex seipso, cooperante gratiâ Dei, pœnitentiæ aliarumq; virtutum actus eliciat. *Deus dat pœnitentiam.*

CAPUT III.

Prædicit exorituros perfidos hæreticos, quorum mores describit, & fugiendos monet: hortaturq; ad studium sacrarum litterarum.

Quæstio I. Qui sunt novissimi dies, quibus *instabunt tempora periculosa* v. 1? ℟. Novissimi dies à Prophetis & Apostolis dicuntur adventus Messiæ, usq; ad judicium: de quibus multa Jacob filiis suis futura prædixit Gen. 49. *Congregamini*, inquit, *ut annuntiem, quæ ventura sunt vobis in diebus novissimis*, estq; primus, qui locutus est de novissimis diebus. In his novissimis diebus & propinquis extremo diei judicii maximè nos versamur & periclitamur propter innumeras & varias hæreses, & mores corruptissimos, in quibus quia abundat iniquitas, refrigescit charitas multorum. *Dies novissimi.*

II. Qui & quales *Joannes & Mambres*, & unde hæc nomina sumpsit Paulus? ℟. Hæc sunt nomina duorum Magorum Pharaonis, qui in Exodo narrantur Moysi restitisse, & cum eo in miraculis & portentis edendis certâsse, & licet Moyses eorum nomina non exprimat, Paulus tamen ea aliunde didicit & hìc expressit. Didicit autem ea traditione, vel certè inspiratione Spiritûs Sancti, qui hæc ei dictabat. Verè enim ita vocatos fuisse hos Magos docet quoq; Numenius Pythagoricus apud Eusebium l. 9. de Præparat. Evang. c. 3. *Joannes & Mambres.*

III. Quomodo universaliter verum est illud Pauli v. 12. *Omnes, qui piè volunt vivere, in Christo Jesu, persecutionem patientur?* cùm multi pii inter Christianos piè vivant & quietè sine persecutione? ℟. Omnes, id est, pleriq; persecutionem patientur ab hominibus, sive Christianis cognatis & amicis, sive ab infidelibus & hæreticis, sive ab invidis aliisq; perversis & improbis: à talibus enim talem propriè dictam persecutionem passus est Paulus Antiochiæ & Lystris. Hoc verissimum erat tempore S. Pauli, cùm illi, qui à Gentilismo convertebantur ad Christum, statim tam à suis, quàm ab externis, maximè præsidibus, bonis, patria, libertate, & sæpe vitâ mulctabantur. Idem etiamnum hodie est videre, cùm quis à vita mundana & licentiore ad Christianam, modestam, & sanctam, ac præsertim perfectam & religiosam se convertit. *Persecutio.*

IV. Quomodo dicitur v. 13. *Mali homines & seductores proficient in pejus*, cùm v. 9. dicatur: *non ultra proficient?* ℟. eo loco dicitur, non proficient, ut nimirum viros cordatos seducant: illis enim mox patebit eorum fraus & impietas, hìc verò dicitur quòd ipsi in se & sua impietate proficient, atq; in suos errores, homines leves, inconstantes & suis cupiditatibus addictos, pellicient.

CAPUT IV.

Monet Episcopum, ut in Verbi prædicatione sit assiduus: mortem sibi, sed cum glorioso triumpho instare prædicit: rogat, ut ad se ultimò complexandum Romam excurrat, & amicos suo nomine salvere jubeat & valeat.

Quæstio I. De quo tempore dicitur v. 3. *Erit enim tempus, cùm sanam doctrinam non sustinebunt?* ℟. Nullo tempori perinde quadrat ac nostro, quo omnes hæreticæ doctrinæ è sepulchris, in quibus latebant, suscitatæ videntur. Nam Christi divinitas à multis in dubium revocata: scripturæ decurtatæ sunt: Sacramenta & numero & fructu gratiæ destituuntur: sacrificium Missæ proscribitur à nefariis hominibus, qui sacramentarij vocantur & Calviniste: Christus extorris fit ab Eucharistia: Primatus Petri à multis abnegatur: Sanctorum honor & invocatio tolluntur: Purgatorio & Indulgentiis à plerisq; detrahitur: liberum arbitrium & bonorum ope-

operum merita proscribuntur: Monachatus & Virginitas contemnuntur. Deniq; quidquid est in religione Catholica, quod nostro sæculo per nefarios errores non tentaverint hæretici convellere & labefactare?

II. Quis sensus est: *coacervabunt sibi magistros prurientes auribus* v. 3.? ℟. *Prurientes auribus* non ad magistros, sed ad auditores, qui sibi magistros coacervant, referendum esse, ut sensus sit, ij qui pruriunt auribus, coacervant sibi magistros ad suos pruritus & desideria accommodatos, q d. Hi homines desideriis vanis & carnalibus pleni, eò quòd pruriant auribus, id est, eò quòd ament audire nova, curiosa, mollia, voluptuaria, hinc quærunt sibi magistros, non qui verbo mordeant, & abradant vitia, sed qui sibi & vitijs abblandiantur, quiq; aures scalpant, & omni cubito pulvillum assuant, dum mellita & vulgo plausibilia prædicant.

III. Quid est, *ego enim jam delibor* v. 6.? ℟ pro libamento offeror & immolor, sangvinem meum quasi libamen Deo profundo, consecro & sacrifico per martyrium. Scitum est ex Levitico sacrificia sive victimas habuisse suum libamen vini & olei: erant enim sacrificia quasi libamen Dei, in quo cibus quasi Dei erant victimæ, potus verò erat libamen. Ex Dei nimirum revelatione & instinctu præscivit Paulus mortem, adeoq; martyrium sibi instare.

IV. Quid est, *tempus resolutionis meæ instat?* ℟ Tempus mortis; mors enim non est interitus, sed resolutio hominis, qua scil. corpus terræ quasi matri, anima Deo quasi patri redditur, qui in resurrectione illa conjunget, & in æternum colligabit ac glorificabit. Sic S. Cyprianus auditâ Valeriani Imp. contra se sententiâ, *Thascium Cyprianum gladio animadverti placet*; respondit, *Deo gratias, qui me à vinculis hujus corporis dignatur absolvere.*

EPISTOLA B. PAULI APOSTOLI AD TITUM.

CAPUT I.

Docet quales debeat ordinare Episcopos ac pastores urbium sibi commissarum: quomodo item Cretenses compescendi sint, ne in judaismum delabantur occasione commercij cum nobilibus Judæis, qui plurimi in Creta morabantur teste Josepho in sua vita, cui uxor inde obtigerat.

Vita promissa ab æterno.

QUæstio I. Cui promisit vitam ab æterno v. 2.? ℟det S. Chrysost. promisit, id est, dare decrevit, proposuit, prædestinavit apud se, in sua mente divina dare fidelibus suis vitam æternam. Idem enim dicit hîc, quod 2. Tim. 1. 9. ubi ait: *Quæ* (scil. gratia) *data est nobis in Christo Jesu ante tempora sæcularia*, id est, dari decreta, sive prædestinata est: quod enim nobis dari decretum est, idipsum nobis quasi promissum est, promissione non personali, sed reali, sive quantum est ex parte Dei, quæ danda decernitur & promittitur.

Circa Ecclesiæ regimen non omnia à Christo constituta.

II. An Christus circa Ecclesiæ regimen omnia constituit? ℟ Non, sed multa pro ratione futurorum temporum ordinanda commisit Apostolis eorumq; successoribus. Hoc enim exigit cujusvis Reip. prudens institutio, sic quòd v. 6. præcipit Apostolus, ut Episcopus sit unius uxoris vir, ut filios habeat fideles, ut sit hospitalis, nusquam legitur instituisse aut præcepisse Christus. Sed ut ait Apostolus v. 5. hæc *ego disposui tibi*, hæc mea sunt præcepta, meæ ordinationes. Sic deinceps per novos Canones toto orbe receptos multa sancita sunt à Patribus Concilij Niceni, Ephesini, Chalcedonensis, Constantinopolitani, & aliorum Conciliorum, de quibus nec Christus, nec Apostoli quidquam sanxerunt, aut ordinaverunt.

III. Quomodo vult *Episcopum esse sine crimine* v. 7? ℟ Non quasi velit eum tantùm eligi Episcopum, qui à baptismo non peccârit mortaliter, sed qui crimine infami aut accusatione digno non notetur, ut ait S. Thomas. *Multi* inquit Aug. l. 1. contra duas epistolas Pelagianorum c. 14. *Sine crimine sunt, & sine querelâ vivunt, sed nemo sine peccato.*

Omnia munda mundis.

IV. De quo loquitur Paulus v. 15. *Omnia munda mundis*? ℟. de delectu ciborum, quem judaizantes inducebant, de ijs enim eorumq; fabulis hîc agi patet ex v. 10. 11. & 14. Nam judaizantium nonnulli dicebant cibos aliquos esse naturâ suâ immundos, uti postea eos secuti docuerunt Manichæi & Marcionitæ: alij verò censebant cibos quosdam esse immundos, & Christianis vitandos, non in se, sed propter legem Moysi Lev. 11. eos vetantem. Hos refutat hîc Apost. dicens: *Omnia munda mundis*, q. d.

q. d. Christianis, qui sangvine Christi in baptismo mundati sunt, nullum animal, nulla res, vel naturâ suâ, vel propter legem Moysi habenda est immunda, sed omnia sunt eis munda, ut omnibus vesci, & uti sine scrupulo possint. Hunc esse sensum patet primò, quia, ut dixi, agit contra judaizantes. 2dò quia ita se explicat 1. Tim. 4. 3. cujus hæc epistola ad Titum est quasi compendium. 3tiò quia ita interpretantur Chrysost. Hieron. Theodoret. Amb. & alij passim. Unde S. Aug. l. 31. contra Faust. c. 4. *Omnia*, inquit, *munda mundis: quia Servi Dei in eo, quod carnibus & vino abstinent, non tanquam res immundas refugiunt, sed mundioris vitæ instituta sectantur.*

V. Quomodo accipienda sunt verba v 15. *coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum?* R Formaliter q. d. Infidelibus, ut tales sunt, seu quatenus infideli mente & conscientia cibis, seu utuntur, seu abstinent, nihil est mundum. Opinantur enim, ex præscripto legis Mosaicæ, vel Simonis Magi, vel similium hæreticorum, statuendum de usu vel abstinentia ciborum: unde sive utantur illis, sive abstineant, semper peccant. Si enim abstinent, peccant superstitione, quia putant cibos immundos esse: si utuntur & commedunt, peccant *inquinatâ* & erroneâ *conscientiâ*, quia putant, sibi fas non esse illis vesci, & tamen vescuntur. ita S. Hieron. Amb. Chrysost. & Aug.

CAPUT II.

Instruit senes, anus, adolescentulas & servos: & gratiam Christi fortiter inculcat.

Quæstio I. Quid, quos & ubi mulieres docere debent v. 3.? R Anus debent docere juvenculas non levia, anilia aut turpia, sed bona & honesta, scil. prudentiam, charitatem, castitatem, &c. Anus ergo doceant non in Ecclesia aut in cœtu virorum, hoc enim Apostolus vetuit 1. Tim. 2. 12. Sed domi privatim doceant adolescentulas, putà filias, neptes, ancillas suas. *Mulieres docere debent.*

II. Quomodo dicitur *gratia apparuisse omnibus hominibus* v. 11. cùm multis non illuxerit evangelium Christi 2. Cor. 4. *Quodsi etiam opertum est evangelium nostrum: in iis, qui pereunt, est opertum?* R. Etsi multis non illuxit hæc gratia, id Deo tribuendum non est, qui *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, sed vitium hominum, qui nolunt ad eam aspicere, aut postulare à Deo, aut accipere oblatam, aut retinere acceptam. Et Joan. 3. dixit Dominus: *Venit lux in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem.* Quosdam etiam vocat Deus rebelles lumini, qui dicunt; *recede à nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus.* *Gratia apparuit omnibus hominibus.*

III. Quid est abnegare *sæcularia desideria* v. 12.? R Mundanas concupiscentias, seu cupiditates carnis, opum, honorum & gloriæ, ita S. Bernardus Ser. 11. inter parvos. Nam disciplina Christianæ professionis non omnis commendatur in miraculis faciendis, neq; in futurorum prædictione, neq; in composito eloquio, vel scripturarum explanatione, sed in resecandis concupiscentiis nostris, inquit S. Laur. Justin. l. de interiori conflictu c. 8. *Abnegare sæcularia desideria.*

CAPUT III.

Pergit inculcare morum emendationem per & propter Christum.

Quæstio I. Cur Apostolus adeo inculcat obedientiam erga Principes etiam Ethnicos? R tum ne eos contra Christianam religionem irritent, sed potiùs suâ obedientâ eos ad Christum pelliceant, tum ne pacem turbent, tum ut ostendant se non esse Sectæ Galilæorum, quæ populum fidelem soli Deo, non autem Ethnicis subjici debere docebat: de hac enim suspecti fuerunt Apostoli, utpote Galilæi; & hæc secta apud Judæos ita invaluit, ut nec morte quidem proposita induci potuerint Judæi, ut Cæsarem Dominum appellarent, immò multi illorum Duce Eleazaro à Præside Syriæ Cyrino se censeri & describi non paterentur, ne Cæsari se subjectos esse profiterentur, ita refert Josephus l. 7. Belli c. 28. & 29. Sed illi & Romanis tandem publica & communi omnium conspiratione rebellantes, ad extremum usq; Hierosolymæ excidium pertinacissimè in sua sententia & rebellione perstiterunt, ideoq; à Tito funditus deleti sunt. *Obedientia erga Principes.*

II. Quænam in Deo est sapientia diligere homines peccatores & miseros? R. Ratio amandi in Deo non petitur ab objecto diligibili, uti fit apud homines, sed ab ipso Deo. Deus enim diligit nos propter se, quia summè bonus est, adeoq; bonitate abundat, ut bonitatem & liberalitatem suam in nos omni dilectione indignos effundere velit. Infinita ergo Dei bonitas radix est & ratio amandi, eisq; se & sua bona communicandi.

III. Cur Paulus vult subditos Dominis *ad omne opus bonum paratos esse?* R quia si quid-

piam mali operis juberet Dominus, Christianus illi parere non debet, sed dicere: obedire oportet Deo magis quàm hominibus. Unde S. Aug. in ps. 124. loquens de Christianis militibus, qui servierunt Imp. Juliano Apostatæ & idololatræ: ubi inquit, veniebatur ad causam Christi non agnoscebant nisi illum, qui in cœlo erat; quando volebat, ut idola colerent, ut thurificarent; præponebant illi Deum: quando autem dicebat, producite aciem, ite contra illam gentem, statim obtemperabatur. Distinguebant Dominum æternum à Domino temporali, & tamen subditi erant propter Dominum æternum etiam Domino temporali.

IV. Cur jubet v. 2, *neminem blasphemare*, cùm blasphemia tendat propriè in injuriam Dei? R. Restringitur sermo ad eos tantùm Principes & potestates, quæ se gerunt pro magistratu: nam cùm tales locum Dei teneant, & Scriptura eos, Deos vocare soleat, præceptum peculiare est, ut isti non blasphementur & maledicantur, juxta id: *Principi populi tui non maledices.* Exod. 22. Blasphemia ergo pro injuria verbo illata Deo, vel Sanctis, quibus numen & potestatem suam communicavit, accipi solet. Et rectè hoc fecit Apostolus: quia Magistratus, quorum est infligere supplicium malis, & honoribus afficere bonos, semper solent esse maledicentiæ populi expositi, & quasi signum positi ad sagittam.

EPISTOLA B. PAULI APOSTOLI AD PHILEMONEM.

Scripsit S. Paulus epistolam Romæ è primis vinculis, transmisitq; illam per Onesimum, per quem epistolam ad Colossenses transmisit. Erat autem Phryx genere, servus, seu mancipium Philemonis viri nobilis, atq; inter cives Colossenses, ut potentia & opibus, ita & pietate conspicui. Hic (ut Phryges furaci sunt indole) compactis quibusdam Domini sui rebus (ut ex v. 18. colligit S. Hieron. Theodor. & Theophyl.) Colossis Romam profugerat: hunc Paulus conversum & baptizatum cum hac commendatitia remittit ad Philemonem, rogatq; ut eum in gratiam recipiat. Receptus in virum evasit maximè insignem: imò post Timotheum Ephesi creatus est Episcopus (quem S. Martyr Ignatius, mirificè laudat ep. ad Ephesios) & sub Trajano Romæ martyrium gloriosè consummavit. Ex quo discimus, de nullius, quantumvis duri, fraudulenti, perditi hominis salute unquam desperandum.

QUæstio I. Quæ fuit *Appia* v. 1.? R. Fuit uxor Philemonis, ut docet S. Chrysost. Theodor. Theophyl. Hanc sororem suam vocat, scil in Christo. Omnes enim Christiani in symbolum eximiæ charitatis mutuæ, omnes viros Christianos vocabant Fratres, omnes fœminas sorores, tanquam ex eodem patre, scil. Christo; & matre scil. Ecclesia genitos & genitas.

II. Quis fuit *Archippus?* R. S. Amb. & Hieron. dicunt fuisse Episcopum & Prædicatorem Colossensium, unde eum Paulus hîc vocat commilitonem suum, & ad Coloss. 4. 17. de eo sic scribit: *Dicite Archippo. Vide ministerium, quod accepisti à Domino, ut illud impleas.* Licet Primasius velit Archippum tantùm fuisse Diaconum, Epaphram verò fuisse Episcopum Colossensium, de quo v. 23.

III. Quid intelligitur per illud, *viscera Sanctorum requieverunt* v. 7.? R. recreata & refocillata sunt; sicut enim venter, inanis, fame latrans & exæstuans, ita & tormina viscerum, ipsaq; viscera sedantur & quiescunt, dum implentur & saturantur. Vult dicere, intima consolatione affecisti Sanctos, id est, Christianos, dum eis in summa necessitate tanta charitate succurristi, ô Philemon. ita Theophyl.

EPISTOLA B. PAULI APOSTOLI AD HEBRÆOS.

CAPUT I.

Contra Simonem magum aliosq; hæreticos, Angelis plusculum tribuentes, probat ex variis scripturis Jesum Christum esse Deum, ideoq; longè majorem Moyse, Prophetis & Angelis omnibus.

Quæst. I.

QUæstio I. Cur Paulus nomen suum huic epistolæ non præfigit, ût aliis præfixit? R. Quia nomen Pauli apud Judæos etiam Christianos malè audiebat Act. 21. v. 20. eò quòd passim haberetur hostis legis Mosaicæ. Ita Clem. Alexandr. Hieron. & Theophyl.

II. Quomodo Christus *constitutus hæres universorum* v. 2.? R. Constitutus quâ homo est à Deo Patre. Christus enim quâ Deus est, natus est hæres, Dominus & opifex omnium, quà verò homo est, non natus, sed constitutus est à Deo hæres, id est, Dominus, & ex æquo cum Deo Patre consors ac possessor omnium creaturarum, & hominum, ac totius orbis. Et hoc est, quod Ps. 2. dicitur: *postula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam & possessionem tuam terminos terræ.* Et Joan. 13. 3. *Sciens Jesus, quia omnia dedit ei Pater in manus.* *Christus hæres universorum.*

III. Cur vocat Apostolus Christum hæredem ex asse omnium bonorum Patris? R. Primò, ut significet, Christum quà homo est, esse Filium Dei naturalem propter gratiam unionis, quâ Verbo, filioq; Dei unitur. Christus ergo quà homo est, jus habet ad hæreditatem Dei Patris, ut scil. sit particeps & consors Divinæ beatitudinis & gloriæ ac Dominus omnium. Idò, ut innuat, Christum primarium & necessarium esse hæredem Dei Patris, adeoq; neminem posse in consortium hæreditatis, beatitudinis & gloriæ Dei admitti, nisi per Christum in filium adoptetur, ideoq; quemq; satagere debere, ut huic hæreditati Christi in Ecclesia per fidem & baptismum adscribatur, in eaq; perseveret, q. d. Sine Christo nemo salvus, hæresq; Dei esse, nemo hæreditatem vitæ æternæ cernere potest.

IV. Quomodo per Christum Pater creavit omnia? R. Præpositio *per* non instrumentalem, nec ministerialem, uti volunt Arriani, sed principalem causam significat. q. d. Deus Pater per Filium suum, qui est Verbum suum æternum, quasi per ideam omnes rerum gradus, & species continentem, & quasi per sapientiam architectonicam increatam, omniscium & omnipotentem, in qua sunt & vivunt sempiternæ rerum omnium rationes, fecit, id est, creavit & produxit sæcula, id est, tempora, & temporaria omnia, scil. mundum, & omnia quæ in mundo sunt. *Pater per Christum creavit omnia.*

V. Quomodo Christus *splendor gloriæ Patris* v. 3.? R. est id, in quo refulget gloriosa Majestas Patris, idq; totaliter & adæquatè: cùm in Angelis & hominibus solùm inadæquatè & particulariter refulgeat. Hinc S. Amb. & alii Patres colligunt, Filium non liberè (ût vult Calvinus) sed naturaliter ac necessariò; non interruptè sed continuò, & quidem ab æterno gigni à Patre, sine se gignentis seu geniti mutatione; nec divelli Filium à Patre, sed inseparabiliter illi coexistere: sicut lumen solis naturaliter, necessariò, continuò, & soli coævum, ac indissèparabile, sine ulla solis mutatione à sole procedit. *Christus splendor gloriæ Patris.*

VI. Quomodo Christus est *figura substantiæ Patris?* R. Imago expressa, exsculpta substantiæ seu Personæ Patris: sicut enim ex imagine impressa ceræ agnoscitur sigillum, ita ex filio Pater cœlestis Joan. 17. v. 7. inquit Basil. Chrysost. Theophyl. *Imago*, inquam, non partialis, non umbratica, non accidentalis, non mutabilis (qualis est in creaturis) sed adæquata, substantialis, constans, æterna immutabilis. *Christus figura substantiæ Patris.*

VII. Quomodo Christus *portat omnia verbo virtutis suæ?* R. Sustinet, fovet, bajulat, & instar Atlantis sustentat totum pondus creaturarum, idq; non alienæ (ut Angeli) sed propriæ suæ virtutis Verbo, seu potenti jussu, nutu, imperio, voluntate, inquit Theophyl. Quo fulcro sublato, omnia statim in nihilum suum relaberentur.

VIII. Quomodo dicit Pater ad Filium: *Ego hodie genui te?* R. secundùm divinitatem tuam. q. d. etsi, ô Fili, ex me perfectus sis, utpote perfectè ex me genitus ab æterno, semper tamen adhuc & continuò, omni instanti à me gigneris: sicut lumen etsi perfectissimum sit, tamen continuò gignitur à sole. Ita S. Chrysost. Anselm. & Thomas. Unde *hodie* significat præsentem durationem, quæ semper est præsens, indivisibilis & immobilis, amplectiturq; omne tempus, præteritum, præsens & futurum, qualis est æternitas. Unde non dicit, Ego hodie gigno te, quasi jam incipiat gignere, sed *genui te*, quasi jam perfecta sit generatio, & perfectus Filius, utpote jam antè ab omni æternitate genitus.

CAPUT II.

Christus quia Angelis major, solus legislator & redemptor habendus.

QUæstio I. Quid est, *ne pereffluamus* v. 1.? R. Ne velut vasa rimarum plena, sermonem Christi auditum, quasi Divini verbi suavissimum balsamum memoriâ & mente non contineamus, sed irreparabiliter eum effluere sinamus. Est metaphora à vasis, quæ cùm rimosa sunt, aquam aut liquorem alium non retinent, sed effluere sinunt, ita ut ampliùs colligi non possit, juxta illud Eccli. 21. *Cor fatui quasi vas confractum, & omnem sapientiam non tenebit.*

II. An quia Paulus dicit v. 3. se ab Apostolis in fide edoctum, aut certè confirma-

tum esse, rectè inferat Beza, hanc epistolam non esse Pauli, quia Paulus Gal. 1. ait se à nullo homine didicisse fidem, & Evangelium, sed à solo Deo? R. Non dicit hic Apostolus se ab Apostolis in fide confirmatum esse, sed ipsum Evangelium, id est, legem & dogmata Christi à Deo confirmata esse multis miraculis, idq; sæpiùs & continue, idq; ad sua usq; tempora. Non ergo aliud dicit hic Apostolus, quàm quod Marcus c. ult. cùm ait: *Illi* (Apostoli) *autem profecti prædicaverunt ubiq;, Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis.*

Orbis terræ futurus.

III. Quis vocatur *orbis terræ futurus* v. 5? R. Futurum post resurrectionem & judicium generale, quem Deus Pater in suo decreto & prædestinatione subjecit, & actu reipsa subjiciet Christo in fine mundi: tunc enim Christus victis planè omnibus suis hostibus, plenissimo triumpho, imperio & Dominio, cum suis Sanctis in hoc orbe regnabit. Id patet ex v 8. ubi cùm Paulus citâsset illud psalmi, *omnia subjecisti sub pedibus ejus*; subdit, *nunc autem necdum videmus omnia subjecta ei.* q. d. sed videbimus omnia Christo subjecta in orbe futuro, post resurrectionem.

IV. Quis est sensus v. 11. *Qui enim sanctificat, & qui sanctificantur, ex uno omnes?* R. *Qui sanctificat*, nempe Christus, Pontifex, mediator ac redemptor noster: *Et qui* per ipsum *sanctificantur* scil. homines, *ex uno* principio *omnes* promanârunt, ex una stirpe & humana natura, ex uno Adamo prognati omnes. Neq; contentus fuit eâdem cum ipsis naturâ seu substantiâ, voluit etiam iisdem accidentibus subjacere, putà infirmitati, mortalitati, & miseriis omnibus vitæ humanæ, ac tandem etiam morti, ut per omnia nobis assimilaretur, & quisq; nostrûm jure dicere posset illud Isaiæ 8. v. 17. *Ego* quantumvis miser & peccator, *ero fidens in eum*, utpote charissimum fratrem meum. Et iterum apud eundem Isaiam eodem loco ait Christus hominibus, ùt olim Joseph Gen. 45. v. 3. fratribus suis in Ægypto furti accusatis: *Ecce ego* frater vester adsum paratus vos liberare, exaltare, gloriâ & opibus augere. *& pueri*, id est, filii, servi, discipuli, Apostoli, clientes *mei*, ad nutum & obsequium vestrum omnes. Ita Orig. Basil. Cyrill. in illum Isaiæ locum.

V. Quomodo explicandus v. 14.? R. *Quia ergo* homines, quos Christus suos *pueros* ac filios vocare dignatur, *communicaverunt carni & sanguini*, id est, constant unâ communi naturâ humanâ ex carne & sangvine conflatâ, id est, naturâ fragili, passibili, morti & mille miseriis obnoxiâ; hinc etiam Christus ipse voluit similiter *iisdem participare*, seu constare, ut mori posset, & *per mortem suam destrueret diabolum*, id est, regnum & potentiam Diaboli, *qui* per peccatum habebat mortis imperium, id est, potestatem infligendi omnibus mortem corporis & animæ, præsentem & æternam, *Et ut liberaret* v. 15. à miseriis, non Angelos immortales, sed miseros homines, *qui obnoxij erant servituti* peccati & dœmonis, cruciabanturq; perpetuo *timore mortis*, non solùm temporaneæ, sed & æternæ. Jam enim per Christum liberati à servitute & imperio mortis æternæ, fidentes & alacres properamus, imò anhelamus ad mortem temporaneam, utpote ad finem ærumnarum & initium vitæ melioris, immortalis & æternæ.

Christus debuit assimilari fratribus.

VI. Quomodo *debuit per omnia ipsis* (fratribus) *assimilari* v. 17.? R. Debuit omnes humanæ naturæ, ut natura est, communes conditiones ac passiones in se assumere. Alioqui non potuisset nobis constare, ipsum verum hominem, nostriq; similem esse. Dixi, *ut natura est*, ut excludam morbos, ignorantiam, concupiscentiam & peccata, quæ c. 4. v. 15. excipientur: & omnino excipienda docet, Damasc. S. Thom. & alij. Sed est & alia ratio, quare debuerit per omnia fratribus assimilari, nempe *ut misericors fieret*: id est, misereri disceret fratrum suorum per vivum sensum & experientiam miseriæ eorundem, inquit Theophyl. & Anselmus. Longè enim vivaciùs ærumnas & miserias agnoscimus, dum eas ipsi experimur, quàm dum solùm eas speculamur, vel in alijs intuemur.

CAPUT III.

Christus, utpote Dominus, præ famulo ejus Moyse audiendus: ultor alioqui futurus incredulis.

Quæstio I. Quomodo intelligendus v. 1. *Unde fratres sancti, vocationis cœlestis participes, considerate Apostolum & Pontificem confessionis nostræ Jesum?* R. Christiani olim vocabantur *fratres* ob mutuam charitatem, & communionem in Christo. Vocabantur *& Sancti* ob Sanctitatem in baptismo acceptam, & vitæ morumq; innocentiam. q. d. Vos, ô Hebræi Christiani, vocati estis non ad bona terrena, quæ in Judaismo olim vobis promittebantur, sed ad bona cælestia possidenda. Considerate ergo non Moysen, non Aaronem olim Pontificem vestrum, sed Jesum, qui hujus vocationis est Author & Pontifex. Vocat Paulus Christum Apostolum, id est, Legatum Dei, quem scil. Deus legavit ad homines, maximè Hebræos, ut eos doceret, & Deo reconciliaret,

II.

II. Quid per confessionem intelligit? ℟ Fidem & religionem, quam confitemur & profitemur. Confessio enim hæc non est aliud, quàm professio fidei & legis evangelicæ, quam docuit nos Christus, tanquam Apostolus, id est, Propheta, Doctor & Legislator, & tanquam Pontifex noster. Ita Theodor. & Theophyl. Comparat & præfert hoc c. & seq. Christum Moysi, tanquam Apostolum Apostolo; c. verò 6. & seq. comparat & præfert Christum Aaroni: tanquam Pontificem Pontifici, tota enim difficultas Hebræorum, quam habebat in Christo & Christianismo, erat, quòd à Moyse primo suo legislatore, Apostolo, & Propheta avelli non possent. *Confessio fidei.*

III. Quomodo probat Christum majore gloria dignum esse, quàm Moysen v. 1.? ℟ Licet Moyses fuerit fidelis Dei Apostolus, uti & Christus; Christus tamen tantò majorem Moyse gloriam à Deo adeptus est, quantò major est domo, qui fabricavit illam, id est, quantò architectus domo est præstantior & honoratior, utpote domûs opifex. Christus enim est fabricator domûs, id est, Ecclesiæ Dei; Moyses autem in ea tantùm fuit famulus, & minister Dei, adeoq; Moyses pars fuit illius domûs, id est, Ecclesiæ, fuitq; unus è populo Dei; patet ex sequentibus: *Ampliorem domus*, Est Græcismus, id est, ampliorem domo, vel ampliorem quàm domus. ita Chrysost. Theodor. Theophyl. *Christus major Moyse.*

IV. De qua requie loquitur v. 11.? ℟ Per requiem intelligit terram promissam, scil. Chanaan, in qua à labore peregrinandi, quem subierant in deserto, quieverunt Hebræi, ut eo quasi fine & bravio extimulet Hebræos ad constantiam in fide. q. d. Finis & præmium laborum, quos subierunt Hebræi peregrinantes in deserto, fuit requies in Chanaan, in quam induxit eos Josue, finis verò laborum & dolorum, quos subeunt Christiani in hac vita, est requies æterna in cælis adumbrata per Chanaan, in quam induxit nos Jesus, ac proinde videte, ô Hebræi, ne discedatis, seu apostatetis à Deo, apostatando scil. à fine, & lege Christi, qui est Deus noster verus, vivus & efficax ad vindicandam sui injuriam. *Requies æterna.*

V. Quid est, *donec hodie cognominatur* v. 13. ℟ quamdiu durat tempus præsentis vitæ, gratiæ, ac pœnitentiæ, quod cuiq; conceditur à Deo. Quamdiu enim spiramus & vivimus, est *hodie*, inquit Corn. à Lap. quamdiu licet audire & credere, ac converti est *hodie*; qui ante centum, ducentos, trecentos, mille annos vixerunt, habuerunt suum hodie, id est, suum tempus audiendi Christum, suum tempus procurandæ suæ salutis: illis hoc jam transijt, videturq; tantum *hodie*, id est, una dies, fuisse. Nobis adhuc supereſt hodie, si non totum, certè aliqua ejus pars, utamur nostro *hodie*, crastinum nunquam habituri. *Sera dies nimis est crastina, vive hodie*. ita Chrysost. Eodem modo S. Antonius moriturus fratres hortabatur & excitabat ad studium virtutis dicens, *hodie vos religiosum institutum inchoâsse quotidie cogitate*. Sic & Barlaam ad Josaphat apud Damascenum, *Cogita* inquit *hodie, te cepisse Deo servire, hodie te idipsum finiturum*, cogita hodie primum & ultimum fore diem, quo Deo servis & servies; ita fiet, ut semper alacer omne tædium vincas, & alacer in Dei obsequio progrediaris. *Hodie est tempus vitæ.*

VI. Quod est *initium substantiæ* vel græcè subsistentiæ v. 14.? ℟. Est fides & gratia justificans, quæ est basis & fundamentum salutis nostræ qua per Christum cœpimus de novo spiritualiter subsistere, & facti sumus quasi nova substantia ac cælestis creatura, nempe filij Dei adoptivi.

CAPUT IV.

Christus necessariò audiendus, ut per eum in æternam requiem ingrediamur.

QUæstio I. Quid indicatur v. 2. *Etenim & nobis nuntiatum est, quemadmodum & illis?* ℟. Etenim & nos Evangelium seu lætum nuntium accepimus æquè ac illi, scil Hebræi. Hebræi enim acceperunt Evangelium de possidenda terra Chanaan, nos verò Christiani accepimus Evangelium de possidendo regno cœlorum.

II. Quomodo intelligenda illa verba: *Sed non profuit illis sermo auditus non admistus fidei ex ijs, quæ audierunt*? ℟ Non profuit Judæis hoc Evangelium, hocce suum lætum nuntium; quia ea, quæ à Deo per Moysen audierunt, scil. quòd Dei ope Chananæos essent superaturi, & in eorum terram tam fertilem quietè ingressuri, non crediderunt, unde desperantes reverti voluerunt in Ægyptum.

III. Quid est *sermo non admistus fidei*? ℟. Sermo, seu Evangelium & promissio Dei, de re tam ardua seu difficili, scil. Chananæis fortissimis subjugandis, fuit Hebræis, instar vini meri & potentis; quia superavit eorum opinionem & æstimationem, visusq; fuit eis incredibilis, quia illud quasi merum hauserunt, id est, quasi rem nimis *Sermo non admistus fidei.*

arduam, nimis potentem, impossibilem acceperunt, nec aquâ fidei miscuerunt & temperârunt, uti legit S. Aug. in ps. 77. Si enim credidissent Deum esse fidelissimum æquè ac potentissimum, credidissent sanè Deum promissis staturum, seq; inducturum in Chanaan, itaq; Deum Ducem secuti, illiq; credentes & fidentes penetrâssent in Chanaan: jam quia res tantas metientes eas viribus suis, non crediderunt, hinc diffidentes & reverti volentes, promissione hac exciderunt, nec Chanaan ingressi sunt; itaq; omne hoc Evangelium eis non profuit.

Divisio animæ & spiritus.

IV. Quomodo sunt intelligenda illa verba v. 12. *Sermo pertingens usq; ad divisionem animæ & spiritûs, compagum quoq; ac medullarum?* R. dct Corn. à Lap. Anima est inferior pars hominis, in qua residet cupiditates & affectus partim naturæ, partim concupiscentiæ, à quibus homines animales vocantur. Spiritus verò est superior pars hominis, fide & gratiâ Dei illustrata, à qua homines spirituales dicuntur. q. d. Verbum hoc, sive sermo Dei, putà Filius, examinat & discernit motus & cogitationes tam animales quàm spirituales, *compages quoq; & medullas*, id est, intimas hominum partes: compages enim sunt cartilagines, musculi, & nervi, quibus in homine os unum alteri colligatur; medulla verò est succus & pingendo inclusa ossibus. Discernit inquam hæc Filius, ita scil. ut pervideat, qui motus ab anima, qui à spiritu proveniant, an scil. hæc illáve cogitatio, affectus & desiderium promanet à natura aut concupiscentia, an verò à Dei gratia. q. d. Omnia omnino etiam abditissima & intima videt, penetrat, examinat, judicat & vindicat Christus Dei Filius, nihil est tam absconditum, quo non penetrent & oculi & manus Christi.

Tentatio Christi.

V. An Christus propriè tentatus, & an omni modo, & omni infirmitate, qua nos tentamur. v. 15.? R. Propriè Christus tantùm externùs à Diabolo tentatus fuit, interiùs verò à carne, phantasia aut concupiscentia tentari non potuit. Quia interior tentatio est inordinata delectatio partis inferioris, sive est ipse motus concupiscentiæ rationem præveniens & alliciens ad peccatum. Sicut ergo Christus, utpote peccatum expiaturus & aboliturus, expers planè fuit peccati, ita & expers fuit concupiscentiæ & tentationis internæ: concupiscentia enim ex peccato orta, peccati est initium & inchoatio, ac proinde esse non potest, nisi in natura per peccatum vulnerata saucia, qualis esse non potuit in Christo.

Passiones an fuerunt in Christo.

VI. Fueruntne in Christo passiones? R. Passiones fuerunt, sed non propassiones. Explico. Fuit in Christo audacia, timor; sed ita ut rationem & voluntatem Christi prævenire, ipsoq; invito vel inscio exoriri, concitari, & exurgere non possent; hoc enim est propassionum: omnis enim motus iræ, audaciæ, timoris, tristitiæ in Christo, ab eo liberè fuit assumptus, & à ratione & voluntate Christi elicitus & imperatus, ita ut irasci aut tristari Christus non posset, nisi irasci & tristari vellet & eligeret.

Infirmitates.

VII. Quid per infirmitates intelligit Paulus? R. Non intelligit morbos & ægritudines, hæ enim non sunt naturæ, id est, omnibus hominibus communes, sed particularium sunt personarum, ex particulari parentum, vel ipsorum ægrotantium intemperantia, aliove excessu, defectu aut vitio ortæ: Christus autem tantùm assumpsit naturales & innoxias passiones, communes toti generi humano, non autem proprias certarum personarum, uti sunt hi, illivè morbi: hoc enim Christum decebat, nimirum ut totus esset sanus, qui naturam nostram plane sanaturus advenerat. Quare licet verbera & dolores admiserit & susceperit Christus, non tamen iis temperiem sui corporis ita distemperari, ut in morbum incideret; sed tantum eorum vi & acerbitate animam à corpore excludi, mortemq; violentam, qua nos redimeret, sibi inferri permisit.

VIII. Quæ sunt ergo infirmitates nostræ, quas Christus in se susceptit, quibusq; compatitur? R. imò est carnis & animæ fragilitas; 2dò sitis, fames, fatigatio, & similes hominum ærumnæ; 3tiò naturalis horror mortis, ignominiæ, verberum, spoliationis; 4tò ipsa mors, verbera, irrisiones, contumeliæ, spoliatio bonorum omnium. Hæc duo ultima nomine infirmitatum propriè hìc intelligit Apostolus; hæ enim erant infirmitates Hebræorum, nim. persecutiones, spoliationes, aliæq; pœnæ eis ob fidem Christi à Judæis magistratibus inflictæ.

CAPUT V.

Verus Pontifex noster Christus pro nobis interpellans Patrem exauditus est, & morte sua salutem mundo attulit.

Dies carnis Christi.

QUæstio I. Quos *dies carnis* Christi vocat Apostolus v. 7.? R. Dum in hac carne mortali & fragili inter mortales viveret. Hanc enim carnem exuit Christus in morte, & in resurrectione induit carnem immortalem & impassibilem. Affert hæc Apostolus, ut probet Christum, Pontificem nostrum, circumdatum esse infirmitate nostra, ideoq; facile nobis condolere & compati.

II. Quo-

II. Quomodo dicitur Christus *exauditus*, cùm oraret, ut Pater eum servaret à morte v. 7. cùm tamen eam non evaserit, crucifixus & mortuus? R. Duplex erat petitio Christi, in priori petitione & voluntate quasi naturali, qua petebat conditionatè, si fieri posset, mortem evadere, non est exauditus; illam enim ipse Christus correxit, illamq; impleri absolutè noluit; sed in sua petitione posteriori & voluntate absoluta atq; efficaci, quâ non oravit pro fuga crucis & mortis, sed pro implenda Patris voluntate circa passionem suam, ejusq; fructum; scil. ut sua passione & morte mereretur sibi resurrectionem à morte, nobis salutem tam corporis quàm animæ. *Christus exauditus.*

III. Quomodo Christus *didicit obedientiam* v. 8.? R. Non quasi eam antea ignoraverit, illam enim optimè cognoscebat & callebat, tum per scientiam infusam in primò conceptionis suæ instanti, tum per experientiam 34. annorum & totius vitæ suæ: sed quia obedientiam hanc novo & exactiore modo expertus est in passione, magis quàm in tota reliqua vita sua; quid scil sit obedire, quàm difficile & arduum sit in omnibus se submittere, quanta sit virtus & labor, inquit Anselmus, obedientia, quæ quævis dura & acerba, ignominiosa, horrenda prompto animo excipit, tolerat, & exequitur, idq; unius Dei, cui obedit, causâ & reverentiâ. *Christus didicit obedientiam.*

CAPUT VI.

Promittit & inchoat altiorem doctrinam, excitans eos ad constantem patientiam & perseverantiam.

Quæstio I. Quomodo *impossibile lapsos renovari ad pœnitentiam?* R. Communiter recentiores *impossibile*, idem esse ac valde difficile, non omnibus, sed gravissimis & ingratissimis putà Apostatis, qui post tot insignia lumina & dona cœlestia à Deo accepta, post tot gratias & consolationes Spiritûs Sancti, postquam gustârunt delitias Dei & futuræ vitæ; à Deo, à fide, & agnita veritate, atq; à Christo ad Judaismum & infidelitatem desciscunt, uti aliqui Hebræi faciebant. Ex una enim parte retinet propria malitia & obstinatio: ex altera obturatur hac exorbitante ingratitudine fons gratiarum Divinarum, non quidem ordinariarum, sed specialium, potentiorum & frequentiorum, sine quibus tales apostatæ non facile resipiscent. Simili phrasi dicit Paulus Heb 10. v. 26. *Voluntariè peccantibus non relinqui hostiam pro peccato.* Et certè experientiâ constat, ex tot hæresiarchis, qui fuerunt in Ecclesia, neminem resipuisse præter unum Berengarium. Sed nihil pro Tertulliano & Novatianis hæreticis, qui tempore S. Cypriani sub Decio negabant relapsis pœnitentiam & veniam, etsi vellent resipiscere & converti. Quem errorem damnavit jam pridem Ecclesia, & eundem refellit passim S. Paulus eo ipso, quòd lapsos ubiq; revocat. 1. Cor. 5. & 2. Cor. 7. Et quacunq; horâ ingemuerit peccator, venia illi certa promittitur. *Pœnitentia lapsorum.*

II. Quomodo de Relapsis dicitur v. 6. *Rursum crucifigentes sibimet ipsis Filium Dei & ostentui habentes?* R. Omnis qui in pristina peccata, ac præsertim, qui à fide in Judaismum & hæresim, aut infidelitatem relabitur, iterum quasi crucifigit Christum; quia novo peccato novam dat causam crucis & mortis Christi: facit enim rursum id, propter quod Christus crucifixus est: quare nisi Christi mors tam efficax fuisset, ut ad omnia omnino peccata post quantavis sæcula futura & iteranda se extendisset, oporteret, Christum toties mori, quoties peccant homines, sicut Aaronica sacrificia & victimæ toties mactari & offerri debebant, quoties peccabant Judæi. *Relapsi iterum crucifigunt sibi Christum.*

III. Quomodo dicitur Christus *secundùm ordinem Melchisedech Pontifex factus in æternum* v. 20.? R. quia etsi in eo munere offerendi semetipsum hostiam Deo, exercuerit sacerdotium, dum in terris fuit; non propterea esse Pontifex desiit, sed ex quo resurrexit, factus est à Deo, sacerdos in æternum, quia una illa hostia in æternum placavit Deum, perinde ac si ab initio mundi inchoata esset illa sacrificii oblatio, & ad finem usq; durâsset: nam coram Deo secundùm acceptationem tale fuit. Et ipse nunc in cœlis ex merito factæ oblationis Sacerdos permanet: cujus tamen jugis est memoria per ministros suos, & non cessat pro nobis interpellare, ut Pontifex, & advocatus causas nostras agens. Dicitur factus Sacerdos, id est, meruit Sacerdotium æternum. *Christus Pontifex secundùm ordinem Melchisedech.*

CAPUT VII.

Ex typo Melchisedech docet sacrificium Christi, sacrificio Aaronico jam abrogato, ùt longè præstantius successisse.

Quæstio I. Cur dicitur Melchisedech *sine Patre, sine Matre, sine genealogia* v. 3.? R. Non quod his caruerit, sed quòd nobis ignoti sint, cùm nulla seu avorum, seu paren- *Melchisedech sine*

Patre, sine matre, sine Genealogia.

parentum ejus memoria fiat in Scripturis, quæ non Gentilium (qualis erat Melchisedech, unus ex regulis Chananæorum, teste Josepho, S. Dionysio, Epiphan. & Theodor.) sed solorum Hebræorum Genus & historiam pertexunt. Simili phrasi terræ filium vocamus, qui ignotis & obscuris parentibus natus est. ita Euseb., Irenæus, & alii passim: qui & refellunt fabulas Melchisedechianorum hæreticorum, contendentium Melchisedech esse Spiritum Sanctum incarnatum: itemq; Origenis & Didymi, esse Angelum; Deniq; & Samaritanorum & quorumdam modernorum, fuisse *Sem.* Nam Sem in Scripturis vocatur filius Noë Gen. 6, ergo non sine patre. *Neq; initium neq; finem vitæ habens* in Scripturis, quæ non meminerunt, seu nativitatis seu mortis Melchisedechi (sicut meminerunt Aaronis) & consequenter nec memmerunt finis Sacrificii Melchisedechi, qui hoc etiam ipso *assimilatus est Filio Dei*, & figura fuit æterni Sacerdotii seu Pontificatûs ipsius. ita Chrysost. & Theophyl.

II. Cur Abraham dedit decimas & honoravit Melchisedech? R. Causa videtur fuisse magna dignitas, auctoritas, fama, & virtus Melchisedech, utpote qui solus inter impios Chananæos publicus veri Dei esset Sacerdos, idemq; rex justissimus. Secunda & potior causa fuit, quòd Melchisedech typus esset Christi; movit ergo Spiritus S. Abrahamum ad honorandum Melchisedech, ut Judæi, Abrahæ posteri, scirent sibi præ Aarone honorandum esse Christum, cujus typum fuisse Melchisedech sciebant ex ps. 109. *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Videtur autem Abraham idipsum cognovisse, utpotè cùm esset Propheta & Deo familiaris, atq; hac de causa videtur ita reverenter & impensè coluisse Melchisedech, quòd spiritu prophetico prævideret illum esse typum Christi, ut non tam Melchisedech, quàm Christum in Melchisedech repræsentatum honorare & colere voluisse videatur.

III. Quo sensu dicitur v. 9. *& (ut ita dictum sit) per Abraham, & Levi, qui decimas accepit, decimatus est?* R. Etiam Sacerdotes Levitici, quamvis decimas acceperint à populo, easdem decimas dederunt Melchisedecho in ipso Abrahamo, in quo continebantur, tanquam ejus filii futuri: cùm enim Abraham esset Patriarcha, & princeps totius populi Judaici, totum populum repræsentabat, & ejus nomine se Melchisedecho subjecit, id est, Christo, qui in lumbis Abrahæ non continetur, cùm ab eo naturali generatione non descendat. Tertullianus l. de anima c. 27. & seqq. opinabatur animam Levi fuisse in lumbis Abrahæ, & ideo hanc non creari, sed per traducem propagari ab anima parentis, per virtutem ejus seminalem; ideoq; & eam esse corpoream, & suum sexum habere. Imò S. Aug etsi animam spiritualem esse sciret, dubitabat tamen, an esset ex traduce parentis, vide l. 1. & 2. de Origine animæ. & 2 retractat. c. 24. & 26. Pelagiani quoq; inde negabant peccatum originale, quia non esset ex traduce; quomodo enim, si anima creatur, inquiebant, Adam in posteros derivat peccatum? sed respondetur etsi creatur anima, creatur tamen titulo generationis & juxta legem physicam. Unde consequentiam damnavit Zosimus Papa, valituram, si miraculosè Deus aliquam animam citra viam humanæ generationis crearet. Erravit hìc & Magister, qui l. 2. d. 30. putavit singulos homines ex Adamo trahere particulam carnis, quæ eadem individua fuerit in Adamo, & sine additione alimenti ipsa ex se crescat in corpus humanum: sed portentosum est hoc. Itaq; filius ratione corporis, est in lumbis patris, secundùm semen; & quodammodo ratione animæ; quia & hæc creatur ad exigentiam paterni seminis in corpus efformati, juxta physicam legem.

IV. Cur Christus dicitur *Sacerdos secundùm ordinem* & typum *Melchisedech?* R potissima & propria causa & similitudo est in victima; quia sicut Melchisedech priùs panem & vinum obtulit in gratiarum actionem pro victoria Abrahæ, deinde illa Deo oblata in milites Abrahæ libanda, id est, participanda & comedenda distribuit, ita & Christus in ultima cœna obtulit panem & vinum, consecrando illa & transsubstantiando in Sacrificium Eucharisticum, eaq; deinde Apostolis libanda distribuit, & similiter offerenda & libanda præcepit.

Christus habet Sacerdotium æternum.

V. Quomodo Christus dicitur habere *sacerdotium sempiternum* v. 24.? R. Primò quia Sacerdotio Christi nullum aliud unquam succedet, inquit Theodor. & S. Thomas, neq; enim Petrus successor Christi fuit, sed solùm Vicarius. 2dò quia (ut sequitur v. seq.) sacrificium passionis Christi (cujus commemoratio ac repræsentatio est Sacrificium Eucharisticum) ex se habet intrinsecam virtutem æternam, salvandi omnes quotquot *in perpetuum accedent* fide & piis operibus *per* Christum *ad Deum.* 3tiò quia per ministros suos in Ecclesia perpetuò usq; ad finem mundi offeret Sacrificium Missæ, in quo Christus ipse & victima est, & offerens principalis, ut docet Trident. Sess. 22. c. 1. & 2. Deniq; quia Christus etiam in cœlis perpetuò continuat sacrificium suum, scil. Deo Patri illud offerendo, *pro nobis* orando & interpellando, quatenus nimirum homo est: æquè enim nunc in cœlis, atq; olim solebat in terris, est advocatus, mediator & Pontifex noster, cujus est orare, interpellare, postulare. ita S. Amb. Aug. Ribera, Suarez & Tirinus,

VI.

VI. An ex eo, quòd Sacrificium Christi unicum sit, bene inferat Beza, ergo Missa non est sacrificium? ℟ ineptè, quia de solo sacrificio Christi cruento dicit Paulus, v. 27. quòd sit unicum, non verò de incruento, quale est Missa. Quamquam etiam Missa censeatur unum idemq; esse sacrificium, tum cum sacrificio Christi cruento, quia illius est commemoratio ac repræsentatio, & utriusq; eadem est hostia: tum inter se, quia in omnibus Missis una eademq; hostia ab uno eodemq; principali sacrificante offertur. *Sacrificium Christi unicum.*

VII. Quid opus tam frequenti reiteratione oblationis ejusdem hostiæ? ℟ Ut frequentiùs nobis & aliis applicetur pretium ac fructus mortis Christi, sicut applicatur etiam per Sacramenta & bona opera.

CAPUT VIII.

Christus non typicus, sed verus Pontifex ac mediator, vetus Sacerdotium, veterem legem ac testamentum, propter eorum imperfectionem antiquavit, substituto novo longè nobiliori.

QUæstio I. Quid est capitulum super ea, quæ dicuntur? ℟ Idem est, ac summa & compendium eorum, quæ diximus, aut sumitur pro eo, quod præcipuum & principale est, ut caput in homine, quod cæteris membris præstat. Ita pontificatus spiritualis & cælestis Christi Domini caput est omnium: ideo ait: Talem habemus Pontificem, id est, Regem justitiæ & pacis & sine genealogia, & æternum; ac proinde cæteris Leviticis præferendum

II. Cur Christus dicitur *Sanctorum minister* v. 2. & an genitivus ille *Sanctorum* est neutrius generis, an masculini? ℟ utrumq; dici potest. Christus enim, ut homo dum viveret, traditur minister fuisse circumcisionis à Paulo Rom. 15. administrans scil. Verbum & Sacramentum & signis confirmans: ita in cœlo positus adhuc ministerio fungitur: nam ipse dicit Luc. 12. *Amen dico vobis, quòd præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.* Ipse etiam est, qui administrat Sancta in neutro genere, id est, visionem, fruitionem, securitatem, & dotes illas quatuor, corporibus glorificatis. *Christus Sanctorum minister.*

III. Cujus *tabernaculi veri* Christus est minister? ℟ Hoc tabernaculum, est Ecclesia, sive quæ nunc militat, sive quæ in cœlis triumphat, de quo: *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo?* Nam illa coædificatur in habitaculum Dei in Spiritu Sancto, ut ait Eph: 2. Vetus enim tabernaculum umbratile erat, nec omnibus patebat, & corruptibile erat; hoc verò incorruptibile, ut cœlum manibus Dei constructum. Cæterùm Deus & non homo fixit: quoniam fundamentum ejus est Christus, & præcipui in Christo electi, qui perire non possunt. Cùm verò ait *veri*, non opponitur falso, & à Deo non invento, sed umbratili & typico. Unde Joan. 1. Gratia & veritas opponuntur legi Moysis. *Christus tabernaculi minister.*

IV. Quomodo *melioribus repromissionibus sancitum est* novum Testamentum, cùm eadem æternæ vitæ perinde ac nobis in novo Testamento sit proposita spes, sicut etiam gratiæ promissio apud illos fuit? ℟ Comparatio Pauli ad formam potiùs spectat, quàm ad materiam. Etsi enim Deus eandem illis promiserit salutem, quam hodie nobis, non tamen eâdem, aut æquali revelationis mensurâ, neq; æterna illis ex vi legis promittebantur. Et vocando vetus tabernaculum, umbram, admonet, in veteri tabernaculo non penitus lumen defuisse, sed tenue respectu splendoris Evangelij fuisse.

V. Cur dicitur vetus Testamentum non culpâ vacâsse v. 7.? ℟ quia tanquam minus perfectum, & infirmis atq; carnalibus Judæis nonnulla permittebat, ut usuras, plures uxores, divortium, inimicorum odium & similia. Hoc autem Apostolus probat non ratiocinatione, ut prius, sed testimonio Jer. c. 31. *Ecce dies venient, dicit Dominus: & consummabo super domum Israël, & super domum Juda, testamentum novum* &c. Etsi vetus multa bona doceret; tamen quia gratiam justificandi aut bene operandi non præstabat, idcirco ex delictis, quæ legem consequebantur, legis imperfectio redarguitur, quæ non poterat mundare, aut sanare. Quod autem multi justi essent & sancti in lege, nemo admiretur: quia à lege illi tales non erant, sed â gratia Dei, & ad novum spectabant Testamentum, ut Aug. docet l. de spiritu & litera, & S. Thom. 1. 2. q. 107. a. 1. ad 2. At lex nova & sanat, & vitam gratiæ confert in præsenti, & æternam in futuro. *Testamentum vetus non vacabat culpâ.*

CAPUT IX.

Ex instrumentis & ritibus veteris tabernaculi probat, non potuisse vetus testamentum nos justificare vel salvare: ac proinde jam abolitum esse per Christum, & cum novo meliore atq; efficaciore commutatum.

QUæstio I. Quæ sunt *justificationes culturæ, & sanctum sæculare* v. 1.? ℟. Ritus quidam justitiæ speciem præferentes & statuta ad colendum Deum, quæ saltem exteriùs justificarent hominem. *Sanctum sæculare* seu mundanum, id est, atrium exterius, quod omnibus patebat: erat rursus aliud tabernaculum præordinatum ad aliud secretius & sanctius tabernaculum. Et vocat sanctum mundanum, templi vel tabernaculi primam partem, in qua erat altare holocaustorum, ut probatur ex 1. Reg. 3. Et Samuel dormiebat in templo Domini, in quo erat arca Dei. Et Matt. 21. Intravit Jesus in templum Dei, id est, in primam partem accessibilem etiam Laicis. In secunda tabernaculi erat Lucerna, & propositio panum in mensa, & hoc dicitur Sanctum mundanum: in tertia verò, quod erat Sanctum Sanctorum vocatum, erat thuribulum aureum, & arca testamenti, in qua urna Mannæ, virga Aaron & duæ tabulæ testamenti.

Cibi & potus immundi apud Judæos.

II. Quinam cibi immundi & potus apud Judæos? ℟. Cibi immundi & vetiti erant sues, omniaq; animalia, quæ non ruminant, aut ungulam non findunt, Lev. 11. Sed potus per se & communiter omnibus immundi & vetiti nulli erant, uti notat Chrysost. per accidens tamen & certis personis v. g. Nazaræis, prohibitum erat vinum & sicera, ùt & Sacerdotibus tabernaculum ingressuris prohibitum erat vinum. Rursus, si aliquid immundi, putà cadaveris, vas quodpiam mundum contigisset, vas & liquor omnis vase contentus immundus & abjiciendus erat. Lev. 11. v. 32. & 33.

III. Quid est *usq; ad tempus correctionis* v. 10.? ℟. Usq; ad tempus adventûs Christi, qui correcturus erat illos ritus legales & carnales, ijsq; abolitis, eorum loco spiritualem Dei cultum erat inducturus, ut adoraremus Deum in spiritu & veritate, itaq; revera in conscientia justificaremur & salvaremur. Sic dicuntur corrigi mores juveniles, non ut permaneant, sed ut tollantur, & in meliores, ac graviores commutentur. ita Theophyl.

Tabernaculum amplius & perfectius.

IV. Quodnam est *amplius & perfectius tabernaculum*, per quod transivit Christus? ℟. Hoc tabernaculum esse Ecclesiam Christi, hîc in terris collectam, peregrinantem & militantem, quam fundavit ipsemet Christus, de qua dixit c. 8. 2. *Tabernaculum, quod fixit Dominus & non homo*, hoc enim idem est cum eo, quòd hìc dicit, *tabernaculum non manu factum*, id est, *non hujus creationis*, putà, non humani artificij & fabricationis, uti erat prius tabernaculum fabricatum à Beseleel: aptè enim tabernaculum repræsentat Ecclesiam, in qua Christus moriens in cruce se Patri obtulit, quasi victimam pro peccatis hominum: & sicut à Sancto & per Sanctum ibat Pontifex in sancta sanctorum, ita Christus (& nos cum Christo) transivit ab Ecclesia hîc militante, ad Ecclesiam cœlestem & triumphantem.

V. An quia Christus in terra non intravit in Sancta Sanctorum, rectè inferatur, eum in terra non fuisse Pontificem, sed in cœlo? ℟. Non rectè. Nam sicut Pontifex vetus erat Pontifex antequam ingrederetur in Sancta Sanctorum, adeoq; in ea ingredi non potuisset, nisi jam antè fuisset Pontifex: ita & Christus non potuisset per se ingredi in cælum, nisi jam antè fuisset Pontifex in terris. Adde alia esse munia Pontificis novæ legis, qualis est Christus, alia Pontificis legis veteris. Licet ergo Pontifex vetus proprium aliud munus non habuerit (demptâ consecratione sacerdotum, hæc enim spectabat ad Pontificem) quàm semel ingredi in Sancta Sanctorum, Christus tamen alia habet munia. Verum tamen est Christum illud munus typicum Pontificis veteris, munus, inquam, ingrediendi in Sancta Sanctorum, non implêsse, nisi dum ingressus est in cœlum, & hoc tantùm vult docere hìc Paulus: atq; hoc tantùm fortè voluerunt Doctores illi, qui negâruut Christum in hac vita fuisse Pontificem.

CAPUT X.

Docet non Aaronicas vel legales hostias, etsi innumeras, sed unicam Christi in cruce oblationem tollere & expiare omne peccatum. Hortatur dein ad constantiam in fide & pietate Christiana.

Quæstio

QUæstio I. Quæ est differentia inter umbram & imaginem, & ipsam rem? R. dct S. Amb. l. 1. de Offic. c. 48. *In lege umbræ, imago in Evangelio, veritas in cœlestibus.* Præcessit umbra, secuta est imago, erit veritas. Et Nazianz. orat. in S. Pascha, distingvit Pascha legale, & nostrum, & illud, quod *bibet nobiscum novum in regno Patris:* quod est dicere: in lege fuisse figuram nudam, in Evangelio figuram cum veritate, in cœlo nudam veritatem.

II. Cur lex vetus, legisq; sacrificia non potuerunt peccata expiare? R. Quia lex tantùm fuit umbra bonorum futurorum in novo testamento, scil. justitiæ, gratiæ & salutis dandæ per Christum; umbra autem non est res ipsa, sed tantùm umbra rei.

III. Quomodo virtus sacrificiorum ab Apostolo reprobatur, quòd eædem hostiæ repeterentur pro peccatis, cùm & in Evangelio confessionis Sacramentum de eisdem peccatis repeti consuevit, & Eucharistiæ oblatio similiter ferquentatur & repetitur? R. Non est necesse sæpiùs poni lytrum ac pretium, quod condignè compenset malitiam peccati, hoc enim cùm infinitum sit, præponderat omni malitiæ peccatorum, præteritorum & futurorum, sufficitq; omnibus expiandis. Imò si repeteretur sacrificium crucis, non tamen fieret pretium majus, cùm infinitum crescere nequeat. Ergone ideo etiam Missa frustra repetitur? Non sanè, quia ista non acquirit, vel parat lytrum, vel expiat, sed applicat; applicatio verò sæpius est necessaria. Nimirum comparat Paulus sacrificium crucis & Aaronicum tantum secundùm vim redemptivam ac expiativam, qualem asserit fuisse in sacrificio crucis, non fuisse in Aaronico; æstimabant enim Judæi sacrificia Aaronica præ passione Christi, & putabant esse expiativa, quod dicantur offerri pro peccato Lev. 4. v. 26. Cæterum Sacrificium Missæ cùm sit applicativum tantùm, & non redemptivum, vel expiativum, satis patet, posse repeti: alias nec locus baptismi, nec alterius Sacramenti esset.

IV. Quomodo per *singulos annos*, jubente Deo Lev. 16. *in ipsis*, seu per ipsa sacrificia in die expiationis *commemoratio* fiebat *peccatorum* omnium, etiam pro quibus semel fuerat sacrificatum? R. Instituebatur generalis expiatio, quâ simul pro omnibus totius præteriti anni peccatis rursum commemoratis hostiæ de novo offerebantur. Quod certum erat indicium, peccata prioribus sacrificiis non fuisse expiata, sed neq; præsentibus illis, (nihilò, quam priora efficacioribus) verè expiari: sed tolùm commemorari & accusari, ut scil. homines eorum recordati scirent, sibi ad Christi crucem & sacrificium per fidem & spem recurrendum esse.

V. Quomodo *voluntate*, id est, unicâ victimâ secundùm Patris voluntatem à Christo in ara crucis semel oblatâ nos omnes perfectè *sanctificati* & justificati sumus v. 10.? R. Quantum ex parte victimæ ad omnes justificandos sufficientissimæ: nam ex parte nostra curandum, ut victima hæc singulis suo tempore per sacrificium Eucharisticum & Sacramenta aliaq; media ad id à Christo instituta speciatim applicetur. Pariter intellige illud v. 14 *Una* hac sua oblatione *consummavit sanctificatos*, græcè eos qui sanctificantur, id est, tam plenum tam uberem fontem instituit, ut omnes omnino homines, si velint, mundari & sanctificari possint, & licet infiniti nascerentur, nullo alio opus haberent, sed ex hoc uno (per Sacramenta, per sacrificium Eucharisticum, per pia opera, quæ sunt quasi fitulæ nostræ) haurire possent, quæcunq; ipsis ad perfectam justificationem & salvationem necessariæ sunt. Ita SS. Patres & Trident. sess. 22. c. 1.

VI. Quomodo intelligendus est v. 18. *Ubi autem* plena *eorum* (peccatorum) *remissio* seu abolitio facta, *jam non est* necessaria alia *oblatio pro peccato?* R. Non est necessaria oblatio expiativè, quâ novum rursum pretium peccatis remittendis comparetur, est tamen necessaria applicativè, quâ nimirum pretium semel per mortem Christi comparatum applicetur propter frequentes relapsus, quod fit per oblationem Missæ. Cujus contrarium malè didicit Lutherus à Diabolo l. de Missâ privat. edito an. 1534. Etenim per sacrificium crucis paravit Christus thesaurum expiativum infinitum tanquam fontem salutis; inde verò nobis applicamus, per Sacramenta & sacrificia Missæ, diversimodè tamen: per Sacramenta immediatè sanctificando, per Missas propitiando & impetrando gratias actuales, utiles, aut necessarias ad conversionem nostram. Non igitur Missa est infirmum sacrificium, qualia erant Levitica & ideo abolenda erant: nec tamen immediatè expiativa; cùm hoc sacrificium Crucis abunde præstiterit. Est tamen dicto modo propitiativa, sive impetrativa, auxiliorum. Præterquam quòd sit cultus latriæ omnium possibilium optimus.

VII. Quo sensu dicitur v. 26. *Voluntariè enim peccantibus, non relinquitur pro peccatis hostia?* R. peccantibus tali apostasia, & summa ingratitudine à Christo desciscentibus, non *relinquitur pro peccato hostia*, id est, ægrè ac vix reliqua est spes veniæ, ut supra c. 6. v. 4. dictum est. Vel etiam propriè ac rigidè, nulla est Apostatis, aut remedium veniæ: nam in tali statu manentibus nec Christus, (quem abnegant) nec alius Mes-

sias (quia nullus venturus) nec legis sacrificia (utpote infirma & jam abolita) unquam prodesse poterunt. ita Corn. à Lap.

CAPUT XI.

Ad Hebræos in fide corroborandos, describit quid sit fides, qui illius fructus & quanta efficacia.

Fides substantia rerum sperandum.

QUæstio I. Quomodo *fides* dicitur *substantia rerum sperandarum* v. 1.? R. Fides est id, quod res sperandas (græcè res quæ sperantur & nondum existunt) facit subsistere in intellectu, id est, tam certas in animo hominis haberi, ac si jam de facto existerent, ita S. Chrysost. & alii. Est item *argumentum*, seu ùt S. Aug. legit, convictio, demonstratio, q. d est lumen, quo intellectus convincitur ad firmiter ea credenda, quæ non videt, aut naturaliter non capit. Hinc nota primò fidem non esse fiduciam aut spem, ùt volunt hæretici: spes enim ac fiducia sunt in appetitu seu voluntate, argumentum verò, convictio & demonstratio soli intellectui conveniunt Nota 2dò, Hanc Paulinam fidei descriptionem etsi quidam dicant non esse adæquatam (sed assignari per duas solummodo præcipuas fidei proprietates, quarum una est, quòd sit basis & fundamentum spei: altera quòd intellectum faciat certissimò assentiri iis, quæ non clarè intelligit) probabilius cum communiore in 2. 2. q. 1. a. 4 sententia dici prorsus adæquatam esse. Nam omnis fides ordinatur ad res sperandas, etiam quæ versatur circa infernum, quia hunc speramus nos evasuros. Etiam quæ circa præterita v. g. Incarnationem & mortem Christi: quia spes his innititur. Nec obscuritati fidei repugnat evidentia scientiæ vel sensationis naturalis circa quasdam res existentes, præsentes, & naturali lumine vel sensu apparentes, v. g. Deum esse, esse unicum, esse infinitum &c. ut olim respectu Deiparæ, se Virginem esse, se Christum peperisse &c respectu ejusdem & S. Thomæ Christum redivivum esse &c. Fides enim se extendit ad omnia, quæ divinitus revelata sunt, sive appareant illa sensibus aut intellectui, sive non appareant. Sed longè certior est notitia hausta ex Divina revelatione, quàm quæ hauritur ex clara scientia vel sensu naturali: unde facile concipi potest, rem quæ naturaliter scitur aut videtur, posse nihilominus etiam fide credi.

Fide aptata sæcula.

II Quomodo *fide intelligimus aptata esse sæcula verbo DEI, ut ex invisibilibus visibilia fierent?* R. *Fide* cognoscimus *sæcula*, id est, mundum, & omnia quæ in mundo sunt, non esse ab æterno (ùt quidam Philosophi somniârunt) sed in tempore creata & aptata seu compaginata esse, & omnibus partibus, quasi magni corporis artubus & membris aptè coagmentata unico *verbo*, jussu, nutu Dei: *ut ex invisibilibus*, Græcè *non apparentibus*; Theophyl. ex non existentibus, nisi (ut Molina & Ribera exponunt) in ideis Divinis, seu in mente & arte Dei; *fierent* existentia & *visibilia*.

Hostia Abel.

III. Quæ fuit illa plurima hostia Abel v. 4? R. Græca habent hoc loco comparativum, non positivum aut superlativum, & significat, uberiorem, pleniorem, ampliorem, sive præstantiorem hostiam, ita ut quod obtulit Cain de fructibus terræ, parum fuerit, si conferatur cum eo, quod obtulit Abel, cùm meliores ovium fructus & adipes agnorum obtulerit. Ubi perpende, quòd Abel justus in agni fide sacrificavit, Cain verò absq; ulla fide, ut propterea non placuerit Deo. Nec est credibile, illum absq; ulla omnino fide sacrificâsse de fructibus terræ, sed tantùm agni reconciliationis nostræ fidem non habuisse: unde nec ipse, nec ejus oblatio Deo placuit: quod in ipsa diversitate munerum agnosci potest. Nam Abel de gregibus ovium & adipibus obtulit, denotans se Deo debere hostiam, non tantùm ut Creatori, sed etiam ut redemptori, mactans agnum in fide Christi, in cruce immolandi; Cain verò de fructibus terræ, ut Creatori tantùm.

Abel defunctus loquitur.

IV. Quomodo *Abel defunctus loquitur* v. 4? R. Quia Abelis licet olim occisi fides, innocentia, pietas, martyrium & memoria adhuc recens est & celebratur apud omnes fideles, eosq; ad sui imitationem exhortatur meliùs, quàm si Abel mille lingvis eos exhortaretur, tanta est vis exempli. q. d. Cain sustulit quidem Abelem, sed non sustulit ejus gloriam & memoriam, qui vivit & vivet semper in mente & ore fidelium. ita Chrysost. & alii.

V. Quomodo fide, id est per fidem, ob fidem Enoch translatus dicitur v. 5.? R. Quia fides futuræ retributionis excitabat Enoch ad præclara fidei opera exercenda, quibus ambulavit cum Deo, Deoq; placuit, ob quæ meruit à Deo rapi & transferri in paradisum. Potuisset pari modo dicere Apostolus: spe vel charitate, vel pietate sua insigni translatus est Enoch, sed maluit hoc fidei tribuere, tum quia de fide agebat, eamq; Hebræis inculcabat, tum quia fides prima est & dux atq; incentrix spei, charitatis, pietatis, aliarumq; virtutum.

Enoch fide translatus.

VI. Quale, aut quod responsum habuit Nòe, ut aptaret arcam in salutem v. 7? R. Nullum fuit responsum datum ad interrogationẽ ejus, sed perinde est, ac si dixisset: oraculo

Divi-

Divino admonitus: Sicut Matt. 2. *Et responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem.* Tradit porrò Josephus l. 1. Antiq. Adam prædixisse mundi vastationem semel atq; iterum futuram, primò per aquam diluvij, deinde ultimis diebus per ignem; quam revelationem Noë fide amplexus est, & oraculo admoneri meruit à Deo sic futurum. Et ità laudatur, quòd defuturis nondum manifestis rebus admonitus timuerit. Erat enim per se incredibile, quòd post 120. annos diluvium comminaretur. Deinde aptavit arcam ab aliis irrisus: & tanto tempore in ea construenda occupatus fuit, ut omnem impijs excusationem adimeret. Tertiò mundum eâ structurâ damnavit: ùt enim Ninivitæ surgent in judicio, & condemnabunt generationem Judæorum infidelium, ita Nòé alios incredulos & subsannatores. Quartò justitiæ, quæ per fidem est, hæres institutus est Nòé, quia extinctis omnibus, in sua tantùm familia mansit fidei justitia.

Sara à fide commendatur.

VII. Quomodo Sara à fide commendatur v. 11. cum ad Dei promissionem Gen. 18. v. 12. de Isaac ex ea nascituro riserit, quasi promissio hæc ridicula foret & impossibilis? R. Initio Sara ut audivit promissionem tantam, quæ naturaliter erat impossibilis & incredibilis, risit quasi incredula; sed posteaquam cognovit Angelos promittentes conceptionem, legatos esse Dei, Deumq; repræsentare, adeoq; Deum omnipotentem, qui fallere non potest, per Angelos hanc conceptionem sibi promittere, tunc credidit: ùt satis colligitur Gen. 18. v. 14. & 15. ita Theodor.

Abraham accepit Isaacum in parabolam.

VIII. Quomodo Abraham accepit Isaacum in parabolam v. 19.? R. In typum seu figuram Christi morituri & resurrecturi: videbat enim Isaac resurrexisse, cùm à gladio Patris & certa morte subtractus ac liberatus fuit. Ita Chrysost. Theodor. & alij. Item ut Isaac esset proverbium & exemplum memorabilis obedientiæ omnibus sæculis, inquit Corn. à Lap.

IX. Quomodo *fide occultatus est Moyses* v. 23. R. Josephus l. 2. Antiq. c. 5. refert Patri ejus per quietem significatum cælitus fuisse, nasciturum ex eo infantem, qui populum ex Ægypto eliberaret. Fidem oraculi confirmavit infantuli elegantia. Sed Moyses ut adolevit, comperitq; se liberando populo destinatum à Deo, fide impulsus est, ad excutiendam adoptionem Filiæ Pharaonis.

CAPUT XII.

Exemplo tot sanctorum, adeoq; & ipsius Christi, hortatur Hebræos ad constantem patientiam, ad Dei metum, reverentiam, cultum, deniq; ad pacem, & concordiam fraternam.

Quæstio 1. Quomodo intelligendus versus 1.? R. *Habentes tantam* quantam præced. c. vidimus, *nubem,* seu copiam, martyrum id est, *testium* (qui per fidem, & pro fide tam multa perpessi sunt, & tam heroica opera perfecerunt) nobis *impositam, deponentes,* & abjicientes *omne pondus,* omnes sarcinas, omnes moras, quæ cursum virtutis, aut profectus retardant, ut sunt luxus mundanus, anxiæ curæ, nimiæ occupationes &c. Deponentes etiam & missum facientes *peccatum nos circumstans,* id est, concupiscentiam, quæ instar retis nos undiq; cingit, & in cursu atq; agone virtutis maximè retardat, & impedit, curramus totis viribus *ad propositum nobis* agonem, id est, *certamen,* & in certamine victoribus propositum bravium.

II. Quis sensus versus 2di? R. *Aspicientes in Jesum,* exemplar perfecti Athletæ, ut ab eo vires, animos, solatium hauriamus: hic enim ùt author nobis est fidei, docens quæ credenda sunt, & donans ut credamus; ita erit & consummator fidei, præbiturus videnda, quæ nunc docet credenda, & actum fidei obscuræ cum clara visione communicaturus, *qui proposito sibi* (per Angelum in horto Gethsemani Luc. 22.) *gaudio* ex cruce obventuro, tum sibi tum toti orbi, libens *sustinuit crucem,* inquit Corn. à Lap. Sed in Græco est: *qui pro gaudio sibi proposito,* id est, vice seu loco gaudij, quo frui poterat, prælegit crucis passionem, & ita exponunt S. Chrysost. Theodor. Theophyl. & Ribera. Cùm enim liberum esset Filio Dei, manere in nuda sua divinitate, maluit incarnari: incarnatus poterat reddere corpus suum statim immortale (& optionem illi datam vult Rupertus ipso primo instanti) maluit habere mortale: moriturus poterat vulgari morte defungi, maluit crucifigi, *confusione contempta.* id est, ignominiâ probrosi supplicij nulla ex parte retardatus.

Esau non invenit locum pœnitentiæ.

III. Quomodo de Esau dicitur v. 17. *Non invenit locum pœnitentiæ?* R. Obtinere nunquam potuit, ut subtractæ ipsi & impertitæ Jacobo benedictionis pœniteret aut parentem suum aut Deum. Sed neq; ipsius pœnitentia utilis ipsi fuit, qua doluit non de peccato suo (nam mox voluit occidere fratrem) sed de damno quod incurrit, putà de vendito jure primogenituræ, de amissa benedictione, desiderans & satagens illa recuperare; sed frustra. ita Theodor. Theophyl. & Anselmus.

IV. Quam Ecclesiam intelligit Paulus per Sion v. 22.? R. tam terrestrem & militantem, quàm potiùs cælestem & triumphantem, q. d. accessistis per fidem & spem ad Ecclesiam cælestem & triumphantem. Nam Ecclesia hæc in terris tendit, rectaq; nos ducit ad triumphantem, adeoq; una & eadem est Ecclesia & societas fidelium hîc in terris militantium, & in cœlis triumphantium. Quòd enim potiùs loquatur Apostolus de Ecclesia triumphante, quàm militante, patet ex eo, quòd dicat, *nos accessisse ad multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis, & spiritus justorum perfectorum.* Hi enim Angeli & Spiritus sunt in Ecclesia non militante sed triumphante. Rursus quia triumphans Ecclesia utpote invisibilis opponitur meliùs Sinæ monti tractabili & visibili, quàm militans. Nam militans Ecclesia tractabilis quoq; est & visibilis. Tertiò, quia hanc Ecclesiam vocat civitatem Dei, viventis, in qua scil. regnat Deus vivens & æternus, suosq; cives beata immortalitate donat & glorificat. Eandem vocat Jerusalem cælestem, quam scil. præfiguravit Jerusalem terrestris, in qua Deus regnabat per Davidem in populo, & per Pontifices in templo: hæc enim aliaq; plura meliùs competunt Ecclesiæ triumphanti quàm militanti.

V. Quando & quomodo commovit & concussit Deus cœlum, elementa & gentes tempore Christi v. 26.? R. Cœlum commovit, quando Angeli Christo nato cecinerunt: *Gloria in excelsis Deo:* & quando novam stellam dedit Magis, quæ eos duceret ad Christum, alijs item pluribus prodigiis cælum commovit, quæ circa Nativitatem Christi contigisse narrat Orosius l. 6 hist. c. 20. Sic in passione cælum commovit Deus, quando eclipsim solarem & tenebras luctumq; toti orbi miraculosè induxit. 2dò tempore Christi Deus commovit *mare & terram*, tum per prælia Augusti Cæsaris cum Antonio, Lepido & gentibus exteris terrâ mariq; gesta, tum in descriptione totius orbis, quâ terrâ mariq; omnes ad suas urbes remeare sunt coacti, seq; Præsidibus Romanis sistere, ut describerentur, eiq; tributum penderent: tum deniq; in passione Christi, quando terra mota est, petræ scissæ sunt & monumentis apertis mortui resurrexerunt. Tertiò omnes gentes commotæ & tremefactæ sunt tempore Christi, quia ad prædicationem Christi & Apostolorum salutari metu concussæ, converterunt se ad Christi fidem, pœnitentiam, mutationem morum, gratiam & salutem.

CAPUT XIII.

Hortatur ad fraternam charitatem, hospitalitatem, misericordiam in vinctos & ægros, & ad omnem aliam virtutem.

QUæstio I. Quis est sensus v. 2. *Per hanc* (hospitalitatem) *enim latuerunt quidam, Angelis hospitio receptis?* R. Significat illos latuisse, quòd Angelos humana specie apparentes domi suæ exceperint. Tales fuerunt Lot & Abraham in veteri Testamento, & in novo Gregorius Magnus, qui necdum Pontifex, inter alios pauperes Christum ad prandium ignorans excepit. Unde quidam vertunt: *Per hanc quidam inscij* vel inscientes exceperunt Angelos hospitio. Sed longè aliud est dicere per accusativum, me latet, quo significatur ignorantia & nescientia; aliud per nominativum ego lateo, & significat, occultor sive abscondor. Videtur ergo indicari singulare beneficium, quod accepit Lot, Abrahæ nepos, per hospitalitatem Gen. 16. Nam cùm una nocte suscepisset Angelos, & impuri Sodomæ cives in illos vellent irruere, atq; ille exisset domo, ut eos bonis verbis placaret, & à tanta contumelia hospitibus suis inferendâ reprimeret, cùmq; illi vim inferre vellent, miserunt manum viri & introduxerunt ad se Lot, clauseruntq; ostium, & eos qui foris erant, percusserunt cæcitate à minimo usq; ad maximum, ita ut ostium invenire non possent. Latuerunt ergo quidam, id est, absconditi & occultati fuerunt, & ab illis impuris hominibus servati, & ita Lot absconditus ab Angelis, salvus factus est.

II. Quis est sensus verborum v. 8. *Jesus Christus heri & hodie, ipse & in sæcula?* R. Hic homo, qui dicitur Jesus, fuit *heri*, id est, paulò ante vos, ô Hebræi, vixit in terris; idem est, *& hodie*, quia hoc tempore præsenti Christus resurgens à mortuis etiamnum vivit; *idem est & in sæcula*, quia vivet & regnabit gloriosus in omnem æternitatem, ita ut Christus omnem differentiam temporis amplectatur: fuit enim Christus heri, id est, in tempore præterito, idem est hodie, id est, in tempore præsenti, idem erit & in sæcula, id est, omni tempore futuro. Ille vobis adest æquè potens, æquè munificus, & aderit semper & ubiq; & in omnibus rebus.

III. Quid intelligitur verbis illis v. 9. *doctrinis variis & peregrinis nolite abduci?* R. Hæreses Simonis Magi, Ebionis, & Judaizantium jam tum suborientes. Ad Judaizantes enim spectat id, quod sequitur de escis, cùm ait: *Optimum est enim gratiâ stabilire cor non escis* scil. judaicis. Nota hîc tria epitheta & proprietates hæreseos. Prima est,

ma est, quòd sit *varia*, quia non tantùm à veritate, sed & à se ipsa evariat, & in multas sectas abit, ut ait S. Thom. 2da quòd sit *peregrina*, quia extranea & abhorrens est à schola veritatis, & doctrina Ecclesiæ; quia aliunde importata est, & à Philosophis, aliisq; curiosis hominibus diabolo suggerente conficta. Tertia proprietas est, quòd *abducat*, demens & avia, ut omni vento doctrinæ circumferantur.

IV. Quod altare intelligit v. 10. *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem* (facultatem aut licentiam) *qui tabernaculo deserviunt?* R. *Altare* in quo offerimus sacrificium Corporis & sangvinis Christi olim in cruce immolati, quod edunt & participant non Levitæ & Judæi, sed Sacerdotes & fideles Christiani, dum sumunt S. Eucharistiam, hoc fine ut gratiam cor stabilientem, de qua dixit Apostolus v. præced. consequantur, cibumq; sumant corpus Christi, qui eos vivificet in æternum. ita Chrysost. & alii. Quòd enim Apostolus non loquatur de altari crucis, ùt volunt hæretici, sed Eucharistiæ & Missæ, patet ex verbo *habemus:* altare enim crucis non habemus, sed habuimus. Rursum ex verbo *edere;* ex altari enim crucis non edimus, sed ex altari Eucharistiæ. Ex hoc colligitur Eucharistiæ oblationem verè ac propriè esse sacrificium novæ legis: ubi enim altare est, ibi est & sacrificium & victima & Sacerdos, nam hæc omnia sunt correllativa.

EPISTOLA CATHOLICA B. JACOBI APOSTOLI.

CAPUT I.

Docet gaudendum in tentatione: postulandam à Deo sapientiam certa fide & spe: pauperes, si humiles fuerint, brevi exaltandos: divites, si superbi, humiliandos ac deprimendos: à Deo non provenire tentationem, sed omne donum perfectum: frænandam linguam, iram & concupiscentiam: factores verbi justificari, non auditores tantùm: & quæ sit vera religio.

QUæstio I. Si summum est *gaudium incidere in varias tentationes*, cur Christus docet nos orare, *& ne nos inducas in tentationem?* R. Tentatio dupliciter spectari potest. Primò quatenus solicitat ad peccatum: & sic eam non appetere, sed odisse, fugere, ac deprecari debemus: Sic enim recta via est ad peccatum, quod summè malum & odibile est. 2dò quatenus est materia luctæ & victoriæ, augendæq; virtutis, meritorum ac gloriæ; & sic appetere illam & optare, atq; de eadem gaudere possumus, nixi spe ac fiducia affuturi cœlestis auxilii, quo illam superemus, ac de superata triumphemus. Sic optabat & orabat David ps. 25. *Proba me Domine & tenta me, ure renes meos & cor meum.* Licet autem prudentis sit, ex humili fragilitatis propriæ agnitione, lapsum metuere in gravi tentatione, ac proinde expediat, ùt plurimùm illam devitare ac fugere: quando tamen adhibitâ diligentiâ sentit evitari non posse, fortis animi est, nihil tum de summo mentis gaudio remittere, ob eximios fructus inde subnascentes. *Tentatio duplex.*

II. Quomodo *patientia opus perfectum habet* seu causat v. 4? R. Conservans, stabiliens, consummans hominem in stadio & studio virtutum, inquit Cyprian. tract. de patientia: exstirpans inordinatam tristitiam, quæ est causa & radix omnis perturbationis & mali, inquit S. Thomas: imò extingvens (per adversa quæ tolerat) ipsum amorem proprium, qui est fons & occasio omnis imperfectionis ac defectûs, inquit Dionys. Carthus. Patientia enim omnes animi motus & æstus instar Dominæ regit, mitigat, sedat, componit, unde plena animi pax, alta quies, & perpetuum gaudium. *Patientia opus perfectum habet.*

III. Quo sensu dicit v. 13. *Nemo dicat, quoniam à Deo tentatur?* R. Tentatione, quæ ad peccatum invitat. Hoc dicit, ne quis putet, cogitationes turpes, passiones exorbitantes, aliasq; tentationes ad peccatum, bonas in se esse, & à Deo nobis inspirari & indi. Sunt enim ex se & natura sua malæ, sicut & peccata, ad quæ pelliciunt: unde nec à Deo proveniunt, qui *intentator malorum est*, id est, nulli intentat mala, neminem excitat ad malè agendum Eccli. 15, v. 12. Sicut enim ignis nequit humectare, neq; sol obscurare: ita non potest essentialis bonitas aut beneficentia cuipiam malefacere: his tamen non repugnat, in ejusmodi tentationibus justo etiam extremè gaudendum esse. Quia gaudium hoc non est de tentationibus, ut ad peccatum solicitent, sed ut materia sunt luctæ & victoriæ, meritorum ac gloriæ. Multò minùs his repugnat, quod alibi dicit Scriptu- *Tentatio an à Deo.*

Scriptura, Deum tentâsse Abrahamum, tentâsse Hebræos. Quiâ, ùt ait, S. Aug. hæc Dei tentatio non est seductionis, neq; ad peccatum, quam solam hìc Deo denegat Apostolus: sed est probationis, & ad majus meritum & majorem coronam.

Tentatio ad peccatū à quo est.

IV. A quo ergo est tentatio ad peccatum, si non est à Deo? ℟. *à concupiscentia*, v. 14. Seu à vi appetitiva hominis, quatenus immoderatè inclinatur in bona sensibilia, contraria rationi & legi divinæ: & est hæc concupiscentia partim in voluntate, partim & magis in appetitu sensitivo. Nam pars inferior voluntatis, quæ bona caduca spectat, inordinatè concupiscit honores, gloriam, præcellentiam &c. perinde atq; sensitivus appetitus delicias carnis & alia objecta sensuum. Hæc concupiscentia secundùm S. Aug. l. 4. in Luc. c. 4. *Lena vitiorum* est, animam à Deo sponso suo abstrahens ad bona creata, ut contra legem ejusdem Dei cum his delicietur & spiritualiter fornicetur. Excitatur hæc sæpe à Dæmone vel mundo, putà pravis sociis, libris, colloquiis &c. à quibus objectum delectabile quasi adulterum semen, submministratur concupiscentiæ. Et hic est primus tentationis gradus, nempe *suggestio*, qua concupiscentia in se, & quasi in utero suo concipit pravos motus, v. g. titillationem libidinis, iræ, gulæ, superbiæ &c. Sed quia hi primo-primi sunt, & indeliberati, nullum adhuc continent formale peccatum (ut definit Trid. Sess. 5.) sed hoc primùm concipitur in secundo tentationis gradu, qui est *delectatio*, quando intellectus & voluntas, illecebris jam dictis sponte & advertenter sese oblectant. Unde & tertius gradus nempe *consensus* in peccatum, quod est infelix proles hujus lascivæ matris. Pulchrè S. Aug. hom. 42. inter 50. *Noli consentire concupiscentiæ tuæ. Non est, unde concipiat, nisi de te. Consensisti? quasi concubuisti in corde tuo. Insurget concupiscentia? nega te illi, noli eam sequi: illicita est, turpis est, alienat à Deo. Noli dare consensionis amplexum, ne plangas partum.*

Genuit nos Deus verbo veritatis.

V. Quomodo *genuit nos Deus verbo veritatis* v. 18.? ℟. Genuit spirituali generatione per verbum veritatis, id est, per Evangelium, partim exterius nobis prædicatum, partim interiùs inspiratum putà per intellectûs illuminationem & voluntatis excitationem. *Genuit*, inquam non necessario vel naturaliter (quo modo Pater ab æterno gignit Filium suum) neq; casu vel fortuitò (quo modo homo gignit hominem) sed voluntariè, volens, seu quia voluit. Oecumenius vertit, *destinata voluntate*, alij, *gratuita benevolentiâ* & libero beneplacito: quia sine meritis nostris; imò immerentes & indignos vocavit, elegit, justificavit, regeneravit, *ut simus initium aliquod creaturæ ejus*, seu ut principatum obtineamus inter creaturas ejus, utpote Filij Dei, & hæredes vitæ æternæ.

CAPUT II.

Docet fidem (quæ religionis initium & fundamentum est) non admittere acceptionem personarum: qui violat unum legis præceptum, fieri omnium reum: fidem sine operibus inanem & mortuam esse instar cadaveris.

Personarū acceptio.

QUæstio I. Quid est acceptio personarum? ℟ Est vitium oppositum justitiæ distributivæ, quo quis in distribuendis officijs, dignitatibus, beneficijs, muneribus, locis &c. non respicit meritum, nec dignitatem, sed qualitatem personæ ad rem non pertinentem, ut meliora & majora det consangvineis, amicis, divitibus, nobilibus; pejora & minora exteris, inimicis, pauperibus, ignobilibus. Aliquando etiam opponitur justitiæ commutativæ, ut cùm judex litem adjudicat amico, quæ ex justitia adjudicanda erat inimico; & tunc inducit obligationem restitutionis.

II. Quis est sensus v. 1. *Nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Jesu Christi gloriæ?* ℟ Nolite credere, quòd gloria Christi eluceat in acceptione personarum seu quòd glorificetur Christus, cùm ad agapes vel alios publicos vestros conventus admittitis vel in ijs honoratis solos divites, nobiles & splendidè vestitos, pauperes verò contemnitis: quasi gloria Christi vel Christianismi consistat in splendore vestium, familiæ vel opum: hæc est enim gloria mundi, non Christi: gloria gentilismi, non christianismi. ita à Lap.

III. Quomodo verum est illud v. 10. *Quicumq; totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus?* ℟ Omnium non copulativè seu seorsim, sed copulatim seu conjunctim sumptorum. q. d. Reus est totius legis. Lex enim vel justitia legis est quasi una corona, una vestis, una cyclas aurea circumdans, & ornans totum hominem: quæ tota violatur, si vel unam ex eis partem demas aut violes: sicut in Musica corrumpitur tota harmonia, si vel unica vox dissonet vel absit: nam sic tollitur ejus integritas, species, & decor. Quòd si quis contendat, *omnium* debere etiam copulativè expoui, dicat cum S. Aug. ep. 29. *fieri reum omnium*, quia alia omnia particularia præcepta etiã observet quo ad substantiam operis, non tamen quo ad modum, quo necessâriò ob-

riò observanda sunt, ut sint grata Deo & meritoria vitæ æternæ, quia nempe nulla observat ex charitate, quam amisit, quando præceptum unum obligans sub peccato mortali transgressus fuit. Sicut hæreticus, qui non credit unum articulum fidei, etsi teneat reliquos omnes, nullum tamen omnium credit, ut oportet, fide Divina supernaturali sed solùm naturali humana: nam Divinam fidem omnium amisit eo ipso, quo uni illi articulo credere noluit.

IV. Quid vult Jacobus v. 12. *Sic loquimini, sic facite, sicut per legem libertatis incipientes judicari?* ℟. Hoc inculcat ad elidenda contraria dogmata, & praxes Pharisæorum, qui passim inculcabant Matt. 5. sufficere, si quis potiorem partem mandatorum Dei compleret: nec ullum esse crimen, proximo charitatis obsequium denegare, si charitatem erga Deum quis retineat. Sicut nunc hæretici nostri docent hominem per solam fidem justificari & salvari. Non sic docete, inquit Apostolus, non sic agite, sed ut ego vos jam docui, sic practicate, nempe toti legi, quo ad omnia ejus præcepta, complendæ totis viribus studete: quasi *per legem incipientes judicari:* nam eo ipso momento, quo quis peccat, judicatur à Deo, idq; *per & secundùm legem*, seu conformiter legi divinæ, quæ vetat omne etiam minimum peccatum. Et licet sit *lex libertatis*, est tamen etiam justitiæ Jac. 1. v. 25. Imò libertas legis Christianæ in hoc maximè elucet, quòd nos liberos faciat à peccato, cui servire non est hominis ingenui vel generosi, sed sordidi mancipij.

V. Quid intendit S. Jacobus illis verbis v. 14. *Quid proderit, si fidem quis dicat se habere &c.?* ℟. Elidit dogma Simonis Magi, qui ex epistolis S. Pauli, quibus opera legis Mosaicæ repudiat, sola fide in Christum inculcatâ asserebat præter fidem in Christum, nulla opera pia facienda esse, Simonem secuti sunt Valentinus, Basilides, Eunomius, Aetius, & moderni Novatores. Ipsum hoc dogma fuisse in causa, ut SS Petrus, Jacobus & Joannes scriberent Epistolas suas, docet S. Aug. de fide & operib. c. 14. & 15. Intelligit S. Jacobus veram fidem, sive ipsos actus, & habitum fidei, qualem habuit Abraham, quam citat v. 21 Non autem solam fidei notitiam, & doctrinæ fidei cognitionem, uti Calvinus eludit contra S. Aug. aliosq; passim. Quamvis idem Calvinus huic suæ explicationi non multum ipse fidens fatetur, opera ad salutem requiri, non quidem ut causas ac merita salutis, sed ut veræ fidei indicia. Quem ipsum tamen sensum S. Jacobus, per ea, quæ sequuntur, evidenter elidit.

VI. Quomodo intelligendum illud v. 17. *Fides si non habet opera, mortua est?* ℟. Etsi vera sit fides in se, ut supponitur, tamen in semet ipsa, id est, ipsa sola non præstat vitam supernaturalem, quæ in charitate consistit; & hoc sensu talis fides sola sæpe a Patribus dicitur, non esse vera fides; non verò in sensu Calvini, quasi non sit actus fidei Divinæ ac supernaturalis, aut habitus fidei verus, sed solùm scientia articulorum fidei. *Fides sine operibus mortua est* instar cadaveris, utpote destituta charitate, quæ illam instar animæ vivificat, inquit S Bern. ep. 42. Licet ergo sit vera fides, sicut cadaver est verum corpus, tamen sine operibus est exsucca, exsangvis, elumbis, & fœda instar cadaveris putrescentis. *Fides sine operibus mortua.*

VII. Quis est sensus v. 18. *Si dicet quis: Tu fidem habes, & ego opera habeo &c.?* ℟. Sensus juxta Corn. est hic: Quamobrem meritò quis instare & argumentari poterit, contra istos fidem jactitantes: Tu fortè nec fidem supernaturalem habes, quando eam per opera non ostendis: ego verò ex operibus meis ostendo, me non sola opera, sed fidem quoq; habere, quoniam ex hac illa procedunt. Fortassis etiam est apostopesis, & objectio omissa, in ipsa responsione exhibetur, hoc modo, *Objiciet aliquis, ego fidem solam habeo, tu sola opera, sed respondeo me sola opera non habere,* quoniam illa sunt charitatis, quæ sine fide esse non potest. Tu verò contrà fidem solam habere potes sceleriosam: quæ tamen ipsa fortè non est vera, sed mere naturalis adhæsio, qualis Dæmonum est, ut sequitur v. 19. & tamen hæc fides illis nihil prodest, nisi ad majus tormentum: ergo nec tibi tua proderit sine operibus fides, nisi ut gravius inde puniaris. *Abraham ex operibus justificatus.*

VIII. Quomodo *Abraham ex operibus justificatus est* v. 21.? ℟. Per filii sui immolationem non fuisse justificatum Abrahamum inchoativè: nam jam erat ante justus Gen. 15. v. 6. sed perfectivè, quia de condigno promeritus est suis operibus majus incrementum justitiæ, quàm antè habuerat. Et de hac justificatione perfectiva (quam Theologi secundam vocant) maximè loquitur S. Jacobus. Paulus verò magis de prima, seu de inchoativa justitia. Licet de utraq; verum sit, opera ad illam necessaria esse: nam ad inchoationem justitiæ requiruntur opera fidei, spei & pœnitentiæ, tanquam necessariæ dispositiones, & merentur illam de congruo: ad perfectionem verò vel incrementum justitiæ, etiam concurrunt ut propriè dictæ causæ, & merentur illam de condigno, ut loquitur Trident. & fusè probat Bellarm. l. 1. de justificat. c. 18. & seqq.

CAPUT III.

Reprehendit eos, qui officium docendi, maximè in publicis conventibus temerè ambiunt, & hac occasione in varia linguæ vitia excurrit. Deniq; docet, veram sapientiam tam docentium, quàm discentium, non consistere in contentione & zelo, sed in mansvetudine & pace.

QUæstio I. Cur S. Jacobus non vult plures Magistros seu Doctores fieri, cùm *multitudo Sapientium*, ùt ait Salomon Sap. 6. & Doctorum, *sanitas sit orbis terrarum?* R. Non reprehendit gradus Academedicos, ùt somniabat Wiclef, ajens, teste Prateolo, non plus illos prodesse Ecclesiæ, quàm Diabolum. Nam ùt, S. Paulus & ipse Doctor Gentium Eph. 4. v. 11. docet: *DEus in Ecclesia posuit Doctores.* Sed taxat ambitionem Magisterii, quod plures tum temporis expetebant, arrogantiâ Pharisaicâ potiùs, quàm zelo conversionis Animarum, cùm pleriq; non sat instructi essent, seu à scientia, seu à prudentia, seu ab aliis virtutibus ad id munus necessariis. Unde & magna subinde confusio, contentiones & scandala. Causam porrò cur magisterium, nisi à superiore imponatur, potiùs fugiendum quàm ambiendum sit, dat Apostolus, quoniam *majus judicium* seu condemnationem sibi accersunt tales, nempe dum vanam doctrinæ laudem & gloriam captant, dum alios præ se contemnunt, dum mala vel malè docent, dum malo exemplo aliis prælucent &c.

II. Quid est, *in multis offendimus omnes* v. 2.? R. Tum verbis, tum factis & exemplis. Nam nihil omninò peccare proprium est Dei, inquit Clemens Alexandr. 1. Pædag. c. 2. Propter innatam enim homini concupiscentiam, infirmitatem & animi mutabilitatem (quæ Deo sic volente remanent etiam in justificatis, ad majorem eorumdem humiliationem, luctam & exercitium) fieri nequit, etiam cum speciali auxilio gratiæ ordinariæ, ut ad longum tempus evitet omnia peccata venialia, ùt Trident. definit. sess. 6. c. 23.

III. Quomodo *lingua inflammat rotam nativitatis nostræ* v. 6.? R. Quod lamina ignita est in rota currûs, hoc lingua est in rota nativitatis, id est, in cursu vitæ nostræ, qui instar rotæ, à nativitate usq; ad mortem perpetuò circumvolvitur. Sicut enim lamina ferrea ignitur in fornace fabrorum: ita lingua ignitur igne tartareo maledicentiæ quasi ex fornace gehennæ per Diabolum deprompto. Et sicut lamina ignita dum à fabris applicatur rotæ, & clavis illi infigitur, undiq; flammas vomit & scintillas, videtur totam rotam circumcirca inflammare: ita lingua infernali seu diabolico maledicentiæ igne succensa inflammat eodem igne totam rotam vitæ nostræ. Adeo nonnulli lingvâ suâ sæviunt, ut non humana, sed infernalis & diabolica videatur, ut non ab anima, sed ab ipso præside gehennæ, Diabolo, inquam, flecti & agitari jure credatur. Nam sicut SS. Vates & Doctores loquuntur lingva cœlesti & Angelicâ, seu potiùs Numen ipsum per illos; ita econtra impii seminantes rixas & bella, docentes obscœna, alienam famam rodentes, loquuntur lingvâ Dœmonis, vel potiùs Dœmones per ora eorum ululant. Aliqui per os intelligunt molendinum, & lingvam rotam, quæ movetur continuò, affundente aquam orco. Porrò id, quod in illo molitur, aliud non est, quàm lolium & zizania, furfures, glandes in pastum porcorum. Alii per hanc rotam intelligunt eam, quæ est in sclopeto, & lingvam comparant lingvulæ chalybeæ ipsius, quæ collisione ad rotulam, ignem prolicit, & sulphureum pulverem inflammando glandem plumbeam ejuculatur, quâ instar fulminis illico proximum quemvis ferit, & vel graviter lædit vel interimit. Et revera, sicut plures hoc instrumento occiduntur, quàm alio; ita plures occidit lingva, quàm gladius. Vulgaris est interpretatio, lingvam non certo duntaxat tempore venena diffundere, atq; eisdem obvia inficere, sed totius vitæ decursu inflammatam ferri, tamquam à gehennali fumo & furnis incensam. Etenim alia vitia in certas ætates dominantur, gula pueritiam tentat, libido juventutem, ambitio virilem ætatem, omnia ferè cum homine senescunt, & emoriuntur, solius lingvæ vitium omnem vitam occupat, & in ipso senio invalescit. Anus edentulæ imprimis garrulæ, si non habent, quod garriant, habent, quod murmurent. Viri grandævi etiam si semel sonare incipiant, tota die crepare, aut facta sua, aut audita, aut visa non cessant. Inflammat rotam. Ideo Syrus vertit, inflammat series genealogiarum nostrarum, quæ currunt in modum rotarum. Lingva enim serens odia inter familias, urbes & regna, eadem transmittit sæpe ad posteros per multas generationes & sæcula. Aliis membris inflammandis sufficit ignis concupiscentiæ, sed ad inflammandam lingvam ipse ignis orcinus requiritur.

CAPUT IV.

Concupiscentiam honoris & excellentiæ, id est, ambitionem, docet matrem esse, & fomitem invidiæ, litium, bellorum & detractionum: compe-

sci

ſci autem & extingui per ſtudium humilitatis & modeſtiæ.

QUæſtio I. Quomodo *ad invidiam concupiſcit Spiritus, qui habitat in vobis* v. 5.? R. Sicut procus & zelotypus, ſi cujus ferventi amore tenetur, non fert ullum alium alteri amicitiam præſtare, invidetq; illi, quem amare novit: ſic Spiritus Sanctus præ nimio amore zelotypus, pati non poteſt, imò indignatur, ſi mundi amicitiam recipiamus, nec in amicitia aliquem rivalem ferre poſſumus, vel ſummum Deum, de quo Ovidius dicere auſus eſt: *rivalem poſſum non ego ferre Jovem.* Quantò magis Deus non patietur rivales, qui ſuas ſponſas, animas videlicet pretioſo Chriſti ſanguine redemptas, abducant ab amore ſui? Invidiam ergo vocat zelotypiam, id eſt, flagrantiſſimum Dei erga nos amicitiam, ne pereamus: ita ut exprimat vindictam Divinam ex zelo prodeuntem. *Invidia eſt zelotypia.*

II. Cur ſubdit v. 6. Spiritus *majorem dat gratiam?* R. Invidet mundo, quòd pauca & vilia donans multum ametur. Unde ut hunc æmulum eliminet, optima ipſe nobis dona & ſelectiſſima impertit; ſi tamen humiles fuerimus, & humiliter ejus imperio & nutui nos ſubdiderimus, & ab eo nos in omnibus duci & regi permiſerimus.

III. Quomodo *qui detrahit fratri, detrahit legi, aut qui judicat fratrem ſuum, judicat legem* v. 11.? R. Quia detrahit proximo ob opera virtutis lege præſcripta vel conſulta. Nam hæc in probrum vel irriſionem trahens damnat legem, quæ illa ſive jubet, ſive ſvadet. Atq; ita injurius eſt etiam ipſi unico ac Supremo legislatori & judici arcanorum Deo: injurius eſt, inquam, duplici via. Primò quia legem ejus ſaltem tacitè redarguit. Idò quia judicium de arcanis humani cordis, uni Deo proprium, ipſe ſibi arrogat & uſurpat Rom. 14. v. 4. & 10.

CAPUT V.

Perſtringit divitum luxum, injolentiam & ſævitiam in pauperes. Hos verò ſolatur, & ad patientiam hortatur exemplo Job & Prophetarum. Vetat jurare, triſtes jubet orare, lætos pſallere, ægros ungi oleo, peccatores peccata ſua confiteri. Deniq; commendat ſtudium orationis, & proximorum.

QUæſtio I. De qua unctione agitur v. 13.? R. De Sacramento extremæ unctionis, non de miraculoſa unctione: quia Apoſtolus proponit medium tanquam ordinarium & æternum, cum miracula fiant extra ordinem, & ceſſatura eſſent: nec omnes Presbyteri ſunt thaumaturgi: nec conferunt gratiam. Definivit Florent. & Trident. ſeſſ. 14. & plura alia. Erroneè proinde ſcribit Calvinus Innocentium I. inſtituiſſe unctionem malè citans Sigebertum. Kemnitius quoq; inſtitutionem tribuens Felici IV. ſed minime probans. Delirabant & Valentiniani ac Archontici, ungentes mortuos invocatis nominibus principatuum, ut mortui incomprehenſibiles, eximerentur à poteſtate principatuum, ut ſcribit Theodor. l. 1. de hæret. fab. *Inducat Presbyteros* ſcil. unum, quamvis olim plures comitabantur, orandi causâ. *Orent ſuper eum,* tum per formulam ſacramenti, tum per alias ſtatas preces. *Si in peccatis* fuerit, etiam mortalibus, quæ neſcit. *Unctio extrema.*

II. Quis eſt ſenſus v. 15. *Oratio fidei ſalvabit infirmum* &c.? R. Oratio fidelis, id eſt, certa & indubitata (qualis eſt forma hujus ſacramenti, operans certò & infallibiliter ex opere operato) *ſalvabit infirmum,* id eſt, conferet infirmo gratiam, quia *alleviabitur* tum corporaliter, tum ſpiritualiter, accipiendo novum robur, alacritatem, lætitiam, & vigorem, (unde etiam Deiparam inunctam fuiſſe, docet Albertus, Sylveſter, Caniſius & alii, quos citat & ſequitur Suarez 3. p. tom. 2. diſp. 18. ſect. 3.) *& ſi in peccatis ſit,* qualibuſcunq; demum, *remittentur ei* ritè diſpoſito ſaltem per prævium attritionem: remittentur & pœnæ peccatis antè remiſſis debitæ. Extrema enim Unctio ad hoc peculiariter eſt à Chriſto inſtituta, & hîc per Jacobum promulgata, ut ſub finem vitæ removeat omnia impedimenta, quæ animam mox è corpore migraturam, ab ingreſſu cœli remorari poſſent.

III. Quomodo ſumenda verba v. 16. *Confitemini alterutrum peccata veſtra?* R. Non ſolùm Deo, ut quidam volunt, ſed homines hominibus veſtri ſimilibus, putà illis, quibus tanquam proprijs miniſtris cura & poteſtas abſolvendi demandata eſt à Chriſto, nempe Sacerdotibus, juxta illud 1. Pet. 4. *Unusquisq; ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes.* Sic vulgò dicimus, docete invicem, curate invicem, ſuſtentate invicem, ſacrificate pro invicem, nimirum Doctores docete rudiores, medici curate ægros, divites ſuſtentate pauperes, Sacerdotes ſacrificate pro Laicis. Similia

enim verba exponi debent appositè ad subjectam materiam, gratiam & officium cujusq; . Ita exponit hunc locum Concil. Senonense, Beda, Bern. & alij. Quòd autem Cyprianus l. 3. c. 17. Dicat in necessitate, absente Sacerdote, confessionem posse fieri Diacono, & ab eo pœnitentiam accipi, intelligendus est de confessione publica, quæ fieri solet, ut quis absolvatur à censura, quam potest conferre Diaconus, jurisdictionem habens. Absolutionem verò Sacramentalem à tali conferri posse, erroneum est.

EPISTOLA B. PETRI APOSTOLI PRIMA.

CAPUT I.

Præmissa salutatione Deum benedicit, quòd nos per Christum regenerârit, & ad hæreditatem æternam destinârit, secundùm prædictionem Prophetarum. Qua spe docet gaudendum nobis in quacunq; tribulatione: & vitæ puritati sanctitatiq; studendum, quâ Christum imitemur, ejusq; hæreditatis ac gloriæ participes reddamur.

QUæstio I. Quis est scriptor hujus epistolæ ? R. Seipsum prodit, cùm ait: *Petrus Apostolus Jesu Christi.* Petrus nomen est, quod jam Christianus à Christo accepit, quod illi quidem Dominus promisit à principio, cùm illum intuitus dixit: *Tu es Simon filius Jonæ Joan. 1. tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Deinde nomen Petri imposuit ei Dominus Marc. 3. Ubi eadem historia narratur cum ea, quæ habetur Matt. 10. quod est, solidum & firmum, ut posset esse Christianæ Ecclesiæ fundamentum. At Matth. 16. dicens, *Tu es Petrus*, eum etiam fecit Petrum, hoc est, solidam Petram: tu es, non tantùm vocandus, vel vocatus, sed etiam jam es Petrus. *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Et multò magis cùm dixit Luc. 22. *Ego rogavi pro te* (Petre) *ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.*

II. Qui sunt *Advenæ dispersionis electi in sanctificationem Spiritûs* &c. ? R. Judæi ad Christum conversi, ac recenter ob Judæorum persecutionem Act. 8. è Judæa profugi, & per Pontum, Galatiam, reliqvumq; orientem dispersi, ac proinde hospites istic & advenæ. *Electi in sanctificationem Spiritûs*, id est, ad fidem & gratiam, quâ non sola caro, ùt in veteri lege, sed ipse etiam spiritus, seu anima sanctificatur, & hæc gratia est semen gloriæ & felicitatis æternæ. Electi, inquam, ad tantam dignitatem, *in* id est, per *obedientiam* seu meritum obedientiæ Christi, usq; ad mortem, & per *sangvinem* ejus in cruce effusum, quo in baptismo cæterisq; Sacramentis aspersi & lustrati sunt. Ita Lyran. Cajet. & à Lap. Assignat ergo hîc causam meritoriam nostræ sanctificationis, sicut paulò antè assignavit causam ejus efficientem, præscientiam Dei, ejusq; providentiam, non nudè speculativam, sed practicam, quæ includit etiam Divinam voluntatem, amorem & decretum dandi gratiam, adeoq; & ipsam donationem gratiæ, quâ ad fidem, justitiam & salutem perducamur.

III. Quomodo *regeneravit nos in spem vivam* v. 3. ? R. Iteratò generavit: nempe genitos per naturam, secundò genuit per gratiam in vitam animæ immortalem, nempe *in spem vivam*, semperq; victuram, nec unquam interituram, donec ad rem speratam, putà ad vitam & gloriam æternam nos deduxerit. Unde licet rem ipsam, seu æternam vitam, non statim nobis consignet, consignat tamen ejus *spem vivam*, certam, veracem, quâ, nisi per nos steterit, infallibiliter gloriam illam sumus adepturi, inquit Beda.

CAPUT II.

Fideles per baptismum renatos hortatur, ut, sicut modò geniti infantes, rationale sine dolo lac concupiscant, magnitudinem vocationis suæ æstiment, & juxta illam condignè vivant, Deo spiritales hostias offerant, à carnalibus desiderijs abstineant, Dominis etsi gentilibus & dyscolis obediant, & persecutiones patienter exemplo Christi sustineant.

QUæstio I. Quomodo vult, tanquam *modò genitos infantes rationale lac sine dolo concupiscere?* R. Duplex est vita hominis, carnalis nempe & spiritualis, & utraq; eget suo alimento, ut sustentetur, nec omnibus idem cibus convenit. Primum hominis alimentum est lac, donec dentes & fauces crescant, & idoneæ reddantur, ut ablactati solidum cibum percipiant. Hic autem mollis ac dulcis cibus est meditatio bonorum, quæ à Deo in vita recipimus, & quæ speramus in patria. Crescimus tamen ad solidiorem cibum, qui nimirum in afflictione crucis & flagellis reconditus est: *Gaudentes pro nomine Jesu contumeliam pati*, quanquam exterior homo ingemiscat, & doleat, ut ita ablactetur. Matris ergo Ecclesiæ lac de ejus uberibus sugimus, quando simplicia fidei rudimenta tenemus, & argutias fidei circa Trinitatis mysteria & Incarnationis, & quæstiones de Eucharistia & prædestinatione & reprobatione, & similibus subterfugimus; nam talia cibus sunt grandium, & eorum, qui exercitatos habent sensus ad discretionem boni & mali. *Rationale & sine dolo lac.* Rationale quidem ad differentiam irrationalis, sive animalis doctrinæ: *sine dolo* autem, ut distinguat à doctrina hæretica, quæ dolosa est. *Lac rationale.*

II. Quomodo intelligendi sunt v. 4. & 5.? R. *Ad quem* Dominum N. J. C. *accedentes* passibus fidei, spei & charitatis *tanquam lapides vivi* è viva rupe divina excisi, unà cum ipso, qui est *angularis lapis* Isa. 54. v. 11. Matt. 16. v. 18. & Eph. 2. v. 20. coalescite in unam *Domum spiritualem*, nempe Ecclesiam, quæ spiritualis dicitur, quia mystica est, & spiritu Dei animata, spiritalibusq; donis & gratiis plena: non verò quia invisibilis, ut somniant hæretici. Nam externa fidei & cultûs sui professione sat ubiq; conspicuam & visendam se præbet: sicut homo etsi spiritali anima præditus, conspicitur tamen per externas corporis sui qualitates, actiones & motus.

III. Quales sunt *hostiæ spirituales* v. 5. R. non sunt carnales aut brutales hostiæ, quales offerunt Aaronici Sacerdotes, mactando, excoriando, cremando vitulos & boves in honorem Dei: sed sunt mysticæ & ad instar spirituum oblatæ Deo: nam in sacrificio Eucharistico corpus & sangvis Christi sub speciebus panis & vini latentia, tota sub totis, & tota sub singulis particulis etsi individibilibus (quod propriè est spirituum) offeruntur Deo. In metaphorico autem sacrificio laudes, preces & pia opera ex spiritu profecta, & fide ac charitate spirituali informata, consecrantur Deo, Rom. 12. v. 1. Dicitur hoc sacrificium metaphoricum. Nam propriè dictum sacrificium requirit realem substantiæ alicujus immutationem, qualis apud Christianos ex instituto Christi est, in sola oblatione SS. Eucharistiæ, cujus ministri idcirco etiam sunt Sacerdotes propriè dicti peculiari ordinatione Episcopali ad id deputati ab Ecclesia, ut fusè & solidè docet Bellarm, l. 1. de Missa c. 2. & seqq. *Hostiæ spirituales.*

CAPUT III.

Etiam uxoribus & maritis sua scribit officia: hortaturq; fideles omnes ad concordiam, charitatem, modestiam, humilitatem & patientiam exemplo Christi (cui per baptismum incorporati sunt) ut ejus puritatem & virtutem imitantes, cum eo conscendant in cælum, vitâq; donentur æternâ.

QUæstio I. Quis ille *absconditus cordis homo*, & quomodo is ornetur v. 4.? R. Homo cordis absconditus est cordis animus. *In incorruptibilitate quieti & modesti spiritûs, qui est in conspectu Dei locuples.* Significat: ornetur per spiritum mansuetudinis, modestiæ & quietis animi, quæ sunt incorruptibilia ornamenta. *Qui* (spiritus) *est in conspectu Dei locuples vel opulentus.* Hoc est: etsi hic spiritus exornans animum hominis, vilis habeatur & abjectus à mortalibus; tamen coram Deo splendidus & magnificus est. Et insinuat, aurum & vestes pretiosas corruptibilia esse & veterascentia: at interior & invisibilis cultus cum immortalitate conjunctus est, & cum quieto, & tacito atq; modesto spiritu. *Homo cordis absconditus.*

II. Quem honorem viri impertiunt *uxoribus suis tanquam infirmiori vasculo* v. 7.? R. S. Hieron. l. 1. adversus Jovin. & Beda interpretantur, hunc honorem esse aut continentiam ab actu conjugali, aut usum moderatum. Et ideo subjunxit illud: *ut non impediantur orationes vestræ.* Ait autem, cohabitare viros secundum scientiam; id est, secundùm eam vitæ sanctæ formam, quam scientia dictat observandam: maximè cùm virorum munus sit, docere & regere uxores, & castitatis exemplo illis præire. Cùm igitur sciant viri, mulierem infirmum esse vasculum, debent illi abundantiorem honorem præstare. *Honor à viro præstitus uxori.*

III. Quibus spiritibus *in carcere Christus prædicavit* v. 19 ? R. Animabus omnibus captivis juxta illud Eccli 24. v. 45. *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam* *Spiritibus in carcere Christus prædicavit*

ſpiciam omnes dormientes: & quidem *ſperantes in Domino* (quales erant in limbo Patrum & in purgatorio) *omnes illuminabo* Zach. 9, v. 11. etiam lumine gloriæ, inquit Turrianus & plures alij, qui volunt exhauſtum tunc fuiſſe à Chriſto totum purgatorium. Non ſperantes verò, id eſt, damnatos arguam, increpabo & objurgabo, inquit Tirinus. Si omnibus animabus prædicavit tunc Chriſtus: *impijs ad judicium*, inquit Oecumenius, *pijs ad gloriam & ſalutem.* Neq; ijs ſolùm qui haud ita pridem in limbum deſcenderant, ſed & alijs omnibus, qui eò devecti erant jam olim, etiam ante diluvium, & quidem multis quoq; illorum, qui temporibus Noë *increduli fuerunt aliquando*, non credentes initio minis & prophetiæ Noë, quia *expectabant* ſibiq; pollicebantur longanimem *Dei patientiam*, quâ ùt antè per tot ſæcula, ſic etiam tum diſſimularet cum illorum ſceleribus: poſtea tamen cum ſenſerunt inundare diluvium, converſi ſunt, crediderunt & pœnituerunt, atq; ita licet aquis præfocarentur, ſalvati tamen ſunt, & ad limbum cum reliquis juſtis relegati, per Chriſtum jam à morte eò deſcendentem, cum alijs omnibus juſtis inde educti ſunt.

CAPUT IV.

Hortatur fideles, ut, abdicatis priſtinæ vitæ cupiditatibus, Chriſto paſſo ſe conforment, ſtudio mortificationis, orationis, fraternæ dilectionis hoſpitalitatis, patientiæ & magnanimitatis.

Mortuis evangelizatum eſt.

QUæſtio I. Quibus *mortuis evangelizatum eſt* v. 6. ? ℟ Patribus, Prophetis, alijsq; juſtis ad id uſq; tempus in limbo recluſis afferens illis pro vita piè antè peracta, lætiſſimum æternæ beatitudinis præmium; ita ut, licet illi *ſecundùm homines*, ſeu ab hominibus mundanis, *judicentur* & æſtimentur mortui eſſe *in carne*, & planè interiiſſe (ſecundùm Epicureos) ideoq; ſtulti fuiſſe, quòd, dum apud nos eſſent, carnis voluptates ſpreverint: tamen revera *vivant ſpiritu*, ſeu animâ *ſecundùm Deum*, id eſt, coram Deo, & in præſentia Divinæ majeſtatis, donati ab ipſo gloriâ æternâ. Subintelligendum relinquit Petrus vice verſa etiam impiis ante id tempus mortuis ſuum obtigiſſe judicium & tormentum in eodem illo Chriſti ad inferos triduano deſcenſu: ita ut, licet judicio Epicureorum cenſeantur planè interiiſſe, revera tamen igne infernali crucientur. ita ferè Suarez, à Valentia. à Lap. & alij.

Charitas tegit peccata.

II. Quomodo charitas tegit peccata? ℟ Charitas tegit injurias & peccata, ſicut emplaſtrum tegit plagas & vulnera eis medendo eaq; curando. Tegere ergo peccata eſt ea involvere, alligare, ungere, cataplaſmare ad ſanandum. Qui ergo diligit, eſt quaſi chirurgus alligans & ſanans emplaſtro amoris & amantis correptionis omnes offenſas, lites, animæq; plagas. Sic Deum tegere peccata quaſi emplaſtro, ut ea ſanet & curet, docet S. Aug. in pſ. 31. concione 2. Deus, inquit, tegat vulnera tua. Medicus tegat & curet: emplaſtro enim tegit: ſub tegmento medici ſanatur vulnus.

Peregrinari in fervore quid.

III. Quomodo intelligendus v. 12. *Nolite peregrinari, in fervore, qui ad tentationem vobis fit, quaſi novi aliquid vobis contingat?* ℟ Græcè habetur, nolite admirari, nolite æſtimare rem peregrinam, quòd multa adverſa vobis, quaſi Dei ſervis obtingant & ingruant. Nolite ait Oecum. hoc ab amicis Dei extraneum ducere, cùm hoc eis proprium & glorioſum ſit, quòd ùt aurum igne tribulationis probentur, & illuſtrentur, quodq; Chriſto parenti conformentur, ut eidem reſurgenti configurentur.

Judicium à domo Dei

IV. Quomodo *tempus eſt, ut incipiat judicium à domo Dei?* ℟ Tempus commodum & opportunum eſt exercendi in eos judicij ac punitionis, quæ manet omnes omnino homines etiam juſtiſſimos, ob levia quædam peccata, quæ ſinguli aliquando patrârunt: hæc ſuaviſſimè ac convenientiſſimè puniuntur, eluuntur, delentur per afflictiones hujus vitæ, quarum immiſſione juſtus judex inchoat judicium ſuum à domo ſua, ut illam priùs emundet, quàm ad impiorum & infidelium domos excutiendas, judicandas & puniendas ſe accingat. Priùs, inquam, non tempore, ſed providentiâ & curâ, quâ præ omnibus invigilat electis ſervis & filiis familiæ ſuæ. Jam verò ſi tam grave, tam durum eſt initium judicij, quod per tot flagella & tormenta hujus vitæ *primum à nobis*, qui chariſſimi ejus filij ſumus, depoſcit & inchoat, qualis erit progreſſus, & quàm horrendus *finis* & cataſtrophe eiusdem judicii, quod ſummo rigore exercebit in impios & infideles juratos hoſtes ſuos? Si divina juſtitia & ira, cùm primùm movetur & incitatur, tantas calamitates irrogat, quâ tandem vi & impetu in fine motus ſui contra impios rapietur & deſæviet inquit S. Greg. l. 26. mor. c. 18. Si tam ſeverè flagellantur filii, quid debent ſperare ſervi nequiſſimi? inquit Aug. in pſ. 93. v. 20.

CA-

CAPUT V.

Pastores Ecclesiæ monet, ut gregem Christi fideliter pascant, non turpis lucri gratiâ, neq; ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. Adolescentibus commendat subjectionem: omnibus inculcat humilitatem, æquanimitatem, sobrietatem, & adversùs dæmonum insidias vigilantiam. Deniq; consueta salutatione & gratiæ apprecatione concludit epistolam.

QUæstio I. Quos vocat seniores v. 1.? R Non tam ætate, quàm dignitate vocat Episcopos & presbyteros, quibus commissum erat regimen Ecclesiarum. Compellat enim Sacerdotes & Episcopos, quasi Ecclesiæ pastores, eisq; jubet, ut strenuè pascant gregem fidelium sibi à Deo commissum; quibus proinde ideam vitæ pastoralis paucis, sed nervosè præscribit. Modestiæ causâ vocat se consenioren, non Pontificem, sed compresbyterum, quem secuti summi Pontifices in suis epistolis & Bullis Episcopos vocant fratres & Coepiscopos. Hi enim ipsis in Episcopatu, putà in potestate ordinis, sunt pares, licet jurisdictione impares. *Episcopi sunt seniores.*

II. Quomodo Petrus fuit communicator gloriæ Christi? R S. Hieron. legit ep. 85. *particeps* ex græco; Syrus, *consors & participator* scil fuit, tum in monte Thabor, ubi Christum in gloria transfiguratum cum Joanne & Jacobo conspexit, ita Lyran. & Cajet. tum in Christi Resurrectione, Ascensione & Missione Spiritûs Sancti, hæc enim oculis suis intuitus est, indeq; miram hausit spiritûs dulcedinem, æquè ac gratiam. *Communicator gloriæ Christi.*

III. Quid est dominari in Cleris v. 3.? R Inter fideles, qui divisi in varios cleros, id est, sortes, & particulares congregationes seu parœcias, verè sunt clerus, & sors hæreditaria Christi, ita Syrus, Oecum. & alii. Licet S. Hieron. Ephrem, Bern. ep. 237. & septima synodus Generalis canone 4. id accipiant de Clero Ecclesiastico in varios ordines & gradus distributo, cui soli nomen Cleri ex usu loquendi jam ut proprium adhæsit, idq; meritò: nam ut in veteri testamento Levitæ ideo vocabantur *Clerus*, id est, sors & hæreditas Dei, eò quòd primitias, decimas & oblationes Deo dicatas ipsi quasi domestici & ministri Dei reciperent, ita & in novo testamento eos, qui in Levitarum locum successerunt, eandem ob causam eodem nomine compellari decebat. *Dominari in cleris.*

IV. Quid per *Babylonem* intelligit v. 13.? R Romam, Babyloni antiquæ quoad amplitudinem, magnificentiam & splendorem imperii, quo ad multitudinem, varietatem & confusionem (hoc enim significat Babel) nationum, idolorum, vitiorum, spoliorum, & opum totius mundi simillimam, ut pulchrè demonstrat Orosius, & unaminiter asserunt Patres & Doctores Orthodoxi apud Bellarm. l. 1. de Pontif. Riberam, Pererium & Alcazar in Apocal. 17. & 18 Quod si Joanni licuit sic illam nominare, cur non idem licuit & Petro? Easdem enim ob causas noluit uterq; nomen Romanæ urbis disertè exprimere, ne si literæ istæ in manus gentilium incidissent, Ecclesia Romæ collecta in odium & in periculum induceretur, & auctor literarum in notitiam & in manus tyrannorum deveniret. *Babylon est Roma.*

EPISTOLA II. S. PETRI.

CAPUT I.

Precatur fausta omnia fidelibus, docetq; per Christum (cujus gloriam mirificè extollit) maxima pretiosissimaq; dona nobis cælitus obtigisse: ideoq; par esse, ut non ampliùs carnalem, aut mundanam, sed cælestem vitam vivamus, omnibus virtutibus instructam. Sibi utpote oculato teste gloriæ Christi, & propediem hinc in cœlum demigraturo, fidem meritò habendam, & bene monenti obsequendum.

QUæstio I. Quomodo Asianos vocat coæqualis secum fidei v. 1mo? R Facit id honoris gratiâ, q. d. Etsi gradu, ordine & officio sim omnibus superior, utpote caput & Pontifex totius Ecclesiæ, tamen pares mihi estis in fide & religione cæterisq;, quæ ex fide exsurgunt. Quod intellige de essentia fidei cæterarumq; virtutum & gratiarum: Nam quoad intensionem & extensionem, certum est magnam esse dissimilitudinem. Porrò fidem & gratias omnes sortiti sumus *in justitia*, id est, per justitiam *Christi*, seu per ejus merita, ut S. Prosper lib. de vocat. gentium c. 23. Vatab. & alii exponunt, *Asiani coæqualis fidei cum Petro.*

II. Quo-

Consortes divinæ naturæ.

II. Quomodo possumus *consortes* effici *divinæ naturæ* v. 4 ? ℟ Non essentialiter (quod solis tribus personis SS. Trinitatis convenit) neq; hypostaticè, seu personaliter (quod humanitati Christi proprium est) sed accidentaliter: nam gratia sanctificans, accidens est, à Deo animæ infusum, nempe qualitas adeo nobilis ac sublimis, ut ordinem naturæ tum humanæ, tum Angelicæ, prorsus excedat, cujus hi sunt effectus, quasi formales, sanè nobilissimi. *Primus* expulso omni peccato mortali, facit hominem justum, rectum, Sanctum. *Secundus* facit gratum Deo, ejusq; amicum. *Tertius*, facit filium Dei adoptivum & hæredem cæli. *Quartus* dat jus ad hæreditatem & gloriam æternam. *Quintus* per septem dona Spiritûs Sancti, & per virtutes partim Theologicas, partim morales, supernaturales (quas ut comites secum adducit) disponit mentem omnesq; potentias animæ, ut Deo legiq; divinæ conformentur. *Sextus* facit opera nostra satisfactoria pro præteritis culpis, & meritoria augmenti gratiæ & gloriæ. *Septimus* elevat hominem ad statum & ordinem supernaturalem etiam Angelico superiorem, putà ad ordinem & statum divinum, adeo ut fiat socius, consors & particeps divinitatis. *Octavus*, non sola dona Spiritûs Sancti, sed etiam ipsissimam personam Spiritûs Sancti, & consequenter totam SS. Trinitatem, non objectivè tantùm, sed & subsistantialiter ita adnectit uni animæ, ut, si per impossibile non esset ubiq;, neq; fuisset antea illi præsens, jam realiter illi præsens fieret, in eaq; quasi in templo, palatio ac thalamo suo substantialiter inhabitaret, ac quasi cum sponsa deliciaretur, longè arctiori vinculo illam sibi annectens, quàm sit vel vinculum matrimoniale conjugum, vel naturale animæ & corporis. Ita Suarez l. 12. de Deo trino & uno c. 5. n. 11. & 12.

III. Quid ex v. 10. & 11. colligendum? ℟ Colligendum contra Lutherum, Calvinum aliosq; hæreticos *Primò* hominem esse liberi arbitrii etiam in operibus supernaturalibus.

Electio ex præviſis meritis.

Secundò fideles & justos non esse certos de sua perseverantia & salute, ut definit Trident. Sess. 6. Can. 23. *Tertiò* electionem absolutam ad gloriam fieri à Deo ex prævisis cujusq; meritis. *Non enim* inquit S. Amb. l. 5. de fide c. 5. *antè prædestinavit, quàm præsciret: sed quorum merita præscivit, eorum præmia prædestinavit.* Vide Molinam in 1. p. q. 23. Vasquez, à Valent. Lessium & alios. Qui hinc docent tam prædestinationem quàm reprobationem non minùs, quàm electionem, seu ad justitiam seu ad salutem, pendere ex prævisione cooperationis nostræ futuræ. Cùm autem cooperatio nostra pendeat ex arbitrio & libertate nostra, consequenter docent, etiam in nostra potestate & arbitrio, Divinâ gratiâ prævento esse, facere, ut simus justi, electi, prædestinati, vel ut non simus. Si enim velim gratiæ mihi à Deo sincerè ad salutem procurandam datæ cooperari usq; ad finem vitæ, sicut possum & debeo, sum, fui & ero prædestinatus: sin nolim, non sum, non fui, non ero prædestinatus: neq; enim Deus prædestinavit, nisi quos prævidit sic gratiæ cooperaturos: neq; reprobavit, nisi quos prævidit non cooperaturos.

IV. Quid colligendum ex v. 15. *Dabo autem operam* etiam *post obitum meum vos*, in mente & memoria mea apud Deum *habere* idq; *frequenter?* ℟. Colligendum cùm tantam gerat S. Petrus, aliiq; Sancti in cœlis curam Ecclesiæ in terris, meritò à nobis invocari debere.

V. De quibus fabulis loquitur v. 16.? ℟. Quales finxerunt Gentiles Philosophi de Metamorphosi Deorum suorum; hæretici quoq; ùt Simon Magus, prædicans se in Judæa apparuisse ut Dei Filium, in Samaria ut Patrem, in reliquis Gentibus, ut Spiritum S. teste Irenæo l. 1. Similes vel majores etiam fabulas etiam commenti sunt Valentiniani, Gnostici. Ego autem Christi Dei veram incarnationem & personalem præsentiam indicavi vobis.

CAPUT II.

Monet cavendum à pseudo prophetis, Prophetarum æmulis & hostibus, putà hæreticis, quorum graphicè describit malignitatem, & perversos mores, & punitionem cœlitus imminentem.

Pseudo-Prophetæ.

Quæstio I. Qui fuerunt *in populo* Hebræo *pseudo-prophetæ*, & qui postea *Magistri* mendaces v. 1. ? ℟. In populo fuerunt falsi vates, qui populum à cultu Dei, à vera fide, & à studio virtutum ad vitia, ad apostasiam, ad idola sevocabant, iiq; partim antiqui, ut Baal, Sedecias, Hananias & alii: partim recentes, ut Judas Galilæus, Theodas & alii, de quibus Josephus, & Eusebius. Simili modo etiam *in vobis*, seu in Ecclesia Christi paulatim exsurgent magistri Act. 20. v. 30. mendaces, qui clàm, furtim & subdolè introducent (simulatâ pietatis ac reformationis specie ac larva) *sectas perditionis*, id est, perditissimas seu pernicioſissimas, quæ homines, Resp. & regna integra perdant & in exitium trahant. Talis erat tum temporis Simon Magus, ejusq; discipulus Menander, dein Nicolaus, Saturninus, Basilides, Ebion, Cerinthus. Mox succesſe-

runt

runt Gnostici Valentiniani, Montanistæ, Marcionistæ, & tot alia monstra.

II. *Quem Dominum, qui emit eos, negant?* R. Christum, qui suo sangvine eos redemit, quod est extremæ ingratitudinis æquè ac dementiæ. Et licet non semper verbo negent, negant tamen reipsa, blasphemando ipsum, vel certè debito honore spoliando, quod in omnibus hæreticis, etiam nostri temporis animadvertes, qui lingvâ & calamo, plura dogmata blasphema in Christum, in Christi familiam, etiam cœlestem evomunt.

III. Quomodo Deus tradidit Dæmones in novissimum judicii diem *cruciandos reservari* v. 4.? *Dæmones cruciantur* R. Putant aliqui necdum cruciari damnatos, seu homines seu Dæmones, ignibus gehennæ; sed reorum instar, acceptâ jam damnationis sententiâ, adservari in infernali carcere, ut tempore extremi judicii educantur ad supplicium. S. Bonav. in 4 dist. 47. a. 1. q 4 vult saltem partem aliquam, etiam essentialis pœnæ Dæmonum in diem extremi judicii differri. Sed hæc ab omnibus aliis Patribus & Doctoribus passim improbantur: & certum est Dæmones omnes, etiam qui in hoc orbe vagantur, igne infernali ex nunc cruciari; qui enim potuit illos ex cœlo detrahere, facilè potest eosdem in âëre hoc degentes torquere, Deo præter naturam applicante vim illorum sensitivam, ut ustionem ignis etsi distantis sentiant, tanquam sibi noxiam & se excruciantem. Et cur pœna essentialis differatur promeritis illam jam pridem, & extra viam in termino positis. Deniq; hic error damnatus est in Conc. Florent. & alibi sæpius. S. Petrus verò suprà dictis verbis tantùm vult, illos ad solemnem extremi judicii actum ideo asservari, quia tunc nobis & toti reliquo orbi palàm innotescet illorum judicium, damnatio & supplicium, quod nunc nos latet: ac proinde respectu nostri tunc primum subibunt promeritum supplicium, licet in se ipsis & respectu Dei, & aliorum qui illos vident, jam pridem illud subîerint.

IV. Cur *Noë* dicitur *octavus justitiæ præco* v. 5.? *Noë octavus justitiæ præco.* R. Non quòd incipiendo ab Adam & descendendo ad alias generationes, fuerit Octavus: nam revera decimus fuit, ût habes Gen. 5. & Luc. 3. sed quòd octo tantùm homines diluvium per arcam evaserint: & ita fuit octavus, non respectu præconii, sed respectu salutis aliorum, quam cum septem aliis consecutus est. Dicitur autem justitiæ præco: non tantùm quòd verbo, sed etiam vitæ exemplo alios bene vivere admoneret & hortaretur eos ab impietate discedere, cùm jam arcam fabricaret.

V. Quid est, *ubi Angeli fortitudine, & virtute cùm sint majores, non portant adversùm se execrabile judicium* v. 11.? R. Angeli millecuplo potentiores, quàm homines blasphemantes, non audent blasphemare. Judæ v. 9. & Dan. 10. v. 5. &c. id est, malum à Deo imprecari seu Dæmoni, seu aliis impiis, licet blasphemis, & execratione dignissimis. Cùm enim ipsi sint Spiritus Sanctissimi, simul & purissimi, horrent *portare adversum se execrabile judicium*, id est, horrent vel solâ voce usurpare verbum maledicum vel execratorium, ne videantur vel per umbram, os suum Angelicum contaminare. ita Salmeron, à Lapide & alii.

CAPUT III.

Horrorem extremi judicii, contra Gnosticos aliosq; hæreticos, id negantes, acriter inculcat differri quidem ad tempus, sed non fore longam moram: differri autem, ut spatium detur peccatoribus pœnitendi & saluti suæ consulendi. Quod idem ait etiam S. Paulum in suis Epistolis inculcâsse, in quibus dicit, quædam reperiri difficilia intellectu & ab hæreticis depravari. Deniq; monet omnes, ut in fide & gratia Christi fortes persistant, & crescant in dies.

Quæstio I. Qui sunt illi venturi *illusores* v. 3.? *Illusores venturi.* R. Qui negabunt secundum Christi adventum ad judicium: quâ portâ apertâ, actum est de omnibus; quia ablato judice, qui post hanc vitam actionum nostrarum rationem reposcat, quiq; benefacta remuneret, & flagitia pœnis condignis plectat, nulla erit ratio revocandi homines à teterrimis peccatis ac sceleribus, aut perducendi homines ad meliorem frugem. Agnoscens enim Satanas aucupium innumerabilium animarum, quas in naslàm æternæ damnationis pertrahere possit, mentitur & docet nullum futurum judicium.

II. Quis est sensus v. 4. *Ubi est promissio aut adventus ejus?* R. Ubi tardat, & quando erit adventus Christi ad judicium toties promissum & inculcatum? quasi dicant, nunquam adveniet: meræ fabulæ sunt resurrectio corporum, animarum immortalitas, judicium, gehenna, vita æterna. Sic sentiebant tempore S. Petri, non modò Sadducæi Act. 23. v. 8. sed & Hymenæus & Philetus, quos S. Paulus 2. Timoth. 2. v. 17. ideo tradit Satanæ, & postea plures alij. Sed plures erunt sub finem mundi, qui Duce Anti-

christo, atheismum, & epicureismum publicè proclamabunt. ut Daniel c. 11. v. 37. & S. Paulus 2. Thessal. 2. v. 4. futurum prædixerunt.

III. Quomodo *ex quo Patres* nostri Adam, Noë, Abraham &c. *dormierunt*, id est, mortui sunt, *omnia sic perseverant*, sicut *ab initio* creationis erant? ℟ Volunt dicere, ex tam diuturna rerum omnium constantia præsumere possumus, mundum semper duraturum, ut proinde de occasu ejus, & futuro judicio non debeamus esse soliciti. Sed fatui non advertunt, quòd creaturæ sicut initium & omne esse suum acceperunt à Deo, ita ab eodem accepturæ sint finem singulis præstitutum, ut clamant omnes scripturæ.

IV. Quomodo hos impostores *latet hoc volentes, quòd cœli erant priùs & terra de aqua & per aquam consistens Dei verbo?* ℟ Latet hoc volentes & studio dissimulantes veritatem sat alioqui cognitam. Quòd enim non omnia eodem modo semper permaneant, quo fuerunt ab initio creata à Deo, ut fingunt isti illusores; vel ex eo patet, quòd mundus iste, id est, cæli & terra semel perierint diluvio, & iterum perituri sint igne conflagrationis in fine mundi: nullo alio id causante, quàm *Verbo*, id est, jussu seu nutu *Dei*, quo sicut *cæli de* seu ex *aqua*, *& terra per aquam*, seu inter aquam illi immixtam ab initio firmiter & solidè *consistunt*, ita per eandem aquam, quasi divinæ justitiæ administrum tempore diluvii omnia inundantem perierunt. ita S. Aug. Salmeron, Lessius & à Lap. qui rectè notat, *cælos*, cùm hîc dicuntur periisse diluvio, non secundùm se totos accipi debere, sed tantùm secundùm partem suam infimam & citimam terræ, putà aërem mediæ & infimæ regionis aqua enim diluvij excessit quindecim cubitis omnes montes Gen. 7. v. 20. ac proinde etiam mediam attigit regionem aëris.

V. Quomodo cæli transituri & commovendi, immutandi, dissolvendi, arsuri & perituri dicuntur? ℟ Secundùm partem sui superiorem, seu quo ad cælos sidereos in majorem lucem & gloriam transferentur: quo ad inferiorem verò sui partem, nempe quo ad cælos aereos, tam spissis nubibus, tam horrendis tonitruis, fulgetris, cometis, stellis cadentibus, aliisq; meteoris, procellis, tempestatibus perturbabuntur, ut ipsi etiam supremi cæli ardere, & è suis cardinibus convelli, subrui & evanescere videantur.

VI. Ubi parvuli sine baptismo defuncti suam habitationem habebunt post extremum judicium? ℟ Multi putant, eam habituros in terra, quam dicunt novis rursum, & qui nunquam marcescent floribus odoriferis, gemmis, arboribus, fontibus, aliisq; ornamentis perpetuò decorandam. Ex quo loco poterunt parvuli illi meliùs, commodiusq; contemplari solem, cælos, astra, mare, cæteraq; creata, ut ex iis ad Deum amandum, laudandumq; assurgant, & vitam sine mœrore, tœdio vel otio æternùm transigant.

EPISTOLA S. JOANNIS APOSTOLI PRIMA.

CAPUT I.

Divinum Verbum incarnatum ait Apostolus à se visum, auditum & manibus contrectatum: docetq; cum illo & per illud nos sociari Deo, qui lux est planè expers tenebrarum, quam sectari omnes debeamus: neminem à peccato immunem esse, sed emundari per sanguinem Christi.

Verbum vitæ.

QUæstio I. Quid est, *annuntiamus vobis de Verbo vitæ?* ℟. Syrus vertit Verbum vitæ. Sic Joel 2. v. 28. Hebraismo dicitur: *effundam de spiritu meo*, id est, spiritum meum. Ps. 72. v. 15. *Dabitur ei de auro Arabiæ.* vocatur Verbum vitæ, tum quia essentialiter in seipso est vita, continens formaliter in se vitam infinitè perfectam, eminenter omnem creatam vitam: tum quia fons est & causa omnis nostræ vitæ, seu naturæ seu gratiæ seu gloriæ. Primis igitur hujus epistolæ & Evangelii sui verbis astruit Apostolus Christi divinitatem contra Cerinthum & Ebionem: aliis mox sequentibus, contra Basilidem probat Christi humanitatem, non phantasticam, sed realem.

Vita æterna & increata.

II. Quæ *vita æterna* & increata, quæ erat apud Patrem? ℟. Verbum seu Filius, qui ab æterno absconditus latuit in sinu Dei Patris, tandem in fine sæculorum per incarnationem se mundo manifestavit, & hominibus aspectabilem in carne & tractabilem præbuit: & nominatim nos ejus discipuli toto triennio, quo ipsi conviximus, oculati testes sumus. Primò, veræ ac realis ejus naturæ humanæ, carnem ejus contrectantes manibus nostris, prædicationem ejus & oracula audientes; ambulantem, comedentem, omniaq; humana exercentem, videntes. Secundò Divinæ ejus naturæ nobis per certa & eviden-

evidentia signa manifestatæ, per vocem cœlestem in baptismo ejus & transfiguratione, per glorioſam à morte resurrectionem, in cœlos ascensionem, & per innumera miracula, quæ ad divinitatem ejus comprobandam, tum per se, tum per nos patrantem vidimus. Hujus tam certæ, tam testatæ veritatis vos participes reddidimus, lætum incarnati, passi, redivivi Verbi nuntium vobis prædicando, afferentes.

III. Contra quos agit v. 8. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus?* R. Contra Gnosticos & Simonianos, ac similes illius temporis, asserentes non nisi infidelitatem esse peccatum, & ideo fideles peccare nunquam, quomodocunq; vivant. Cui consentit Lutherus & Libertini. Hæc autem deceptio est, inquit: nam in venialibus ferè semper sumus; vel ad ea ita faciles sumus, ut videamur semper esse. Unde meritò Trident. sess. 6. can. 23. *Si quis hominem semel justificatum dixerit, posse totâ vitâ peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio (quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia) anathema sit. In multis enim offendimus omnes* Jacobi 3. v. 2. Et, *Septies in die cadit justus.* Prov. 24. v. 16. Et, *Non est justus in terra, qui non peccet.* Eccles 7. v. 21.

CAPUT II.

Monet fideles, ut in Societate, quam inierunt cum Deo, constanter persistant, cavendo in posterum à peccatis, & Dei præcepta, maximè charitatis, studiosè complendo. Singulas hominum ætates instruit, & ad Dei amorem ac mundi fugam accendit: monet, ut hæreticos, quasi Antichristos execrentur, fidem verò & gratiam Dei diligentissimè foveant, & conservent.

Christus in cœlo advocatus.

Quæstio I. Quomodo Christus in cœlo est advocatus seu patronus & interceſſor noster? R. Non solùm objectivè vel interpretativè, scilicet exhibendo suas plagas & sua merita conspectui Divino, sed etiam formaliter & propriè dicta oratione orat & interpellat pro nobis, ut ipsemet se facturum promisit Joan. 14. v. 16. & etiam Paulus testatur Rom. 8. v. 34. Oratione, inquam, non quâ denuò mereatur, vel de novo impetret (quali orabat, dum adhuc esset viator in terris) sed quâ jam comprehensor postulat jus in vita antè promeritum, sibiq; promissum, ideoq; debitum, nempe gratiam nobis & salutem. Unde S. Joannes meritò vocat eum *advocatum, justum,* in quo nihil sit delicti, quòd retardare possit vel enervare patrocinium, & qui secum afferat pretium, quod ad obtinendam causam exigitur, adeo ut & ipse justè exigere possit, quod postulat.

II. Quomodo intelligendum illud v. 5. *In hoc scimus, quoniam* (quòd) *in ipso sumus?* R. In hoc scimus, quòd in ipso sumus, si videlicet verbum ejus servemus. Effectus enim & signum dilectionis, quâ adhæremus & copulati sumus Deo, est observatio legis ipsius. Porrò per charitatem sumus & manemus in Deo, & Deus in nobis eâ ratione, quâ amatum est in amante, & amans in re amata, magis enim est anima, ubi amat, quàm ubi animat: vicissim Deus se amantes, sibiq; adhærentes redamat, inhabitat, curat, dirigit, protegit. Unde Hugo sic explicat. q. d. Qui amamus Christum, sumus in Christo, sicut membra sunt in capite, & sicut id, quod regitur est in regente, nempe regimine peculiari & sancto.

III. De quo non novo sed vetere mandato loquitur v. 7.? R. De mandato dilectionis Dei & proximi, in hac enim includitur observatio mandatorum omnium, de qua sermo præcessit. Vocat hoc vetus, non novum, quia datum fuit Judæis in veteri testamento Lev. 19. 18. imò datum fuit Adæ & omnibus hominibus in lege naturæ, æquè ac Angelis ab initio creationis suæ. Est enim hoc mandatum juris naturæ, dictatum à ratione & lege æterna, quæ fuit in mente Dei ab æterno.

IV. Quomodo ergo dicit v. 8. *Iterum mandatum novum scribo vobis* v. 8.? R. q. d. Iterum inculco vobis jam quidem antiquum, olim verò novum mandatum dilectionis & observationis mandatorum Dei, quod desuetudine & naturæ corruptæ vitio antiquatum, Christus renovavit & auxit, nobisq; identidem in memoriam revocare & invocare præcepit. Alludit, imò citat illud Christi Joan. 13. 33. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Novum dicitur, quia novi testamenti præcipuum, & præcipuè à Christo verbis & exemplis commendatum est præceptum non timoris, uti olim apud Judæos, sed dilectionis, illudq; explicatius (ut patet Matth. 5. 38. & Joan. 14. 15. & 16.) arctius & firmius quàm anteà fuerat, ac proinde novum nobis tradidit Christus.

V. Quomodo intelligendum illud v. 8. *Quod verum est & in ipso & in vobis?* R. Quod, id est, quæ res, putà novum hoc dilectionis mandatum, locum habet tam in Chri-

sto, quàm in vobis, tum quia mandatum est, tum quia practicatum & executioni datum: quia sicut Christus ùt caput Ecclesiæ summè amat Christianos, quasi membra sua, ita ipsi se invicem summè ut commembra amare debent, (ac reipsa amant) atq; Christum in hoc amore imitari, ut sicut ipse mandato Patris nostro se totum impendit amori, ita & nos vicissim totos amori Dei, Christi, & Christianorum impendamus.

VI. Quam dat causam talis amoris? ℟. *Quia tenebræ* (ignorantiæ, concupiscentiæ, peccatorum æquè ac umbrarum, timoris & cæremoniarum veteris testamenti) *transierunt: & verum lumen jam lucet*, putà lumen Evangelij fidei, gratiæ, amoris, omnisq; sanctitatis. Simili modo ait Paulus: *Nox præcessit, dies autem appropinquavit.* Rom. 13.12. Et: *Eramus aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Eph. 5. 6.

Hora novissima.

VII. Quæ est *hora novissima*, & qui *Antichristi* v. 18.? ℟. Hora novissima mundi, est tempus novissimum: quo tempore Antichristum venturum sæpiùs audîstis. Atqui plures jam Antichristi, id est, seductores & impostores antidici, & hostes Christi, prodromi magni Antichristi, Ebion, Cerinthus, Basilides, Menander, & alii Simonis Magi asseclæ in lucem prodierunt, quod signum est, mundum jam senuisse, & ad finem vergere. Ætas enim mundi postrema scatebit seductoribus & impostoribus, donec tandem cum capite & principe omnium seductorum Antichristo propriè dicto, finem accipiat. Hæc itaq; mundi hora, seu ætas, etsi novissima sit, quam nulla alia ætas subsequetur, tamen instar præcedentium ætatum, magnam admittit latitudinem. Quod cùm primævi fideles, ùt & S. Cyprianus, Lactantius, Hieron. Greg. & plures alii Patres non sat adverterent, putabant suo ævo instare finem mundi. Sed inter prodromos seu prænuntios, & adventum regis, quem prænuntiant, sæpe magnum est intervallum, ùt patuit in penultima & antipenultima mundi ætate inter Prophetas & Christum.

Unctio docet omnia.

VIII. Quæ est *unctio*, quæ docet omnia v. 20.? ℟. Est gratia & sapientia data à Spiritu Sancto, per quam noscuntur omnia ad fidem & pietatem Christianam spectantia. Sicut enim unctio, id est, gratia & sapientia, quam olim in unctione recipiebant reges, docebat eos rempubl. regere, Prophetas prophetare, sacerdotes sacra tractare & docere: ita unctio, id est, gratia & sapientia Spiritûs Sancti, quam vos etiam in unctione baptismi & Confirmationis accepistis, docet vos, ô Christiani, omnia, quæ ad fidem & mores Christianos pertinent: ita S. Cyrillus, Irenæus, Gregorius & alii. Omnia ergo non designant hìc quæcunq; sciri possùnt (nam ne quidem Apostolos docebat unctio sic omnia) sed quæcumq; circa fidem & mores scire Christianos oportebat.

CAPUT III.

Inæstimabile Divinæ adoptionnis & ex Deo nativitatis beneficium extollit, & ad illam retinendam media præscribit. Primum, fugam peccati, & studium sanctitatis. Secundum amorem fraternum, & reliquorum mandatorum Dei custodiam: quæ qui observat, omnia quæ à Deo postulat, impetrabit.

Similes erimus Deo.

QUæstio I. Quomodo *similes erimus Deo* v. 2.? ℟. Non naturâ, sed qualitate, felicitate, splendore, & gloriâ æternâ. *Erimus* Gen. 3. v. 5. enim *sicut Dii*, quoniam *videbimus eum non per speculum vel ænigma, sed sicuti in se est, & facie ad faciem.* Qui verò Deum videt, speciem Dei expressâm in mente sibi efformat, putà verbum mentis, quod Deo simile est, & ipsum repræsentat ad vivum. Sed erimus insuper ei similes in animæ & corporis puritate, in impeccabilitate, immortalitate, impassibilitate, possessione & fruitione ejusdem infiniti boni &c.

Natus ex Deo non potest peccare.

II. Quomodo *qui natus est ex Deo*, id est, Dei filius & justus est, *non potest peccare* v. 9.? ℟. Non potest peccare graviter & mortaliter, putà in sensu formali seu quantum est ex vi illius statûs, qui, quia *semen Dei* est, id est, gratiam tum habitualem, tum actualem, ex quibus quasi ex cœlesti semine pullulant omnis generis virtutes (ut Lyran. Cajet. & Hugo exponunt) continet, reddit justum, quamdiu in eo statu permanere voluerit, impeccabilem modo jam dicto: sicut status innocentiæ reddebat Adamum immortalem. Sed sicut potuit Adam libertate arbitrij sui peccare, & peccando deserere statum innocentiæ & sic mori: ita potest eadem libertate justus deserere ac negligere semen Dei, & ita peccare, & peccando statu justitiæ excidere. ita S. Aug.

Qui odit fratrem homicida est.

III. Quomodo *qui odit fratrem suum, homicida est.* v. 15.? ℟ Si non actu & opere, certè affectu & voto: difficillimum enim est, ut quem oderis, superesse velis. Sic Christus ait Matt. 5. 28. eum qui concupiscit uxorem proximi, adulterum esse, quia mœchatur eam in corde suo. Ita S. Hieron. & alij. Actu quoq; est spiritualis homicida sui ipsius: privat enim se gratia Sanctificante, in qua vita animæ consistit, & per quam solam

lam obtinetur vita æterna: *ita non habet vitam æternam* per semen gratiæ *in semetipso manentem*: sed reservat in se semen mortis æternæ ac gehennæ, odium proximi.

IV. Quo sensu dicitur v. 20. *Quoniam si reprehenderit nos cor nostrum: major est Deus corde nostro, & novit omnia?* ℟ Si reprehenderit nos cor nostrum, scil. diligere nos proximum solâ linguâ, non etiam opere & effectu, esto idipsum exteriùs dissimulemus, & contrarium jactemus; frustra facimus, quia Deo imponere nunquam poterimus. Si enim hypocrisim tuam non potes celare cor tuum, quomodo celabis eam Deum, qui *major* altior, profundior *est corde tuo & novit omnia* in eo absconsa, magisq; præsens illi est & intimiùs pervidet, quàm tu possis ipse? Si ergo tuummet cor, seu conscientia te reprehendit & condemnat, quantò magìs reprehendet & condemnabit te Deus, præses & judex conscientiæ suæ.

CAPUT IV.

Docet discernendos esse spiritus, an veritatis sint, an erroris: prolixè commendat charitatem, cujus præcipuos fructus & effectus recensct.

Quæstio I. Quid per spiritum intelligit v. 1. *Nolite omni spiritui credere*? ℟ Spiritum vocat inspirationem, suggestionem, impulsum, suasionem, doctrinam: vel, si mavis, ipsum magistrum docentem, suadentem, inspirantem &c. Alludit verò ad nautas, qui non omni spiritui, id est, non cuivis vento, credunt aut obsecundant, nisi velint in syrtes, scopulosq; , certumq; exitium agi.

II. Quid est: *Omnis spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est* v. 3. ℟ Jesus est, quid colligatum & compositum ex divino supposito & humana natura per vinculum unionis hypostaticæ, & inseparabiliter illi adnexum est imperium totius universi, & dignitas mediatoris, doctoris & legislatoris independens ab omni creatura. Quicunq; compositum hoc solverit, negans vel Jesum esse Deum (ut Cerinthus, Ebion, Menander, Carpocrates &c. alij) vel esse verum hominem (ut negavit Simon Magus, Eutyches, Manichæus, Dioscorus &c.) vel unicam esse personam (ut Nestorius) vel meritum & gratiam ejus non esse necessariam (ut Pelagius) vel leges ipsius, doctrinam & instituta contemnens (ut contemnunt omnes hæretici) non est ex Deo, sed ex diabolo. *Spiritus solvens Jesum, ex Deo non est*

III. Quid nobis Deus *de spiritu suo dedit* v. 13.? ℟ fidem, gratiam & charitatem, quæ ut sunt dona Spiritûs Sancti, ita quando illa in nobis experimur, sentimus Dei (qui author & donator illorum est) in nobis præsentiam, munificentiam & affectum, seu charitatem erga nos.

IV. Quomodo *Deus charitas est*? ℟ Deus charitas est formalis in se, causalis in nobis, quia scilicet eam causat & producit in nobis: in se autem est formalis charitas duplex. Prima essentialis, quæ communis est toti SS. Trinitati. Secunda notionalis, quæ propria est Spiritui Sancto. Hic enim quasi amor notionalis procedit ex Patre & Filio per actum amoris, quo se invicem infinito amore diligunt. *Deus charitas est*, tum in abstracto, tum in concreto, quia tum est summa dilectio, tum summè diligens, ideoq; vicissim à nobis summè diligendus & redamandus. q. d. *Deus est charitas*, quia summè nos dilexit: nam hujus suæ charitatis evidentissimum dedit indicium, cùm pro nobis salvandis dedit, misitq; Filium suum unigenitum. Porrò ratio cur Deus per essentiam sit charitas, est, quòd ipse per essentiam sit purum, merum & summum bonum, cui natura est esse sui planè plenèq; communicativum & diffusivum, ait S. Dion. quod proprium est charitatis. Deus enim est mare mellis, putà oceanus bonitatis & charitatis. Deus est quasi ignis semper ardens, omnia accendens & in se transmutans. *Deus charitas est.*

V. Quis ille timor, quem pellit *perfecta charitas*. v. 18.? ℟ Timor servilis, scrupulosus, anxius non tam culpæ, quàm pœnæ, qui tristem reddit hominem & pusillanimem, oriturq; ex amore proprio, quem vincere & pellere debet amor Dei, ut olim Sara uxor Abrahæ expulit servam Agar, inquit Origen. Etsi enim timor pœnarum & gehennæ non sit malus, imò introducat charitatem, ut docet Trident. Sess. 6. c. 6. imperfectus tamen est, & non nisi famulus charitatis, quo facilè est carere, dominâ jam introductâ. *Timorem pellit perfecta charitas.*

CAPUT V.

Est epistolæ totius conclusio, in qua repetit, inculcat & confirmat, quæ hucusq; de fide & amore in Deum & in Christum & in proximos proposuit, cujus amoris etiam fructus & effectus enumerat.

Victoria mundi fides

QUæstio I. Quis est sensus v. 4. *Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra?* ℟. Victoria, id est, vincens & victor: proprie enim victoria non vincit, sed pugna vincentis, quæ victoriam parit; victoria ergo, id est, causa victoriæ, arma quibus comparatur victoria, est fides. Hæc igitur est victrix fides non nuda & otiosa, sed charitate & bonis operibus vestita, putà operosa, certans, & fortiter dimicans, juxta illud: *Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones* &c. Heb. 11. Fide enim credimus, vitam æternam esse summum bonum, pro quo omnia mala fortiter toleranda sint, & dimicandum contra omnes mundi tentationes usq; ad mortem & martyrium. Unde per fidem hanc, & spem tum divinæ opis & gratiæ Christi, tum mercedis & præmij gloriæ æternæ Martyres omnium tormentorum genera alacres & læti vicerunt.

Testimonium Christo perhibitū.

II. Quis est, qui venit per aquam & sangvinem? ℟. Messias, quem ut Prophetæ venturum, nostraq; peccata expiaturum partim aquâ, partim sangvine suo prædixerunt, ita jam venit & per aquam baptismi, & per sangvinem in cruce profusum expiavit, purgavit, redemit mundum. *Non in aqua solùm*, ut Joannes Baptista (cujus proinde baptismus inefficax fuit ad expianda peccata:) *sed in aqua*, simul & *in sangvine* suo & in spiritu (ut nonnulli Græci codices addunt) Baptismus enim à Christo institutus expiandi peccata vim habet à Spiritu Sancto ex merito sangvinis, id est, passionis Christi.

III. Quando Pater, Verbum & Spiritus S. Christo tanquam vero Messiæ & Filio Dei testimonium perhibuit? ℟. Primum fuit in baptismo Christi, quando instituente illo baptismum novæ legis conformiter prædictionibus Prophetarum Pater publica voce cælo proclamavit: *Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite*, & Spiritus Sanctus in columbæ specie super ipsum descendit. Secundum in passione, morte & Resurrectione Christi: Patre de cælo proclamante, *& clarificavi & iterum clarificabo*: Filio coram tribunali Judaico & Romano palàm contestante, se Messiam & Dei Filium esse, & mox consummante omnia, quæ Prophetæ Isa. 53. &c. de Messiæ passione morte & resurrectione prædixerant. Spiritu Sancto tot tamq; stupendis miraculis ac prodigiis corda etiam obstinatissima percellente. Tertium in Missione Spiritûs Sancti die Pentecostes, & deinceps in discipulos Christi & alios fideles, quando conformiter oraculis Prophetarum, & promissis Christi Spiritus Sanctus de cælo in forma linguarum ignearum à Patre & Filio missus toti orbi notum fecit Christum, uti ipse toties dixerat esse Dei Filium, Messiam & Salvatorum mundi. En tres cælestes ac divinos in unam hanc veritatem tam multiplici, tam certo, tam liquido testimonio conspirantes.

Testimonium Christo in terra.

IV. Qui sunt *tres, qui* Christo *testimonium dant in terra* v. 8. ℟. Aqua baptismalis emundans & extergens peccata: sangvis in morte profusus redimens mundum universum: & Spiritûs Sancti charismata tam profusè fidelibus communicata in Pentecoste & deinceps ita S. Aug. Amb. Glossa &c. Cùm enim hæc omnia non humanæ, sed divinæ sint virtutis, & tanquam Messiæ propria, per Messiam à Prophetis prædicta sint complenda, liquidò testantur Jesum, per quem completa sunt, esse illum, quem Prophetæ prædixerunt, Messiam & Filum Dei. Et hi tres in terra testes, *aqua, sangvis & Spiritus unum* quid *sunt*, nempe concordiâ testandi divinitatem Christi. Non igitur tam arcta unitate, atq; *Pater, Verbum & Spiritus*, qui unitate etiam naturæ unum sunt.

Peccatum ad mortem

V. Estne *peccatum ad mortem* v. 16.? ℟. Est sanè: nempe quod ob sui enormitatem & conjunctam obstinationem est quasi immedicabile, saltem juxta præsentem rerum statum, & communem Dei legem, & per ordinariam gratiam, quæ cælitus dari solet. Sicut vulnus vel morbus ad mortem vocatur; qui ægrotanti mortem corporalem viâ ordinariâ infert, cujus proinde desperata est curatio. Tale peccatum dici potest omne illud, in quo quis obstinatè perseverare intendit usq; ad mortem. Propriè tamen S. Joannes notat hîc Apostasiam à fide ad hæresim vel ad idololatriam. Quod ùt enorme peccatum est, ita, quia ex certa fit scientia & malitia, opponens se directè Christo & Deo, à quo solo speranda est curatio, meritò peccatum incurabile, ideoq; ad mortem vocatur: & sic etiam Christus Pharisæorum obstinatam infidelitatem vocat *peccatum ad mortem* Joan. 8. 24. Si non *credideritis, quia ego sum* Messias *moriemini in peccato vestro*. Et sic ferè hunc locum exponunt Orig. Cyprian. Hilarius, Hieron. S. Thom. Suarez, Valentia, à Lap. Alij putant esse peccatum ultimum, seu illud, quod

Mensura impleta.

statutam à Deo homini implet mensuram: mensurâ jam impletâ, qualecumq; demum id fuerit peccatum, jam non est locus veniæ, neq; conversionis, & super quatuor non convertam illum, & ideo vocat Joannes illud *peccatum ad mortem*. Quamvis enim omne peccatum mortale occidat animam, ex aliis resuscitari, & redire potest ad vitam, ex hoc verò minimè, ut expressè dicitur: & *dabitur ei vita peccanti non ad mortem*. Impletâ mensurâ vel statim aufert Deus peccatori vitam, vel gratiam ei subtrahit. Sic abstulit vitam Balthasari mensæ assidenti, numeravit, scribebat manus, posuit Deus rationem cum peccatis Balthasaris, & sicut eadem nocte ultimum commisit peccatum,

quo

quo determinatam sibi à Deo complevit mensuram, eadem quoq; nocte scripta est sententia: eâdem horâ apparuerunt digiti, & eadem nocte interfectus est, quando assedit mensæ, *inventus est minus habens:* adhuc unum deerat peccatum, complevit illud, quando vasa sacra ad profanos usus adhibuit, implevit mensuram & interfectus est. Sic Hebræus ille & Madianitis à Phinees actualiter peccantes interfecti sunt. Alij quidem non statim moriuntur, deseruntur tamen à gratia Dei, Oseæ 9. 12. *Væ illis, cùm recessero ab eis;* hoc væ sequitur judicium æternæ damnationis. *Dei secreto, & justo judicio,* inquit S. Isidor. *deseritur homo, & perdendus in potestate dæmonum relinquitur;* nam revera, quem Deus deserit, Dæmones suscipiunt.

VI. In quo consistit, quòd Deus animam derelinquat? Rdent aliqui, quòd in privando illam auxiliis etiam ordinariis in pœnam præcedentium peccatorum. Probant ex Isa. 5. v. 5. & 6. Sed magis pia est sententia, quòd Deus in nullo statu homini auxiliis sufficientibus desit. Heu quot adhuc inter nos vivunt & ambulant damnandi, non quia absolutè non possent, sed quia se convertere nolent. Peccatis tenentur constricti, quorum mensuram jam impleverunt, *funes peccatorum circumplexi sunt me.* Ps. 118. putant, quòd se expedient ab ultimo, sicut ab aliis, sed sua eos cogitatio decipit, sicut Sampsonem fefellit. Hic tribus vicibus funes Philisthæorum disrupit, verùm rasâ jam capitis cæsarie, quartâ, cum capturi adessent, putavit se similiter, ut antè, omnia vincula disrupturum, *nesciebat se à Domino derelictum* Iud. 16. 20. Deus dereliquerat Sampsonem, & quoniam eum dereliquerat, non se excussit ut antè, comprehenderunt eum Philisthæi, erutisq; ipsi oculis, molæ ad molendum applicuerunt. Idem accidit animæ à Deo derelictæ, capiunt ipsam Diaboli, possident, erutisq; sibi oculis ipsa cœca permanet, obstinata, & impœnitens, deducunt eam ad molendum, & ardendum in inferni molendino, cujus rota ex omni parte principium habere potest, & fine caret, quia æternitatis est rota.

Auxilia Deus dat sufficientia

VII. An peccata jam confessa & remissa etiam intrent in numerum ad implendam mensuram? R. Affirmativè, sicut dies, qui omnes transeunt, sive bene sive malè fuissent impensi, numerum mensuramq; implent vitæ. Sic peccata sive remissa, sive non, determinatum implent numerum, componendum ex omnibus peccatis, quæ quilibet committeret. *De propitiato peccato noli esse sine metu* Eccli. 5. 8. & quare, si jam remissum? quia licet sit remissum quo ad culpam, & fortè etiam quo ad pœnam, quantùm ad numerum & summam, quò jam intravit cum reliquis, sufficit fuisse peccatum, ut ad implendam concurreret mensuram: res est timenda & plena extremi discriminis, & ideo omne peccatum, quamvis nobis constaret esse remissum, summum nihilominus nobis incutere deberet timorem. *De propitiato peccato noli esse sine metu.*

Peccatum remissum timendum

VIII. An levius aliquod peccatum, quàm fuerunt antecedentia, possit numerum & mensuram implere? R. Affirmativè. S Paulus de Judæis conqueritur, quòd se persequerentur, & in evangelij prædicatione impedirent, cumq; illa persecutio 20. annis post mortem Christi vigeret, tamen dicit Apostolus, quòd per id mensuram peccatorum suorum impleverint, propter quæ penitus essent perdendi. 1. Thessal. 2. 15. & 16. *Qui Dominum Jesum occiderunt, & nos persecuti sunt, prohibentes nos gentibus loqui, ut salvæ fiant: ut impleant peccata sua semper; pervenit enim ira Dei super illos, usq; in finem.* Christi occisio maximum fuit peccatum, quod unquam fuit commissum, aut potuit committi, & persecutio Pauli, obexq; positus ipsius prædicationi, quamvis magnum foret peccatum, incomparabiliter minus erat illo; quomodo ergo idem Paulus inquit, mentionem faciens occisionis Christi, quòd persecutione sui mensuram peccatorum suorum implerent. *Ut impleant peccata sua,* quia ad implendam peccatorum mensuram necesse non est, ut peccatum implens majus sit aut æquale jam commissis, sed multò minus esse sufficit. In rebus aridis ultimum granum: & in liquidis, ultima gutta consummant mensuram, & non magnitudine & quantitate sua, sed quia sunt vltima. Sic se res habet in quolibet peccato, quatenus ex natura sua est mortale, ut timeamus omnes & singuli, neq; credamus majori, minoriq; apparentiæ, ut temere illud committere præsumamus.

Peccatum levius implet mensuram.

IX. An S. Joannes prohibet orare pro tali his verbis: *non dico ut quis roget pro illo* v. 16.? Rdet S. Bern. Nequaquam. *Imò gemat, qui illum amat: etsi non præsumat orare,* saltem *non desistat* plorare: quia exemplo Marthæ & Magdalenæ, humilitas, lacrymæ, verecundia, *& fides aliquando recipit, quod oratio non præsumit.*

EPISTOLA S. JOANNIS APOSTOLI SECUNDA.

Laudat Electam ejusq; familiam à fide & charitate Christiana, hortaturq; ut in ea constans persistat, caveatq; hæreses & hæreticos tùm jubna-

Jubnascentes quasi Antichristos, neq; ullum cum ipsis commercium aut consuetudinem admittat.

Quæstio I. Cur S. Joannes se vocat *seniorem* v. 1.? R. Quia erat senior omnium tum ætate, tum dignitate (agebat enim tum Joannes annum vitæ 97. Apostolis omnibus solus superstes) græcè presbyter: quo nomine etiam Episcopi tum temporis appellabantur, teste S. Hieron. utpote cæteris ùt dignitate, ita plerumq; etiam ætate præcellentes.

II. Quæ fuit *Electa Domina?* R. fuisse particularis Matronæ Nomen vel proprium, vel certè ei appropriatum, v. g. ob eximiam nobilitatem, dignitatem, virtutem vel officium: fortè Diaconissæ vel Præfectæ Diaconissarum, ad quod electam arbitratur Lyranus. Sicut olim Diaconi Act. 6. v. 5. præfecti eleemosynis, vocabantur *Electi*, (ùt & nunc Episcopi recèns creati, sed necdum consecrati:) ita Diaconissæ vocabantur Electæ, inquit à Lap.

III. Quæ fuit causa Apostoli huic fœminæ scribendi? R. Videtur fuisse Ebion, Cerinthus, vel eorum emissarij Gnostici, qui se in matronæ hujus, utpote primariæ & potentis, familiam & animum per cuniculos sensim insinuare tentabant, ut eam & per eam cæteros Christianos in suam hæresim pellicerent, ùt familare erat hæreticis per fœminas, teste S. Hieronymo, hæreses suas propagare. Unde Apostolus severè vetat huic matronæ, ut ne vel *ave* eis dicat, vel in domum recipiat.

IV. Cur vetat tali hæretico dogmatistæ *Ave* dicere, vel hospitio illum excipere v. 11? R. Quia salutando & multò magis hospitio excipiendo, videtur hæresi illius favere, applaudere, cooperari, sicut qui meretricantem, furantem vel latrocinantem sciens volensq; exciperet, eos foveret, applauderet. ita Navarrus in Manuali c. 17. Alioqui secluso perversionis periculo seu tui, seu aliorum, & semoto scandalo non vetatur jure divino vel naturæ communicatio cum hæreticis, præsertim si vel necessitas, vel pietas, vel gravis utilitas eam suadeat.

EPISTOLA S. JOANNIS APOSTOLI TERTIA.

Gajum sibi familiarem laudat ab insigni in hospites charitate: ex adverso accusat Diotrephis inhospitalitatem, & arrogantiam: Demetrium publico Ecclesiæ, suoq; testimonio commendat: ac brevi se affuturum significans, salvere jubet amicos.

Quæstio I. Quis fuit hic Gajus? R. Famosus ille Corinthius Rom. 16. v. 23. hospes S. Pauli & cæterorum Christi Apostolorum. Ita passim interpretes: excepto Onuphrio, qui Romanum facit; & Lucio Dextro, qui Hispanum: uterq; tertium vult fuisse Mediolanensium Episcopum; Dorotheus, Ephesinum; Sedulius, Thessalonicensem: Mariana & Serarius, volunt eumdem esse cum illo Gajo therapeutha, seu Asceta, ad quem Dionysius Areopagita priores quatuor epistolas suas conscripsit. Quod si ita est, fuerit hic Gajus vir sanè sublimis & egregiè sanctus.

II. Quid per veritatem intelligit v. 3. *Gavisus sum valde venientibus fratribus, & testimonium perhibentibus veritati tuæ?* R. Veritas hæc primò est fidei, q. d. testantur te in fide Christiana & doctrina Christi constanter inter omnes persecutiones persistere. 2dò Veritas hæc est morum. q. d. testantur te vivere juxta fidem & veritatem Evangelij, testantur mores tuos esse conformes fidei & Evangelo, quod profiteris. Unde tertiò veritas hìc accipi potest vera charitas & beneficentia: hanc enim maximè docet & sancit veritas Evangelij, hancq; in Gajo dilaudat Joan. v. 5. & 6. Quartò veritas accipi potest sinceritas & candor, qui opponitur hypocrisi & simulationi, q. d. testantur te in omnibus esse sincerum & candidum. Quintò veritas accipi potest in tribuendo simplicitas & vera simplexq; liberalitas, de qua Rom. 12. 8. & 2. Cor. 8. 2.

III. Quid est, *deducere dignè Deo* v. 6.? R. Uti dignum est Dei cultores à Dei cultore tractari, honorando eos quasi Dei ministros, & Deum in illis: tam charitativè & reverenter eos tractando, quàm tractari decet Christi servos & membra, ait Dion. *Dignè Deo*, hoc est, eo modo & dignitate, ac si Deus ipse id ageret, servata proportione; sic *loqui lingvis Angelorum* 1. Cor. 13. est eâ elegantiâ loqui, quâ uteretur Angelus, si loqueretur.

EPI-

EPISTOLA CATHOLICA S. JUDÆ APOSTOLI.

Hæreticorum improbos mores graphicè depingit, & acre Dei judicium ab Henoch prædictum, ipsis intentat: omnesq; quasi seductores & pestes cavendos docet: Christianis verò in fide susceptâ constanter persistendum, ne, si deflexerint, contingat illis quod Hebræis, Sodomitis, & Angelis à Deo apostatantibus. Deniq; hortatur ad orationem, castitatem, charitatem & zelum animarum, ut seductos ab hæreticis ad fidem reducant: insigni doxologia epistolam concludens.

Quæstio I. Quis est sensus v. 6. *Angelos, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reservavit?* R. Qui originalem præcellentiam, in qua creati sunt, putà gratiam sanctificantem, quâ constituebantur filii & hæredes Dei, & Principes regni cœlestis (ùt contra Magistrum Sententiarum, Bonaventuram, Scotum, Alensem & Hugonem, negantes Dœmones creatos fuisse in gratia, bene probat Vasquez & alii Theologi) non servaverunt (nempe Deo facti rebelles, eo exciderunt & spoliati sunt, unde & *domicilium suum*, tanto principatu dignum, putà cœlum empyreum, in quo creati fuerant, coacti sunt derelinquere) reservavit in *judicium magni* illius *diei*, qui sejunget æternùm beatos à damnatis, Angelos à Dœmonibus: *vinculis æternis* & indissolubilibus Divinæ potentiæ suæ concluſurus illos *sub caligine*, id est, in caliginoso carcere inferni. Quodsi tam nobilibus creaturis apostatantibus, sibi rebellibus, non pepercit Deus, quantò minùs parcet vilissimis homuncionibus, si à Deo ad juratos ejus hostes deflexerint?

II. Quis est sensus v. 7. *Sicut Sodoma & Gomorrha exfornicatæ?* R. Extremè fornicatæ, seu extremam & pessimam libidinem, putà præposteram exercentes, & *post carnem alteram*, seu alienam ab instituto & usu naturæ *abeuntes*, masculi masculis, fœminæ fœminis, bestiis, vel Dœmonibus incubis vel succubis se commiscentes, *factæ sunt exemplum*, seu publica Divinæ vindictæ ostensio, *pœnam sustinentes ignis æterni*, partim qui tunc de cœlo delapsus est, cujus etiamnum in lacu Asphaltite durant reliquiæ, partim qui in inferno Sodomitas excepit, & torquebit æternum. ita Isidorus Pelusiota l. 3. ep. 203.

III. Unde sumpsit Judas Apost. historiam de Archangelo Michaële disputante cum Diabolo de Moysis corpore? R. Hæc historia in Scripturis non legitur: sed verisimile est, multa penes Hebræos fuisse scripto mandata, quæ perierunt. Sed non propterea minoris erit auctoritatis præsens Epistola: non enim oportet Scripturam ab Scriptura comprobari, sed ab Ecclesia. Alioqui Paulus nonnulla produxit, quæ nulla Scriptura commendat: unde illud de Janne & Mambre, qui restiterunt Moysi, & de apparitione facta plusquam quingentis fratribus 1. Cor. 15. Obmutescant ergo qui propter hæc futilia, Scripturis Sanctis detrahere non verentur.

IV. Quid est *in via Cain* ambulare, & quid *errore Balaam effundi mercede?* R. In via Cain ambulant, qui per invidiam fratres interimunt in corde, & in Spiritu per pravas doctrinas, ùt Græci docent: & ùt ille Agnum Abel despexit, & Deo se cum muneribus suis despectum agnovit; ita Nostri Sæculi hæretici Agnum in Eucharistia Deo Patri oblatum impudenter despiciunt. *Errore Balaam effusi sunt mercede*, qui non se continent in officio ac virtute, sed aliquo falso bono quasi escâ allecti in aliud se præcipitant, ut Balaam ad mercedem, cujus insipientiam corripuit asina: & simplices Catholici suis operibus reprehendunt Balaam. *In contradictione* autem *Core* perit ille, quem cogit superbia & elatio, ut contradicat Principibus Ecclesiæ, & cum petra ipsa contendunt. Sed hos cum sua contradictione absorbet terra, quia sæpe miserabiliter intereunt.

V. Cur nubibus inaquosis hæreticos assimilat? R. Nubes quantò minùs aquæ habent, tantò leviores à ventis agitantur. Hæretici sunt vacui fide vel aquâ sapientiæ, quâ possint alios fœcundare: elevati per arrogantiam, ponentes in cœlum os suum: nec irrigant imbribus terras, quas pertranseunt. Et meritò nubes appellantur: quia seipsos à terra elevârunt, assumentes magisterium: sed caligine terram obtenebrant, & à Dœmone agitantur,

VI. Cur hæretici vocantur *Arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, emdicatæ?* ℟. Dicuntur *arbores autumnales*, quæ seriùs frondescunt, quàm ut possint fructus suos maturos edere. Et significantur in eis homines segnes, & ad omne bonum tardi. Autumni enim tempore in Judæa & in aliis regionibus nulla poma extant, utpotè jam collecta, & ideo sunt infructuosæ *Bis mortuæ*, sumpta metaphora ab arboribus, quæ bis moriuntur. Primùm cùm desinunt fructum ferre, deinde cùm excisæ ignibus traduntur. Ita (juxta Clementem Alexand. hìc) semel moriuntur, scil. quando delinquendo peccârunt: idò verò, quando suppliciis tradentur secundùm prædestinata Dei judicia; mors quippe reputanda est etiam, quando quisq; hæreditatem non promeretur. Didymus verò bis mortuas exponit: primò quidem, quando ab infidelitate per pœnitentiam veluti resurgunt accedentes ad Evangelium: deinde quando repetitâ malitiâ moriuntur. *Emdicatæ.* id est, de quibus nulla est spes, quòd aliquando revirescant, quia præcisi à reliquo Ecclesiæ corpore. *Bis & mortuæ*, quia fructu & aliis carent. Et ita hæretici corpore simul & animo mortui: vel, bis mortui, sibi scil. & aliis. Sunt enim quidam, qui licet sibi mortui sunt, fructum tamen referunt Deo in aliis prædicatione, & Sacramentorum collatione.

VII. Cur vocantur *fluctus feri maris, despumantes suas confusiones?* ℟. Feri nomen jungitur cum dictione fluctus. Nam tales intestino odio agitantur, & isti assiduè despumant blasphemias, libellos famosos, pasquillos, extases, Babylonicas captivitates & omne genus maledicentiæ. Beda, inquit, *fluctus feri maris, sunt perversi Doctores, qui & in semetipsis inquieti semper, tumidi, tenebrosi & amari sunt, & pacem Ecclesiæ impugnare non cessant. Sed tales rectè dicuntur despumantes suas confusiones, quia instar tumentium aquarum, quantò altiùs se superbientes attollunt, tantò ampliùs confusi, quasi in spumas levissimas dissolvuntur & pereunt.* Hæc ille eleganter, quæ nostri sæculi hæreticis mirificè quadrare videntur, quorum libri & errores, & conatus magna ex parte jam in spumas dissoluta sunt.

VIII. Cur eos vocat *sidem errantia, quibus procella tenebrarum servata est in æternum?* Respondet Beda. Sidera errantia, quæ sunt septem, nunquam in eodem loco, ubi pridie fuerant, ortum vel occasum faciunt: sed modò ad infima zonæ brumalis descendunt, modò ad alta zonæ solstitialis ascendunt: modò mediam zonæ æquinoctialis lineam repetunt. Sic nimirum sunt hæretici, qui lucem veritatis promittentes, nunquam in eodem statu docendi perdurant: sed modò sic, modò sic doctrinam suam informantes, ipsi utiq; quàm sit contemnenda lucis ostentatio, quam pollicentur, insinuant. Hæc ille. Sidera ergo errantia, quòd lucem promittant Sanctitatis & pietatis, transfigurantes se in Angelos lucis, hæreticos Apostolus appellavit. Quidam putant dici planetas à seducendo, quòd in dogmatis videlicet, & in vita errant. Deinde quòd vagi & instabiles sint sedibus, quia extra firmamentum fidei Catholicæ atq; Ecclesiæ suos singuli tenentes errorum cœlos, adverso ferantur cursu in stellas firmamenti, id est, in homines rectæ fidei, sanctæ vitæ & conversationis. Hinc Daniel c. 12. stellis firmamenti comparat justos.

QUÆSTIONES EXEGETICÆ IN APOCALYPSIM S. JOANNIS.

CAPUT I.

Joannes in Patmos Insulam relegatus, jubetur scribere, quæ viderit, septem Asiæ Ecclesijs per 7 candelabra designatis, quæ vidit incircuitu hominis, modum describens, quo hic ipsi demonstratus sit.

Prophetia Joannis citò implenda.

Quæstio I. *Quomodo S. Joannes dicit Prophetiam suam citò implendam* v. 1. *quæ oportet fieri citò*, & paulò post; *tempus enim propè est*, cùm præcipuè pertineat ad tempora Antichristi? ℟. Hæc Apocalypsis comprehendit futuros Ecclesiæ successûs usq; ad finem mundi: horum autem plures aut proximè, aut non multò post ætatem B. Joannis futuri erant, ideo verè dictum est, revelata esse Joanni, quæ citò ventura erant; nam & si multa erant valde remota, ut quæ ad Antichristum pertinent: erant tamen alia multa non admodum longinqua. Primasius explanans illud: *Tempus enim propè est*, sic ait: Tempus

in

in proximo esse dicit, scilicet, ut singula, quæ dicenda sunt, impleantur: cùm & plantatæ jam Ecclesiæ propagationis incrementa succedant.

II. *An omnia per Angelum, & non immediatè à Christo aliqua sint revelata B. Joanni?* ℟ Aliquando Angelus loquitur proprio nomine, ùt cùm vetuit adorari se à Joanne, dicens c. 19. *Vide ne feceris, conservus enim tuus sum.* Interdum verò Angelus loquitur non suo nomine, sed ipsius Christi, quem repræsentat, ita ut personaliter sit Angelus, repræsentativè autem Christus, & ita fit in prima visione hujus libri. Est enim vera, & Theologis Scholasticis probata illa B. Dionysii Areopagitæ sententia, omnes Divinas visiones & apparitiones hominibus factas, tam in veteri quàm in novo testamento, quibuslibet personis, in quocunq; tempore, & loco, & quocunq; modo factæ fuerint; esse factas per Angelos, eorumq; ministerio hominibus oblatas. *Angelus revelans.*

III. Quomodo hîc dicitur, *per Angelum fuisse revelata Joanni mysteria*, quasi solus ipse manifestaverit Joanni, legimus enim in hoc libro Apocalypsis, etiam quatuor animalia & 24 seniores sæpe locutos fuisse Joanni, atq; eum multa docuisse? ℟ Totam illam visionem 4 animalium & 24 seniorum vel tacentium vel loquentium, ab Angelo effictam & formatam esse in animo Joannis, cùm esset in extasi. Angelus enim fecit, formando in animo Joannis figuras & similitudines animalium & seniorum, ut Joannes in extasi positus videretur sibi & illa videre præsentia, & ab illis hæc vel illa audire. ita Pererius.

IV. Qualiter S. Joannes *testimonium perhibuit de Verbo?* ℟ tripliciter, prædicatione, miraculis & passione. Joannes etenim fidem & doctrinam Christi prædicavit in Judæa, & in Asia: testificans eam veram esse & divinam, & ad comparandam salutem animæ necessariam cuilibet homini. Hujusmodi autem testimonium facilè persuasit hominibus, quia plurimis maximisq; miraculis ipsum comprobavit, ut de veritate ejus dubitari nullo modo posset. Ipse quoq; multa passus est propter testimonium, quod perhibebat Christo; ejus namq; rei causa, tanquam reus ductus est Romam, atq; inibi missus in ferventis olei dolium, & in Insulam Patmos relegatus. *S. Joannes testimonium perhibuit de Verbo.*

V. Qui sunt *illi septem Spiritus, stantes ante thronum Dei* v. 4? ℟ Sunt Angeli illarum septem Ecclesiarum, ad quas S. Joannes scripsit 7 Epistolas, quæ 2. & 3. cap. hujus libri continentur. Vel etiam per 7 Spiritus hoc loco significantur 7 Principales Angeli, qui inter omnes Angelos sunt primarij divinæ providentiæ circa gubernationem Ecclesiæ, atq; adeo etiam mundi administri. *Spiritus septem.*

VI. Quomodo *S. Joannes gratiam & pacem precatur ab Angelis*, cùm ipsi nec effectores sint gratiæ, nec largitores, sed is solus, de quo scriptùm est: *gratiam & gloriam dabit Dominus* ps. 83.? ℟ gratiam & pacem non postulari ab Angelis tamquam ejus effectoribus, sed quia eorum sæpe deprecatione & ministerio gratia hominibus à Deo donatur: Paulus enim appellat Angelos, *administratorios Spiritus, missos in ministerium, propter eos, qui ministerium capiunt salutis.* Heb. 1.

VII. *Si septem illi spiritus significant Angelos, quomodo Joannes in precando gratiam & pacem eos prænominavit*, atq; præposuit Christo Domino dicens: *à 7. spiritibus, & Christo Jesu* &c.? ℟ id factum esse, quia ratio ipsius sententiæ & contextus orationis poscebat, ut priùs nominarentur Angeli, siquidem nominato Christo, proximè multa subjunguntur, quæ continenti orationis serie cum Christo connectenda sunt.

VIII. Quid est *Angelos stare in conspectu Dei?* ℟ Multa tali locutione denotantur, imò, Angelos videre faciem Dei, deinde esse apud Deum præcipuè gratiosos atq; honoratos, tum bene nôsse arcana consilia & voluntatem Dei; ad hæc esse paratos & promptos ad Dei jussa capessenda & exequenda velociter atq; efficaciter, & ideo comparantur ventis & flammæ ignis ps. 103. *qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos flammam ignis*, & alio loco: *Benedicite Domino omnes Angeli ejus, potentes virtute, qui facitis verbum ejus, ad audiendam vocem sermonum ejus* ps. 102. *Angeli stant in conspectu Dei.*

IX. Quo sensu S. Joannes hîc & S. Petrus ep. 1. c. 2. *Vocant Christianos reges & sacerdotes?* ℟ Vocant non propriè, sed figuratè & mysticè ac spiritualiter, sicut etiam S. Petrus appellavit Christianos lapides vivos & domum. Sic S. Leo Serm. 3. de Anniversario die sui Pontificatûs ait: Reges & Sacerdotes sunt omnes Sancti: quid enim tam regium, quàm subditum Deo animum sui corporis esse rectorem? quid etiam tam Sacerdotale, quàm vovere Domino conscientiam puram & immaculatas pietatis hostias de altari cordis offerre? idò Petrus & Joannes locuti sunt de sacerdotio propriè dicto, & Christiani dicuntur Sacerdotes, non quòd omnes indifferenter sacerdotii dignitatem & potestatem habeant, sed quia in Christiano populo est ordo sacerdotum, quorum ministerio populus Christianus offert Sanctam Deo hostiam. Sunt etiam Reges, qui sunt Pastores Ecclesiæ, quibus dixit Paulus Act. 20. *Spiritus Sanctus posuit vos Episcopos regere Ecclesiam Dei.* & S. Leo l. c. Omnes regit Petrus, quos principaliter regit & Christus. Potest etiam dici, quòd S. Petrus Eucharistiam & pluraliter vocaverit hostias, *Christiani Reges & Sacerdotes.*

ſtias, & appellaverit ſpirituales. Hoſtias dixit, quòd Euchariſtia non ſemel, ſed ſæpius, & uſq; ad conſummationem ſæculi offertur. Eam quoq; vocavit ſpiritualem hoſtiam, quia per ſpecies ſenſibiles, Chriſtus ſenſu inviſibilis, viſibilis autem ſpiritu offertur: & quia per carnalia legis Moſaicæ ſacrificia præfiguratum eſt hoc ſacrificium Euchariſtiæ, ſpiritu colendum, & ſpiritui ſalutiferum atq; vivificum.

Chriſtus ſimilis homini.

X. Potuitne Chriſtus verè dici *ſimilis homini, & non homo ſimpliciter & præcisè?* ℟ potuit ob multas cauſas, imò licet ſimilis eſſet homini quantum ad ſubſtantiam humanam, erat tamen diſſimilis, quantùm ad humanam perſonalitatem, quam non habuit, ſed ejus loco habuit divinam æterni Verbi perſonalitatem: ob idq; non erat tantùm homo, ſed ſimul etiam Deus. Deinde naturam hominis habebat nullâ ignorantiæ neq; peccati labe infectam. Tum non erat purus viator, verùm ſimul etiam comprehenſor. Ad hæc diſſimiliter admodum & conceptus, & natus & mortuus fuerat, & propriâ virtute à mortuis reſurrexerat & aſcenderat in cælum. Præterea quia tum immortalis erat & impaſſibilis.

Eccleſia ſimilis candelabro.

XI. *Cur Eccleſia aſſimilatur candelabro?* ℟ 1. Eſt viſibilis & conſpicua inſtar candelabri 2. lucem mundi, putà Chriſtum, Chriſtiq; doctrinam mundo præfert. 3. quia erecta eſt ad res divinas & cæleſtes. 4. eſt aurea propter charitatem, & quia quaſi aurum igne & malleis perſecutionum probatur, extenditur, formatur. Eſt ergo Eccleſia quaſi candelabrum, inquit Pererius, per doctrinam ſcripturarum lucida, per virtutum fulgorem ſplendida, per gravitatem morum ponderoſa, per obedientiam ductilis, per prædicationem ſonora, per perſeverantiam extenſa, per ſpem erecta, per fidem in Deo fundata, & per charitatem Deo aſtricta, immò in eum quaſi transformata.

XII. *An, Joannes revera hoc viderit Chriſtum Dominum in ſe ipſo?* ℟ Probabile eſt vidiſſe, ſed in alio habitu, quàm ſit in cælo. Corpus enim glorioſum poteſt apparere tali forma & habitu, quali vult beatus. Probabilius tamen eſt contrarium, ſcilicet Joannem revera non vidiſſe ipſum Chriſtum, imò quia erat in ſpiritu; unde hæc omnia, coram eo ſymbolicè gerebantur, ut patet ex ſeq. Deinde quia ſimiliter c. 5. ait ſe vidiſſe ſedentem in throno, certum eſt autem ibi eum non vidiſſe Deum, ſed ſymbolum aliquod, aut ſpeciem, quæ Deum repræſentaret. Pari ergo modo & hîc ei contigit, ſcilicet ſpecies Chriſti phantaſiæ ejus impreſſa & objecta fuit, non ipſe Chriſtus, idq; ex more Dei factum eſt per Angelum.

Podere Chriſto veſtitus.

XIII. *Cur Chriſtus apparuit Joanni veſtitus podere?* ℟ Chriſtus hîc eam aſſumit ſpeciem, quæ repræſentet nobis ejus officium pontificale, circa Eccleſias, tam hîc expreſſas, quàm alias quaſvis, quas corripit, docet, monet, perficit, ut patebit ex c. 2. & 3. Hæc enim omnia uſq; ad c. 4. pertinent ad primam Apocalypſeos partem, quæ eſt de correptione & inſtructione ſeptem Eccleſiarum & Epiſcoporum Aſiæ.

Zona aurea in Chriſto.

XIV. Quid *per zonam auream deſignatur, quâ Chriſtus ad mamillas præcingitur* v. 13.? ℟ Rupertus & Pererius volunt deſignari dignitatem Chriſti regiam & pontificalem, ab omni miſeria & mortalitate liberam: S. Chryſoſt. Greg. & Anſelm. ejus caſtitatem & innocentiam: Alcazar ejus promptitudinem ad omne Dei obſequium: Corn. à Lap. diſciplinam Sanctam, quâ & Chriſti & Chriſtianorum mens, phantaſia, appetitus, motusq; omnes ſuccinguntur, reſtringuntur à vitijs, & Deo Deiq; legibus adſtringuntur. Tirinus juxta illud Iſa. 11. v 5. *Juſtitia & fides*, ſeu fidelitas, *cingulum lumborum ejus*, putat etiam deſignari providam in Chriſto juſtitiam, quâ mamillas miſericordiæ & charitatis uberrimè & continuò defluentes in orbem, juſta & fideli moderatione, pro meritis & egentia cujuſq;, vel aliis divinæ providentiæ regulis, coërcet & ſtringit.

Capilli candidi in Chriſto.

XV. *Quid deſignant capilli candidi in Chriſto?* ℟. Capilli candidi ſeu cani ſignificant, Chriſti æternitatem, ac conſequenter omniſcientiam, omniprudentiam, omniprovidentiam: cani enim ſive ſenes, quia calor in ijs ſubſidit, hinc non habent fervores, & impetus turbidos, qui rationem perturbent, ſed planè ſedati liberum & ſincerum habent judicium, maximeq; in eis viget prudentia & ſapientia.

Oculi flammeſcunt in ira.

XVI. *Cur in ira flammeſcunt oculi?* ℟ Ariſt. problem. 3. Sect. 31. dat cauſam, quòd calor à natura in eam partem, tanquam violatam transmittatur, quæ & ſenſu & motu facilior eſt. Oculi enim violati cenſentur hoc ipſo, quo quis coram ipſis indignum & injurium quid patrârit, nec faciem & oculos ejus ſit reveritus. Addit Corn. à Lap. phantaſiam, quæ in capite eſt ſupra oculos, irâ concitatam, advocare ad ſe ſpiritus vitales, eoſq; accendere, ut fumos naribus, ignem oculis efflare videatur. Addit Alcazar, flammas oculorum Chriſti ſignificare, ab ejus ira neminem ſe poſſe abſcondere. Quæ enim tenebræ impediant perſpicientiam ei, cujus oculi jaculantur claram lucem? juxta illud Jeremiæ 32. 19. *Oculi ejus aperti ſunt, ut reddat filijs Adam ſecundùm fructum adinventionum eorum.*

Pedes Chriſti ſimiles aurichalco.

XVII. Quid denotant *pedes Chriſti ſimiles aurichalco, ſicut in camino ardenti* v. 15? ℟ ſignificant humanam Chriſti naturam, per caminum paſſionis & crucis redditam ſplendidiſſi-

didissimam simul & fortissimam ad conculcandum Domitianum, Trajanum, cæteroſq; ſuos & Eccleſiæ hoſtes, imò ad eos comburendum, inquit Damaſcenus, Rupertus & alij apud Riberam.

XVIII. *Cur vox Chriſti comparatur voci ſeu ſono aquarum multarum.* v. 16.? R. Quia prædicatio doctrinæ Chriſti tam ſonora fuit, ut in omnem terram exiverit ſonus ejus; rectè autem dicitur *aquarum multarum*, aquæ enim multæ, populi multi ſunt; prædicatio enim doctrinæ Chriſti, non in uno tantum populo Hebræo, ſicut prædicatio veterum prophetarum concluſa eſt, ſed omnem terrarum orbem pervagata, ad omnes mundi gentes diffuſa eſt. Ea porrò 4 habuit aquæ virtutes; unam reſtinguendi ſitim, & cupiditatem rerum temporalium: alteram, refrigerandi ardorem concupiſcentiæ: tertiam, lavandi, & mundandi ſordes atq; maculas peccatorum: quartam irrigandi, & fœcundandi terram cordis humani, ut ſuaves atq; uberes virtutum fructus proferant. *Vox Chriſti ſimilis eſt voci aquarum multarum.*

XIX. Quid ſignificant illæ *ſeptem ſtellæ in manu Chriſti?* R. Ipſe paulò infrà interpretatur eſſe Angelos ſeptem Eccleſiarum, ad quas hæc juſſus eſt ſcribere Joannes. Angeli verò nominantur Epiſcopi, & Rectores earum Eccleſiarum. Qui rectè comparantur ſtellis in cælo fixis, atq; inerrantibus: quales enim ſunt naturales illarum ſtellarum proprietates ac virtutes, tales quoq; oportet eſſe ſpirituales Epiſcoporum proprietates ac virtutes in docendo, paſcendo, tuendoq; Eccleſiam. Habent ſtellæ illæ perpetuum, & ordinatum motum; claritate illuminant, calore fovent, & vivificant, defluxuque virtutis ſuæ conſervant, & gubernant inferiorem hunc mundum: & quælibet earum viſu notabilis, major eſt universâ terrâ; præcipuumq; earum munus eſt, lucere nocte, tanquam in remedium tenebrarum; nam die ſolis luce lumen earum occultatur. Poſſunt hæc aptè commodeq;, ſi myſticè & ſpiritualiter interpretemur, applicari ad Epiſcopos, & Rectores Eccleſiæ: in quos nempe ſatis quadrat illud Dan. 12: *qui eruditi ſunt multos ad juſtitiam fulgebunt quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* *Stellæ 7. in manu Chriſti.*

XX. Quid eſt *Paſtores & Rectores Eccleſiæ eſſe in dextera Chriſti?* R. Dextera quàm ſiniſtra honorabilior eſt & robuſtior, & unde fit initium motûs progreſſivi in homine, & per quam fit benedictio aliorum. Omnes quidem electi ſunt in manu Dei, de qua nemo poteſt eos rapere: ſed principes Eccleſiæ ſunt in dextera Chriſti, id eſt, in præcipua quadam, & ſingulari protectione ac directione atq; gubernatione Dei: & ſicut in altiori honoris gradu collocati ſunt; ita quoq; ampliorum bonorum participatione digni ſunt, & quia omnia bona ſua Deo accepta referunt, grato & pio animo uſurpant illud Davidis dictum: *dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me.* *Paſtores Eccleſiæ in dextera Chriſti.*

XXI. Quis eſt *gladius ex ore Chriſti exiens?* R. eſt verbum Spiritûs, ſicut dixit Paulus Eph. 6. *Sumite*, inquit, *gladium ſpiritûs, quod eſt Verbum Dei*, cujus maximam vim declaravit idem Heb. 4: *Vivus eſt*, inquit, *ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.* Vocatur autem gladius utraq; parte acutus, quia omni ex parte ſcindit, & ferit ſermo Dei, omniq; ex parte operatorius & perefficax eſt: ideo Sap. 8. dicitur omnipotens eſſe Dei ſermo. Nemo poteſt ei reſiſtere, nemo eum impedire, aut vim ejus evadere. Vel enim ſcindit hominem, dividens eum à vitiis, & jungens Deo: vel diſciſſum & diviſum à Deo, jungit diabolo, æterniſq; inferni ſuppliciis. Duplex iſtius gladii acies, eſt virtus miraculorum, & innocentiæ atq; ſanctimoniæ vitæ: acumen verò, eſt efficacitas divinæ veritatis. Alii gladium iſtum interpretantur ſententiam Chriſti judicis in extremo judicio. Exibit tunc ex ore Chriſti gladius anceps, quia extrema illa ſententia utramq; partem hominum, & qui ad dexteram, & qui ad ſiniſtram fuerint, pro meritis eorum efficaciter diſcindet ac dividet, prorſus adeo, ut mali eant in ſupplicium æternum, juſti verò in vitam æternam: & tunc invicem ſeparati, nunquam amplius congregari & permiſceri poterunt. *Gladius ex ore Chriſti exiens.*

XXII. Quo ſenſu dicitur Chriſtus *Primus & noviſſimus* v. 18.? R. Iſtis verbis inſinuatur æternitas Chriſti, quæ principio caret durationis & fine; ut ſit ſenſus: Ego & antiquior ſum, & poſterior omnibus. Nam etſi ſunt nonnullæ res incorruptibiles, ut Angeli & animæ rationales; nihil tamen repugnat cogitare, iſtiusmodi res, per abſolutam Dei potentiam, deſinere eſſe: quod tamen cogitare de Deo impoſſibile eſt, utpote manifeſtam continens repugnantiam & contradictionem implicans. *Si Chriſtus*, (inquit S. Amb.) *eſt primus omnium, quomodo Arrius dixit, ipſum habuiſſe initium? ſi enim habuit initium, non igitur ipſe primus eſt, ſed is à quo initium accepit. Primus ergo & noviſſimus ipſe eſt, quia ſicut finem non habet, ita nec habuit initium.* *Chriſtus primus & noviſſimus.*

XXIII. Quo ſenſu dicitur Chriſtus *habere claves mortis & inferni?* R. det S. Amb. qui claves alicujus domus habet, quem vult in domum intromittit; & quem vult, ab ingreſſu domus depellit. Per clavem ergo poteſtas Filii Dei intelligitur: Claves autem mortis & inferni Chriſtus ipſe poſſidet; quia quos vult, à damnatione mortis æternæ miſericorditer liberat; & quos vult, in æternæ damnationis reatu, juſto judicio remanere ſinit. Hæc Amb. Videtur etiam idem ſignificare hoc loco, habere claves mortis *Claves mortis & inferni habet Chriſtus.*

& inferni, atq; illud, quod dixit Anna Mater Samuelis prophetæ in suo Cantico 1. Reg. 1. *Ipse mortificat & vivificat, deducit ad inferos & reducit.*

CAPUT II.

Præmittit Apocalypsi suæ 7. Epistolas ad 7. Episcopos & Ecclesias Asiæ (4. hoc capite, tres sequenti) quibus tum illos, tum Christianos omnes edocet, quem fructum ex Apocalypsi capere, & quid in moribus suis corrigere, quid perficere debeant. Sunt autem Epistolæ ab ipsomet Christo dictatæ Joanni.

Episcopus Ephesi. QUæstio I. Quis fuit *Angelus, seu Episcopus Ephesi* v. 1.? R. S. Timotheus, qui ferè jam 40. annis (nempe ab anno 25. usq; ad 64 à morte Christi) Ecclesiam illam rexerat: sed cum senio non nihil intepuerat, & de primo charitatis fervore ac zelo propagandæ fidei aliquantum remiserat. Verùm hoc ejus peccatum solùm veniale fuit, quod ipsum etiam accepta hac Christi monitione, strenuè correxit, resumpto zelo pristino tum promovendi verbi Divini, tum reprehendendi idololatras Dianæ, à quibus etiam duodecennio pòst, eam ob causam martyrio affectus fuit 24 Februarii, de quo Martyrologium Romanum. ita sentiunt Aureolus, Alcazar, Pererius & Baronius. Lyranus tamen & Ribera non audent hanc Epistolam Timotheo inscribere ob peccata in ea nominata, quæ putant aliena fuisse à viro tam sancto. Ast hæc peccata non solis Episcopis harum septem Ecclesiarum, sed & ipsismet Ecclesiis & Ecclesiarum filiis à Christo adscribuntur, hic v. 7. 11. 17. &c. Sed ideo in Episcopis primariò reprehenduntur, quòd vitia subditorum rarò sinè culpa Superiorum diu continuentur, inquit S. Chrysost. hom. 38. in Matth.

Candelabri motio de loco suo. II. Quid est *movere candelabrum de loco suo* v. 5.? R. Idem est ac Ecclesiam ab aliquo auferre, ne sit ejus caput ac Episcopus, eamq; in manu alterius collocare. Nam c. 1. v. ult. candelabra exposuit Ecclesias. Hæ autem dicuntur moveri de loco, id est, de statu suo, cùm ab uno capite, putà Episcopo, ad alium transferuntur, & in ejus manu gubernandæ collocantur. Sic regna dicuntur moveri, mutari, & de gente in gentem transferri, cùm Rex & Imperator mutatur, & ex alia gente suscitatur. Sic Monarchia Chaldæorum dicitur mutata & translata ad Persas, cùm monarcha factus est Cyrus; Persarum ad Græcos, cùm Monarcha factus est Alexander; Græcorum ad Romanos, cùm Monarcha factus est Augustus.

Nicolaitarum facta. III. *Quæ erant facta Nicolaitarum?* R. Erat hæresis eorum licere fornicari, & promiscuè uti fœminis, etiam conjugatis. Dicitur author ejus fuisse Nicolaus, unus è 7. Diaconis. Ex his orti sunt Gnostici hæretici spurcissimi. De Nicolao scribit S. Epiph. l. 1. hæresi 25. & Philast. hæres. Nicolaitarum. S. Hieron. ep. ad Heliodorum, quòd scil. cùm ordinatus Diaconus ab uxore, quam pulchram habebat, sese continuisset, postea tamen superatus concupiscentiâ, ad eam reversus sit, cùmq; ea de causa carperetur ab Apostolis, turpem hæresim excogitârit, scil. necessàrium esse ad salutem libidini operam dare. Recruduit Nicolaitarum hæresis & spurcities sub Nicolao Pio Imp. filio Caroli Magni; cui, quia Ludovicus non tam strenuè, quàm par erat, restitit, hinc post mortem pœnas dedit in purgatorio per 30. annos, quibus exactis, apparuit filio pariter Ludovico Imper. opem & preces ab eo efflagitans, uti ex Annal. Franc. narrat Baron. tom. 10. anno Christi inchoante 874.

Lignum vitæ. IV. Quid significat *lignum vitæ* v. 7.? R. Non illud corporale Gen. 2. v. 9. quo vires corporis instaurari poterant: sed ejus antitypus, spiritualis arbor vivificans, nempe gratia Divina in præsenti & gloria cœlestis in futura vita, quâ torpor omnis animi & segnities, imò paulatim omnis infirmitas & mortalitas excutitur, ùt Rupertus & Alcazar exponunt, & etiam Christo in Eucharistia id adaptant ex illo Joan. 6. *qui manducat hunc panem, vivet in æternum.*

Smyrnensis Episcopus. V. Quis est *Angelus*, seu Episcopus *Smyrnensis Ecclesiæ?* R. Erat S. Polycarpus, à S. Joanne non ita pridem erectus & ordinatus, teste S. Hieron. & 72. anno post hanc Apocalypsim martyrio coronatus, cùm Christo servivisset annos 86., ùt ipse moriturus Præsidi asserebat, ita Pererius, Ribera, Lyran. & alij. Porrò Smyrna urbs est Joniæ in Asia, partim in monte, partim in plano amœnissimè constructa; vel potiùs, postquam à Lydis eversa fuisset, in nobiliorem formam instaurata, primùm ab Antigono, dein à Lysimacho, inquit Strabo l. 14.

VI. Quo sensu dicitur v. 10. HABEBITIS TRIBULATIONEM DIEBUS DECEM? R. Multis diebus, seu multo tempore secundùm phrasim Sacræ Scripturæ. Sic Gen. 31. dixit Jacob queribundus Socero suo, *immutâsti mercedem meam decem vicibus*, id est, sæpe

numero. Num. 14. *Jam per decem vices tentâstis me*, id est, sæpiùs. 1. Reg. 1. dixit Annæ matri Samuelis vir ejus: *Nunquid non ego melior tibi sum, quàm decem filij*, id est, quàm multi filii. Similiter ergo hic dictum est, habebitis tribulationem 10. diebus, id est, non brevem sed longam, & multo mansuram tempore.

VII. Quis fuit *Angelus*, seu Episcopus *Pergami?* Rdet Pererius, id non constare. Aureolus & Lyranus putant fuisse S. Carpum, quem Eusebius scribit Pergami martyrio coronatum, sub Antonino Imper. Sed Eusebius non addit fuisse Pergami Episcopum, imò Martyrologium Romanum 13. April facit S. Carpum Episcopum Thyatiræ, de quo hic v. 18. Erat autem Pergamus clarissima urbs Phrygiæ, alio nomine Troja dicta, Galeni patria, & P. Scipionis sepulchrum, inquit Cicero orat. pro Flacco. Ubi membranæ repertæ, quæ inde dictæ sunt Pergamenæ, ut Varro testatur. *Pergami Episcopus.*

VIII. Quis fuit *Antipas?* R. Antipas fæviente in Christianos Domitiano Episcopus Pergami, publicè Christum prædicabat, Dæmonesq; fateri coegit, quòd à se per Christi nomen invocatum fugarentur. Hinc à præfecto urbis captus, tractusq; ad Dianæ templum, & in bovem æneum multo igne candentem conjectus, laudans & gratias agens Deo, quòd se hoc agone & laureâ martyrii dignatus esset, in cœlum Martyr evolavit sub annum Christi 93. *Antipas.*

IX. *Quæ fuit doctrina Balaam?* R. Balaam Ariolus vocatus à Balac rege Moab, ut malediceret Hebræis ex Ægypto tendentibus in Chanaan per fines Moabitidis, cùm Deo prohibente id facere non posset, quin potiùs eis benedicere cogeretur, suggessit Balac Regi, ut ad castra Hebræorum submitteret speciosas puellas Moabitides, quæ eos ad fornicandum invitarent, eo pretio & conditione, ut Hebræi priùs ederent idolothyta, id est, carnes idolis immolatas, atq; Camos aliaq; eorum idola venerarentur. Id fecit Balaam eo consilio, ut Hebræos à Deo ad libidinem, & ad idola averteret; itaq; Hebræi vicissim à Deo suo offenso & irato derelicti à se maledici, & à Balac vinci possent. Indeq; fuit illa clades Hebræorum colentium Beelphegor Num. 25. 3. Ergo Nicolaitas comparat Balaamo; quia instar illius docebant, licere indulgere ventri & veneri, edere lautè quidvis, etiamsi esset idolothytum, vetitum lege Apostolica Act. 15. ut gula hæc esset fomentum luxuriæ *Balaam doctrina.*

X. Quod est *manna absconditum* v. 17.? R. *manna absconditum* figuratè dictum esse dupliciter, vel ipsum scil. Dominum Jesum Christum, qui & fidelibus suis in præsenti vita seipsum in Sacramento dat invisibiliter gustandum & manducandum, & post hanc vitam in cœlo seipsum Beatis videndum clarè, & jucundè fruendum exhibet. Vel per *manna absconditum* significantur cælestia bona, æternæq; felicitatis dulcedo, pro mercede laborum & benefactorum Sanctis promissa, & in cœlo reddenda ita Pererius. *Manna absconditum*

XI. Quis est *calculus candidus?* R. Est favens sententia felicitatis & gloriæ æternùm affuturæ. Alludit ad calculos, quorum usus apud gentiles erat in comitijs ad ferenda suffragia pro creatione magistratuum; vel absolutione in judicio, vel designatione victoris in publicis luctis & certaminibus Olympicis vel alijs. *Nomen novum*, significat inexspectatum honorem, quo filius Dei & hæres nominetur, & revera etiam sit; verbo uno, centuplum hîc, & in futuro vitam æternam; ita ferè Beda, Richardus, Pererius, à Lapide. *Calculus candidus.*

XII. Quis fuit *Angelus Thyatiræ?* R. S. Carpus, ut innui q. 7. Est autem Thyatira urbs ultima Mysorum, colonia Macedonum, ad Austrum Pergamo, cui etiam subjecta erat: patria Lydiæ purpurariæ, quam S. Paulus convertit Act. 16. v. 14. dicta *Thyatira*, id est *filia*, à Seleuco Asiæ rege, ob lætum nuntium natæ sibi filiæ, inquit Strabo l. 13. & Plinius l. 5. c. 9 *Thyatiræ Angelus.*

XIII. Quænam fuit illa *Jezabel* v. 20.? Rdet Pererius fuisse in civitate Thyatirensi aliquam mulierem nobilitate, divitijs & potentiâ præpollentem, sed hæreticæ, ut creditur, Nicolaitarum doctrinæ sectatricem, & acerrimam Catholicæ fidei cultorum insectatricem & hostem. Hæc mulier simulabat propheticum Spiritum, ut, quæ dicebat, ea divino spiritu affata dicere videretur, quo plures de rudioribus, & ad vitia propensioribus decipere posset, persuadens eis, nec fornicari, nec idolothyta comedere, nefas & illicitum esse. *Jezabel Thyatirensis.*

XIV. Quæ est *stella matutina* v. 28.? R. Lumen gloriæ, & clara Dei visio, quæ instar Luciferi, post obscuram hujus vitæ noctem illucescet unicuiq; victrici animæ, simul atq; è corpore demigrabit. Sed commutabitur in lucidissimum solem meridianum, quando in generali resurrectione, etiam in omnia corpora simul & semel & æternùm gloriam & splendorem suum diffundet. Ita Victorinus, Primasius, Aretas & à Lapide. & hoc sensu dicit Christus infra c. 22. v. 16. *Ego sum Stella splendida & matutina.* *Stella matutina.*

CAPUT

CAPUT III.

Continet tres reliquas Christi epistolas, putà ad Episcopum & Ecclesiam Sardensem, Philadelphiensem, & Laodicensem.

Sardensis Episcopus. Quæstio I Quis fuit *Angelus seu Episcopus* Ecclesiæ Sardis? ℟ Aureolus putat fuisse B Melitonem, virum doctissimum & Sanctitatis nomine in Ecclesiasticis historiis satis celebrem. Aſt S. istum Melitonem ex historiis Ecclesiasticis patet post obitum S. Joannis non minus 70 annis floruisse, ut videre est apud Baronium in tomo 2do Annalium in anno Domini 172. ubi de isto Militone copiosè discurtit. Lyranus, Pererius, Alcazar & à Lapide putant incertum esse, quis fuerit ejus urbis tunc Episcopus. Porrò Sardis urbs erat Lydiæ, magna, amœna, celebris, ad latus Tmoli montis, olim regia Crœsi, Lydorum regis, teste Horatio l. 1. ep. 11.

Deletio de libro vitæ. II. Quomodo quis *deletur de libro vitæ* v. 5.? ℟. S. Thom. 1. p. q. 24 a. 3. ait: dupliciter scribuntur Sancti in libro vitæ. imò inchoatè, quoad præsentem justitiam, quomodo omnes Christiani in baptismo scribuntur in libro vitæ. 2dò completè quo ad perseverantiam & gloriam. Primi deleri possunt: unde ps. 68 dicitur: *deleantur de libro viventium.* De talibus hîc agit Christus. q. d. qui vicerit & in victoria hac perstiterit & perrexerit, non delebo, sed pergam eum scribere in libro vitæ, sicut eum ab initio victoriæ in eo conscripsi, ut, si vincere pergat ad finem usq;, reipsa adipiscatur gloriam, ad quam conscriptus est.

Philadelphiæ Episcopus. III. Quis fuit *Angelus* seu Episcopus *Philadelphiæ?* ℟ Pererius, Alcazar & à Lapide dicunt incertum esse. Sed Aureolus & Lyranus volunt fuisse S. Quadratum, egregiè doctum & celebrem martyrem sub Adriano Imp. 18. annis post hanc Apocalypsim, teste Eusebio l. 4. Inst. c. 3. Sed tum dicendum esset, hunc Episcopum Philadelphiâ translatum Athenas: nam S. Quadratus Athenensium Episcopus fuit, ut S. Hieron. & alij historici tradunt. Porrò Philadelphia urbs est Mysiæ juxta Lydiam, ita dicta ab Attalo Philadelpho ejus conditore: alia à Philadelphia Syriæ, quæ in scripturis vocatur Rabbath filiorum Ammon 2 Reg. 12. v. 26.

Clavis Davit. IV. Quid est *clavis David* v. 7.? ℟ est plenum Dominium & regni, & Domus, & templi Davidis (David enim primus & principalis auctor fuit templi; nam Salomoni totius templi ideam delineavit 1. Paral. 28. v. 11. & omnes impensas subministravit.) Per domum verò vel templum David certum est intelligi Ecclesiam, quam aperit Christus omnibus iis & solis, quos ad eam vocat per gratiam suam, claudit & inaccessam facit, quibus & quando voluerit, non sinens illam infestari, seu ab hæreticis, seu à tyrannis, nisi quo tempore, quomodo, quâ mensurâ placuerit. ita ferè S. Hieron. Cyrillus, S Thomas & alij. Similiphrasi promittebat olim Eliacimo summum Pontificatum & absolutum spirituale imperium in Ecclesiam, Isaiæ 22. v. 22. *Dabo clavem domûs David super humerum ejus: & aperiet, & non erit, qui claudat; & claudet, & non erit qui aperiat.*

Laodiciæ Episcopus. V. Quis fuit *Angelus seu Episcopus Laodiciæ*? ℟ Aureolus putat S. Sagarem Episcopum, qui nobile martyrium Laodiciæ obivit sub annum Christi 172. quem laudat Eusebius l. 5. hist. ep. 24. Verùm obstat, quòd Eusebius S. Sagarem à Sanctitate & zelo commendent. Hic autem Angelus à Christo multis in rebus reprehenditur, & in nullo laudatur. Audit enim: *tepidus es: & nescis, quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* ita Lyran. Pererius & Alcazar. Nisi quis dicat, Sagarem initio talem fuisse, sed monitum à Christo resipuisse, uti resipuit Angelus Ephesi.

Amen quid denotet. VI. Quid significat Amen v. 14. *Hæc dicit Amen?* ℟. Amen hic non est adverbium, ùt volunt Primas. & Ambr. sed nomen sive epithetum Christi, uti & Isa. 65. v. 16. ubi vocatur Deus *Amen*, non tantùm quà Deus, q. d. Hæc dicit Christus, qui est Deus, cujus epithetum est *Amen*, id est, verus, sive ipsa veritas; sed potiùs quà homo: quia quà homo, verax fuit & fidelis, tam in sua doctrina & testimonio, quod veritati perhibuit, quàm in suis promissis. Vocatur ergo *Amen*, quia est *testis fidelis & verus*, uti explicando subditur.

Christus principium creaturæ Dei. VII. Cur Christus dicitur *Principium creaturæ Dei* v. 14.? ℟ quia ab ipso tanquam à causa prima efficiente, exemplari & meritoria, suum esse tum naturale, tum supernaturale habent omnes res creatæ. Ephes. 6. v. 10. ita Rupertus, Ribera & Alcazar.

Tepidus. VIII. Quinam hîc vocantur *tepidi?* ℟. Tepidus est, qui inter virtutes & vitia fluctuat, quiq; ex virtute quidem vivere, & peccata vitare vellet, sed certamen cum vitiis, & virtutis laborem refugit. Ita Haymo, Anselm. Lyran, & Cassian. Hos secutus Alcazar, *Tepidus*, inquit, *est, qui Deum quidem non audet mortaliter sciens & volens offendere, ideoq; se putat justum; sed purioris & perfectionis vitæ studium negligit, unde se facilè*

facilè propriis concupiscentiis permittit, & quævis peccata devorat. Dicitur hîc: *neq; frigidus es*, id est, neq; sensibiliter aut manifestè malus, ita ut vel à te vel ab aliis advertatur, te esse in gravi peccato: *neq; calidus*, id est, neq; ferventer ac revera virtuosus. *Atq; utinam talis esses*, tunc enim vel calore accendereris ad fortiter progrediendum, vel frigore exstimulareris ad celeriter resiliendum à probroso, periculoso & damnabili statu.

IX. Quid significatur *per aurum ignitum* v. 18.? R. Charitas, quæ ignita & probata est, id est, pura & defæcata ab hypocrisi, & à scoriis cupiditatis, ardens & fervens, ita Richard. Beda, Hugo & alij. Hoc aurum debes emere, utiq; aregento, non tamen tuo (peccator enim nullo opere mereri condignè potest primam gratiam:) sed Christi, nempe pretio sangvinis ipsius, inquit S. Amb. vel, ùt Dionys. Carthus. pretio non condigno sed congruo, nempe per actus fidei, spei, pœnitentiæ, orationis, & aliorum piorum operum, quibus tanquam prævijs & infallibilibus dispositionibus gratia justificans comparatur. *Aurum ignitum.*

CAPUT IV.

Videt Joannes Deum habitu jaspideo & Sardinio, in throno smaragdino residentem, & iride amictum: circumsedentes 42 seniores, & 4 animalia, plena oculis, alis senis instructa, Deum assiduè laudantia: & ad eorum laudes 24 seniores, cum coronis suis ante thronum Dei procidentes, & pari modo Deum collaudantes.

Quæstio I. Qualis fuit hæc visio Joannis? R fuit tantùm imaginaria vel intellectualis, & consequenter non realis, sed imaginaria tantùm apertio cæli. Non enim cælum habet ostium, quod aperiatur & claudatur. Mysticè hæc cæli apertio significat, cælestia fidei mysteria clariùs fuisse revelata Joanni & Apostolis novi testamenti, quàm Moysi & Prophetis. Hinc Stephanus vidit cælos apertos, Paulus raptus est in tertium cælum, Angeli ascenderunt & descenderunt supra filium hominis Joan. 1. Pariter hîc Joannes ascendit in cælum mente & spiritu, non corpore. In cælo vidit non tam gloriam Ecclesiæ triumphantis, quàm agones & labores futuros Ecclesiæ militantis, quos ipsa virtute è cœlis acceptâ erat superatura, & per illos in cœlum conscensura. *Visio S. Joannis. Cæli apertio.*

II. Quomodo intelligendus est versus 2. *Et ecce sedes posita est in cœlo &c.*? R. Per cœlum inquit Amb. Ecclesia designatur: Per sedem in cœlum positam, corda Sanctorum in Ecclesia commorantium significantur, in quibus Deus inhabitat & sedet, sicut dixit Apostolus, *Templum enim DEI sanctum est, quod estis vos.* Secundùm Bedam & Rupertum sedes significat Ecclesiam vel militantem vel triumphantem. Juxta alios est immensa celsitudo & majestas Divinæ naturæ ac felicitatis, in qua Deus ipse ex omni æternitate residet atq; requiescit. Est autem sedere & dominorum & judicum, & docentium & senum. *Sedes in cælo posita.*

III. Quis erat ille, quem Joannes, vidit, *super hanc sedem sedere?* R. fuisse figuram Dei Patris, cui nullam corpoream figuram affingit, inquit Andreas Cæsariensis, ùt in prima visione Filio affinxerat; verùm pretiosis tantùm lapidibus illum comparat: Comparat illum quidem Jaspidi, quòd is colore viridi exiftat, suâq; viriditate Divinæ naturæ symbolum præferat, hæc nempe semper viret ac floret, vitamq; & escam viventibus omnibus præstat: sed omne quoq; terræ semen viridem herbam fundere solet. Assimilatur etiam hæc sardio lapidi, ob terrorem, quem hostibus incutere natus est. Ajunt namq; sardium feris & spectris terribilem videri: & per vim, quam naturâ insitam habet, ægra corpora sanare solitum. Sanè, ut magno Epiphanio placet, non modò tumoribus, si commodè adhibeatur, medetur, verùm etiam ferro illatis vulneribus. Hæc Andreas. *Sedens super sedem.*

IV. Quid significat *iris in circuitu throni?* R. Misericordiam Dei, quæ undiq; thronum Dei circumdat. Iris enim tempore Noe reconciliationis & fœderis inter Deum & homines fuit signum. *2dò* Iris versicolor recreat, & imbrem copiosum ac varium in terram depluit, idem facit Dei misericordia: unde in ea est color, quasi cæruleus, id est, fides; & viridis, id est, spes; & rubicundus, id est, charitas; aliiq; mixti, id est, variæ aliæ virtutes & gratiæ, quas Deus effundit in homines. *3tiò* sicut iris est semicirculus, qui tantùm in hemisphærio nostro apparet: ita & Dei misericordia tantùm apparet in hac vita, in altera verò justitia. Sed maximè repræsentabat *smamgdum* viridis coloris, quia hic color intensior in iride apparebat, inquit Lyranus, & quia recreativus est, & confortativus oculi seu visûs, symbolum est consolationis, & opis Divinæ fidelibus affuturæ in instantibus persecutionibus. ita Pererius, Viegas, & à Lap. *Iris in circuitu throni*

Seniores 24.

V. Qui significantur *per 24. Seniores?* R. Illustriores Sancti & heroes partim veteris, partim novi testamenti, qui quasi senatum constituunt Ecclesiæ triumphantis, & sunt perpetui Assessores Dei, conscii mysteriorum Divinæ providentiæ circa Ecclesiam militantem, & eorum, quæ in illa usq; ad finem mundi gerenda sunt. ita Richard. Beda, à Lap. & alij. *Circumamicti vestimentis albis*, quæ notæ sunt charitatis, innocentiæ, & gloriæ Sanctorum. *Et in capitibus eorum coronæ aureæ*, indices victoriæ, triumphi & regiæ majestatis.

VI. Quid denotat *mare vitreum simile crystallo?* R. Cœlum crystallinum, inquit Andreas Cæsarienſis, seu aquas quæ sunt super firmamentum Gen. 1. Vel ùt Pererius & à Lap. cœlum empyreum, quod est Sedes & palatium Dei, Angelorum & Beatorum, vocaturq; mare ob amplitudinem, vitreum & crystallinum ob subtillitatem, tranquillitatem, splendorem, soliditatem. Sic infra c. 21. 11. Jerusalem cœlestem comparat crystallo.

Animalia 4.

VII. Quid denotant *4. animalia?* R. Sunt hieroglyphica 4. primariorum Angelorum, qui stipatores & administratores sunt Dei circa regimen Ecclesiæ & curam salutis fidelium & totius mundi. Hinc affingitur illis similitudo vultûs 4. nobilissimorum animalium, Leonis, vituli, hominis & aquilæ, quibus repræsentantur stemmata tum Dei, tum Christi, tum ipsorummet Angelorum. Vide dicta Ezechielis 1. Erant enim hæc Joannis animalia eadem cum Cherubinis Ezechielis, qui stipabant currum gloriæ Dei, inquit S. Hieron. & alii passim: hoc solo discrimine, quòd singuli Cherubini Ezechielis habuerint 4. alas, & pedes vitulinos, & in capite figuras omnium simul 4. animalium: Joannis verò singuli 6 alas, & pedes humanos, & in capite nonnisi figuram unam singuli unius animalis. Decebat enim mysteria, quæ in veteri testamento confusa & implexa erant, in novo distinctè & apertè proponi. Unde mox c. 6. audiemus singulos horum 4. Cherubinorum evocantes & edocentes Joannem de variis Ecclesiæ obventuris statibus & aliis arcanis. Erant autem hæc animalia *plena oculis antè & retro, & etiam intus*, id est, intra alas, & sub alis; id est, perspicacissimo erant intellectu, cognitione & scientiâ tum naturali, tum supernaturali, infusâ, acquisitâ, experimentali, omnia vident, omnia penetrant, præsentia, absentia, præterita, futura perinde ac si essent puri ac meri oculi: unde sapientissimi, prudentissimi, attentissimi sunt in administratione mundi & Ecclesiæ.

VIII. Cur hæc Joannis animalia, & illi Isaiæ Seraphini c. 6. v. 2. *senas habebant alas, Cherubini autem Ezechielis tantùm quaternas?* R. Quia Cherubini Ezechielis non egebant, sicut illi alii, duabus superioribus alis ad faciem coram Deo velandam; pergebant enim ad bellum, putà ad excidium Jerosolymæ: unde vultum debebant detectum habere, ut hostem detegerent, & certo ictu ferirent.

IX. Cur hæc animalia *coronas suas deponunt ante thronum DEI?* R. Quia omnem suam dignitatem, victoriam, triumphum, felicitatem ei tanquam auctori acceptam referunt, imò à se abdicant, & vero Domino reddunt ac resignant, innuentia se nihil ex se esse, nihil sibi deberi, se uni Deo omnia.

CAPUT V.

S. Joannes videt librum in manu Dei 7. signis signatum, scriptum intus & foris, quem nemo in cœlo & in terra aperire poterat, sed solus agnus occisus eum aperit: ideo 4. animalia & 24. Seniores, omnesq; cœlites tam Deum quàm agnum celebrant & glorificant.

Liber scriptus intus & foris.

QUæstio I. Quis est *liber scriptus intus & foris?* R. Liber ex utraq; parte membranæ scriptus & cylindro circumvolutus sunt mysteria hujus libri Apocalypseos de regno & persecutione Antichristi; de Eliæ, Henoch & fidelium illi resistentium constantia, de interitu hostium Ecclesiæ, de judicio universali, de felicitate & gloria beandorum. Mysteria, inquam, quæ & quatenus in Dei præscientia, providentia, & decreto æterno quasi in libro conscripta sunt. Hic liber facit posteriorem partem hujus Apocalypseos, nempe à c. 11. usq; ad finem: antiorem ab hoc capite usq; ad 11. occupant 7. sigilla, quibus membranæ convolutæ appensis illa ipsa obsignabatur & concluſa tenebatur, & sunt septem proximè hîc sequentes visiones, quibus ad apertionem cujusq; sigilli nova panditur calamitas orbi obventura, priusquam adveniat Antichristus vel excidium universi. Unde liber legi & intelligi non potuit, nisi prius reserarentur sigilla, seu calamitates, quæ ex Divino decreto prævia sunt Antichristo & excidio universali. ita Tirinus & citati apud eum.

Christus similis leoni.

II. Cur Christus *comparatur leoni?* R. Propter eximiam fortitudinem, & adversùs omnia impavidum animum, & propter regiam quandam inter cætera animalia dignitatem

gnitatem. Dæmon etiam comparatur Leoni, 1. Petri 5. propter naturalem leonis voracitatem, ferocitatem, ac vim nocendi tam dentibus, quàm ungvibus.

III. Quomodo Christus dicitur radix David, cùm sit ex radice David? ℟. Christus quantùm ad humanitatem fuit ex radice David: factus est enim ex semine David secundùm carnem; quantùm verò ad divinitatem fuit radix ipsius David, id est, Creator & Dominus ipsius. Hoc utrumq; videtur indicâsse Isaias c. 11. nam prius loquens de Messia secundùm humanitatem ejus, *Egredietur*, inquit, *virga de radice Jesse*; & paulò pòst de eodem Messia secundùm Divinitatem loquens, subdit; *in die illa Radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur.* Sicut igitur Dominus illis verbis Davidis Ps. 109. *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis*, argumentabatur contra Judæos, Messiam non modo futurum fuisse filium Davidis, sed etiam Dominum ejus, volens utiq; significare, non tantùm ipsum futurum hominem, sed etiam Deum: ita verè dicitur idem Messias fore & ex radice David, & radix ipsius Davidis. *Radix David Christo*

IV. Cur *agnus* dicitur non simpliciter occisus, sed *tanquam occisus* v. 6.? ℟. Per id significatur, inquit Aretha, quòd in morte non permanserit, sed confestim resurrexerit; unde dicitur Ps. 15. *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem:* non dixit, non dabis sanctum tuum videre interitum, qui est separatio animæ à corpore, sic enim verè Christum esse mortuum, nemo Catholicus negaverit: sed dixit, non dabis sanctum tuum videre corruptionem, quæ est humanorum membrorum dissolutio, quam Christus non sensit, celeri resurrectione vim corruptionis præveniente. Andreas Cæsariensis sic interpretatur: Etsi tunc vivebat Christus, & vitam quidem immortalem, servavit tamen in corpore insignia passionis & mortis suæ, figuram dico foraminum clavorum in pedibus & manibus, & lanceæ, in latere, quæ suis discipulis post resurrectionem & cernenda & palpanda exhibuit, eaq; ad memoriam sempiternam tantæ victoriæ retinere voluit in cœlis, sibi ad gloriam, nobis ad gratiam & fiduciam, inimicis ad perpetuum conscientiæ morsum, ut videant & confundantur juxta illud Zach. c. 12. *Videbunt, in quem pupugerunt.* *Agnus tanquam occisus.*

V. Quid significant *7. Agni cornua & 7. oculi?* ℟. Septem Spiritus Angelicos, qui sunt Divinæ providentiæ, circa mundi & Ecclesiæ gubernationem administri. Isti 7 Spiritus rectè vocantur Agni cornua, quia per eorum ministerium Deus profligat & destruit omnes adversarias potestates tam visibiles, quàm invisibiles; per eos mira facit opera & miracula, tum in defensionem Justorum, tum in depressionem & punitionem impiorum. Vocantur iidem Spiritus, Christi oculi, quòd sint ejus Administri vigilantissimi & perspicacissimi ad cognoscendum & voluntatem Dei, & quemadmodum jussa ejus, & mandata & ministeria sibi à Deo imposita perfectè sint exequenda & exempla. Dupliciter enim solet aliquis oculus Principis appellari, vel quòd eum Princeps habet charissimum & unicè dilectum, vel quòd ejus maximè consilio, prudentia, & industriâ princeps utitur in regendo Principatu, negotiisq; tractandis. Ita Pererius, Ribera & à Lap. *Cornua agni 7. & oculi 7.*

VI. Quo sensu dicitur *Christus accepisse librum ut aperiret?* ℟. Significatur Christum, quà homo est, à Deo Patre accepisse scientiam omnium, quæ futura sunt, ùt ipse testatur Joan. 7. mea *doctrina non est mea, sed ejus qui misit me.* & Joan. 5. *Pater diligit Filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit.* Nec modò scientiam à Patre accepit, sed etiam virtutem & potestatem illuminandi, regendi & defendendi atq; protegendi Ecclesiam, atq; omnes suos Electos: quin etiam potestatem accepit communicandi, quibus ipse vellet scientiam futurorum, præcipuè eorum, quæ circa Ecclesiam eventura erant. Hanc porrò scientiam accepit Christus à Patre non tunc primùm, cùm hanc Visionem habuit Joannes, sed eo ipso temporis puncto, quo ipse in Matris utero conceptus est.

CAPUT VI.

Reseratis per Agnum 4. prioribus libri sigillis variæ suboriuntur in terris commotiones & prælia & plagæ. Quinto reserato, prodeunt animæ Sanctorum Martyrum poscentes vindictam. Sexto fit ingens terræ motus, sol & luna obscuratur, stellæ cadunt de cœlo, homines in speluncas se abdunt.

Quæstio I. De quo primum *Animal, scilicet Leo instruit S. Joannem?* ℟. de regia majestate, potentia, victoria & triumpho Christi, qui hìc inducitur insidens equo albo, id est, Apostolis, aliisq; præconibus Evangelii, per quos *exivit vincens, ut vinceret* paulatim orbem universum. Et quidem duplici arcu debellavit tres equites sequentes rufum nigrum, pallidum, id est, Gentiles, hæreticos, Saracenos, id est, mundum universum. Primò metaphorico, Evangelicæ prædicationis, illustratio- *Leo instruit S. Joannem.*

nis & inspirationis, quo sensim nationes omnes sibi subjecit, & ex hostibus amicos, imò & servos sibi fecit. Idò, propriè dicto arcu, id est, bellica vi, quâ per Constantinum Magnum, & subsecutos Imperatores ac Reges regnum & imperium suum per universum orbem paulatim propagavit. Ita S. Iræneus, & ex eo Aretas, Andreas Cæsarienſis, Ribera, à Lap. & alij passim. Eqvus albus, inquit Primasius, potest in Apostolis & in Apostolicis Prædicatoribus veritatis intelligi, verè albis, id est, per Dei gratiam super nivem dealbatis: cujus equi sessor fuit Christus, cui per Habacuc prophetam dictum est c. 3. *Ascendisti super equos tuos, & equitatus tuus sanitas* (vel ut alia habet lectio, quadrigæ tuæ salvatio) arcum tenebat, de quo per eundem Prophetam dictum est, *suscitans suscitabis arcum tuum.* Est autem iste arcus sacra scriptura & Verbum Dei; sagittæ autem per istum arcum jactæ, sunt Divinæ scripturæ verba & sententiæ, quibus corda hominum transfixa, cælestis fidei ac doctrinæ semina conceperunt, & fructus justitiæ dignos æternâ vitâ protulerunt. De istis nimirum sagittis illud fuerat olim prædictum ps. 44. *sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent.* Corona aurea, quam in capite habebat, vel regiam Christi dignitatem, & potestatem significabat, vel gloriosam Apostolis paratam in cælis mercedem: nam & gratiâ & meritis, & felicitatis gloriâ cæteris præstiterunt Apostoli. Hæc Primasius.

Vitulus instruit S. Joannem.

II. Quid *apertio secundi sigilli, & secundum animal simile vitulo exhibet S. Joanni?* R. Martyrum à decem primis Ecclesiæ persecutoribus gentilibus occisorum hostias, quarum symbolum est vitulus, inquit Andreas Cæsarienſis. Igitur *exivit alius eqvus rufus* nempe paganus populus, Romanum gentile Imperium, & qui huic equo insidebat per vices, putà Neroni, Domitiano, Trajano, Antonino, Severo, Maximino, Decio, Valeriano, Aureliano, Diocletiano (qui decem primarum cruentissimarum in Christianos persecutionum auctores fuerunt) *datum* seu concessum est cælitus, *ut sumat,* id est, auferat, *pacem de terra, & ut invicem se interficiant,* quod de Tyrannis illis toti orbi est notissimum. Ita doctores pro primo equo citati. Est autem color hujus equi rubeus, id est, igneus & accensus, symbolum iræ, zeli, cædis & belli. Unde & progressuri ad bellum rubris se induere solent, inquit Alciatus. Eqvus rufus, inquit Andreas, aut effusi Martyrum sangvinis symbolum est, aut inflammatum charitate affectum eorum significat: nimirum illi flagrantes Christi amore mortem pro illo non solùm constanter sed etiam gaudenter oppetiverunt. Cùm autem dicitur, sessori ejus equi datam esse potestatem tollendi pacem de terra, ponitur nobis ante oculos sapientissima Dei permissio: hæc una enim est, quæ fidos Dei servos per tentationem probari & explorari sinit. Hæc Andreas.

Eqvus rufus.

Gladij magnitudo.

III. Quid *significat gladij magnitudo?* Rdet Pererius, quinduplicem magnitudinem illius persecutionis. Fuit enim magna, quantùm ad tempus, sive durationem: duravit enim licet non continua à Nerone usq; ad Diocletianum per annos circiter 250. Fuit etiam magna quantùm ad loca, per omnes enim provincias & regna & civitates, & oppida persecutio ista grassata est. Fuit item magna quantùm ad personas in omne videlicet genus hominum promiscuè sævitum est, nullo prorsus habito respectu neq; sexûs, neq; ætatis, neq; conditionis, neq; ullius necessitudinis, atq; cognationis. Ad hæc magna fuit ob magnitudinem & multitudinem & atrocitatem tormentorum: magna demum fuit, ob exitialem persecutionis effectum, nam per vim tormentorum vel animam impiè separabat à Deo, vel crudeliter eam separabat à corpore.

Eqvus niger denotat hæreticos.

IV. Quid intelligitur per *tertium animal simile homini, exhibens Joanni eqvum nigrum?* R Thomas Anglicus, Pererius, Ribera & à Lap. intelligunt hæreticos, qui in nigris errorum & mendaciorum tenebris homines Angelicos & divinos se fingunt, cùm sint jurati hostes Dei & emissarii Luciferi. Cùm enim hic cerneret, per gentiles Tyrannos nihil Ecclesiæ noceri, quin potiùs profuso Martyrum sangvine magis crescere & inclarescere, solerti consilio excitavit hæreticos, tenebriones, lucifugas, & pietatem ac pacem mentientes, mox tamen in Ecclesiam, in Sanctos, in Christum apertè incurrentes. Tales erant Ariani, & Arianorum sequaces Wandali, Gothi, Macedoniani, Nestoriani, Eutychiani, & similes alij, qui totis trecentis Constantinum Imper. (qui pacem Ecclesiæ dederat) subsecutis annis, & diu pòst, mirè Ecclesiam exagitârunt, gravissimaque damna intulerunt. Hujus atri equi sessor est vel ipse diabolus, vel diaboli Vicarius quisq; hæresiarcha, Arius, Nestorius &c. *Statera in manu* ejus, est simulata & ostentata justitia & veritas, inquit Pererius. *Vox in* seu de, *medio 4 animalium,* nempe ex ore tertij Cherubini, vice Dei & Agni, permittentis nigro illi equiti, tantam famem in orbem, maximeq; in Ecclesiam invehere, ut *bilibris;* græcè, chœnix (quæ est mensura duarum librarum, cum una quarta) *tritici* væneat integro *denario,* id est, duobus Juliis, seu regalibus argenteis: & tanti etiam væneant *tres bilibres hordei:* hordeum enim triplo vilius esse solet tritico. Signum porrò magnæ caritatis annonæ est, cùm tantillum tritici, quantum viro admodùm frugi vix sufficit ad victum diei unius (puta 27 unciæ, seu chœnix)

nix) comparari debeat denario Hebræo, quem vulgaris operarius non nisi labore bidui lucrari possit: vel ut minimum denario Attico, qui merces est laboris unius integri diei. Sed *vinum & oleum ne læseris*, ut etiam ex illa parte caritas augeatur. Hoc enim permissum nolo. Significat crudelitatem Arianorum aliorumq; hæreticorum in Catholicos sub Constantio Imper. sub Wandalis, sub Gothis, qui fugatos & fortunis omnibus exutos torquebant extremâ rerum necessariarum penuriâ, ut patet ex Procopio, Baronio, & aliis historicis: & cum pabulo corporis subtrahebant simul pabulum animæ, annonam sacræ doctrinæ, & sacrificii ac sacramentorum: nihilò minùs eos affligentes, quàm olim vel Nero, vel Decius, vel Diocletianus. Sed semper interveniebat Divina providentia, quâ pauperculis vel insolitâ aliorum liberalitate, vel inexspectatâ hostium commiseratione, vel etiam miraculo, de necessariis tum corpori, tum animæ fovendæ prospiciebatur, subinde ad delicias usq;, ut Baronius non uno loco ex fide dignis auctoribus demonstrat, & etiamnum in terris hæreticorum & infidelium quotidie experimur, ita Ribera, à Lap. & Tirinus.

V. Quid intelligitur per *quartum animal simile aquilæ, exhibens Joanni equum pallidum, cui insidet pallida mors?* ℟. Tertium genus hostium Christi & Christianorum. Quo symbolo Pererius, à Lapide & Tirinus intelligunt Mahometem, ejusq; sequaces Turcas, Saracenos, Tartaros &c. mortem, id est, pestem universi, pallentes, ut plurimùm vultu & luridos (crediderim ex odio & livore, magis autem ex libidine, quæ & spiritus & vigorem corporis exhaurit) Interim *gladio, fame*, peste, & feris non rarò *bestijs* sævientes in Christianos quaquaversum, per *4 partes terræ*. Cœpit hæc secta desinentibus ferè Arianis, Wandalis & Gothis anno Christi 630. (Heraclio Imper.) parvis primùm initijs, sed mox in immensum crescentibus victoriis, quibus non tantùm Trapezuntinum, & Constantinopolitanum, duo Orientis Imperia, sed & in Africa, Europa, & Indijs maxima nobilissimaq; regna paulatim occupavit, putatq; Firmanus duraturam usq; ad Antichristum, qui videtur hic designari symbolo *inferni*, quia vitiorum & nequitiarum omnium erit abyssus, & quia vis & potestas omnis Luciferi, totiusq; inferni in Antichristo, & per Antichristum sese exeret. Deniq; quia tantam ipse suis infernalibus machinationibus & diabolicis artibus copiam hominum trahet secum ad inferos, ut quasi novum infernum conflâsse videatur. *Aquila exhibet equũ pallidum.*

VI. Quid significatur apertione *Quinti sigilli?* ℟. Animæ interfectorum, id est, Martyrum durante illa triplici persecutione gentilium, hæreticorum, & Saracenorum toto orbe occisorum optant & subinde orant Deum, ut finem aliquando faciat tantis fratrum suorum miseriis, Tyrannosq; inhibeat, compescat, puniat, & ad tartara cogat. *Sigilli quinti apertio.*

VII. Quodnam est illud *altare, sub quo clamant Martyres?* ℟. Qui putârunt Sanctorum animas non videre faciem Dei ante diem judicij, sed manere in quibusdam locis valde quietis & jucundis, existimârunt istiusmodi loca esse significata vocabulo altaris. De istis verò locis & receptaculis animarum post mortem quinq; sunt opiniones ima est Origenis l. 2. Periarchon, animas Sanctorum post mortem primùm duci ad loca quædam terrestria, ubi expoliantur, & docentur multa, quæ nesciebant: exinde, eas deferri ad loca quædam aërea, & ibi perdiscere majora quædam & sublimiora: deniq; supra cælum evehi, & ad ipsum Christum perduci, & ibi perfectè rerum omnium causas videre. 2da Opinio est Victorini, esse loca quædam subterranea, quantùm ad quietem & amœnitatem, similia eorum, quæ finxerunt Poetæ de campis elysiis. Tertia opinio est Irenæi l. 5. & Tertull. l. 4. contra Marcionem, esse Paradisum terrestrem, in quo credunt esse Henoch & Eliam. Quarta est Andreæ, esse diversa loca pro voluntate Dei. & diversitate meritorum. Quinta est Bernardi, esse supra cælum, & in visione atq; contemplatione Humanitatis Christi. At verò eorum, qui censent animas Sanctorum ab omni peccato mundas post mortem statim videre faciem Dei, quid sit altare, sub quo manent animæ, variæ sunt interpretationes; omissis aliis, una ejusmodi est: Templum illud Judaicum fuisse figuram Ecclesiæ; quantùm ad atrium quidem exterius, in quo erat altare holocaustorum, & mactabantur animalia, fuisse figuram Ecclesiæ militantis: quantùm verò ad interius sanctuarium ubi erat altare incensi, & Sancta Sanctorum, figuram fuisse triumphantis Ecclesiæ. Vidit igitur B. Joannes Sanctos Martyres, quantùm ad corpora quidem in Ecclesia militante sub altari holocaustorum propter eorum passiones & cædes; quantùm verò ad animas post mortem in Ecclesia triumphanti sub altari incensi, id est, in cælo hostias perpetuæ laudis immolantes Deo, & indutas primâ stolâ beatitudinis animæ, certissima spe secundam stolam glorificationis suorum corporum, consummatæq; felicitatis expectantes. *Sub altari clamant martyres.*

VIII. Quomodo animæ sanctæ in cœlis expetunt vindictam inimicorum suorum hîc: *Usquequo Domine non vindicas sanguinem nostrum de his, qui habitant in terra*, cùm Dominus Matth. 5. & Paulus Rom. 12. jubeat nos diligere inimicos nostros, & orare pro persequentibus nos? ℟. Sancti expetunt vindictam inimicorum, non per se ac primò, *Vindictam petunt Sancti.*

sed ex consequenti, expetunt enim ut destruatur omnino regnum peccati, & adveniat super omnes regnum Dei, sed quia hæc non fient sine extrema impiorum vindicta, idcirco eam vindictam dicuntur ipsi expetere. Altera solutio est S. Aug. & Greg. Expetunt Sancti vindictam per se, quia cernentes Dei voluntatem, vident eum velle facere istam vindictam, & ideo cupiunt, ut talis voluntas Dei impleatur, & de tali impletione gaudent, quod ea vindicta maximè pertineat ad Divinæ justitiæ glorificationem. Tertia solutio est ejusdem Aug. & Haymonis: Sanctos petere vindictam ex charitate, tum ut per talem vindictam corporalem, qui ex illis persecutoribus prædestinati sunt ad vitam æternam, quàm primùm convertantur ad Dominum, tum etiam, ut qui reprobi sunt, & destinati æternis supplicijs, ocyùs tollantur è medio, ne plùs noceant aliis, & majora sibi ipsi mereantur, & coacervent supplicia.

Animæ Sanctorum habent visionem beatificam.

IX. An animæ Sanctorum habeant visionem beatificam ante diem judicij? R. Fuit error Vigilantii, & quorundam Græcorum, ac Calvini ejusq; sequacium, qui volunt ex v. 10. hujus cap. probari, animas Sanctorum necdum videre Deum, necdum frui gloriâ cœlesti, sed in loco abdito quiescere, & quasi dormire usq; ad diem judicii. Quam hæresim damnavit jam pridem Concil. Florent. in ult. Sess. in Decreto de unione Latinorum & Græcorum, & Conc. Trident. in Sess. 25. item Innoc. III. cap. Apostolica. Extrav. De Presbytero non baptizato, & Benedictus II. in Extrav. quæ incipit: Benedictus Deus. Et quomodo dormiunt, qui voce magna clamant vindictam? quomodo quiescunt in loco abdito, qui sequuntur Agnum, quocunq; ierit? quomodo non vident Deum, qui instar altaris thimiamatis, sunt immediatè ante thronum Dei, sed sublato jam velo intermedio serviunt Deo die ac nocte? Quomodo non sunt glorioſi, qui induuntur stolis albis, id est, lumine gloriæ, visione & fruitione Dei, ut omnes interpretes Orthodoxi exponunt.

Stolæ Martyrum.

X. Cur dicuntur *singulis Martyribus singulæ stolæ datæ?* R. Per hoc indicatur, gloriam solius animæ ipsis concedi, alteram enim, putà corporis stolam, quatuor gloriosis dotibus ornatam, immortalitatis, claritatis, subtilitatis & agilitatis non accipient, nisi in resurrectione. ita S. Greg. Aug. Anselm. Richard. Beda & alii. Et hoc sensu exponendi sunt Orig. Tertull. Irenæus, Hilarius, Bernardus & Victorinus. dum negare videntur animas Sanctorum ante diem judicii esse verè beatas. Agunt enim de perfecta, completa & integra Beatitudine totius hominis, tam secundùm corpus, quàm secundùm animam: qualem beatitudinem certum est non obventuram ipsis ante diem judicii.

Sigillum sextum.

XI. Quid significat *sextum sigillum?* R. S Joannes hìc transit ad tempora novissima, & ad finem mundi. Id patet ex ipsis ejus verbis, quæ propriè nulli competere possunt, præsertim si quis ea conferat cum verbis Christi Matth. 24. v. 25. (ubi orbis excidium signaq; ei, prævia describit) ille enim videbat eadem signa hìc dici cum iis, quæ ibidem dicit Christus, quod enim hìc dicitur, *sol factus est niger;* ibi dicitur, *sol obscurabitur:* hìc dicuntur stellæ de cœlo casuræ; ibi idipsum dicitur: hìc luna facta est sicut sangvis; ibi *luna non dabit lumen suum;* hìc dicitur, cœlum recessit, sicut liber involutus: ibi, virtutes cœlorum commovebuntur: hìc dicunt montibus, *cadite super nos,* ibi idem dicent, ùt patet Luc. 23. 30. Hoc ergo sexto sigillo describit ultimam Dei vindictam in impios, signaq; horrenda, quæ præibunt, & indicabunt instare extremum judicium, ita Primasius, Haymo, Beda, Ribera, Pererius & alij.

Signa ante judicium extremum.

XII. An *signa* v. 12. & 13. ad literam sint accipienda? R. Affirmativè. In fine ergo mundi Deus ad vindictam peccatorum solem faciet nigrum instar sacci cilicini, qui niger est ex nigris setis, è quibus contextus est. Porrò id fiet partim ex densitate interjecta, rum nubium, inquit Ribera, partim ex miraculosis eclipsibus, inquit Lactantius, partim ex subtractione concursus Divini ad illuminationem & radiorum emissionem necessarii, inquit Suarez 3. part. q. 59. a. 6. disp. 56. sect. 3.

Luna sangvinea.

XIII. Cur & quomodo *luna erit sangvinea?* R. Id fiet per interpositionem nobis ita dispositæ, ut per impressionem radiorum lunæ, ipsa videatur tota sangvinea, ad significandam Divini judicii severitatem, ait Suarez ibid. Nam rubicunda luna repræsentat cruorem, id est, stragem impiorum, ob sangvinem Christi ab iis vel effusum, vel neglectum, vel spretum, item effusum sangvinem Martyrum, præsertim Eliæ & Henoch, aliorumq; fidelium ab Antichristo & Antichristianis.

Stellæ cadent de cœlo.

XIV. Quomodo *stellæ cadent de cœlo?* R. Maldon. censet stellas propriè dictas in fine mundi de cœlo casuras: magis enim, inquit ipse, Christo id affirmanti, quàm Aristoteli id fieri posse neganti, assentior. Verùm sic findi deberet cœlum, imò cœli omnes planetarum: & quo decideremt hæ stellæ? quævis enim stella fixa in firmamento nobis visibilis, major est tota terra. Meliùs ergo Ribera & Pererius, per stellas accipiunt cometas, fulgura ignes cadentes, aliaq; meteora ignea instar stellarum, qualia multa erunt in fine mundi, eaq; novæ & insolitæ magnitudinis, formæ, figuræ, motûs & lapsûs. Deus enim illa, quasi horribilia fulgetra & tonitrua, jaculabitur, & deturbabit in terram, ut homines terrefaciat.

XV.

XV. Quo sensu dicitur v. 4. *Cœlum recessit sicut liber involutus?* R. Non ex loco naturali, sed ab oculis hominum, sicut liber, seu membrana cùm cylindro obvolvitur, recedere dicitur, quia literæ ejus videri amplius aut legi non possunt. Cœlum enim ejusq; stellæ, quasi literæ, atris nubibus & tenebris ita abscondentur, ut videri non possint: tam inusitatis etiam motibus agitabuntur, ut in alium mundum demigrare videantur, nec poterit ex astrorum ortu & occasu vel aspectu, consueta temporum distinctio, prognostica scientia, conjectatio vel divinatio hauriri, utpote clauso jam libro cœlorum, inquit S. Thom. Suarez & alij. *Cœlum recedet.*

CAPUT VII.

Signantur ab Angelo electi, ne tangantur plagis impiorum, putà 12. millia ex singulis tribus Israël. Deinde Joannes videt innumeram turbam ex Gentibus stantes ante thronum Dei cum stolis albis & palmis, gratias agentes & laudantes Deum & Agnum.

QUæstio I. Quinam sunt hi *4. Angeli & 4. venti?* R. Andreas Cæsarien. Ribera, & Pererius propriè accipiunt Angelos, qui justitiæ Dei administri in fine mundi improbos affligent, sicuti terræ motu, obscuratione solis & stellarum, ita & cohibitione ventorum, summâq; malaciâ, ita ut nec folium arboris agitetur. Quæ ingens est plaga: per hanc enim necesse est consequi, *imò*, ut mare navigari nequeat; *2dò* ut fructus tempestivam maturitatem consequi nequeant. *3tiò* ut aër crassus & infectus non possit depurari, nec attenuari, sed corrumpi & putrescere debeat, ac consequenter. *4tò*, omnia quæ in terris vivunt, tabescere, deficere & emori. Venti enim suo flatu fovent omne vivens, ùt pulchrè docet Seneca l. 5. Natural. quæst. 18. Unde v. 3. id ipsum explicat Joan., dicens: *nolite nocere terræ & mari*, scilicet tenendo ventos, ne flent in terra. Quanquam Alcazar & Pererius putat Angelos magis nocuisse terræ laxando habenas ventis, quàm eos cohibendo, rogareq; hic alterum Angelum, ne has habenas laxet, antequam probi signentur, ne cum improbis involvantur damnis. *Ventorum necessitas.*

II. Quodnam *signum DEI vivi erit in frontibus Servorum DEI?* R. Signum Tau Ezech. 9. v 4. id est, signum crucis Christi, cujus formam exprimit Tau. Sicut enim Antichristus suos asseclas signabit suo signo & charactere, de quo c. 13. v. 16. ita Christiani vel sponte suâ, vel Angelico instinctu, signo crucis Christianis proprio se signabunt in fronte, palàm & publicè ostentando se servos esse Christi crucifixi, & merito crucis ac mortis ejus salutem se exspectare, & immunitatem à plagis mox clientibus Antichristi obventuris. *Signum Tau.*

III. An in fine mundi præcisè ex singulis Judæorum *tribubus 12 millia non plures, nec pauciores signandi & salvandi sint, ita ut Judæi ex omnibus Tribubus salvandi præcisè futuri sint 144. millia?* R. Affirmat Ribera, additq; neminem ex tribu Dan (quia ea hîc omittitur) salvandum fore. Verisimilius Andreas Cæsarien. Pererius, à Lap. & alij censent, plures ex singulis Tribubus salvandos esse, & per 12 millia significari omnes, Prob. id imò, quia non est verisimile ex qualibet Tribu, in fine mundi nascituros æquè ac salvandos fore præcisè eodem numero, ut ne unus quidem amplius è Juda, quàm ex Ruben aliáve Tribu nascatur & salvetur. 2dò Non est verisimile nullum omnino ex tribu Dan salvandum esse: Danitæ enim cùm videbunt Antichristum occisum, seq; ab eo delusos, eum execrabuntur, & saluti suæ consulent. 3tiò quia Apostolus docet Rom. 11. 26. quòd tunc omnis Israël salvus fiet: Israël, inquam, non spiritualis & fidelis, uti explicat Ribera, sed carnalis sive naturalis, de eo enim agit Apostolus, ut patet intuenti. Hic enim eousq; derelictus à Deo, tunc ab eo suscipietur & eligetur. Hoc est quod ait, Matt. 17. 11. quòd *Elias venturus est, & restituet omnia.* Omnes autem Judæi ex una tribu plures erunt, quàm 12 millia, & universi plures erunt quàm 144. millia. Totidem tamen hîc nominantur, quia verè totidem, putà 12 millia è singulis tribubus salvabuntur, sed non tantùm; erunt enim multò plures: vocantur tamen 12 millia, quia duodenarius symbolum est perfectionis, & universitatis. Fuerunt enim 12 Patriarchæ veteris, & totidem novi testamenti, putà Apostoli, ad quorum familiam omnes signandi pertinebunt.

IV. *Ex qua tribu nasciturus est Antichristus?* R. ex tribu Dan. ità communiter PP. Probant id ex Gen. c. 49. 17. *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita*, qui locus vel ad literam vel certè allegoricè intelligitur de Antichristo. 2dò ex Jer. c. 8. 16. *à Dan auditus est fremitus equorum ejus, à voce hinnituum pugnatorum ejus commota est omnis terra.* Quæ verba ad literam loquuntur de Nabuchodonosor, allegoricè de Antichristo. *Antichristus ex tribu Dan.*

CAPUT

CAPUT VIII.

Reserato septimo sigillo, post silentium mediæ horæ, prodeunt septem Angeli cum septem tubis, quarum quatuor priores, quid sibi velint, ordine explicatur.

Silentium in cælo.

QUæstio I. Quid denotat *silentium in cælo, quasi mediâ horâ?* ℟ indicat tacitam exspectationem, considerationem & admirationem septem tubarum & plagarum ad septimi sigilli reserationem emergentium, utpote rerum maximarum, maximeq; insolitarum & stupendarum, inquit Ribera, Viegas & Tirinus.

Angeli septem.

II. *Qui sunt septem Angeli stantes in conspectu DEI cum septem tubis?* ℟. Sunt septem Angeli principes Ecclesiæ, Deo proximi & familiarissimi, quibus cura & regimen universi demandatum, inquit Ribera & à Lap. His tanquam præconibus & officialibus supremi judicis *datæ sunt septem tubæ,* quibus sententiam in Divino tribunali contra impios non signatos latam proclament, & statim executioni mandent. An sensibili tuba, vel voce tubali hæc proclamatio instituenda sit per Angelos, ut probabile putat Corn. à Lap. an verò per Prophetas voce concionatoria, quæ symbolica est tuba, docebit nos eventus. Alludi autem videtur ad 7. Hebræorum tubas, quibus jussu Dei clangentibus Josuę 6. corruerunt muri Jericho, ut hîc corruit Babylon c. 18.

Thurificatio.

III. Quid significat *thuribulum & thurificatio manus Angelicæ?* ℟. Sunt symbolum prompti paratiq; Angelorum ministerii, quo preces clientum suorum, tanquam patroni & advocati offerunt continuò Deo, non ut ipsi illas manifestent (cùm nihil possit Deum latere) sed ut ipsi pro ijs simul Deum deprecentur, atq; ita reddant eas efficaces, ut optatum sortiantur effectum. Unde meritò invocamus Angelos & Sanctos, ut hac in re nobis auxilio sint apud Deum. Nec verò frustra. Mox enim *ut fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli ascendit coram Deo,* pervenitq; ad Divinas ejus nares, gratissimum planè habuit, exaudivitq; orationes illorum. Et en exauditionis effectum. Absumpto thymiamate, *accepit Angelus thuribulum* jam vacuum, & de novo *implevit illud de igne altaris* holocausti, & ignem istum, seu prunas *misit in terram,* symbolum instantis vindictæ de impiis sumendæ, quam Sancti poposcerant Apoc. 6. v. 9. Unde mox sequuntur *tonitrua, fulgura, terræ motus,* prænuntia majorum calamitatum. Sic Ezech. 10. 2. accipit Angelus prunas ignis de altari, easq; effundit in Jerusalem, ut eam vastandam significet & exurendam per Chaldæos.

IV. Quis intelligitur *per Aquilam* v. 13? ℟ Ribera intelligit eximium aliquem & cælestem Prophetam (Beda, Aretas quemvis prædicatorem) qui volitans *per medium cæli* id est, vocem suam per universum orbem celerrimè dispergens hominibus tum temporis existentibus prænuntiabit sequentes tres gravissimas plagas, & instantem tyrannidem Antichristi. Corn. à Lap. putat non improbabile esse, Angelum assumptâ aquilæ formâ, transvolaturum per orbem, & ubiq; hæc jam dicta proclamaturum.

CAPUT IX.

Quæ & quanta plagæ subortæ sint canente tubis quinto & sexto Angelo.

Stella de cælo cadens.

QUæstio I. Quæ est *stella de cælo cadens* v. 1.? ℟. Est Angelus unus è bonis, qui præsidet inferno. Claves enim, id est, imperium & custodia infernalis carceris non committuntur Lucifero aut alijs dæmonibus, utpote damnatis, & incarceratis, sed Angelis bonis divinæ justitiæ ministris. Hic Angelus è cælesti delapsus palatio, cum clave *putei abyssi,* habens potestatem aperiendi & laxandi infernum reserat os illius, & simul laxat sinum terræ, aperto terribili hiatu. Mox v. 2. *ascendit* ex puteo *abyssi* ingens & spissus *fumus,* sicut ex Ætna & Vesuvio sæpiùs prorupit.

Locustæ.

II. Quæ sunt *locustæ* v. 3.? ℟ Tirinus dicit esse naturales & propriè dictas, sed peregrinas & monstrosas (ut est locustarum peregrinarum magna varietas, quam pulchrè depingit Aldrovandus in locusta) divina virtute subitò procreatas (ut illæ olim in Ægypto, Exod. 10, quò hîc alluditur) easq; virulentas & aculeatas, & pungentes instar scorpionum. ita Lessius & ferè Corn. à Lap. qui magis propendet, ut locustas has dæmones faciat, indutos formâ locustarum monstrosâ & horribili, ex leone, scorpio, equo & homine commistâ, quales olim territando S. Antonio, Hilarioni, Macario, alijsq; Sanctis sæpiùs apparuerunt, & ùt plurimùm apparere dicuntur moribundis, quidni & mundo jam moribundo, & brevî animam acturo? Hanc Cornelii sententiam etiam probabilem censet Ribera: licet ipse malit de barbarorum militum exercitu sermonem hîc esse. Sed de militibus proxima canet tuba: neq; milites feriunt aculeo vel

caudâ

caudâ, sed gladijs, lanceis & sclopis. Unde Tirinus propriè dictas & monstrosas intelligit locustas, & quæ dirigantur, impellanturq; à dæmone. Neq; enim herbivoræ erunt, sed carnivoræ: neq; invadent (ut solent naturales locustæ) *fœnum terræ*, id est, germina, frutices, vel arborum fructus, sed solos *homines*, neq; hos promiscuè, sed eos duntaxat, *qui non habent signum Dei in frontibus suis*, id est, solos impios, & Deo rebelles; in hos enim jussu Dei per dæmones adigentur, non ut subitò enecent, sed longo lentoq; cruciatu *quinq; mensibus* horrendè torqueant, ut torqueri solet ictus à scorpione, cujus venenum lentum, sed grave & internecinum causat supplicium, ut homo nec vivere possit, nec mori.

III. Qui sunt *quatuor Angeli, qui solvi jubentur* v. 14.? R. esse malos Angelos, qui quasi archidæmones pro Lucifero præsunt quatuor orbis partibus: qui à passione Christi *alligati sunt in Euphrate*, juxta Babylonem, ubi Andreas Cæsariensis putat nasciturum Antichristum. Ligati, inquam, decreto, & imperio divino, inquit Tirinus, fortè etiam qualitate aliqua detentiva. Non desinunt interim tales nocere hominibus, si non per se, certè per emissarios suos cacodæmones inferioris ordinis, inquit Serarius. Non tamen possunt tantopere nocere post mortem Christi, quàm antè poterant, sed sub finem mundi solventur, & pristinæ, immò longè majori liberati restituentur. *Angeli 4. solvi jubentur.*

IV. Quis fuit *exercitus equestris*, cujus numerus *vicies millies dena millia*, id est, bis millies centena millia, id est, ducenti milliones? R. Ribera putat hos exercitus fore decem illorum regum, qui ante Monarchiam Antichristi Babylonem evertent, ut infra per hysterologiam c. 18. describit Joannes, Cornelius à Lapide mavult esse copias ipsius Antichristi, quibus monarchiam orbis totius sibi comparabit, putatque majorem partem ex dæmonibus conflandam, ut & supra v. 3. de locustis sentiebat. Porrò ita vidit equos, ut viderentur capita habere leonum seu leonina, terribiles & interritos instar leonum: equites *habebant loricas*, alij *igneas*, instar ignis lucentes, radiantes, flammantes: alij *Hyacinthinas*, violacei, seu cæleſtis coloris, quasi de cælo ad vindictam sumendam emissi; alii sulphureas, id est, rubeas & croceas instar sulphuris, prognosticas infernalis incendii, quod impios manet. De eorum ore, tum equitum, tum equorum *procedit ignis & fumus, & sulphur*. q. d. instar leonum, fumos naribus efflabunt, & nihil nisi ignes, flammas, & incendia spirabunt. Videturq; hac phrasi describere bombardas militum & ignem pulveris sulphurei, inquit Lessius l. 13. de perfect. Divin. c. 18. dum enim milites jaculantur, ita admovent ori bombardam, ut ex ipso ore ignem & fumum sulphureum emittere videantur. *Caudæ* equorum *similes serpentibus, habentes capita*. Quâ metaphorâ significantur pedissequi, caculæ & alii ministri militum, qui instar serpentum occultè nocent furtis, rapinis, venenis, incendiis, nocentiores ut plurimum ipsis militibus, ita Lessius. *Exercitus equestris.*

CAPUT X.

Angelus nube amictus, iride cinctus, dextro pede mari, sinistro terræ insistens, jurat, quòd amplius non erit tempus. Mox reboant & consonant septem tonitrua. Jubetur Joannes accipere apertum librum de manu Angeli, acceptumq; devorare, quem in ore melleum, in ventre amarum experitur.

QUæstio I. Quis fuit *Angelus fortis* v. 1.? R. Ribera putat eumdem fuisse cum illo, qui cap. 5. nuntiavit Joanni, Agnum reseraturum librum. Agit autem hìc legatum & typum Christi. *Amictus nube*, gloriæ tegumento simul & symbolo: & quia arcana Dei consilia de fine & interitu mundi nuntiaturus aderat. *Iris* circum caput symbolum est pacis & reconciliationis hominum cum Deo, si mores corrigere velint: sin autem, rugiet, ut leo, calcabitq; obstinatos pedibus suis columnaribus & igneis, id est, potentiâ & irâ suâ, quâ illos æternum conteret. *Facies ut sol* indicium est tum statûs glorioſi, tum scientiæ infallibilis, sicut pes dexter mari, sinister terræ impositus signum est absoluti imperii in totum mundum, nihilq; esse usquam, quod Christi vindicem oculum aut manum effugere possit.

II. Quis fuit *libellus in manu Angeli* v. 2.? R. Idem ille est, de quo c. 5. v. 1. nempè signatus antè 7. sigillis, sed jam illis per Agnum reseratis apertus offertur Joanni legendus, imò describendus.

III. Quas voces *locuta sunt 7. tonitrua* v. 3.? R. Hæ voces, quasi echo respondent clamori Angeli. Est ergo hæc Echo heptaphona, sive septem vocum, qualem refert Plinius l. 36. c. 15. ubi vox eadem repercussa septies reddebatur. Fortè alludit ad ps. 28. qui celebrat Dei magnificentiam ex eo, quòd sit altitonans, cieatq; horrida & valida tonitrua; *Tonitrua loquentia.*

nitrua: unde in eo *vox Domini* (quæ non est alia, quàm tonitru) septies repetitur. ita Alcazar. Porrò hæ voces tonantes & hæc tonitrua vocalia significant magnitudinem calamitatum futurarum in fine mundi: quocirca articulatæ erant hæ voces: nam eas intelligebat, & intellectas conscribere volebat S. Joannes. Sicut ergo in Sina Exod. 19. Angelus voce tonante, sed articulata proclamavit & promulgavit Hebræis legem Decalogi: ita tonitrua hæc articulatè & vocaliter edicebant plagas orbi imminentes

Tempus non erit amplius.

IV. Quo sensu dicitur v. 6. *Tempus non erit amplius?* R. Cum fine mundi desinent moveri cœli, consequenter non erit amplius tempus (quod teste Aristotele, non est aliud, quàm numerus seu mensura *motûs primi mobilis*, discriminati motibus solis & lunæ) sed pro tempore succedet ævum æternum, simile ævo seu durationi Angelorum. Quanquam possit etiam hìc per tempus intelligi spatium pœnitendi, merendi, & salutem æternam procurandi, quod haud dubiè cessabit cum fine mundi. Dan. 12. v. 7. simile habes juramentum Angeli.

Liber datur devorandus.

V. *Quis liber, & quo sensu datur Joanni devorandus?* R. Liber seu libellus hic est ipsa Apocalypsis. q. d. Accipe hanc revelationem Apocalypsis dè futuris in fine mundi sub Antichristo, eamq; *devora*, id est, avidè totam hauri & perspice, totamq; in mente & ventre memoriæ reconde, ut eam ruminare & per partes expendere possis. Porrò Apocalypsis hæc, hoc est, revelatio & prænotio futurorum sub Antichristo, quam accepi à Christo per Angelum, in ore, id est, primâ facie & primô gustu erat mihi dulcis, dicit S. Joannes, mentemq; pascebat & oblectabat: quia erat mira, nova, arcana & Divina cognitio & prophetia: sed ubi cæpi ruminare calamitates, ac multitudinem reproborum, fortè etiam lapsus & casus multorum Sanctorum in persecutione Antichristi, quæ hoc libro & hac revelatione continebantur, amaricatus est venter meus, id est, intimè in animo & mente mea indolui & ingemui. Ita Aretas, Corn. à Lap. & alii. Alludit ad naturam mellis, quod comestum convertitur in flavam bilem, & stomachum lancinat & amaricat. Nam ùt ait Pòeta: *Dulcia se in bilem vertunt.*

CAPUT XI.

Posteriorem Apocalypseos partem, quam Joannes in libro jam aperto legit, inchoat à conculcatione Ecclesiæ per Antichristum tribus annis cum dimidio: sed statim ab initio se illi opponent Henoch & Elias quasi duo Archistrategi: quorum proinde gesta & miracula, mortem, martyrium, resurrectionem, & in cœlum ascensionem, & portenta mortem consecutura, uno eodemq; filo pertexit, etsi posteriùs contigerint. Horum enim omnium à v. 7. usq; ad finem hujus capitis proprius locus esset v. 19. post v. 10. Nam ante bellum illud ultimum Christi cum Antichristo, Gog, & Magog, quod ibi v. 11. describere incipit Joannes, continget mors Eliæ & Henoch, canet septimus Angelus, & alia quæ hoc cap. 11. recensentur.

Calamus mensorius.

QUæstio I. Quid notandum *de calamo mensorio simili virgæ, seu sceptro regali, dato Joanni?* R. Erat symbolum regiæ potestatis, cujus est mensurare subditos, id est, dijudicare, & pro meritis punire, vel præmio decorare. Hoc calamo jebetur Joannes metiri *templum Dei*, id est, Ecclesiam Christi (quæ specie templi Salomonici oculis Joannis objiciebatur) & *altare* tum holocausti, tũ thymiamatis, id est, intima Ecclesiæ mysteria, & arcana, & *adorantes*, id est, sacrificantes in altari, tam Sacerdotes, quàm laicos, qui victimas ibi offerunt Deo: puta selectiores Christianos, qui tempore Antichristi per religiosa exercitia sese arctiùs Deo adstringent, ut in ejus fide, charitate & cultu solidiùs stabiliantur. Hos jubetur Joannes metiri, id est, numerare, & in codicem referre, utpote sinceros Dei cultores, amicos, filios, regni hæredes, & felicis æternitatis candidatos.

II. Quo sensu dicitur v. 2. *Atrium autem, quod est foris templum, ejice foras* &c. ? R. Eos qui in atrio sunt laicorum, id est, vulgaris & laxioris vitæ Christianos, qui à Deo & Ecclesiæ sacris remotiores sunt, nec multùm curant Divina, *ne metiaris*, utpote indignos, qui inter Sanctos numerentur; sed *ejice* foras, id est, rejice, repudia, contemne: quia hi desciscent mox à fide, & prædæ erunt Antichristo, & *Gentibus* illi fœderatis, quæ civitatem sanctam, id est, Ecclesiam Christi, non extingvent quidem, sed *calcabunt* profanis pedibus suis, & maximam ejus partem pessundabunt & vastabunt, *mensibus 42.* id est, tribus annis cum dimidio, ùt loquitur Daniel 7. v. 25. cùm agit de eadem re. Tantò

enim

enim tempore durabit Monarchia Antichristi.

III. Qui sunt *duo testes* v. 3.? R. Unum fore Eliam certum est ex Malachia 4. v. 5. ex Ecclesiastico 48. v. 9. & 10. & ipsomet Christo Matt. 17. v. 10. id diserte prædicentibus, & quia in eo SS. Patres & DD. omnes consentiunt. Pro secundo opinatur Hilarius can. 10. in Matth Maldonat. in Matth. 17. venturum Moysen; sicut venit ad transfigurationem Christi. Sed Moysen constat mortuum esse. Unde cæteri omnes orthodoxi una voce socium Eliæ faciunt Henochum, quem constat non esse mortuum, sed raptum à Deo, ut sub finem mundi det Gentibus pœnitentiam. *Testes duo Henoch & Elias.*

IV. Cur *Elias & Henoch dicuntur duæ Olivæ, & duo candelabra* v. 4.? R. Quia instar duarum olearum, succulenti, pingves & fertiles erunt bonorum operum ac fructuum ad Judæos & Gentes aberrantes reducendos ad Christum. Iidem dicuntur duo candelabra, quia Christum, qui est verum lumen toti mundo proferent & ostendent. Idem de his iisdem, sed sub typo Zorobabelis & Jesu prædixit Zacharias c. 4. v. 11. & seqq. ut docet S. Greg. Ribera, à Lap. & Tirinus.

CAPUT XII.

Describit ipsum bellum, sub schemate mulieris & draconis concertantium: draco enim filium mulieris rapere & devorare conatur; sed ille rapitur ad Deum. Insequitur draco, ut eos ad pœnam deposcat in judicio: sed ab Archangelo Michaële dejicitur, trahitq; secum tertiam partem stellarum, dejectus persequitur mulierem, quæ acceptis alis fugit in desertum flumen: quòd draco in fugientem emittit, ab hiante terra absorbetur: draco reliquias seminis ejus persequitur.

QUæstio I. Quæ est *mulier amicta sole* &c. v. 1.? R. Est Ecclesia sponsa Christi, militans sub extrema mundi tempora, *amicta sole*, id est, circumdata Christo sponso suo, ejusq; protectionis, & gratiarum radiis undiq; cincta: & *Luna* symbolum mutabilitatis & inconstantiæ, id est, res omnes sublunares & temporales *sub pedibus ejus* devictæ, calcatæ, contemptæ, inquit S. Greg. Aretas à Lap. & alii. *Et in capite ejus corona stellarum 12.* Quod de choro 12. Apostolorum, qui Ecclesiæ instar fulgentissimarum stellarum præfulgent, maximè in capite, id est, initio nascentis Ecclesiæ, SS PP. & interpretes passim exponunt. Alii per hanc mulierem B. Virginem Deiparam intelligunt, quæ nobilissimum Ecclesiæ membrum imò mater est, per 12. stellas intelligunt 12. prærogativas gratiarum, quibus B. Virgo præ reliquis Sanctis coronatur. *Mulier amicta sole*

II. Cur in *utero habens clamabat*? R. quia Ecclesia in fine mundi ob acerbissimas Antichristi persecutiones, & innumeras dæmonum nequitias, impedimenta, undiq; injicientium, non nisi maximis laboribus, ærumnis & doloribus pariet Christo novos filios.

III. Quis *Draco magnus rufus habens capita septem?* R. Princeps Dæmonum Lucifer, rufus propter continua homicidia, fraudes, & machinas, quarum symbolum est color rufus, inquit Alcazar. *Habens capita septem*, singula diademate coronata, id est, septem sibi familiares reges, quorum sex præcursores erunt Antichristi, de quibus c. 17. v. 9 & 10. septimus isq; præcipuus, erit ipsemet Antichristus, primarium Luciferi caput, habens *decem cornua*; id est, decem reges & regna sibi subjecta, de quibus Dan. 7. v. 24. decem enim reges qui tunc dominabuntur in orbe, subjiciet sibi Antichristus, tribus occisis, reliquis ultro se suaq; dedentibus. *Draco rufus.*

IV. Quæ est *cauda hujus Draconis trahens tertiam partem stellarum* cæli? R. Est idem Antichristus: qui quia primarius belli impiorum dux, & omnium regum rex, draconis caput meritò vocatur: quia verò extrema seu ultima corporis diaboli pars, ultimum instrumentum, ultima machina, etiam cauda draconis vocitatur, inquit S. Greg. Ribera, à Lap. & alij. Hæc cauda post se in suam perfidiam *trahebat tertiam partem stellarum*, id est, virorum illustrium, principum Ecclesiæ, non modò politicorum, sed & Ecclesiasticorum, Doctorum & Religiosorum, qui instar stellarum in orbe alijs prælucent & præcellunt, ita S. Hieron. & alij in Dan. 8. v. 10. Ubi simili phrasi Antiochus Epiphanes typus Antichristi, dicitur dejecisse de fortitudine & de stellis, & conculcâsse eas, nempe Judæos doctrinâ, pietate, genere præclustres minis & blanditijs ad Apostasiam & idololatriam pertrahendo. *Draconis cauda.*

V. Quem *filium masculum peperit mulier* v. 5.? R. Ecclesia vallata & obsessa à Dracone peperit filium masculum, id est, fortem, generosum, nempe selectam multitudinem fidelium, & cœtum Sanctorum, qui ducibus Henoch & Elia invicto animo resi-

ſtent Draconi, mille potiùs mortes obituri, quàm ejus impietati obſecundaturi: qui cætus recturus erat, & ſuperato Antichriſto revera reget omnes totius orbis *gentes in virgâ ferreâ*, vi & armis ſibi ſubjiciendo & Chriſto, putà in ultimo prælio conra Gog & Magog c. 19. Porrò quidquid agat Draco, non poteſt prævalere, ſeu mulieri ſeu filio: nam *raptus eſt filius ejus*, id eſt, cætus hic Deo fidelis translatus eſt *ad Deum* partim in cælum per varia martyria, partim in tutum aſylum, per extraordinaria miracula Mulier verò, id eſt, reliqua Eccleſia, mater hæroum jam dictorum, fugit durante ſævitia Draconis, *in ſolitudinem*, fidelibus hinc inde ad deſerta & latibula ſe recipientibus.

CAPUT XIII.

Sub ſpecie duarum horribilium beſtiarum, unius marinæ, alterius terreſtris, duo deſcribuntur primarij duces regni diabolici, Antichriſtus ejusq; præcurſor pſeudopropheta, qui jubebit adorari priorem beſtiam, omnesq; ejus charactere, vel numero nominis (qui erit 666) palàm conſignari.

Beſtia de mari aſcendens.

QUæſtio I. Quæ eſt *beſtiâ de mari aſcendens*? ℟ Antichriſtus, juxta communem; aſcendens de mari, vel quòd per mare cum ingenti claſſe venturus ſit, vel quia per mare intelligitur mundus nequam. Habens capita ſeptem, quia ſeptem Regum eum præcedentium regna ſolus habebit. Decem cornua ſunt decem Reges, qui eo tempore erunt in mundo, quos ſibi omnes ſubjiciet Dan. 7. Super capita ejus *nomina blaſphemiæ*, quia ipſe cum præcurſoribus regibus blasphemus erit in Chriſtum. Hæc *beſtia* quoad corpus *ſimilis pardo*, quia Antichriſtus inſtar pardi erit maculatus omnibus ſceleribus, verſatilis in omnes fraudes & dolos, & velociſſimo curſu, quaſi fulmen pervadet & ſubiget orbem. *Pedes ejus ſicut urſi* fortiſſimi & ad conculcandum aptiſſimi. Os, victus, & rugitus, ſicut leonis ſuperbi, terrifici, invicti, omnia diſcerpentis ac dilaniantis.

Caput quaſi occiſum.

II. Quod eſt *caput unum quaſi occiſum in mortem* v. 3.? ℟ Suarez tract. de Antichriſto & alij volunt hoc caput læſum eſſe unum de regibus Antichriſto famulantibus; Beda tamen, Primaſius, Richardus, à Lap. Tirinus & alij intelligunt ipſum Antichriſtum, primarium ſeptricipitis beſtiæ caput: nam v. 12. adoratur *beſtia cujus curata eſt plaga*: atqui non ſinet Antichriſtus quemquam regum præter ſe unum adorari. Finget Antichriſtus teneri ſe plaga lethali & incurabili, ex eaq; ſe mortuum ſimulabit, ſed tertia die omnibus inopinatò ſe redivivum ſiſtet, ut Chriſti reſurrectionem imitetur. Quo miraculo exciti undiq; mortales *adoraverunt Draconem* Luciferum, quaſi numen in Antichriſto incluſum, auctorem primarium novi miraculi, utpote *qui beſtiæ poteſtatem dedit*, ſeipſam à morte reſuſcitandi. Junctim tamen *adoraverunt* etiam ipſam *beſtiam* ipſummet Antichriſtum 2. Theſſal. 2. v. 4. *dicentes quis ſimilis beſtiæ*? beſtiam vocavit Joannes, ſed Antichriſtiani vocabunt eum Meſſiam & Chriſtum ſuum inquit Beda.

Beſtia terreſtris.

III. Quæ fuit *terreſtris beſtia* v. 11.? ℟. Per hanc Tertull. Irenæus, Amb. Ribera, à Lap. intelligunt inſignem impoſterem, qui quaſi præcurſor, propheta & præco Antichriſti, & quaſi alter Joannes Baptiſta, Antichriſtum ubiq; deprædicabit, & ſignis mirandis ejus nomine editis, famam ejus toto orbe diſperget, volet enim Antichriſtus ſpeciem aliquam affectare myſterij SS. Trinitatis, Draconi enim ſeu Lucifero deferet tanquam Patri ſuo: impoſtor verò iſte, quaſi Spiritûs Sanctus, Antichriſtum, ut Dei filium, & Meſſiam ac mundi redemptorem declarabit. Sic Joſephus Acoſta l. 2. de temp. Noviſſ. c. 17. *Habebat cornua duo ſimilia Agni.* ſcilicet affectatam vitæ Sanctimoniam, & fictam patrandorum miraculorum poteſtatem, quibus quaſi agninis cornibus plurimos ad Antichriſtum trahet. Ex his duobus cornibus, quæ bicornis mitræ Epiſcoporum inſigne ſunt, colligit idem Joſephus Acoſta, hunc impoſtorem fore Epiſcopum quempiam apoſtatam, fidei ſimulatorem, religionis proditorem, qui perfidiâ ſuâ & hypocriſi ſectam Antichriſti mirificè propagabit, ut olim Arrij hæreſim Urſacius, Valens, Euſebius & tot alij Epiſcopi ſumma contentione propagârunt.

Beſtiæ ſecundæ ſigna.

IV. Quæ ſigna *faciet hæc ſecunda beſtia*? ℟. Præter reſuſcitationem beſtiæ quaſi à mortuis hîc duo tantùm recenſentur. Primum inſtar Eliæ *ignem faciet de cœlo deſcendere*, v. 13. & devorare refractarios. 2dum v. 15. *Imagini beſtiæ*, id eſt, ſtatuæ Antichriſti (quam ut quisq; ſibi comparet ex auro, argento, aliove ære vel ligno ubiq; ſuadebit) dabit *ſpiritum*, nempe dæmonem familiarem illi immittet, qui per ſtatuam ac ſi animata eſſet, loquatur, ut olim loquebatur Apollo Delphicus, inquit Richardus, Aretas, Rupertus. Sed ex S. Paulo 2. Theſſal. 2. v. 9. colligimus, longè plura ſigna edenda non verè, ſed fictè, *ſecundùm operationem ſatanæ in omni virtute, & ſignis, & prodigijs mendacibus, &*

bus, & in omni seductione. Unde Sybilla l. 3. Oracul. quatuor alia addit, nempe quòd sistet Antichristus mare, quòd sistet solem & lunam, quòd montes transferet, quòd plures mortuos suscitabit. Signorum horum fallacias detegent Henoch, Elias & alij Sancti, depulsis præstigijs & fucis ab hominum oculis & mentibus, & detectis impostorum fraudibus, quibus quæ physica seu naturali, saltem dæmonum vi, facta fuerant, ipsi vi supernaturali ac divina perfecisse videri volebant.

CAPUT XIV.

In tam acri persecutione, ut fidelibus animi addantur, recenset 144 millia, qui tunc Antichristo generosè resistent, si non linguâ, certè vitâ innoxiâ, castâ & inculpatâ. Transit dein ad tres Angelorum voces, quorum primus nuntiat diem instare judicij, & monet homines, ut timeant & colant Deum. Secundus edidit casum & ruinam Babylonis. Tertius minatur Antichristi assecla gehennam. Voce cælesti pronuntiantur beati, qui in Domino moriuntur. Deniq; falx Christi demetit electos, & vindemiat impios, mittitq; in lacum iræ Divinæ.

QUæstio I. Qui sunt *hîc 144 millia* v. 1.? R. Non sunt ijdem (ut putat S. Hieron. & Alcazar) cum ijsdem totidem signatis c. 7. v. 4. Nam hi virgines omnes sunt, & tam ex Gentilibus, quàm ex Judæis collecti: illi omnes sunt Judæi, & ex omni statu etiam conjugali. ita Aretas, Ribera, à Lap. & Viegas, qui censet numerum definitum & parvum poni hîc pro indefinito longè majori. In quo tamen nolim cum ipso comprehendere parvulos aut infantes, quia in talibus virginitas non est virtus, sed conditio ætatis: neq; isti pro virginitate tutanda stabunt aut certabunt contra Antichristum, ut de adultis hîc dicitur tam fœminis quàm masculis.

II. An rectè inferant hæretici non dari purgatorium, nec cruciatus in eo ex verbis v. 13. *Amodo jam dicit spiritus, ut requiescant à laboribus suis?* R. Perperam: Nam imò quòd dicitur hic justos requiescere à laboribus, intellige hujus vitæ, quos scil. exantlârunt in mortificatione passionum, in observatione divinæ legis, & in persecutionum tolerantia. Hi enim mox à morte ab ijs requiescunt. Sed siquid adhuc labis habeant illud detergendum est in purgatorio. Adde eos in purgatorio requiescere in certa spe salutis & gloriæ brevi affuturæ, quæ dum aderit, reipsa, in æternam requiem introibunt. 2dò Turrianus & ex eo Franc. Suarez tert. part. tract. de pœnitentia Disp. 45. Sect. 1. censent S. Joannem hìc loqui tantùm de perfectè justis, qui nulla labe culpæ, etiam venialis nullo quoq; reatu pœnæ pro culpa luendæ obstricti sunt, sed puri prorsus & liberi sunt. Hi enim cùm nullum habeant debitum, mox in æternam requiem transeunt. *Purgatorium.*

III. Qui sunt *tres Angeli, qui hic* v. 15. 17. & 18. *recensentur?* R. Primus v. 15. est legatus Martyrum, qui eorum nomine obsecrat Christum, ut sua falce demetat triticum, id est, sanctos & electos, eosq; congreget & colligat ad se per Angelos à 4. mundi plagis, ut resurgant ad gloriam, & cum eo ascendant ad cœlum. Secundus v. 17. est Angequi in fine mundi demetet impios, unde habet falcem acutam. Tertius v. 18. est pariter Angelus, qui secundo imperat, ut falcem exerat & demetat impios. Est ergo hic Angelus propriè dictus, æquè ac secundus, qui præerit impiorum tum morti per secundum Angelum, tum pœnis gehennæ, non per se, sed per dœmones inferendæ. Exit de altari, quia c. 6. sub altari quiescunt animæ martyrum poscentes vindictam: inde ergo egreditur quasi Legatus Martyrum, æquè ac primus à Deo postulans vindictam, ut Martyrum homicidas, omnesq; improbos in tartara detrudat, eaq; impetrata, mandat Angelo secundo Divinæ vindictæ executori, ut falce sua vindemiet botros, id est, impios. Hinc habet potestatem super ignem, ùt videlicet inducat in orbem ignem conflagrationis, ait Andreas, vel ut mittat reprobos in ignem Gehennæ, ùt vult Aretas & Beda, tradendo scilicet eos dœmonibus, qui eos in tartara abripiant.

CAPUT XV.

A brevi digressione, qua cap. præced. obiter perstrinxit præmia electorum & pœnas reproborum, redit hoc cap. ad prosequenda Antichristi tempora, producere incipiens ex una parte 7. Angelos effundentes 7. phialas iræ Dei: ex altera, sanctos jam victores Antichristi, super mare vitreum citharizantes, & latum canticum Moysis & agni decantantes.

Mare vitreum.

QUæstio I. Quid intelligitur *per mare vitreum mistum igne* v. 2.? R. Est cœlum empyreum coruscum splendore Divinæ præsentiæ, & fervens ardore charitatis Sanctorum. Fit autem hic allusio ad mare rubrum fulminibus coruscum, quod duce Moyse Hebræi sicco pede transierunt, cùm persequeretur eos Pharao Exod. 14. Sicut enim illi tunc demersis Ægyptiis, alacres & grati cecinerunt carmen Eucharisticum *Cantemus Domino &c.* Ita nunc Sancti, postquam feliciter transierunt mare hujus sæculi, merso in eo Pharaone, id est, diabolo & Antichristo, in mari cœlesti canunt idem lætum epinicion, seu triumphale *canticum Moysi*, sed in cœlo vocatur *canticum Agni*, quia Moyses erat figura seu typus Agni, id est, Christi: sicut eductio Hebræorum per mare rubrum, figura fuit eductionis ex hujus vitæ miseriis per martyrium vel aliam mortem in cœlum.

Templum tabernaculi.

II. Quid intelligitur per *templum tabernaculi testimonij in cælo?* R. Pars intima & sacratissima templi, nempe *sanctum sanctorum*, in quo tanquam in proprio tabernaculo asservabatur testimonium Divinum, id est, lex Divina, & tabulæ legis sive Decalogi in arca. Porrò per *sanctum sanctorum* significantur adyta & intimi recessus Divinæ providentiæ, ut auctoris, ita & vindicis Divinæ legis. Unde ex his penetralibus prodeunt 7. Angeli ultores futuri violatæ legis, *vestiti lino mundo* symbolo candoris & puritatis partim naturæ Angelicæ, partim judiciorum Divinorum, quæ munda sunt ab omni passione seu favoris, seu odii, & ab omni suspicione fraudis, injustitiæ vel erroris. *Præcincti zonis aureis* castitatis, justitiæ & charitatis.

III. Qui sunt *7. Angeli cum phialis iræ Dei* v. 6.? R. Sunt veri Angeli, qui judicia & supplicia Dei, quæ symbolicè per phialas significantur, in homines effundent in fine mundi. Hi enim sunt administri & executores Divinæ providentiæ & vindictæ.

CAPUT XVI.

Septem Angeli septem phialas & plagas in orbem effundunt. Primus inducit vulnera pessima. Secundus mare, Tertius flumina & fontes vertit in sanguinem. 4tus æstu solis adurit homines & terram. 5tus tenebras inducit: 6tus Euphratem exsiccat, & cædit exercitus Antichristi. 7mus ciet fulgura, tonitrua, terræ motus & grandinem instar talenti.

QUæstio I. Quomodo intelligendum est *Angelos effudisse phialas in mare, flumina, solem &c.?* R. Non ad literam, ùt sonat, quasi in fine mundi reipsa phialas suas effusuri sint, sed symbolicè accipiendum est. Tantùm enim hæc phrasi & symbolo significatur Angelos operaturos & effusuros esse in mari, fluminibus, sole &c. iram & vindictam Divinam, in phiala quasi contentam & repræsentatam, v. g. efficient, ut aquæ maris & fluminum vertantur in sanguinem, vel sol solitò ardentiùs urat impios &c.

II. Quo sensu dicitur v. 3 *Et factus est sanguis quasi mortui?* R. Singularis ponitur pro plurali mortuorum, id est, perinde ac si factæ essent in eo innumeræ hominum cædes: unde & pisces omnes, qui non sanguine sed aqua victitant, pariter emortui sunt. Probabile autem est, plagas has non nocituras fidelibus, sicut non nocebant Hebræis in Ægypto. Probabile etiam, sicut Ægyptiacæ non durârunt, nisi octiduo, ne homines siti perirent, ita & has Antichristianorum plagas non diu duraturas, sed post aliquot tempus mare & flumina pristino colori & sapori restituenda. Probabile deniq; , in stagnis, lacubus & vivariis (quorum nulla hic mentio) pisces sine noxa superfuturos, inquit Lessius & à Lap. qui etiam notat, plagas has omnes non simul sed successivè, & per intervalla in impios immitti, ut per eas ad pœnitentiam provocentur.

III. Quid discendum ex illis verbis v. 5. *Et audivi Angelum aquarum?* R. Angelos certos à Deo præfectos esse & præsidere certis creaturis, & singula elementa habere suum Angelum præsidem. Si enim aquæ habent suum Angelum, cur non pari jure habeat & suum & terra aër? Deus enim hæc inferiora per Angelos distribuit, ut ipsi figillatim eorum curam gerant. Ita docet S. Aug. l. 83. quæst. 79.; ubi ait: *Unaquæq; res visibilis in hoc mundo habet Angelicam potestatem sibi præpositam.*

CAPUT XVII.

Vidit Joannes purpuratam meretricem, cui nomen Babylon, insidentem bestiæ habenti capita septem & cornua decem: atq; v. 7. singulorum explicationem audit, & discit ab Angelo.

QUæstio I. Quæ est *meretrix magna, cui mysticum nomen Babylon?* R. Non aliam hic intelligi posse quàm Romam, patet ex v. 9. ubi dicitur sedere *super septem mon-*

montes, quod nulli alteri urbi competit habenti imperium *ſuper reges terræ*. Et eodem nomine vocat eam S. Petrus 1. Pet. 5. v. 13. & hujus ruinam ait S. Paulus ſignum fore præſentis Antichriſti 2. Theſſ. 2. v. 7. Eſtq; communis hæc Doctorum ſententia, quam etiam tenent noſtri hæretici, ſed hac differentiâ, quòd hæretici per Babylonem intelligant Rom. Pontificem & Rom. Eccleſiam: Patres verò & Doctores Catholici Rom. urbem infidelem rurſus & Ethnicam, qualis fuit tempore S. Joannis, & iterum erit in fine mundi, nempe quæ fundit ſangvinem Martyrum, ùt dicitur v. 6. Fugabit enim tunc & exſcindere conabitur Roma Ethnica Romanam Eccleſiam & Pontificem. De quo tempore ſic S. Malachias S. Bernardo coævus prophetavit, teſte Arnoldo Wione in Chronicis Ordinis S. Benedicti l. 2. c. 40. [In perſecutione extrema S. R. E. ſedebit Pontifex Petrus Romanus, qui paſcet oves in multis tribulationibus: quibus transactis civitas *Roma* ſepticollis diruetur, & judex tremendus paulò pòſt judicabit populum.] Quid verò mirum ſubdendam aliquando Romam Ethnicis vel infidelibus, cùm toties ſub Gothis, Wandalis, Alanis, Longobardis fortunam variârit? nonne Tyrus, Alexandria, Antiochia, Conſtantinopolis, & urbium Sanctiſſima Hieroſolyma ſub jugo Turcico jam pridem gemunt? quidni poſſit gentilis aliquis princeps ſimili fortuna potiri Romano imperio & urbe Roma? *Roma rurſus Ethnica*

II. Cur hæc meretrix dicitur *ſedere ſuper aquas multas?* R. Quia præſidet & imperat populis multis hic v. 15. inſtar aquæ paulatim dilabentibus, & ſibi invicem ſuccedentibus. Alludit ad ſitum veteris Babylonis Chaldaicæ in confluxu *Tigris & Euphratis* quaſi Dominæ & Reginæ utriusq;.

III. Quo ſenſu dicuntur *cum ea fornicati reges terræ?* R. Spirituali, idola ejus colendo, ut ab ea in amaſios admitterentur. Paſſim enim in Scripturis idololatria fornicatio vocatur, quòd per eam anima relicto Deo ſponſo deſciſcat ad idola quaſi ad adulteros. *Sic vinum proſtitutionis* ſunt opes, honores, voluptates à Romanis conferri ſolita in clientes. Plura de his Bellarm. l. 2. de Rom. Pont. c. 2.

CAPUT XVIII.

Excidium & incendium Romanæ Babylonis: indeq; luctus & planctus regum & mercatorum: jubilus verò & exultatio Sanctorum.

QUæſtio I. Quomodo de Roma dicitur: *facta eſt habitatio dæmoniorum, & cuſtodia omnis ſpiritûs immundi & cuſtodia omnis volucris immundæ?* R. Non aliud ſignificatur, quàm ſumma vaſtitas, & deſolatio Romæ futuræ, adeo ut redigatur in deſertum, fiatq; habitatio Draconum & beſtiarum. Myſticè innuitur idololatria ſuperſtitiones, atq; flagitia, quæ Romæ graſſabuntur in fine mundi, ante ejus excidium: per hæc enim fiet habitatio dæmonum. ita Primas. Aretas, à Lap. & alij.

II. Quod eſt *vinum iræ fornicationis, quod bibent omnes gentes?* R. Eſt calix vindictæ, ſupplicij & excidij, quod ob fornicationem, id eſt, idololatriam & ſcelera Deus Romæ propinabit, cogetq; ut illud hauriat & ebibat. Porrò Roma hunc iræ calicem propinabit alijs gentibus, quia ſupplicia ſua in eas derivabit, hoc ipſo, quo eas ad idololatriam ſuaq; ſcelera imitanda impellet, quibus Dei vindictam in ſe provocabunt, æquè ac Roma. *Vinum iræ.*

III. Cur Joannes tacet nomen Romæ & vocat eam *Babylonem?* R. Id facit, ne Domitianum Imp. & Romanos tunc adhuc Paganos offendat, eoſq; contra ſe ac Chriſtianos magis concitet & inflammet. Porrò prædicit Romæ excidium Joannes ad conſolationem fidelium & Sanctorum, qui tunc ſub Domitiano Romæ & alibi mirè exagitabantur, & paulò poſt ſub Trajano & ſequentibus Imperatoribus graviùs erant exagitandi, ut ſcil. Chriſtiani & Sancti ſcirent & cogitarent in ſuis hiſce tam atrocibus perſecutionibus ſe Deo eſſe curæ, & Deum fore ultorem ſangvinis ſui: quia nimirum Deus in fine mundi puniet non tantùm præſentia ſed & diu præterita ſcelera, & perſecutiones Chriſtianorum factas Romæ & in Romano Imperio tempore Domitiani & deinceps; eò quòd Romani in fine mundi futuri, priſcorum Romanorum, infidelitatem, tyrannidem & mores impios laudabunt & imitabuntur, quocirca propter eadem graviùs punientur, quàm punirentur, ſi illa non præceſſiſſent.

CAPUT XIX.

Cælitum jubilus & gratulatio tum de excidio Romanæ Babylonis, tum de die nuptiarum agni jam inſtante. Joannes Angelum hæc ſibi nuntiantem adorare vult, ſed ab eo prohibetur. Chriſtus gladium ore vibrans,

brans, regali pompa cum exercitu cælitum albatorum in aciem procedit contra Antichristum ejusq; phalangas. Angelus evocat aves ad opiparum convivium, in quo cæsorum regum carnes devorent. Antichristus ejusq; pseudopropheta jussu Christi terrâ dehiscente vivi absorbentur. Reliqui Antichristiani cum Gog & Magog cæterisq; decem regibus & innumeris eorum exercitibus internecione delentur.

Nuptiæ agni.

QUæstio I. Quæ sunt *nuptiæ Agni?* ℟ Christi cum Ecclesia in cælo æternùm celebrandæ. Ad has nuptias tot jam sæculis se parat, sed jam tandem plenè præparata est sponsa Agni, mox futura *uxor ejus* undiq; ornata omni genere virtutum, omni nationum statuum, ætatum varietate. Alludit enim non modo ad parabolam nuptiarum Christi Matth. 22. v. 2. sed & ad psalm. 44. qui est Epithalamium sponsi & sponsæ, Christi & Ecclesiæ, utriusq; formam, dotes, decus & ornatum graphicè depingens.

Byssinum pallium.

II. Cur *Byssinum pallium, quo sponsa cooperitur, vocantur justificationes Sanctorum,* id est, *opera justa & pia?* ℟. Byssus repræsentat purissimam & innocentissimam conversationem filiorum Ecclesiæ, tribulatione & persecutione magis enitescentem ac resplendentem: perinde ac *byssus* seu *linum* (byssus enim veteribus erat linum subtilissimum, teste Plinio l. 18 c. 1.) maceratione, tunsione, carminatione semper melius, purius, candidius & splendidius evadit. Candor etiam & splendor ipsius, symbolum est felicitatis, gaudij & triumphi.

Beatitudo vocatur cœna.

III. Cur *beatitudo vocatur cœna* v. 9.? ℟ quia ad vesperam & finem vitæ nobis obtinget, peracto jam labore diurno. Alioquin etiam prandium vocatur à Christo Matt. 22. v. 4. ad cælestis convivij & gaudij continuationem & perpetuitatem designandam, prandio succedente continuò cœnâ inquit S. Greg. hom. 24. in Evang.

Angelus noluit adorari à S. Joanne.

IV. Cur Angelus *noluit adorari à S. Joanne* v. 10? ℟. Aliqui dicunt ideo, quia Joannes putavit hunc Angelum ob insolitum splendorum esse Christum, ideo eum voluit adorare ut Deum. Verùm hoc non est verisimile. Nam Joannes assuetus hîc visionibus Angelicis, sciebat hunc non esse Christum sed Angelum:: unde eundem jam hîc cognitum rursum voluit adorare c. 22. v. 9. Noluit ergo adorari, seu cultum sibi exhiberi Duliæ: quia Joannes erat propheta. Hanc enim causam dat Angelus c. 22. v. 9. dicens: *conservus ènim tuus sum & fratrum tuorum prophetarum.* q. d. Ego non sum te superior, cur ergo adores me? nam tu es mihi æqualis dignitate: quia es Christi Apostolus, es propheta, Evangelista, Prædicator (hæc enim omnia significat nomen Prophetæ) continuusq; Martyr (quia assiduè maximos labores & dolores sustines pro Christo) ideoq; par, imò superior Angelis es merito, erisq; pariter præmio & gloriâ superior in cœlis.

V. Sunt ne ad literam accipienda, quæ hìc dicuntur à v. 11. usq; ad 15.? ℟. negativè, sed solùm symbolicè, significant enim imperium, dominium & mandatum Christi, quo ipse manens in cœlo per Michaëlem quasi ducem suum, comitatum aliis angelis ingenti luce quasi fulmine siderabit, & afflabit Antichristum, itaq; eum omni vi, robore, & vita privabit, ac deturbabit in tartara. Quid enim opus est, ut moveat se loco Dominus cœli & terræ, ut viles aliquot homunciones conficiat, quos potest solo nutu conterere & annihilare, & quorum innumeras myriades potest per minimum Angelum unâ horulâ sternere.

VI. Cur *Christus in fœmore gestat nomen Rex Regum?* ℟. Quia femur symbolicè significat Christi humanitatem. Hanc enim ipse ex femore Jacob, Davidis & aliorum accepit, atq; per eam electos omnes Deo spiritualiter genuit. Femur enim quia partes vicinas genitales complectitur, hinc est causa & symbolum generationis. Femore ergo *imò* significatur Verbi incarnatio. ita S. Greg. hom. 15. in Ezech. *2dò* Christi passio, est enim hoc femur, vestisq; Christi aspersa sangvine. Hujus enim & passionis merito factus est Christus Rex Regum, & Dominus Dominantium. Itaq; sicut in capite habet nomen Divinitatis (hujus enim symbolum est caput) *quod nemo novit, nisi ipse:* ita in femore humanitatis habet nomen omnibus notum, scil. quòd quâ homo sit *Rex Regum & Dominus Dominantium.*

Antichristus.

VII. Quando occidendus est Antichristus? ℟. Postquam regnaverit tres annos cum dimidio, uti docet Daniel c. 12. 7. & S. Joan. Apoc. c. 11. v. 2. & 3. & c. 12. v. 14. Addit S. Hieron. in Dan. c. 12. eum occidendum die 1290 ab inito regno suo, idq; significare Danielem, cùm ait: *& à tempore cùm ablatum fuerit*) ab Antichristo initio suæ monarchiæ) *juge sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationem dies mille ducenti nonaginta.* Subdit Daniel: *Beatus qui exspectat, & pervenit usq; ad dies mille trecentos triginta quinq;.* Ex quibus verbis S. Hieron. & alii passim intelligunt post Antichristi mor-

mortem super futuros dies 45. usq; ad diem judicii, quos Deus dabit hominibus lapsis in persecutione Antichristi, ut pœniteant.

CAPUT XX.

Continuatur materia capitis præcedentis per novam visionem, quâ res altiùs à suo exordio repetitur. Videt enim Joannes Angelum habentem clavem abyssi, qui Satanam ligat in abysso per mille annos, quibus Martyrum & Sanctorum animæ cum Christo regnant in cœlo. Deinde post mille annos dicitur solvendus Satanas ad modicum tempus, qui solutus congregabit gentes Gog, & Magog, ad Antichristum, ut pro eo pugnent contra Christum & Christianos, sed afflabit & perdet eos DEus igne misso de cœlo; Satanam verò & Antichristum in tartara deturbabit. Deinde v. 11. Christus venit ad judicium, resurgunt mortui, libri aperiuntur, & ex iis mortui jam resuscitati judicantur secundùm opera cujusq;; ac tandem mors & infernus cum impiis, qui non sunt scripti in libro vitæ, mittuntur in stagnum ignis.

Lucifer ligatus per mille annos

QUæstio I Quando *ligatus est Lucifer per mille annos?* R. Statim à morte Christi, ita S. Greg. Aug. Beda, & Pererius I 15. in Dan. Christus enim in cruce ademit diabolo jus usurpatum & potestatem in homines, eumq; alligavit Unde ait ipse: *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.* Sed sub Antichristo solvetur, viresq; suas recipiet, easq; exeret per Antichristum. *Per mille annos,* sumitur numerus definitus pro indefinito. Nempe per universum tempus regni Christi in hac vita, putà in Ecclesia militante usq; ad Antichristum.

Resurrectio prima & secunda

II. Quæ est *prima resurrectio,* & quæ *secunda?* R. Prima resurrectio est, quoad solam animam, statim à morte, cœlesti gloriâ donatam, quâ quasi in novam vitam resurgunt & transmigrant. Secunda resurrectio est plena beatitudo, etiam secundùm corpus, quando totus homo in fine mundi corpore simul & animâ glorioſus ad æternam vitam resurget. Ex adverso mors prima reproborum est damnatio solius animæ; mors secunda, damnatio corporis simul & animæ, quæ infligetur in judicio universali: ita Ribera, Perer. à Lap Unde subditur: *cæteri mortuorum,* putà reprobi, *non vixerunt,* scil. tali vitâ beatâ: sed abrepti sunt in mortem primam, id est, in damnationem animæ in gehenna, *donec consummentur mille anni* supradicti, quibus Sanctorum animæ regnant in cœlis: nam his expletis, transibunt unà cum resumptis corporibus suis in mortem secundam.

Libri aperti.

III. Qui sunt *libri aperti* v. 12.? R. Sunt propriæ singulorum hominum conscientiæ. Rom. 2. 15. In Deo omniscientia ejus, & specialis memoria factorum cujusq;, inquit Suarez 3. p. disp. 59. a. 6. disp 57. sect. 9. & Interpretes passim. Hos libros Dan. 7. 10. aperiet Christus in die judicii, non solùm singulis judicandis suos proprios, sed etiam omnibus aliorum omnium libros & conscientias, Deo simul & semel elevante omnium phantasiam & intellectum, illisq; vires & lumen supernaturale singulis præbente, atq; extra ordinem concurrente, ut quisq; videat facta aliorum, in conscientia & memoria cujusq; quasi depicta ac descripta. Sic S. Benedictus spiritu elevatus vidit in ictu oculi totum mundum, quasi in globo in radiis solaribus collectum, inquit S. Greg. l. 2. Dialog. c. 37.

IV. Quo sensu dicitur v. 14. *Mors & infernus missi sunt in stagnum ignis?* R. Non ut patiantur, sed ut hostes & inimicos Dei in ignibus illis excrucient, & sic seipsos ibi pascant aliorum tormentis ac suppliciis, semper damnatos occidendo, semper devorando, semper excruciando. Atq; hæc est mors secunda, quam damnatis, secundùm corpus simul & animam mors & infernus junctim inferent æternùm.

CAPUT XXI.

Cœlestis Jerosolymæ, id est, Ecclesiæ triumphantis, dotes, opes, splendor, gloria, amplitudo, murus, portæ, fundamenta, felicitas describuntur.

Cælum novum.

QUæstio I. Quomodo dicitur *cælum novum & terra nova,* item *cælum primum & primam terram abiisse?* R. Non quoad substantiam, sed quoad accidentia, qualitates & ornatum. Primum enim, seu quod prius fuit, cœlum, quoad motum

ſuum, quoad eclipſes, quoad influentias, jam abiit, id eſt, ceſſavit: ut & prima, quæ nunc eſt, terra, quoad generationem & corruptionem, & omnem aliam alterationem. Et mare ſimili modo jam non eſt, quale fuit vetus illud elementum turbidum, craſſum, mixtum, procelloſum, jugi fluxu & refluxu æſtuans, fluctibus horridum: ſed erit exinceps planè quietum, tranquillum, ſerenum, purum, ſubtile, pellucidum, & inſtar cryſtalli reſplendens. Moraliter, ceſſabit omnis turbatio, tentatio, afflictio, perſecutio Sanctorum.

II. Quæ eſt *civitas ſancta Jeruſalem nova deſcendens de cœlo?* ℟. Cœlum empyreum cum ſuis incolis Angelis & hominibus ſanctis, inquit Aug. & Interpretes paſſim. De cœlo deſcendens tum metaphoricè, utpote manu Dei conſtructa: tum propriè ac phyſicè, nempe cum Chriſto ad judicium in vallem Joſaphat deſcendens, inquit Maldonatus. *Parata*, id eſt, compta, *adornata*, pretioſiſſimis veſtibus, gemmis, monilibus inſtructa, ùt decet ſponſam viro ſuo ſociandam, & in thalamum ejus inducendam.

Vox de throno Dei.

III. Quid *vox magna de throno Dei & Agni ex ipſo cœlo empyreo emiſſa indicat?* ℟. Indicat rem magnam & memorabilem proclamari, nempe cœleſtem hanc Jeruſalem eſſe civitatem illam fortium, victorum, & triumphantium, quam Deus electis militibus ſuis fortiter contra mundum, carnem, dœmonem, & nominatim contra Antichriſtum certantibus præparavit ab æterno: ſicut ex adverſo timidis, ſegnibus, impiis æternos paravit ignes gehennæ: ut horum metu, illius ſpe ac deſiderio acuatur omnium animus, ſtudium & induſtria ad heroicos agones obeundos, & viriliter decertandum. Ecce pro caſtrenſi, & terreno territorio, in quo nunc degitis; pro ardente arena, in qua nunc deſudatis, cœleſte palatium, glorioſum, magnificum, gaudio plenum *tabernaculum* ipſiusmet *DEI*, in quo cum Electis ſuis tum Angelis, tum hominibus æternùm deget.

Cœlum tabernaculũ.

IV. Cur *cœlum vocatur tabernaculum?* ℟. Quia alludit ad Moſaicum tabernaculum Exod 26. quod erat typus & figura cœli. Deinde vult innuere præter hoc tabernaculum ſeu tentorium, aliud eſſe Deo proprium palatium, nempe propriam eſſentiam & perfectionem, in qua tanquam in immenſo palatio glorioſiſſimè jucundantur ab omni æternitate. Deniq; per tabernaculum indicat ſummam Beatorum unionem & communionem, inquit, Alcazar: quod non in domo variis cubiculis & receſſibus diſtincta, ſed in aperto tabernaculo degant ſimul omnes, in quo unus ab alio divelli, aut celari nequit, ſed ſinguli ſingulos pervidens, amplexantur, & pro voto perfruuntur, præſente ſemper omnibus cœleſti rege ac ſponſo, & omnes omnibus bonis cumulante.

CAPUT XXII.

Cœleſtis civitatis fluvium & ex utraq; fluvii parte diſpoſitas arbores vitæ deſcribit. Gratias dein Angelo pro tot revelationibus agit, ſed prohibetur ab Angelo. Mortales omnes hortatur ad cœleſtis civitatis deſiderium, utq; per fugam peccatorum & ſtudium virtutum illam ſubire conentur. Graves pœnas comminatur falſariis, qui prophetiæ huic audeant addere vel decerpere. Deniq; ad cœleſtem civitatem, ad Chriſtum, ad Deum ſuſpirans, rogat quantocyùs eò transferri.

Fluvius aquæ vitæ.

QUæſtio I. Quid ſignificatur per *fluvium aquæ vitæ, procedentem de ſede Dei, & Agni?* ℟. Per hunc fluvium Rupertus & S. Amb. l. 3. de Spiritu S. c. 21. intelligunt Spiritum Sanctum ex throno Dei & Agni, id eſt, ex Patre, Filioq; emanantem. Richardus & Joachimus, gratium & dona Spiritûs Sancti. Aptiùs cum Alcazar intelligit Tirinus tam per fluvium, quàm per lignum vitæ exuberantiam bonorum & voluptatum ex clara Dei & Chriſti viſione ac fruitione in Sanctos omnes emanantium, qualia ſunt in anima gaudium, pax, quies, delectatio, cognitio, & ſcientia rerum omnium: in corpore plena ſanitas, vigor, robur, agilitas, claritas, ſubtilitas, impaſſibilitas &c. quibus *imò* quaſi cœleſti nectare & ambroſia Sancti ſitim ſuam & vota omnia plenè explent, ſeſeq; perpetuò oblectant, & quaſi inebriant. *2dò* quaſi pomis ſapidiſſimis maximèq; vivificis nutriuntur, impingvantur, roborantur, & immortales reddunturTantæ enim efficaciæ ſunt hæc poma, ut vel ſola folia, quibus teguntur, id eſt, minimum quodq;, quo Beati in cœlo recreantur & vegetantur, ſufficiat ad plenam ſolidamq; *ſanitatem Gentium* omnium in terris, ſi vel unico momento poſſent illo frui, è veſtigio procurandam. Alludit autem ad lignum vitæ, ſeu ad unam illam arborem vivificam, quæ erat in paradiſo terreſtri, aſſeritq; in cœleſti paradiſo omnes arborum ſpecies eſſe ligna vitæ, id eſt, vitam afferre & immortalitatem.

II. Erit-

II. Eritnè in cœlo *verus ad literam fluvius*, veræ arbores, veræ poma, veri flores, & res floridæ, odoriferæ, amœnæ, quæ visum, odoratum, gustum & tactum corporalem Sanctorum perpetuò pascent, & continua voluptate perfundent. R. Affirmant S Aug. Anselm. Laur. Justinianus, & plures alij. Id enim & facilè DEo & conforme naturæ corporali & variis revelationibus est comprobatum. S Greg. l. 4. Dial. c. 36. & in vita S. Dorotheæ 6. Febr. Si enim, ut S. Thom. in dist. 2. q. 2. a 2. Richard & Barrad. tom. 3. l. 10. c. 3. ex S. Amb. Basil Damasc. & aliis docent, aër est in cœlo empyreo, qui instar aëris nostri finditur & scinditur (alioqui Beati in cœlo quasi in solido muro compacti degerent) quidni sit & aqua, & horti & fructus, sed ætherei ac cœlestes, quibus sensus omnes corporei Sanctorum etiam corporaliter oblectentur? ut oblectandos docent S. Thom. Scotus, Dom. Soto, Henricus, Major & plures alij, quos citant & sequuntur Suarez 3. p tom. 2 disp 47 sect. ult & Joan Salas 1. 2. q. 5. a 5. tr 2. disp. 14. sect 14. Quòd autem arbores istæ cœlestes singulis mensibus novos proferant fructus, quòd etiam fluvius novas semper aquas submittat; symbolum est, continuam in Beatis esse voluntatem & Beatitudinis renovationem, eamq; semper completam ac perfectam, adeo ut singulis mensibus, diebus & horis, ita eis nova, sapida, ac jucunda accidat earndem fruitio, atq; fuit prima die vel hora: nunquam enim, ne quidem post mille myriades millionum annorum, obrepet illis ullum vetustatis, fastidij vel satietatis vestigium

III. Quo sensu dicitur v. 4. *Et nomen ejus in frontibus eorum?* R. Palàm profitebuntur & gloriabuntur se esse servos DEi, ac si nomen ejus palàm frontibus inscriptum gererent. Alludit ad laminam Pontificis, cui inscriptum erat *Sanctum Domino* Exod. 28. 36 Sicut enim hæc laminæ inscriptio significabat eum esse ministrum & Pontificem Sancti DEi; ita in cœlis omnes agnoscent è fronte & vultu Beatorum eos esse servos & Sacerdotes beati DEi, ac proinde (addit Alcazar) eos esse advocatos eorum, qui in hac mortali vita morantur, & ad hanc rem Aarone potentiores esse. Hoc posterius verum est, sed non ad rem: nam post resurrectionem & diem judicij, ac gloriam Beatorum, de quibus hìc agitur, nulli erunt in terra homines, pro quibus Beati DEum in cœlis interpellent.



INDEX

Rerum præcipuarum, quæ hac posteriore parte Quæstionum Exegeticarum Veteris & Novi Testamenti continentur.

A.

ABel defunctus loquitur 444
Abiathar idem ac Achimelech 269
Abies virens est justus 162
Abjectio populi à DEO quæ? 4
Ablata non repetenda 286
Abnegatio sui 288
Abnegare sæcularia desideria 433
Abominatio desolationis 140
Abraham & Sancti prisci Christiani 234
Abraham vidit diem Christi 312. An fuit in Mesopotamia 332. In Chanaan an habuit hæreditatem. ibid. Incolatus seminis ejus. ibid. Ejus fides 252. In statu præputii justificatus. ibid. Pater credentium. ibid. Pater circumcisionis. ibid. Ei promissio non contingit per legem. ibid. Hæres mundi. ibid. ex operibus justificatur. 449. Cur dedit decimas Melchisedech 440. accepit Isaacum in parabolam 445. Dilectus DEI 130.
Abyssus multa est Jerusalem 170
Achaz quare non petit signum? 10
Actus mali interni sunt prohibiti 223
Adam forma futuri seu Christi 354
Adinventiones novæ 15
Adolescens amictus Syndone 274
Adonis 103
Adorare Deum ùt Patrem. 305. In Spiritu & veritate. ibid.
Adoratio Danielis 129
Adversitates comparantur vinculis 159
Adulatio perdit 107
Adulatores scorpionibus similes 100
Adulterium 410
Ægyptus virgo cur? 83. data in mercedem Chaldæis 117. ex Ægypto evocatio populi Israélitici est figura regressûs Christi ex Ægypto 159. Ægyptus angulus populorum. 20.
Æmuli & invidi Pauli 400
Ærumnæ comparantur noctì 159
Æs candens 98
Æterna præferenda temporalibus 306
Æthiopia cymbalum alarum 19
Afflictum brevi solatur DEus 159
Agape 376
Agnus emittendus 18. dominator terræ. ibid. tanquam occisus. 475. Agni cornua & oculi 475
Agni sunt pauperes 8
Ahuam 72
Alexander M. comparatur pardo alato. 136. hircus caprarum. 138. Alexandri descriptio. 181.
Alienus à DEO 255. sub Altari clamant Sancti 477
Amatores Christi quales? 210
Ambulare dignè DEO 403. secundùm carnem 357. in carne 385. secundùm sæculum 395. in sapientia 407. post vanitatem 53.
Amen quid denotat? 472
Amici falsi scorpionibus similes 100
Amici sunt manus & pedes 254
Amor est somnus 264. comparatur vinculis 159
Amor DEI quantus? 159
Amor inimicorum 225
Amos Prophetæ labores & mors 165
Ananias & Saphira defraudant. 330. Eorum mors an æterna? ibid. quare rigidè puniuntur. ibid. ex his quid discendum. ibid.
Anathema à Christo esse 358
Anathematizare Angelos audet Paulus 388
Angelus fortis 481. noluit adorari à S. Joanne 488. Angelus Thyatyræ quis? 471. Angelus revelans 467. Angelus faciei DEI 48. Angelus ad sepulchrum Christi 268.
Angeli illuminantur ab Ecclesia 397. Christo ministrant 268. quomodo loquuntur 377. Angeli pacis 3. vices legati obeunt 172. ubi sunt visi à Pastoribus in Nativitate Christi 177. Angeli Custodes sub specie fabrorum intelliguntur 189. Angelorum promptitudo exequendi imperia Christi. 191. Angeli solvi jubentur 481. Angeli tres 485. Angeli septem 480. Angeli stant in conspectu DEI. 467.
Anima Domini recedit. 57. anima quasi spolium. 68.
Animæ volantes 107. Animæ Sanctorum habent visionem beatificam. 478. Animæ & Spiritûs distinctio. 411.
Animalia quatuor 474. animalia quatuor in medio ignis. 98.
Anni mercenarii 18
Antichristus 488. ex tribu Dan 479. tollet Eucharistiam. 148. sedebit in templo 413. comparatur

ratur vento urenti. 161. ejus iniquitatis ſymbolum. 413. interficietur ſpiritu oris Chriſti. ibid. ejus ſigna, mendacia. ibid. præſtigias ejus permittit DEus. 414.
Antipas quis? 417
Apoſtolatus vocatur ſors 327
Apoſtoli 15. Eorum, ſucceſſorumq; ipſorum quantus labor 171. comparantur igni 200. baptizati à Chriſto 215. Piſcatores 217. vocantur mittentes rete ibid. Sal terræ 222. 272. lux ibid. civitas ibid. regnum DEI cognoſcunt. 242. Eorum timor & ſtupor 272. Apoſtoli oves diſcipuli agni 289. mundi propter ſermonem 321. quando facti presbyteri, quando Epiſcopi. 328. quomodo loquuntur variis lingvis. ibid. teſtes rerum Chriſti 331.
Appia quæ fuit? 434
Aqua brevis 29. aqua de petra elicita fuit vinculum amoris 159. munda 120.
Aquæ Siloë 11. Aquæ de fontibus Salvatoris qnæ? 19. Aquæ Nemrim quæ & quales 86.
Aquila magnarum alarum 109
Aquilo 54
Archippus quis? 434
Arcus doloſus 156
Arcturus deſcribitur 168
Argentum verſum in ſcoriam 3
Aries bellicus 100
Aries rex Medorum & Perſarum 138
Arietis duo cornua ibid.
Arma carnalia 385. Arma Apoſtolica ibid.
Aſcalon conticuit 85
Aſcenſio Chriſti 326. an nudus aſcendit. ibid. veſtigia reliquit. ibid. aſcendens implet omnia. 197. aſcendere in cor 366.
Aſiani coæqualis fidei cum Petro 455
Aſini ſepultura 69
Aſſyriaci imperii everſio 180
Aſtra timenda quomodo? 60
Aſyli jus in ſolis templis Chriſtianis 344
Athenienſes colunt ignotum Deum 134
Attonſi per comam 60
Avaritia idolorum ſervitus 398
Averſatrix & prævaricatrix 54
Auguſti pietas in Chriſtum natum 280
Avis Ægypti 159
Aurum Charitas. 43. obſcuratum 92. ignitum. 473.
Authoritas ab externa forma 216
Azymi 369

B.

Babylon mons caliginoſus 16
Babylonis onus ibid.
Babylon non fundabitur ibid.
Babylon capta 134
Babylon capta derivatione Euphratis 88
Balaam doctrina 471
Balthaſar convivatur 133
Baptiſmus Joannis 283. 213. ante baptiſmum confeſſio 214.
Baptiſmus Chriſti 305. neceſſarius 213. ejus obligatio 303. efficacitas 354. in nomine Chriſti 365.
Baptizatus membrum Chriſti 377
Baptizati in Chriſto 354
Baptizati omnes in Moyſe 374
Baptizari Spiritu Sancto 326
Beatitudo vocatur cœna 488
Beati qui viderunt Chriſtum 289. æquales Angelis 296. filii reſurrectionis ibid.
Bel 39
Beneficentia comparatur vinculis 159
Benignitas DEI erga induratos 350
Beſtia interfecta 137. de mari aſcendens terreſtris ibid.
Beſtiæ agri Romani 44
Bethlehem nomenclatio 178
Blasphemia in DEum punita 178
Blasphemia in Spiritum Sanctum 241
Bonus quis? 257. bonus nullus ex ſe. 351.
Bos & Aſinus ad præſepe 1
Bovis immolatio 50
Brachii caro 12
Butyrum & mel comedere quid? 10
Byſſinum pallium 488

C.

Caiphas prophetavit 316
Calamus menſorius 482
Calathi duo ante templum 70
Calcei vetantur 236
Calculus candidus 471
Calix benedictionis 374. ultionis Divinæ 172
Calix omnibus gentibus propinatus 71
Calvitium 83
Camelorum curſus 53
Candelabri motio de loco ſuo 470
Candelabrum aureum 192
Capacitas requiritur in Diſcipulis 384
Capilli ligati in ora Pallii 101
Capilli projecti in ignem 102
Captivitas Babylonica 75
Caput & cauda 12
Caput aureum imperium Babylonicum 127
Caput quaſi occiſum 484
Carcer domus laci 80
Carcer morti comparatus 161
Carmelus 53
Carnalia licet accipere pro ſpiritualibus 373 meliùs non accipere 246
Carnes non inquinant 246
Caro fœnum 35
Cauſa ſcribendi Epiſtolam ad Galatas 388
Cedar 88
Centuplum 257
Centurio gentilis 286. ejus petitio fides & humilitas 230. & 231.
Charitas aurum 48. tegit peccata 454. perfecta

Index

fecta pellit timorem 461. patiens est 377. opera sine ea nihil sunt. ibid. diffusa in cordibus. 353. erga proximum 364

Chaldæi maximi Judæorum hostes 163. eorum regni interitus 182

Cherinthi hæresis 336. 389. 379. 405

Chirographum decreti 405

Christus concipitur 10. factus ex muliere 391. baptizatur 214. convivium adit 234. Judæis promissus 242. de se interrogat discipulos 247. Judæorum de eo Judicium. ibid. & 248. noluit Christus dici 249. mortem suam prædicit Apostolis 259 272. non est minor Pater 259. & 320. mortuus pro omnibus 259. ingreditur Jerosolymam 260. ejicit vendentes ibid. vasa per templum non sinit ferri 273. in ruinam positus 282. in signum ibid. crescit sapientia 283. unctus 284. per medium ibat. ibid. intrat ad Pharisæum 292. ejus signatio 309. quid scripsit in terra 311. morti traditur 318. Judæ dicit fac citius. ibid. Apostolos defendit 323 ducitur ad Annam. ibid. præscriptus ante oculos Judæorum 390. crucifixus 267. & 275. derelictus à Patre 267. quando resurrexit. ibid. quot horis in sepulchro ibid. in novo monumento 324. ejus verba noli me tangere 324. apparuit undecim 272 non agnitus à duobus discipulis 298. fingit se longius ire. ibid. consecrat Eucharistiam 299. palpatur ibid. manducat ibid. solus ascendit 303 sedet ad dexteram Patris 406. est liber 207. omnium salus 210. ejus humanitas est nubes 211. Nazaræus seu floridus 212. piscator 217. est principium 311. missus in similitudinem carnis 357. de peccato damnavit peccatum ibid. factus peccatum 383. est caput Ecclesiæ 395. vita nostra 406 resurrectio & vita 316. imago DEI 382. infinitè sanctus 304. habet vitam in semetipso 307. eo viso videtur Pater 317. est spes nostra 414. ut Aquila defendit fideles 333. ei omnia sunt tradita 289. est Agnus 18. lapis angularis probatus 28 virgultum coram populo 42. Virorum novissimus 104. lapis parvus 129. ejus figura 166. ejus figura Jonas 173. Ejus adventus tempestivus & ejus desiderium 184 & 188. quæ adventum subsecuta 187. Ejus figuræ lapis Oriens & germen 191. Ejus sollicitudo erga Ecclesiam 191. & 200. ejus figura lampas 192. ejus mansvetudo 36. est fons apertus 200. Jerosolymam ingressurus prædictus 197. in passione est lapis cælatus 192. sangvine redempturus homines prædictus 197. similis homini 468. in cœlo advocatus 459. Christus prædicavit spiritibus in carcere 453. tabernaculi minister 441. similis leoni 474. Sanctorum minister 441. habet sacerdotium æternum 440. Pontifex secundùm ordinem Melchisedech 439. Sacerdos secundùm ordinem & typum Melchisedech 440. didicit obedientiam 439. primus & novissimus 469. Christus exauditur 439. radix David 475. ejus tentatio 438. an in illo fuerunt passiones. ibid. est major Moyse 437. debuit assimilari fratribus. 436. portat omnia verbo virtutis suæ. 435. Per Christum creata sunt omnia. 435. est splendor gloriæ Patris. ibid. figura substantiæ Patris. ibid. Hæres universorum. ibid. Mediator DEI & hominum 416. mortem destruxit 430. est principium creaturæ DEI 472. habet claves mortis & inferni 469. ex ore ejus exiens gladius. ibid. in dextera ejus Pastores Ecclesiæ ibid. in manu ejus stellæ septem ibid. ejus vox similis voci aquarum multarum. 469. ejus pedes similes aurichalco. 468. in eo capilli candidi. ibid. in eo zona aurea. ibid. est podere vestitus ibid. author pacis 177. & 178

Christianus sanctus 6. Christianis omnia communia 330. sunt Reges & sacerdotes 467. vocabantur fratres 436

Cibi & potus immundi apud Judæos 442 & 363 prohibiti ibid. ab iis abstinentia 364

Cibus qui perit 308. permanens ibid. ad eum præparatio ibid.

Circumcisio est nihil 372. quid sonet adducat præputium ibid. non est necessaria 339. & 389. promotores circumcisionis 340. nihil prodest in Christo 392

Circumcisio Christi 280. & 393. Circumcisio nos sumus. 342. Circumcisio in baptismo. 405. ejus Minister Christus 364

Civitas Christi 233

Clarificatio Christi 322

Clarificatio Christi in nobis & nostri in Christo 412

Claudius Imp. Judæos & ex Judæis Christianos Romà expellit 342

Claves regni cœlorum 248

Claves David 474

Cœci vident 313

Cœlum & terra iniquitatis humanæ testes. 1. cœli liber 132. cœlum Ecclesia DEI 41. per Judæam intelligitur 165. cœli tres 387. aperti Christo 215. Cœlum est Domus 318. est mansio. ibid. multiplex 319. cœli apertio 473. cœlum recedet 479. novum 489

Cœna Christi triplex 265. magna 292

Cognati & Fratres sunt caro brachij 12

Colentes 341

Collectio dispersi populi 15

Colles designant subditos 179

Color albus lætitiæ symbolum 129

Columba cujus fuit symbolum 186. super Christum 215. ejus simplicitas 237. vincit leonem 72

Columna in deserto fuit vinculum amoris 159

Comedendi ritus 166

Comessationum infelix ritus 172. & 180.

Commissura panni rudis 234

Commune in cibis 363

Communicator gloriæ Christi 455

Concilium quod est legitimum 340

Concupiscentia 355

Confessionis antiquæ modus 214

Confessio Christi bona 414

Confessio fidei 437

Confessio est sacrificium 161

Confitentes actus suos 342

Rerum.

Confidentiam habere in carne 402
Confusio 60
Conscientia mala 210. munda 227. bona 233. cauteriata 417. ejus dictamen 364
Consortes divinæ naturæ 456
Consummatio 56. abbreviata 13
Continentiæ laus 370
Conversio Judæorum 150. peccatorum sera 159 Judæorum & Gentilium conversionis præfiguratio 207
Conversio Gentium 292. & 364
Conversatio cum malis facit ex bonis malos 12
Convicia Ægyptiorum qualia 22
Convivium pingvium 25
Cor quid significet? 132. est fons peccatorum 220. sumitur pro intellectu. ibid. cor unum & anima una 330. pro mente sumitur 366. lapideum mutatur in carneum 120
Cornelij virtutes 334. vocatio ad fidem. ibid. an fuisset salvatus mortuus ante baptismum 335
Cornu medium 138. cornu magnificatum Antichristus 139. Cornua quatuor præfigurant 4. Monarchias vel mundi partes 189
Corona pro cinere 47. gloriæ 48. superbiæ 28 humilibus datur 112
Corpus comparatur vasi 410
Corpus peccati 355
Correctionis ordo 254
Credunt in Christum prædispositi 338
Crudelitas quàm odibilis DEO 166
Crudelis in afflictos 169
Crux Christi comparata cornibus 189. est torcular 7
Curatio cœci 271. quare extra vicum. ibid. curationis finis 312. & 313. in ea cæremoniæ ibib.
Currere quid sit 389. in vacuum ibid.
Currus duo 21
Custos de nocte 22

D.

Dæmon aquilæ similis 109. mons magnus 193 Dæmon advertit Christum esurire 216. in qua forma accessit. ibid. quare hæc reticetur. ibid. vincitur contemptu 216. an agnovit Christum esse DEum 216. & 217. 269. & 284. assumpsit Christum 217. ostendit illi regna ibid. Dæmonis tormentum & gaudium 233. & 268. Homini nocet per hominem 237. Ejus requies 241. verbum rapit 242. est scandalum Christo 249. Dæmon à Dæmone expelli potest 290. Dæmones spirituales nequitiæ 399. Principes tenebrarum ibid. tentatores 409. cruciantur 457
Dæmonium mutum 241. 7tem dæmonia è Magdalena ejecta 287
Daniel non fuit Eunuchus 152. abstinet à cibis regiis ibid. Ejus non fit mentio in adoratione statuæ 130. legit scripturam 133. Daniel in Susan 137. conviva 149. missus in lacum leonum ibid. ejus luctus 141.
Debitorum remissio 227. remissum debitum repetitur 255
Decimatio 9
Decipere quomodo dicitur 67
Decubitus Ezechielis 101
Delictum occultum & notorium 235
Demas quis? 407
Denarius diversus 258
Dentes arma significant 162
Descriptio prima orbis 280
Descensus Christi in mundum 397
Desponsatio B. V. MARIÆ 208. an & quale fuerit matrimonium ibid. & 277
Desponsatio animæ cum Christo 386
Desperatio Judæorum 66
DEUS suis est nubes per diem 6. quomodo pœnitentiam agere dicitur 66. est Author omnium 91. est in terris visus 95. iræ incapax 102. decepit Prophetam falsum 107. non vult mortem impii 118. vult omnes homines salvos fieri 416. est solus immortalis 419. eum nemo potest videre. ibid. DEI fundamentum 430. DEus dat pœnitentiam 431. dat auxilia sufficientia 463. est charitas 461. DEI bonitas radix est, & ratio amandi miseros 433. DEus varias induit formas in salute hominis 160. Ejus nutu omnia fiunt 167 in igne apparens DEus 170. DEum qui habet commilitonem invincibilis est 170. ab eo derelictus 175. DEus svavis terret 198 est ubiq; 341. non colitur manibus. ibid. omnia operatur in nobis. 401. indurat 359. punit induratos. ibid. comparatur figulo ibid. est verbum consummans ibid. dat incrementum 367. Deum nemo vidit unquam 301
Deus hujus sæculi 382
Dies hominis 65. Dies magnus Jezrahel 150. Dies duo 154. parvi & magni qui? 193. Dies salutis 383. Dominica celebrata tempore Apostolorum 380. Dies sollicitus 228. diei malitia ibid. dies propter electos breviata 262. Dierum ultimorum Christi Chronotaxis 264. dies prima azymorum ibid. Dies Domini 367. sicut fur 411. dies humanus 368 dies judicij incertus 411 Dies novissimi 431 Dies carnis Christi 438
Dionysij Areopagitæ conversio & mors 341
Diplois 95
Discessio ventura 413
Discipulus notus Pontifici 323
Discrimen inter DEum & idolum 38. & 60
Dispersio gentium 311
Dissensio Evodiæ & Synthyches 402
Dissolutio Domus terrestris 382
Divisio animæ & spiritûs 438
Divitiæ sunt idolum 160 deprimunt 219 earum servus & quis Dominus 228 cœlum occludunt 257
Divites vaccæ pingvi comparati 167
Divortium 256
Doctrina Hæretica argento in scoriam verso similis 3. solida & inutilis 367
Doctrina comparata pluviæ 198
Doctrina Apostolorum aperta 382 est eadem 389

ejus

Index

ejus certitudo 388
Doctrina sana non sustinetur 431
Doli comparantur hamo 182
Dominari in Cleris 455
Domus regia Galaad 69
Domus exasperantur 106
Domus Israel significat regnum 168
Dona spiritualia 376
Donec in scriptura quid sonet? 208
Dormit Christus 232. dormientis cervical 233
Dormire & dormitare 264
Draconum planctus 175
Draco rufus 483. Draconis cauda 483
Dulcedo cœlestium 405
Durum contra stimulum calcitrare 334

E.

Ecclesia Beatorum vinea meri 27
Ecclesia DEI mons est 3. germen Domini in magnificentia 6. cælum 41. rus 69. ejus nomen novum 48. dicitur solitudo 151, comparatur tabernaculo 171. monti 177. est Christi incrementum ibid. Ecclesiæ typus templum Salomonis 186 per Jerusalem intelligitur 189 & 196. per candelabrum præfiguratur 192. est inexpugnabilis 190. item 193 & 197. est granum sinapis 242 fermentum ibid. sagena 244. nunquam erravit 266 & 297. ejus robur in persecutionibus 323 comparatur linteo Petri 335. est de sursum 391. est Jerusalem 392 libera ibid. Mater fæcunda ibid. sancta 398 formata de carne Christi ibid. Item Ecclesia est similis candelabrô 468 Domus magna 430 intelligitur per Sion 446 circa Ecclesiæ regimen non omnia constituta à Christo 432
Effœminati mulieribus comparantur 5
Effœminatus populus 182
Electi sunt semen sanctum 9
Electio ex prævisis meritis 456
Electio Judæ 236 Electio ad fidem 394
Electio Thessalonicensium 407
Electrum 98
Eleemosyna redimit peccata 132. occultanda 256. Viduæ 273 est benedictio 384 actus justitiæ 385. ejus fructus ibid.
Eleemosyna Jerosolymitanis data 384. ejus origo ibid.
Elementa mundi 404. sub elementis esse 391.
Elementa infirma ibid.
Elisabeth quid sonet? 277
Elias & Henoch duæ olivæ, & candelabra 483
Epicurus 341
Ephesum ad fidem proclive 380
Ephesij sine Christo 396. longè à DEO ibid.
Episcoporum officium 365
Episcopus vir unius uxoris 416
Episcopi sunt seniores 455
Episcopus Ephesi 470. Smyrnensis ibid. Pergami 471. Sardensis 472 Philadelphiæ 472. Laodiciæ ibid.
Episcopis invigilandum gregi suo 183
Epulonis pœna 293. optat Epulo salutem Fratrum 394. videt Lazarum ibid. petit pœnæ levamen ibid.
Equus rufus 476 niger denotat hæreticos 476
Error parvus toti Religioni obest 393
Esau odio habitus 201. non invenit locum pœnitentiæ 445
Esseni 214
Ethnicismus in mentem reducitur 376
Evangelium dedicationis Ecclesiæ 296
Evangelium S. Matthæi quare liber 207
Evangelium granum sinapis 242. fermentum ibid. margarita 244 Evangelium tubæ magnæ 27
Evangelia apocrypha 276
Eucharistia die Jovis instituta 265. item 274. eam suscipiendi dignitas 286 Item alia 308 & 374 facit consangvineos 375. dicitur panis ibid. Ejus institutio est vinculum amoris 159
Eunuchi 34. triplices 256. qui sunt moraliter tales 257
Excommunicare cujus potestatis, & alia de excommunicatione 369. ab eadem absolutio 380
Excidium Jerosolymæ 262. item 274 & 297.
Exedræ 78
Exercitus equestris 481
Ezechiel filius hominis 99

F.

Fabulæ ac genealogiæ Judæorum 415
Faciem suam ponere quid est 88
Facies Cherub sub facie vituli 105
Fames gravissima in Judæa 162
Fascinare quid sonet 390
Felix favet S. Paulo 342
Fermenti parabola 242 Fermentum Herodis 271
Festuca in oculo 229
Ficus primi temporis 71. Ficus malæ 73
Ficûs folia 70
Ficus Judæos exprimit 291
Fideles sunt nubes 46. lucernæ 192. unum corpus 376
Fides non est omnium 414. est donum DEI. ibid.
Fides 252. granum sinapis ibid. juncta operibus 263. Fides Discipulorum 302. cum charitate 304. opus DEI 309. Fidem Claudi quomodo vidit Paulus 339. Ex fide in fidem 348. reputatur ad justitiam 351. hic textus non favet hæreticis. 352. per charitatem operatur 393
Fides Reguli & Jairi 235
Fides in Christum 360. ex auditu ibid.
Fides requisita ad miracula 252
Fides particularis 366
Fidei mysterium 417. Fides substantia rerum sperandarum 444 Fide aptata sæcula ibid. Fide translatus Enoch ibid. à fide sacra commendatur 445. sine operibus est mortua 449. mundi victoria 462
Filia Matri similis 109. Filiæ pharetræ 91. Filia

Rerum.

lia Jairi mortua 235
Filij bonos Patres imitantur 277
Filij pejores parentibus 17. advenæ 44. Filij fornicationum 150
Filius DEI 161. Filius hominis in cœlo 303
Filij DEI & Dæmonis 221. Judæorum 241
Fimbrias magnificare 261
Fines ob quos patimur 269. Finis legis Christus 359
Fletus an prohibetur mulieribus 298
Fletus Ezechiæ 34
Flos Moab 85
Fluvius aquæ vitæ 490
Fœminæ resurgent in suo sexu 261
Fœminarum planctus 59
F[illegible]pertus est Christus 200
Fo[illegible]de domo Domini est visio beatifica 164
Fortitudo mundi imbellis 182
Foramen in pariete 103
Formido in cucumerario 97
Fornicarius inter Corinthios 368
Forum coinquinat 271
Fratres & Sorores Christi 245
Fremitus Christi 316
Frons est testis scelerum 5
Fruges semen Nili 23
Fuga in persecutione 237
Fuga Christi in Ægyptum 211. cur non in aliam Regionem ibid. in Ægyptum ingressus ibid. Tempus in Ægypto 212
Funiculus DEI 90
Fures verborum DEI 70

G.

Gabriel præfigurat Christum 190
Gadara civitas 287
Gajus quis? 464
Galilæi 291
Gaudia permiscentur tristibus 171 & 175
Gaudium Superorum de pœnitente 293
Gazophilacium 273
Genealogia Christi quare admittit etiam gentiles fœminas 207. In ea omittuntur Ochozias Joas & Amasias ibid. cur deducta ad Josephum. 208
Genealogia fœminarum in scriptura non ponitur 208
Generatio Christi qualis & quare inenarrabilis 207
Genitivus nominis substantivi pro adjectivo. 150
Gentiles terra sitiens 37. adorant Christum 317 Gentium præsidia qualia olim fuerint 339. Gentes factores legis vel transgressores 350
Gens ab aquilone 88
Germen Davidis 77. Germen Domini in magnificentia 6. Germen est Christus 191
Gladius incrassatus 32. radens pilos 101
Gladij magnitudo 476
Gloria montium 102
Gloria Domini de loco cessit 104
Gloriam communicat Christus, dolores retinet 250. Gloria ex miraculo 302
Glorificatio Christi 211
Godolias cur non potestate relictus 81
Gog 186
Græcorum regnum 128 quamdiu duravit 205
Græci quales, de quibus Act. 11: loquebantur ad Græcos 336
Granum frumenti est Christus 317
Grani sinapis qualitates 242
Gratia Sacerdotibus data 75. ab æterno data 430. apparuit omnibus hominibus 433. Gratia pro gratia 301. aquæ comparatur 305 & 311. tollit sitim ibid. ejus abundantia 311. liberat à lege peccati & mortis 356. justificat 358. est gratuita ibid. Gratiam in vacuum accipere 383. Gratia obtinetur in hac vita ibid.

H.

Habacuc Propheta 149
Hebdomadæ septuaginta 139 quando inchoatæ 140
Hæreditas Sanctorum sors 403.
Hæreses ex his verbis Qui crediderit & baptizatus fuerit &c. 374 Item ex verbo concipies 278 Item ex: Verbum caro factum est 301
Hæreses esse oportet 376
Hæresis Arianorum 289 & 320. Macedianorum 289
Hæretici fures veborum DEI 70. Eos potest punire Ecclesia 369. Eorum similitudines 465 & 466. cur eis non dicendum Ave 464
Hemorrhoissa mulier 270 ejus reverentia ibid. cognovit virtutem Christi ibid.
Herodes quis fuerit 209. Messias haberi voluit & unde ibid. & 260. turbatur 210
Herodes Agrippa 336. afflixit quosdam ibid. occidit Jacobum 337. Ei loquitur Paulus & verba Agrippæ 346
Herodiani 260. 370
Herodias 271
Hodie est tempus vitæ 437
Hœdi ante gregem 88
Homo non homo 107. malus 237. omnis est mendax 351. interior & exterior 356. homo homini lupus 182. homo cordis absconditus 453
Homines sancti judicabunt Angelos 370
Honor à viro præstitus Uxori 453
Honoris proprij amor 174
Hora novissima 460 hora passionis 322
Hostia Abel 444. hostja vivens 362
Hostiæ spirituales 453
Hostes Christi interfecti 229
Hostilis exercitus locustis similis 162 & 169. Item similis igni 163. & similis diluvio 180
Humilitas erga inferiores 400
Humilibus corona datur 112
Hypocritæ 229. eos DEus abominatur 293

Index

I.

Jacob ſanctus 130
Jacob videt Angelum 160. ſervivit ibid.
Jacob dilexi Eſau odio habui 358
S. Jacobi mors & laudes 337. 199
Idololatria Judæorum 65
Idololatria in ſenibus turpior 103
Idolothyta 372
Idolum zeli 103. Idola culta 349
Idumæorum excidium 201
Jechonias quomodo ſterilis 208
Jecur effuſum 91
Jejunium 45. antonomaſticè pro jejunio expiationis 79. Jejunium Judæorum pro excœcatione Sedeciæ 81. Item Judæorum 195
Jejunium Chriſti, Eliæ & Moyſis 215
Jejunium lætum, univerſale & particulare 227
Ejus alæ 228. Apoſtolis non impoſitum 234
Jejunium quale eſſe debeat 195
Jeremias ſanctificatus 51. ejus vincula 72
Jeroboam ob idololatriam interiit 161
Jeruſalem typus Eccleſiæ 196
Jeruſalem vallis viſionis 22. ſola ſedens 89 vidua 90. plorans nocte ibid. ſartago 101. vinea 111. olla 114. Jeruſalem à quo diſſipabitur 140 ſancta civitas dicitur 267. 490. ejus vaſtitas 190
JESUS nemo poteſt dicere niſi in S. Spiritu 376
Jeſus filius Joſedec 190. 191
Jezabel Thyatirienſis 471
Ignis idolum 55. pro quovis cruciatu 74 Ignis in oſſibus 90. pro Deo cultus 163. purgans 267. quis ſal dicatur 272. Ignem venit mittere Chriſtus 291
Illuſores venturi 457
Imago electrina 104
Imagines idolorum 150
Imber temporaneus & ſerotinus 155
Impatientiæ deliria 169
Impedimenta à recto opere 408
Impedimenta ſalutis removenda 224
Imperfecti ejiciunt dœmonia 272
Imperium Babylonicum caput aureum 127 Perſarum argenteum ibid.
Impij DEI conſilium exequuntur 329. traditi in deſideria cordis 349
Impœnitentia ſpeciale peccatum 350
Incarnatio Verbi vinculum amoris 159
Incarnatio Chriſti 277. 284. SS. Trinitas non dicitur incarnata 277
Incluſor 71
Incredulitatis pœna 183
Indurati vaſa iræ 359
Infans delectábitur 14. Infans & ſenex 50
Infantium cædes 212. eorum planctus ibid.
Inferni pœna perpetua 23
Infernus ubi 173
Infirmitates 438
Infirmitas ad mortem 315. in ea conformes Chriſto 387
Ingratitudinis pœna 159
Initium ſalutis ex arbitrio libero 381. ſanctificationis 383
Injuria condonanda 387. toleranda 285
Innocentia DEO offertur 212
Inſidiæ 134
Inſigne caſtrorum 347
Inſufflatio Chriſti 324
Interrogare in ligno 153
In terra ſcribi quid eſt 65
Invidia 151
Invocatio Sanctorum 107
Joacim inhumatus 69. ejus peccata 125
Joannes & Mambres 431
S. Joannes Bapt. concipitur 277 ſanctificatur ib. in utero qualis 279. naſcitur ibid. ejus adventus. 213 Baptiſmus ibid. an ipſe baptizatus à Chriſto 215 non dubitavit de Chriſto 239. quibus ſit major ibid. à diebus ejus cœlum vim patitur ibid. uſq; ad eum Prophetæ & lex. ibid. dicitur Elias 240. ejus prædicatio 283. plus quàm Propheta 286. lucernaardens & lucens 307. ejus prærogativæ 202
S. Joannes Evang. 299. primo cognoſcit Chriſtum 325 de eo verba: Sic eum volo manere ibid. ejus prærogativæ 250 ejus viſio 473 ſe ſeniorem vocat 464. eum inſtruit Leo 475. Item vitulus 476 ejus prophetia cito implenda 466. S. Joannes teſtimonium perhibuit de verbo 467
Jonæ fugæ cauſa & deſcriptio 172
S. Joſeph nihil mali ſuſpicatus de Virgine, & quando agnoverit myſterium incarnationis 208. eſt Virgo ejusq; ætas 277
Josve Pauper 218
Ira in DEO 57. Ira DEI nubes magna 98. Item Ira DEI revelatur 349. Ira in Chriſto 269
Ira ventura 407. venit ſuper Judæos 408. Iræ tres gradus 224. ejus pœnæ ibid. & quæ ira prohibetur ibid.
Iris in circuitu throni 473
Irruere 284
Iſaias cujus filius? 1. nudus 20
Iſraël umbraculum 2. Iſraëlis ortus 108
Judas poſſedit agrum 327
Judaizantes vocantur canes 401
Judæa regni nomen amittit 283
Judææ nomine intelligitur cœlum 165
Judæi jumenta auſtri 29. in fine mundi credent in Chriſtum 145. 165 eorum oratio infructuoſa 162 fruſtra expectant Meſſiam 177 ſunt inexcuſabiles 266. 350. non ipſi Chriſtum occiderunt 266. ſimiliter pereunt 291. nati ex fornicatione 312. ſervi ſunt ibid. Eorum ignorantia 329. qui ſalvabuntur 361
Judæorum plagæ & exidia 161. 162. 163. 165. 167. 168. 169. 198.
Judæorum obſtinatio & excœcatio 126
Judæus populus electus factus ingratus 167
Judices iniqui 369. Judicis parabola 295
Judicium DEI 137. à domo DEI 454
Judicij extremi typus 161. deſcriptio 103. 164. 262. 263. 410. judicabuntur viventes ibid. mortui audient vocem 411. hic dies ſicut fur ibid.

in

in eo cito peribunt impij ibid. incertus dies ibid.
ejus duo signa 413. est soli Patri notum 263
Judicium Pharisæorum 273
Judicium est duplex 313
Judicium solebat fieri in porta 168
Judicium injustum 182. 166. 168
Judicium pro justitia 168
Judicia DEI 99
Judicium temerarium 228
Judicium DEi simile nostro ibid.
Jugum putrescens 14
Junipero comparatur Justus 162
Juramentum execratorium 50. Juramentum DEI susçitare 61
Justificatio DEI 287
Justificatio ex lege 393
Justitia est omnis virtus 220. 221
Justitia ex meritis Christi 361
Justitia perpetua 139
Justitiæ sitis & esuries 220
Justitiæ, quæ ex lege est, præmium 360
Justitia Pharisæorum 223
Justus sua reputat exigua 252. ex fide vivit 349
Justus cum impio punitur 112
Justi incertitudo 368
Justi 44. sunt salices 37
Juvenes tres tantùm accusati 130. ex incendio salvati 131

L.

Labor pro acquirendo cibo non prohibetur 308
Labor infructuosus 179
Labruscæ 7
Lac & lana ovium 119
Lac rationale 453
Lachrymarum vis 21
Lætitia multiplicata, sed non magnificata 12
Lagenæ 63
Laguncula figuli testea 66
Lamentatio, carmen, & væ 100
Lamia 92
Lampas denotat Christum 192
Lapis angularis probatus 28
Lapis de monte abscissus 129
Lapis est Christus 191. 329
Laqueus Juvenum 36
Lateris Christi apertio 324
Latrones convitiati Christum 275
Latronis fides, spes, charitas 298. conversio ibid. idem in paradiso futurus ibid. Martyr ibid.
Laudem Dœmonis non admittit Christus 268
Lecti portatio 234
Leo signum seu stemma tribus Judæ 29
Leo de cubili 55
Leo & lupus 56. Leo non nocens 134
Leones non nocent Danieli 134
Leprosi petitio 230 hic tangitur à Christo ibid. remittitur ad sacerdotes 230. 294. ejus sanatio 285
Lex de Sion 3. Lex vetus & nova 234. 381. positiva cedit legi naturæ 240. Lex factorum & fidei 351. non est expiatio peccati ibid. non est peccatum 355. est spiritus vitæ 356. infirmata per carnem 357. Lex vetus quando cessavit. 390. fuit propter transgressiones 391. ejus quis mediator ibid. est infirma ibid.
Lex justo non est posita 415
Legem implevit Christus 223. & quomodo eam solverit ibid.
Leges purificationis 281
Liber datur devorandus 482
Liber scriptus intus & foris 474
Liber monumenti in die judicij 203
Liber vitæ 402 in eo quomodo scribimur ibid. de eo deletio 472
Libri aperti 489
Libertas Christiana 381
Libido Judæorum 164
Libido est causa gravium malorum 179
Lignum vitæ 470
Lignum vitis 108
Lingva 450 exotica 378 lingvâ percutere 66
Lingvæ cessabunt in Beatis 377
Loca arida 241
Locusta 480
Longanimitas DEI timenda 194
Loqui ad cor 151
Loqui judicia 80
Lotio manuum 246
S. Lucas 276
Lucernæ Christi fideles 192
Luci comparatur prosperitas 159
Lucifer ligatus per mille annos 489
Luciferi casus 16. 116
Luctus terræ 153
Lumbare 62
Lumen Israël 13
Lumen è tenebris splendet 382
Lumen fidei & gloriæ 403
Luna erubescet 23
Luna regina cœli 57
Luna sangvinea 478
Lupus cum agno habitans quis? 14

M

Machabæorum librorum enucleatio 204
Machabæorum regni interitus 206
Magistratibus obediendum 363
Magni nonnisi sunt in cœlo 223
Magog 121
Maledicere non est idem ac malum dicere 221
Maledicitur dies nativitatis 68
Mali scorpionibus similes 100. per hos punit DEus 195
Malorum à bonis separatio 244
Malus bonis nocet 369 comparatur fermento ib.
Ad malum nemo necessitatur 350
Mammona iniquitatis 293
Manahen Herodis collactaneus 337
Manci in fide & charitate 411
Mandatum violatum 223 custoditum 257

Index

Manducatio Christi 308. 309. 310. comparatur cum manna 309. effectus hujus manducationis. ibid. audientes scandalizat 310
Manducare cum gentilibus 336
Mane Thecel Phares 133
Manna absconditum 471. Manna esca spiritualis 374. fuit vinculum amoris 159
Manus Domini 120. 336
Manus tangens lingvam 51
Manus ad cartallum 57
Manus Domini salvans & puniens 105
Manus sub pennis 105
Manus scribens 133
Manus interpretatur prophetia seu sermo 187
Manus immundæ 271
Manuum impositio 418. Paulo facta 334
S. Marcus quis fuerit 268
Marcus cognomento Joannes quis? 337
Mare vitreum 486
Margarita pretiosa 244
B. V. MARIA prophetissa 11. dicitur mons 129 liber 207 est baptizata à Christo 215 ab infantia compos rationis 279 menstrua non passa 281. quomodo non intellexit verbum Christi: In his &c. 282. unde magis beata 290
Masculinum adaperiens vulvam &c. cui convenit 282
Mater leæna 111
Matres similes struthioni 92
Matrimoniale vinculum 355
De Matrimonio quæstiones Corinthiorum 370 & responsiones ibid. & seqq.
Matrimonium quibus permittitur 370. quibus non 371. Inter fidelem & infidelem ibid. est Sacramentum magnum 399. ejus insolubilitas 256
Matthæus in telonio 234
Mecha Urbs 17
Medicus sit Princeps 5
Melchisedech sine Patre sine Matre sine genealogia 439
Melita 347
Mendici ad fores templi 328
Mensura impleta 462
Mensa fortunæ 50
Mentes designant Principes 179
Messias patruelis 7 jam advenisse probatur 178 venit per aquam & sangvinem 462
Messis Judæorum 289
S. Michàelis Archangeli apparitio 188
S. Michàel Angelus faciei DEI 48
Michol sterilis 109
Militare secundùm carnem 385
Militia cœli 24. 38
Minimus idem ac nullus 223
Minima DEus suscipit 237 & præmiatur 238
Minister non literâ sed spiritu 381
Miracula Christi 241 in Christi proditione 323 fidem confirmant 303
Miraculis Christi majora 319
Miraculum falsi doctores an faciunt 229
Miracula per iniquos facta ibid.
Miraculum quid requirit 270
Misericordia DEI 159. 255
Misericordia melior sacrificio 155
Missio Apostolorum comparata missioni Christi 324. Missio ligni in panem 61
Mites 219. iis terra promittitur ibid. iis providet DEus ibid.
Moab fertilis 86
Modicum est omne tempus æternitati comparatum 187
Monarchia Persarum comparatur urso 135
Monarchiæ 4tuor per 4tuor bestias significatæ 135. Item comparantur 4 cornibus 189. Item 4tuor quadrigis 194
Mons testamenti quis? 17
Morbos nostros portavit Christus 231
Mors ascendit per fenestras 59
Mors ægrotationis 64
Mortis memoria 53. Mortis tempus 432
Mortificati legi 355 & 357
Mortuus est infidelis 231
Mortuus sepelit mortuum ibid
Mortui mundo 406
Mortui non laudabunt DEum 94
Mortui audient vocem 411
Mortuis evangelizatum est 454
Mulier salvabitur per filiorum generationem 416
Mulier amicta sole 483
Mulier prægnans 411
Mulier fimbriam vestium tangens 235
Mulieris caput est vir 375
Mulieres religiosæ 338
Mulieres circumdatæ funibus 96
Mulieres figura Dæmonum 194
Mulieres docere debent 433
Multi pro omnibus 148
Mundi tres partes 245
Mundi corde 220. DEum videbunt ibid.
Mundus mare magnum 135
Mundus diligitur à DEO 304
Mundus tripliciter sumitur ibid.
Murmur Græcorum 331
Murus litus quis? 170
Myrica 65
Mysterium iniquitatis 413

N.

Nabo 39
Nabuchodonosor servus DEI 71. mutatus in bestiam 131. æternam salutem consecutus 132. ejus conversio 131
Nabuchodonosores duo 127
Natatoria Siloe 313
Nativitas Christi Domini admiranda 178
Nativitatis dies maledicitur 68
Natura filij iræ 396
Natus ex DEO non potest peccare 460
Nazarænorum secta 345
Nazarethani 270
Neophytus arcetur ab Episcopatu 417. cum neo-

Rerum.

neo-converſis quomodo procedendum 367
Nicolaitarum facta 479
Ninive capta & everſa 180. ejus magnitudo 174
Ninivitæ pœnitentiam agunt 174
Nòé octavus juſtitiæ præco 457
Nomen pro perſona 329
Novacula conducta 10
Novale cordis 54
Nubes per diem 6
Nubes levis 20
Nubes fideles 46
Nubes in occaſu imbrem nuntiat 291
Nuptiæ Agni 488
Nuptiæ myſticæ 260
Nuptiæ ſecundæ licitæ 355 non ſunt malæ 417
Nuptialis veſtis 260

O.

Obedientia erga Principes 433
Obedire Parentibus primum mandatum 399
Obedire in Domino ibid.
Obſecratio Pauli 413
Obſequium rationabile 369
Obſtinatio Phariſæorum 240. Judæorum 241 perverſorum 159. 161
Obſtinatorum ſtatus omnium miſerrimus 1
Oculus prædator animæ 9
Oculus figura DEI omnia inſpicientis 194. 197
Oculi lapidi inciſi ſignificant Angelos 191
Odium inimicorum 225 inter Judæos & Samaritanos 305. Odio habens fratrem ſuum homicida eſt 460
Officium Diſcipulorum Chriſti 292
Olla ſuccenſa 52. olla eſt Jeruſalem 114
Olivæ duæ præfigurant Sanctos Petrum & Paulum 191
Omen Nabuchodonoſor per ſagittas 112
Omnipotentia DEI 173
Omnia munda mundis 432
Onager 53. onager zelotypus 156
Oneſimus quis? 407
Onus præmij & pœnæ 394
Oolla & Ooliba 113
Opera bona quomodo lucent mundo? 222. 226 neceſſaria 293
Oppreſſi in Siloe 291
Oppreſſores pauperum 176. 191
Optima DEO donanda 211
Orandum pro omnibus 416
Orationis efficacia 212
Orationis vocalis neceſſitas 162
Oratio lingvâ peregrinâ, & quæ ſit Latina lingva 378
Oratio Judæorum 226. clauſo oſtio facta ibid. multiloqua ibid. In oratione conſtantia 295
Oratio Phariſæi ibid.
Orat Chriſtus 322
Orbis terræ futurus 436
Ordines Religioſi 365
Oriens eſt Chriſtus 191
Os gladij 297
Oſculum amicitiæ ſignum 387
Oſee ultimus Rex Iſrâèlis 159
Oſſa effoſſa 58. oſſa Davidis non effoſſa ibid.
Oſſa olivarum 96
Oſſa arida 180
Oſtium eſt Chriſtus & Paſtor 314
Oſtium Eccleſiæ 339
Otium & ſtudium in prædicatione 270
Otium vitandum 410

P.

Pacifici filij DEI 221
Pactum irritum 37
Paleæ & triticum 70
Palmites ſunt Chriſtiani 321
Palpatio ſignum reſurrectionis 299
Panis arctus 29
Panis propoſitionis 240. Panis fractio 343
Panum multiplicatio 245
Pannus menſtruatæ 49
Parabolæ nomenclatio 175
Pardus 56
Parentum punitio in filijs 212. Parentes quando relinquendi 218. Iis ſubveniendum 246. eorum nimia ſeveritas 399
Parietis perfoſſio 106
Partus ante parturitionem 51
Partus Virginis 278. puriſſimus & in eo miranda 280. reſpectu Joſeph comparatur cum Zacharia 278
Parvulorum ſinè baptiſmo mortuorum poſt mortem habitatio 458
Pascha 264. 317. Paschæ manducatio 323. Paschalis Agnus ibid.
Paſſiones Chriſti 380. Paſſio Chriſti baptiſmus 273. quid ei defuit 404
Paſſiones hujus temporis 358
Paſtoris Parabola 314. Paſtor Chriſtus ibid.
Paſtoribus apparet Angelus, & eorum timor 280
Paſtores ſuſcitandi 69
Paſtoris zelus 409
Pater usq; modò operatur 307
Patientia eſt animæ poſſeſſio 292. Patientia opus perfectum habet 447
Paulus & Barnabas conſecrantur Episcopi 338 traditi gratiæ 339
Paulus circumcidit Timotheum 340. non item Titum ibid. Non permittitur prædicare in Aſia & ejusdem viſio ibid. Prædicat. Item laudatur à Dœmone ibid. docet in aula Principis 342 libros magicos comburit 343. Spiritu Sancto agitur ibid. Judæos vocat Patres 344 Commemorat ſuam converſionem ibid. Civis Romanus ibid. Ananiam increpat 345 dicit ſe neſcire Principem Sacerdotum ibid. Cæſarem appellat, & an hic fuerit Pauli judex legitimus ibid. naufragium prædicit 346. Jejunium ejus in mari & panis manducatio ibid. ejus gratitudo erga Melitenſes 347. Saulus unde Paulus 348. Servus Chriſti & Apoſtolus vocatus ibid.

Index

ibid. quare Romam ſcribens non ſalutat Petrum 365 fuit Cælebs 371. ejus opus Converſio Corinthiorum 373. ejus defenſio apud eosdem ibid. Pauli raptus 387. Stimulum carnis paſſus ibid. ejus electio 388 Jeroſolymam venit ibid. portat ſtigmata Chriſti 394 abſens eſt corpore præſens Spiritu 404. probatus ante prædicationem 408. Comparat ſe nutrici, & Patrem ſe nominat ibid. fuit nobilis & tamen mechanicam didicit 414. Ubi ei DEus Pater demandavit Apoſtolatum ibid. dicit ſe peccatorem maximum 415. à Progenitoribus ſervivit. 419.

Pauli depoſitum 430

Paupertas Chriſti 231

Pauperes ſunt Agni 8. pauperes ſpiritu 218. eorum cœlum etiam in hoc mundo ibid. ſunt Martyres 221. Chriſtum ſequuntur 231. reſpiciunt in cœlum 293. ſunt juvandi 378. pauperum liberalitas 384. pauperum in judicio oppreſſio 166. 167. 168.

Pax inducta à Chriſto 4. 238. pax quæ ablata. ibid. pax vera unde oritur 353

Peccatum originale & ejus effectus 353. peccata alios præcedentia ad judicium, alios ſequentia 418 peccatum ad mortem 462 peccatum levius implet menſuram 463. peccatis inſordeſcere malorum maximum 2. peccata punita impœnitentia 166. peccata quomodo dealbantur 3. peccatum unum eſt ilex alterius 8. peccata poſt ſe trahunt vindictam ibid. peccata accuſatores noſtri erunt in judicio 102. peccata Sacerdotum 103. peccata in loco ſacro, ibid. peccata Parentum non punit DEus in filijs 110. peccata aliena non nocent 207 peccata unius in pœnam ſui totam familiam trahunt 161. peccati remiſſio difficilis 233. quantum ſit 254. quæ mala infert 255. peccata non ordinantur ad illuſtrandam DEI miſericordiam 351. peccata occultata 342 peccato moriendum 354 Illi Chriſtus mortuus 355. 395. in peccatis ambulare 305. peccata tenebræ 398. 399. peccatum ignorantia appellatur 184. peccata manifeſtabuntur 193. peccatis menſura eſt ſtatuta 194. peccati grave pondus ibid. peccatorum pœnæ 160 161. 166. peccatum remiſſum timendum 463

Peccatores ſunt in Eccleſia DEI 42. peccator eſt homo non homo 107. peccatores tribulationibus non correcti 113. peccatores ſunt tenebræ 300. eos non audit DEus 313. peccatores omnes ſumus 395. peccator nullibi à pœna tutus 171. peccatorum excidium eſt Sacrificium DEO factum 185

Pennæ junctæ 98

Pentecoſtes 327. in ea ſonus vehemens & linguæ diſpertitæ ibid.

Perdix fovet, quæ non peperit 65

Peregrinari in tervore quid? 454

Perſecutio propria Chriſtianorum 409. perſecutio 431. perſecutionum tolerantia 221. perſecutio triplex ibid. perſecutionis toleratæ præmium 412 perſecutionem Chriſtiani pati debent 200

Perſonarum acceptio 448

Petitio Jairi pro filia 235

Petra conſequens eſt Chriſtus 374

S. Petrus Romæ papatum geſſit 407. Petri Socrus 231. ejus confeſſio 248. Pontifex Eccleſiæ, & ejus poteſtas ibid. & 254. ejus fides 297. ſanat claudum 329. reprehenditur à Paulo, & ejus ſimulatio ibid.

SS. Petrus & Paulus præfigurati per olivas duas 193

Pharao Ephree 83. Pharao Crocodillus 116. Pharao baculus arundineus 117. Pharao vocatur Aſſur 118. comparatur Cedro ibid. Pharao Aquila 110

Pharetra ſepulchrum 56

Phariſæi 214

Phaſſur 67. Phaſſur Princeps in domo Domini. ibid.

Philacteria dilatare 261

Philippus Diaconus 333. Philippus & filiæ ejus prophetantes 334

Piscatores 64

Piscina probatica 306

Planctus fœminarum 59. planctus inutilis 175

Plenitudo divitiarum in Chriſto 404

Plenitudo temporis 391

Pluvia denotat doctrinam 198

Pœna æterna quo jure debetur temporarijs culpis 412. Pœna impiorum oblivio 207

Pœna non credentium 412

Pœnitentia 110. pœnitentia fructuoſa 151. pœnitentium præmium 220. pœnitentia brevis æterni gaudij parens 100. pœnitentia vera 3. pœnitentia de peccatis ſit velox 2. pœnitentia comparatur reſinæ Galaad 59. pœnitentiæ locus dabitur in fine mundi 122

Pontifices Judæorum impij 199

Pontificum uoq; ad Chriſtum elenchus 205

Populus fortis Sancti & electi 25

Porci aluntur à Judæis 287. in eos Dœmones intrant ibid.

Porta ſpecioſa 329

Portentum trium annorum 21

Porticus Salomonis 329

Potentia & vires brachium DEI 41. potentia claritatis 403

Poteſtas Apoſtolorum 285. 324. 386. Poteſtas Cæſarum 370. poteſtas in Chriſtum 223

Præcepta de holocauſtis 58. præceptum non portandi pecuniam 236. 288. Præceptum non obligans 271

Prædeſtinationis cauſæ 394

Prædeſtinatus filius DEI 348

Prædicare alium Chriſtum 386. prædicatio DEum ſpectat 388. ejus efficacia 407

Prælati ſunt cor & caput populi 1

Præmium aquæ frigidæ 238. præmium diverſum 258. præmium prædicationis Chriſti 270

Præputium cordis 55

Prærogativæ Petri, Joannis & Jacobi 250

Presbyteri etiam vocantur Episcopi 400. non tamen ſunt pares Episcopo ibid.

Præſentia DEI 295

Præ

Rerum.

Præservatio à peccatis 287
Primi & noviſſimi 258
Primitiæ frugum 52
Primogenitus eſt Chriſtus 208. Primogenitus omnis creaturæ 403. in mortuis 404
Princeps ſit medicus 5. Principes ſunt lux 222 comparantur montibus & fundamentis 279
Principes adorant ſtatuam 130
Principium 299
Proles abſq; miſericordia 151
Promiſſiones juſtorum 383
Propheta in gentibus 51. Prophetæ mendaces. 56. Propheta ducit fornicariam 150. Prophetarum quales fuerunt viſiones 171. 174. Prophetiſſa B. V. Maria 11
Proſelitus 261
Providentia DEI 130. 237
Pſeudoprophetæ 456. 229 Pſeudoprophetæ duo. 74. Pſeudoprophetarum deſcriptio 176. Pſeudoprophetæ caudæ ſimiles 12. hircis aggregantur 198
Publicani infames 234
Puer dœmoniacus Lunaticus 251
Puerperæ immundities 281
Pulvis de pede excutiendus 237. 288
Purgatorium 485
Purificatio B. V. Mariæ 282

R.

Raca quid ſit 224
Rachel plorans 212
Radix Jeſſe 14. radix Jeſſe eſt Chriſtus 364
Rebellionis pœna 159
Rechabitæ 78
Recurſus ad paganos exoſus Paulo 370
Redemptionis Chriſti typus eſt redemptio Judæorum è Babylonica captivitate 161. 191
SS. Reges tres quare Magi dicti & unde venerunt 209. à ſtella ducuntur ad præſepe Chriſti. ibid. de Chriſto quæſito & amore erga eundem. 210. de oblatione munerum eorum 211
Regis exemplo conformatur ſubditus 175
Regum incolumitas curanda 210. Regum honor cum timore conjunctus. ibid. Regum Aſiæ & Ægypti elenchus 204
Regulus ſerpens 58
Regiones Jeruſalem 83
Regnum DEI 273. 294. regnum DEI intra vos 295. Regnum Chriſti 267. jus ad regnum Judæorum habuit Chriſtus ibid.
Regnum Chriſti æternum 278
Regnum Chriſti & Eccleſiæ 128
Regnum æreum 128. Regnum diviſum ibid.
Regnum cœlorum 253. Majoratus in eo ibid.
Regnum David benedictum 273. 326
Regnum Chaldæorum comparatur leænæ 135
Relapſi iterum ſibi crucifigunt Chriſtum 439
Reprehenſio ſit occulta 233 nulla ſit ſinè culpa. 301. reprehenſio Galatarum 390
Requies æterna 437
Reſina in Galaad 58
Reſurrectio prima & ſecunda 489. Reſurrectio jam facta 438. Reſurrectio Chriſti 326
Reſurrectio mortuorum 120. 379. in qua ſtatura fiet 398
Revelatio quando fit Sanctis 409
Rhodus & Cous 343
Robur in malo 70
Roma rurſus Ethnica 487
Romani beſtiæ agri 44
Romanum Imperium 128. 136
Rotæ plenæ oculis 99
Rubor veſpere 247. mane ibid.

S.

Sabbathum non eſt in templo 220. propter hominem 269. in eo benefacere ibid. Sabbathum 2do 1mum 285
Sacerdotes venerandi 230. Sacerdotalis reverentia 195. Sacerdotalis irreverentia punita 165 Sacerdotum ſcelera præ aliorum odibilia DEO. 202.
Sacramenta 7. præfigurata 193. Sacramenta omnia de latere Chriſti 398. Sacramentariorum calumnia 297
Sacrificare Evangelium 364
Sacrificium Miſſæ 337. Sacrificium ſuper lateres 49. Sacrificium Chriſti unicum 440
Saducæi 214. 271
Sagenæ parabola 244
Salices juſti 37
Samaria punita 11. ejus excidium 161
Samaritæ 333
Samaritanæ verba ad Chriſtum & Chriſti ad eam 306
Sancti vocantur Chriſtiani 6. Sancti vocantur populus fortis 25. Sancti orant pro nobis 63
Sanctum dare canibus 229
Sangvis in Jezrahel effuſus 151. Sangvis ſangvinem tangit 158. Sangvis pro quovis peccato. 153. Sangvis teſtamenti 274
Sapientia mundi ſtulta 366. Sapientia nobis eſt Chriſtus ibid. Sapientia inter perfectos ibid.
Sartago Symbolum Jeruſalem 101
Scabellum pedum DEI 90
Scandalum 254. Scenopegia 310
Scientia inflat 378
Scientiæ Chriſtianæ finis ibid.
Scientia deſtruetur 378
Scorpio 99
Schisma Græcorum 321. 265
Securis ſuperbiens 13
Sedecias ſuo ſe nomine damnat 81
Sedecias excœcatur ibid.
Sedens ſuper ſedem 473
Sedes in cœlo poſita ibid.
Semen ſanctum ſunt electi 9
Seniores viginti quatuor 474
Sennacherib faſtus 13

Sepes

Index

Sepes 292. Sepes vineæ 7
Sepium ædificator 45
Sepulchrum pharetra 56
Sepultura Asini 69
Sepultura Patrum 332
Seraphinorum volatus 8
Sermo non admistus fidei 437
Serpens regulus 58. Serpentis prudentia 237
Servus debitor 255. Servi inutiles 294
Servi Dominis infidelibus obediant 418
Servi Dominorum fidelium 419
Siccitas 63
Signa ante judicium extremum 478
Signum Tau 479
Silentium pro desolatione sumitur 170
Silentium in cœlo 479
Similes erimus DEO 460
Simon Magus 333
Simonia prohibita 236. ejus pœna 333
Sion Mons cujus sit figura 172
Sol est Christus 203. Solis in meridie occasus 170. Solis regressio 34
Solium iniquitatis 169
Solicitudo superflua 228
Somnia quæ à DEO 126. Somnij oblivio ibid.
Somnia possunt cognoscere Angeli non homines 127
Sophoniæ Prophetæ descriptio 185
Sors quid sit 403
Sosthenes 365
Spiritualis judicat omnia 366. cognoscit sensum Domini ibid.
Spiritus DEI in rotis 99. Spiritus S. est Spiritus judicij & ardoris 6. Spiritus S. est ignis 214. non dicitur Pater Christi 278. ejus datio 311. missus in nomine Christi 320. non loquitur à seipso 322. de Filio accipit ibid. in specie lingvæ. 328. sedet super Apostolorum capita, & eos replet ibid. Spiritûs S. effusio 163. Spiritûs S. effectus 187. 342. Spiritus ventus 303. Spiritus S. Danielis 148. Spiritus septem 467. Spiritus solvens JEsum ex DEO non est 461. Spiritus testimonium reddit 358. Spiritum extingvere 411.
Squammæ in oculis Pauli 334
Statua Nabuchodonosoris 130. statua ab Hemorrhoissa erecta 270
Stella Magorum 209. stella matutina 471
Stellæ cadent de cœlo 478. Stella de cœlo cadens 486
Stemma tribûs Judæ Leo 29
S. Stephani facies 331. vidit gloriam DEI 332
Sterilitas uxoris 6
Stigmata Christi præfigurata 192. 200. Stigmata Domini in Paulo 394
Stimulus carnis 387
Stolæ Martyrum 478
Stuprum 53
Subditi comparantur collibus 179
Superbia deformat 116. Superbiæ quatuor species 368. Superbia Regum est interitus Regnorum 182
Superborum ruina 26
Susannæ clamor 149

T

Tabernaculum Moloch 168. Tabernaculum Davidis est Ecclesia 171. Tabernaculum amplius & perfectius 441
Tædium Sanctorum 380
Talentorum distributio 264
Templum Ezechielis 122. Templum Domus DEI 260. Templum Corporis Christi 302. Templum Herodis 302. Templum tabernaculi 486
Tempus & tempora 137 Tempora & ætates mutat DEus 127. Temporum signa 247. Tempus redimendum 407. Tempus non erit amplius 482
Tentatio Christi 215. in ea lapides non mutat in panes 216. qui dicuntur tentâsse Christum 290. Tentatio duplex 447. Tentatio an à DEO sit ibid. Tentatio ad peccatum à quo sit 448
Tepidus 472
Temperantia 126
Terra sitiens Gentiles 37. Terra promissionis abominabilis 53. Terra vacua 55. Terra lacte & melle fluens quænam 164. Terra viventium 219. Terræ motus 329. 165. Terrena non sunt quærenda 405
Testamentum novum & vetus comparatur pluviæ 198. Testamentum vetus non vocabat culpâ. 441
Testes duo Enoch & Elias 483
Testimonium unde petendum 408. Testimonium Christo perhibitum 462. Testimonium Christo in terra ibid.
Theman 87
Thesauri sapientiæ in Christo absconditi 404
Thesaurus cælestis 227. absconditus 243
Thessalonicenses electi ad audiendum verbum DEI 407
S. Thomas videt & credit 325
Thurificatio 480
Timoris descriptio 163. Timor & servitus duplex.
Titionum duæ caudæ 9. (392
Tonitrua loquentia 481
Tonsio Religiosorum 375
Traditiones 246
Transfiguratio Christi 249. ob transfigurationem populus stupore repletur 272. Transfiguratio præfigurat regnum DEI 288
Tribulatio Pauli in Asia 380
Tribunal Hebræorum 224
Tributum solutum à Christo 253. ab eo an immunes Clerici ibid.
Tristitia de mortuis 410. Tristitia Christi 265
Tristitia sæculi & Divina 384
Tuba magna Evangelium 27
Tunicæ duæ vetantur 236
Tychicus 407
Tyri floruit Christianismus 23. Tyris in corde maris sita 115
Tyrus instaurata 115

V.

Rerum.

V.

Vaccæ Bethaven 158. Vaccæ pingves quæ 167
Væ contra Aſſur 13
Vallis viſionis 22. Vallis Achor 49. 151
Vallis Joſaphat deſcriptio 164
Vana gloria fugienda 13
Vas ſive linteum Petri 335. in eo qualia animalia & eorum occiſio ibid. Vaſa transmigrationis 106
Velamen capitis in muliere 375
Venatores 64. Veneficos conſulere res noxia 160
Ventum paſcere 69. 160. Vento paſci 69.
Venti præliantes 135. Ventorum neceſſitas 479
Verbum DEI dulce. 100. Verbi DEI auditio beatos facit. 290. Verba Chriſti: Quis me conſtituit Judicem explanantur 291. Verbum apud DEum 299. per illud omnia facta 300. eſt lux hominum. ibid. Verbum gratiæ 343. Verbum vitæ 458
Verecundia 23
Veſtis fidelibus neceſſaria 382
Via DEI & hominis 60. Via vitæ & mortis 68
Viator declinans ad manendum 63
Victimæ quæ DEO ingratæ 2
Videre ſecundùm faciem 380
Viduæ Eccleſiaſticæ 418. Viduarum miniſterium 331
Vigilantia neceſſaria 263
Vinculum vinculatum 25. Vincula Adam ſunt adverſitates 159. Vincula Lazari non ſolvuntur. 316
Vindicta DEI 97. Vindicta DEI præſto eſt peccatoribus 193. Vindictæ Divinæ ſymbolum eſt arcturus 168. Vindictam petunt Sancti 477
Vinea Jeruſalem 111. Vinitores 151
Vinum damnatorum 167. Vinum iræ 487 Vini abſtinentia 245
Violentia Saulo non facta 334
Vipera 347
Vir auro pretioſior 16. Vir vagus de DEO 68
Vir ſeptimus veſtitus lineis 104. Viri effœminati 5. Viri miſericordiæ 44. Viri ſex armati. 104. Viri viginti quinq; 105
Virgâ percutiens quis? 14. Virga vigilans 52 Virgæ duæ adunatæ 121. Virga vetatur Apoſtolis 237
Virgo circumdabit virum 76. Virginis partus prædictus 178
Virtus exibat de Chriſto 285
Viſiones 126. Viſio DEI per ſpeciem 8. Viſio DEI beatifica comparatur fonti 164. Viſio Prophetarum 1.
Viſitatio DEI 153
Vita præſens peregrinatio à Domino 382
Vita promiſſa ab æterno 432
Vita æterna & increata 458. Vitæ periodus duplex 33
Vitia faciunt hominem non hominem 107
Vitis parabola 320. Viti Chriſtus comparatur ibidem
Vitula conternans 86
Viventes judicabuntur 410
Umbilicus terræ 121. Umbilici præciſio 108
Umbraculum Iſraël 2.
Unctio capitis 227
Unctio ægrorum per Apoſtolos 270
Unctio extrema 451
Unctio docet omnia 460
Vocatio juſtorum 234. ſorte facta 394
Volumen volans 193
Volumen dulce ut mel 100
Voluminis comeſtio ibid.
Voluntas propria perdit 116
Voluntas DEI 362
Voluntas peccandi 230
Votum Pauli 342
Vox de throno DEI 490
Urias & Zacharias qui? 11
Uxor dimiſſa 225

Z

Zachæus ſuſcipit Chriſtum 286
dimidium bonorum dat 296
Zacharias 261. Zacharias Joannis Pater 276
quid ſonet 277
Zebedæi domus 218.

Soli DEO Honor & Gloria.



V.

Vaccæ Berhaven 158. Vaccæ pingues quæ 167
Vaccontes Assur 13
Vallis visionis 211. Vallis Achor 49 151
Vallis Josaphat descriptio 164
Vana gloria fugienda 13
Vas sive Nutrem, Petri 325. in eo qualia animalia & eorum occisio ibid. Vasa transmigrationis 106
Velamen capitis in muliere 375
Venatores 84. Vineæ consistere regnoxia 100
Verbum palcere 69. 100. Vento parci 69. Vanti præliantes 123. Ventorum necessitas 449
Verbum DEI dulce 100. Verbi DEI audito beatos tacit. 299. Verba Christi: Quis me constituit judicem explanantur 291. Verbum apud Deum 299. per illud omnia facta 300. est lux hominum. ibid. Verbum gratiæ 343. Verbum vitæ 458
Verecundia 23
Vestis fidelibus necessaria 382
Via DEI & hominis 60. Via vitæ & mortis 68
Viator declinans ad manendum 63
Victimæ quæ DEO ingratæ 2
Videre secundum faciem 389
Viduæ Ecclesiasticæ 418. Viduarum ministerium 331
Vigilantia necessaria 263
Vinculum vinculatum 25. Vincula Adam sunt adversitates 139. Vincula Lazari non solvuntur. 316
Vindicta DEI 97. Vindicta DEI præsto est peccatoribus 193. Vindictæ Divinæ symbolum est arcturus 168. Vindictam petunt Sancti 477
Vinea Jerusalem 111. Vinitores 151
Vinum damnatorum 167. Vinum iræ 487 Vini abstinentia 245
Violentia Saulo non facta 334
Vipera 347
Vir auro pretiosior 16. Vir vagus de DEO 68
Vir septimus vestitus lineis 104. Viri efferminati 5. Viri misericordiæ 44. Viri sex armati. 104. Viri viginti quinque 105
Virga percutiens quis? 14. Virga vigilans 32
Virgæ duæ adunatæ 121. Virga vetatur Apostolis 137
Virgo circumdabit virum 75. Virginis pa[illegible] prædictus 178
Virtus exibat de Christo 285
Visiones 226. Visio DEI per speciem 8. Visio DEI beatifica comparatur tonti 164. Visio Prophetarum 1.
Visitatio DEI 153
Vita præsens peregrinatio à Domino 382
Vita promissa ab æterno 432
Vita æterna & increata 458. Vitæ periodus duplex 33
Vitia faciunt hominem non hominem 107
Vitis parabola 320. Viti Christus comparatur ibidem
Vitula conternans 86
Viventes judicabuntur 410
Umbilicus terræ 121. Umbilici præcisio 108
Umbraculum Israel 2.
Unctio capitis 227
Unctio ægrorum per Apostolos 270
Unctio extrema 451
Unctio docet omnia 400
Vocatio justorum 234. forte facta 394
Volumen volans 193
Volumen dulce ut mel 100
Voluminis comestio ibid.
Voluntas propria perdit 116
Voluntas DEI 362
Voluntas peccandi 230
Votum Pauli 342
Vox de throno DEI 490
Urias & Zacharias qui? 11
Uxor dimissa 225

Z

Zachæus suscipit Christum 286
dimidium bonorum dat 295
Zacharias 261. Zacharias Joannis Pater 276
quid sonet 277
Zebedæi domus 218.

Soli DEO Honor & Gloria.



Biblioteka Jagiellońska
stdr0027407

F M
40

BRICTII
PARS
POSTERIOR

Theologia